CHARTULARIUM

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

CHARTULARIUM
UNIVERSITATIS PARISIENSIS


SUB AUSPICIIS CONSILII GENERALIS FACULTATUM PARISIENSIUM

EX DIVERSIS BIBLIOTHECIS TABULARIISQUE COLLEGIT
CUM AUTHENTICIS CHARTIS CONTULIT, NOTISQUE ILLUSTRAVIT

HENRICUS DENIFLE, O. P.
IN ARCHIVO APOSTOLICAE SEDIS ROMANAE VICARIUS, ACADEMIARUM VINDOBONENSIS
ET BEROLINENSIS SOCIUS

AUXILIANTE

AEMILIO CHATELAIN
BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS IN SORBONA CONSERVATORE ADJUNCTO.



TOMUS III

AB ANNO MCCCL USQUE AD ANNUM MCCCLXXXXIIII



PARISIIS
EX TYPIS FRATRUM DELALAIN
VIA A SORBONE DICTA.

ANNO MDCCCLXXXXIIII.

INTRODUCTIO

I

Inter ditissima et utilissima volumina Chartularii hoc sane reputabitur, cui plurimum laboris, perscrutationis, studii impendendum fuit. Cum volumen II confecimus, subsequi cum parte altera voluminis secundi, Collegiis saecularibus ann. 1286-1350 reservata, propositum habebamus; at, suadentibus amicis, instare voluminibus res Universitatis usque ad reformatam Universitatem continentibus potius duximus; tum sponte sua venient Collegia. Neque illorum consilium accepisse paenitet; nam quanquam non ii sumus qui in documentis edendis alios praevenire cupiamus, quaedam tamen in tutum collocare, imprimis de aetate magni Schismatis cui enodando illustrandoque non pauci in Europa docti hodie incumbunt, sapientius erat.

Hoc volumen cum pararemus, in animo erat usque ad annum 1406 vel saltem 1403 producere, quo tempore Francia Universitasque Parisiensis obedientiam Benedicto XIII pontifici restituerunt, sed adeo ampla materiarum seges fuit ut brevi propositum nostrum excesserit; itaque terminum voluminis cum morte Clementis VII pontificis posuimus. Qui quidem terminus non ineptus judicandus erit; immo usque ad id tempus Universitatem operae difficultatibusque parem videmus; postea turbantibus magistrorum animos affectibus facta est in Universitate miserabilior quam unquam scissio, quam soli Constantiensi Concilio sanare contigit.

Si quis opera Bulaei Carolique Jourdain cum nostro conferre voluerit, praesertim quod ad hanc aetatem attinet, rimas hiantes apud illos, licet bene meritos, magistros reperiet. Id mirandum est, quod C. Jourdain documenta de rectorum electionibus omniaque in Appendicem vol. IV a Bulaeo relegata, eo pretiosiora quia nunc fontes eorum perditi sunt, notare praetermisit. At si generaliter textus a Bulaeo vulgati cautim ab historicis adhibendi sunt, cautius etiam instrumenta memoriae nostrae accipienda; quartum enim volumen Historiae suae Bulaeus documentis alienis nihil ad res Universitatis pertinentibus nimium oneravit, neque otium illi fuit ut illa saltem corrigeret. Quid de nominibus propriis in eodem volumine obviis dicemus? Pluries insudandum fuit ut vera nomina divinaremus ubi originalia deficiebant. Quandoque Bulaeus merae phantasiae servit, sive cogitationes suas cum instrumentis misceat, quo crimine superiora ejus volumina[1] non carent, sive falsas temporis notas[2] indicet,

1. Quicunque etiam nunc admittunt, Universitatem Parisiensem saec. XIII quandoque *Academiam Parisiensem* nuncupatam esse, Bulaeo fidunt, qui istam locutionem in epistolam quamdam Alexandri IV suo marte inseruit (*Hist. Univers.*, III, 332), cum tamen in msstis et editionibus melioribus desit (vid. *Chartul.*, I, 313, linea 27).

2. Infra p. 513, not., et nº 1611 quaedam exempla produximus.

sive res sponte sua fabricet, ut *Elenchum rectorum* ab an. 1400, quem in fine voluminis V edidit (postea a Vallet de Viriville in *Histoire de l'instruction publique*, p. 385 sqq., exscriptum), quod commenticium opus[1] fatendum est cum a rebus, pluribus nominibus exceptis, abhorreat. Mendorum quidem non omnino expers Chartularium nostrum esse scimus; at tutior saltem dux erit de rebus Universitatis quam Bulaei Historia, et forsitan aetati saeculorum XIII et XIV studentes non sine detrimento illud negligerent.

Simul atque hoc volumen in lucem emittitur tomus I partis quam vocamus *Auctarium Chartularii*[2], quem complet Liber procuratorum nationis Anglicanae (Alemanniae) an. 1333-1406. Eum simul edere necesse fuit, quia plurima continet de Universitate ejusdem temporis, alias non conservata, quae in Chartularium inserere debuissemus. Deinceps etiam nonnulla in Auctario obvia locum in Chartulario injuria occupavissent. Sic ambo opera aequo passu concorditer procedunt. Praeterea quaedam documenta apud Jourdain vulgata vel notata (n^is^ 660–662, 675, 678), aliaque nondum edita, quia ad res solius Anglicanae nationis spectant, partim in textu Auctarii, partim in notis ejusdem invenies.

Quod si Deus nobis vires continuaverit, neque facultates defecerint, quemadmodum speramus, anno 1900, cum celebrandus erit solemni jubilaeo 700us annus a primo instrumento Philippi Augusti Universitati Parisiensi concesso, Chartularium, longius productum, caeteris voluminibus cumulabitur.

II

STATUS GENERALIS UNIVERSITATIS.

Quantum ad statum generalem hujus aetatis, duo plane distinguenda : tum vigor spiritusque intimus Universitatis, tum aestimatio quam Universitas de se, alii de ipsa tulerunt. Nunquam alias Universitas Parisiensis tam bene de se existimavit, nunquam alias tantam auctoritatem exercuit quantam tempore Schismatis; spiritu tamen interiore, vero scientiarum amore, plus quam unquam indigebat.

Universitatis jactantia.

Auctor tractatus infra in fine Introductionis editi papam et Universitatem Paris. « duo mundi lumina » vocat. Universitas primogenita est studiorum[3], orta ex caelesti paradiso, ubi ex Jovis vertice primogenita est Minerva, sapientiae dea[4]; saltem ex Athenis Romam, e Roma

1. Sic Bulaeus ad an. 1403, Junii 23-Octob. 10, rectorem inscribit Guntherum Colli, cum revera e suppl. Benedicti XIII, nº 95, f. 183, fuit Nicolaus de Gondricuria, omnino apud Bulaeum omissus. Eodem anno, Dec. 16, usque ad an. 1404, Mart. 24, Jacobus de Barreyo, a Bulaeo datus, locum cedere debet (ex *Auctar.*, 875, 37) Reginaldo de Fontanis (vid. *Auctar.*, 873, not. 1) quem Bulaeus falso nominat pro an. 1404, Oct. 10. Johannem de Templis idem ponit a 1404, Dec. 16, usque ad 1405, Martii 24, cum tamen verisimiliter fuit Pontius Simoneti (vid *Auctar.*, 893, not. 1), qui etiam rector 1406, Dec. 16-1407, Mart. 24 nominatus est (vid. *Auctar.*, 939, 29), ubi, si Bulaeo fidas, fuisset Johannes de Marsono. Et sic postea.

2. *Auctarium Chartularii Universitatis Paris*, I, *Liber procuratorum nat. Anglicanae* (*Alemanniae*). ed. H. DENIFLE et AEM. CHATELAIN, Parisiis, Delalain, 1894.

3. PETRUS DE AILLIACO, infra p. 399; GERSON, *Opp.*, II, 43, 51.

4. In tractatu, infra p. XXXI, et GERSON, *Opp.*, IV, 573.

a.

Parisios translata[1]; omnes alias Universitates superat, aliis Universitatibus id ipsum fatentibus[2], « et inimici nostri, ait Gerson[3], sunt judices quod tantum caeteris supereminet Universitas nostra quantum inter virgulta cupressi[4]. » Illa praestantia Universitatis Paris. ansam dedit mutandae significationi verbi « Universitas », e jure Romano protracti, ita ut fieret locutio « Universitas litterarum », quam quidem locutionem saeculo xv° vel potius xvi° inventam vulgo putabant, sed exeunte saltem saec. xiv° usitatam esse, primum ad Univers. Paris. designandam, probat tractatus infra editus, cujus auctor an. 1388, postquam edisseruit gymnasia alia propriis pollere disciplinis, prosequitur : « nostrum ampliori haec omnia sinu complectitur, ut nonnulli exinde « putent hoc (Parisiense) studium singulariter Universitatis nomen sortitum esse, quod *in se* « *coacervatas habet particulares singulorum* prerogativas atque *disciplinas*, quas adquirit copio- « sius et habundantius latiusque diffundit[5]. »

Praestantia Universitatis Paris. imprimis propter Artes Theologiamque vindicabatur. Etiam an. 1414, cum Benedictus XIII jam sub poena excommunicationis prohibuisset, ne quis Parisiis legeret vel audiret, et Scoti Parisiis studentes viginti et ultra, eidem pontifici adhaerentes, dubitarent Parisiis commorari, Benedicto supplicaverunt « ut possent studere Parisiis « vel in aliis studiis regni Francie, et etiam quod possent graduari, quoniam libenter fundantur « in artibus ac magistrantur, et *non possent invenire melius studium pro illa scientia*, *ut notum* « *est*[6] ».

Theologis praesertim illius temporis surgebant cristae, plus quam fas erat. Cum Dionysium Foulechat, Ord. Min., ab Universitate Paris. condemnatum et in curia Romana commorantem, ad Universitatem seu potius ad facultatem theologiae Paris. Urbanus V remisisset, fatebatur, auctoribus theologis, « se nescire ubi melius unquam cognitio catholice veritatis haberetur[7] ». Et contendebant in toto mundo esse famam « que in facultate theol. Paris. tamquam in sede sua catholicam veritatem reponit, nec ab ea unquam avelli potuisse commendat[8] ». Doctores Parisienses imprimis habent discernere quid verum, quid falsum in fide; praelati autem discussa et determinata a doctoribus habent sententialiter definire[9]. Doctores sunt quasi ratio dictans in ecclesia[10]. Similia etiam in scriptis Petri de Ailliaco ac Johannis Gersonis occurrunt; is insuper affirmat, « ad Universitatem Paris. spectare secundum doctrinam de sanctae Eccle-

1. Vid. infra p. xxxiii in not. ad Tractatum.
2. Vid. ibid.
3. *Opp.*, II, 90.
4. Verg., *Bucol.*, I, 25: « Quantum lenta solent inter viburna cupressi ».
5. Vid. infra p. xxxiii.
6. Reg. Vat. n° 332, fol. 29. Obiter notamus, Benedictum non consensisse. Scoti vel in Scotia, in studio S. Andreae ab ipso 1413 fundato, vel clam Parisiis magistrari debebant (ibid., fol. 27 b).
7. *Chart.* infra, p. 488.
8. Ibid.
9. P. 596.
10. P. 552.

siae judicare gubernamine[1] », magistrosque coadjutores papae nuncupat[2]. Adventus antichristi propinquus erit, cum Romani imperii destitutio, Schismatis ecclesiastici desolatio, et Parisiensis studii destructio praecesserint[3].

Opinio aliorum.

Certe exterae etiam Universitates Parisiensem superiorem agnoverunt. Hoc liquet, inter alia, ex epistolis ab Universitatibus Coloniensi, Vindobonensi, Bononiensi ad Parisiensem scriptis. Quid mirum? cum Coloniensis et Heidelbergensis magna ex parte a Parisiensibus magistris illo tempore fundatae, Vindobonensis vero redintegrata sit. Parisiensis Universitas semper reputabatur magnum gymnasium, in quo ingenia omnium nationum exercebantur. Ipsi papae, ut jam superioribus temporibus, non eo invidi quod Parisiensis civitas, haud Roma vel Avenio, maximam Universitatem possideret, praestantiam confessi sunt Universitatis, quae, ut aiebant, non minus civitati Paris. decori erat quam reges ibi commorantes[4]. Multo gravius est, quod etiam Bonifacius IX, quem papam agnoscere Universitas Parisiensis recusavit, laudes tamen ei dedit, dicendo : « in ipsa prae ceteris mundi studiis fontem scientiae viguisse, et adhuc vigere, » omnibusque facultatem studendi ibidem concessit[5].

Auctoritas Universitatis.

Sine dubio non minimam fuisse potestatem Universitatis Paris. ea tempestate patet. Saepius inter populum et regem vel principes non incassum se interposuit[6]. Rectori Universitatis primus locus ante episcopum Parisiensem dabatur[7], eumque rex cum maximis personis in Parlamentum convocabat[8]. Universitatis auctoritatem et arrogantiam et propriam in se confidentiam augebat ejus victoria adversus Hugonem Aubriot, tam potentem et de civitate bene meritum praepositum Parisiensem[9]. Sic valida facta est erga regem de talliis solvendis; primo noluit rex eam eximere, deputatisque responsum fecit « tale quale, scilicet cum duabus faciebus[10] »; at lectionibus ab Universitate suspensis rex petitioni obtemperavit[11].

Ab ultimis annis pontificatus Clementis VII praesertim amplificata, auctoritas Universitatis postea sub Benedicto XIII summum culmen obtinuit. Hoc congruit cum pontificalis et

1. *Opp.*, II, 434.

2. *Opp.*, II, 52. Clemens VII vero eos « fantasticos homines » reputavit (*Chron. du rel. de S. Denys*, I, 696).

3. Petrus de Ailliaco, infra, p. 400. Minus hyperbolicum est elogium Nicolai de Oresme coram Urbano V, ap. Bul., IV, 408 sq.

4. Sic Gregorius XI ad episc. Paris. ex Anania scribebat an. 1377, Oct. 1 : « Considerantes quantis Altissimus civitatem « Parisiensem famosis extulerit muneribus gratiarum, in qua viget tam insigne studium quod merito dici potest flos omnium « studiorum ac fons indeficiens et continue scaturisans anagogice veritatis rorans et irrigans sue doctrine poculo totam sacre « religionis superficiem christiane, in qua etiam residere noscitur sedes inclita et principale solium invictissimorum fidei « propugnaculorum glorie liliorum, et ad quam est insuper tantorum undique populorum concursus ut nec parem habere « videatur in terris in omni opulentia facultatum » (Reg. Vat. Aven. Greg. XI, vol. XXIX, fol. 235).

5. Infra nº 1672.

6. Vid. nis 1239, 1465; *Auct.*, I, 229, 25; 232, 32; 236, 9; *Chron. du relig. de S. Denys*, I, 145, 238.

7. Vid. nº 1465; *Auct.*, I, 618, 21, 34.

8. Vid. nº 1402.

9. Vid. nº 1451; *Auct.*, I, p. 607 et n. 4.

10. Vid. *Auct.*, I, 613, 45.

11. Vid. ibid , p. 627.

regiae in Francia auctoritatis deminutione. Quanto debilior in dies fiebat pontificatus Avenionensis, qui nullum remedium unioni in Ecclesia universali restituendae adhibuit, tanto major evadebat potestas Universitatis Paris., cujus alumni solemniores graviter, et saltem principio vix politicis ducti causis, rationes ac vias ad Schisma tollendum proponebant, Universitate annuente, et finem semel propositum acriter prosequebantur, apud utrumque pontificem, imprimis Avenionensem, insistendo ut ad eumdem finem adspiraret; et ipso pontifice non cedente ipsa Universitas nullo modo cedebat. In Universitate quidam viri idonei occasionem bonam momento optimo arripuerunt caeterosque se sequi coegerunt. Universitati sic connitenti plauserunt Universitates exterae (paucis exceptis), principes, viri celebres et egregii sensus. Cum Franciae jure imputaretur, eam maximum Schismati alimentum praestitisse, libenter exteri spem conceperunt, unde morbus ingravescebat, inde remedium egressurum. Jam Universitas Paris. potestas gubernatrix ab ultimo anno Clementis VII facta est, sub Benedicto XIII potestas politica. Valde huic favebat quod regia auctoritas tunc in Francia plus quam unquam ceciderat.

Quando regem vel ejus principes propositis suis infensos reperiebat, abstinebat a lectionibus, neque cedebat. Tanquam rex legatos Universitas mittebat ad utrumque pontificem, ad caeteras Universitates, ad consilia principum Francofurtensia et Nurembergensia, ad colloquium Remense[1]; litteras ad principes scribit; denique vias ad reformandum regnum proponit.

At quid profecerunt scientiae in Universitate, si praesertim saec. XIII respexerimus? Num scientiarum progressus cum auctoritate atque jactantia Universitatis conveniebat?

Theologiae studium jam in priori aetate fastigium reliquisse, in tomo altero annotavimus[2]. Theologia.
Jamdiu theologi, paucis exceptis, fontem egregium theologiae neglexerant, Patrum ecclesiae studium. Revera catalogi manuscriptorum illius tempestatis non continent apographa operum sanctorum Patrum, nisi brevium tractatuum, generatim de vita spirituali agentium; si quid adhuc de Patribus noverant, id ex anterioribus theologicis operibus hauserant vel ex Collectaneis per alphabetum digestis, ubi sententiae Patrum collectae erant. Una ex antiquis institutis superfuit ratio scholastica. Sic theologia sterilis evasit ac sterilior quam unquam, Nominalismo in philosophia dominante. Et si theologiam apud aliquos hujus aetatis viros, ut apud Joh. Gersonem, minus jejunam reperieris, hoc evincitur quod multa eorum scripta ad compescendos mores destinabantur. Caeterum tempore Schismatis theologi curae habuerunt de Schismate et rebus cum Schismate connexis tractatus potius quam opera theologica componere. Disputationes etiam magistrorum minus frequentes et quasi insolitae fiebant, ut deplorat auctor tractatus in fine Introductionis editi.

Vitia quae in Introductione voluminis II notavimus, dispensationes videlicet ad legendas

1. De his omnibus vid. *Auctarium*, I, ab an. 1395.
2. P. VI sqq.

Sententias et ad licentiam, non raro importunis precibus potentum intervenientibus concessae, etiam in hoc tempore viguerunt. Aliquid mali affert bullata haec licentia, exclamat auctor tractatus infra editi[1]. Sicut in anteacto spatio, ita in nostro, fere semper de religiosis agitur. Nomina eorum qui a pontificibus licentiati fuerunt ex gratia extra Universitatem Paris. in hoc volumine consulto omisimus, quippe quae nimis multa sint. Si numerentur altera parte licentiati ex gratia pontificum Urbani V, Gregorii XI, Clementis VII extra Universitates, altera licentiati Parisiis cum rigore examinis, priores majorem partem obtinent[2]; sed etiam Parisiis licentiati privilegiati multi sunt, ut facile videas ex *Indice rerum*. Evenit hoc tempore ut cancellarius Parisiensis juberetur licentiam conferre religiosis statim post lecturam Sententiarum, etsi iidem jam Sententias ex privilegio, aliquoties ne Bibliam quidem legerant. Id tamen in honorem Universitatis dicendum, quod mori illi adversata est, ut apparet ex instrumentis litis quam adversus cancellarium Johannem Blanchart sustinuit[3]; et posterius alumnos suos jurare cogebat, se non aliquo privilegio seu bulla usuros. Talia privilegia religiosis ipsis nocebant. Reipsa, summa imperii quo olim gaudebant destituti et, durante Schismate, raro ab Universitate Paris. vel legati vel oratores in consiliis regni Franciae vel in aliis electi sunt.

Philosophia.

Nunc de *Philosophia* videndum. Nominalismum e fine prioris periodi Universitas Paris. tanquam haereditatem accepit. Nominales celeberrimi quorum scripta philosophica an. 1473 (1474) ab Universitate Paris. et a rege Ludovico XI e toto Franciae regno exterminata sunt, ut operibus realium saec. XIII[i] et XIV[i] locum darent, omnes ad nostram circiter aetatem pertinent, scilicet Guillelmus de Ockam, [Gregorius] de Arimino, [Johannes] Buridan, Petrus de Ailliaco, Marsilius [de Inghen], Adam (?)[4] Dorp, Albertus de Saxonia [de Halberstadt].

Politior humanitas.

Minime tamen silentio praetereundum disciplinas *Grammaticae* et *Rhetoricae*, quae ad artes liberales spectabant, per aliquantum temporis magnum profectum in Universitate

1. Vid. nº 1557, *Narratio*, et infra p. XXXV.

2. Sufficiant quaedam exempla. Ne verba faciamus de aliis, Innocentius VI soli magistro generali Ord. Praed. permisit duobus licentiam dare in Capitulo generali an. 1358 Argentinae celebrato, et duobus in Capitulo generali Pragensi an. 1359 (Reg. Vat. Innoc., nº 243, f. 119; nº 234, f. 249; nº 240, f. 28). In uno I[mo] anno Urbani V afferuntur Bernardus Ollerii, Ord. Carm., Johannes Carmenzoni, O. Min., Nicolaus Petri de Senis, O. Erem. S. Aug., Firmus de Verona, Erem., olim studens Parisiis, Matthaeus de Porta de Cumis, O. Min., Hugo de Stamfordia, O. Praed., olim Parisiis, Oxoniae, Cantabrigiae, Andreas de Turre, O. Praed., olim studens Parisiis, Jacobus Matthaei, O. Praed., Petrus de Cario, Erem., Petrus de Aretio, Erem., Parisios destinatus, Ysuardus de S. Juliano, Erem., Angelus de Bibiena, O. Min , Ludovicus de S. Martino, O. Min., Dominicus de Lagueto. O. Praed. (Reg. Aven., Urb. V, vol. VI, fol. 240[b], 374, 385[b], 386[b], 387[b], 391[b], 417[b], 442[b], 457[b], 487, 487[b], 586[b]; Vat., nº 252, f. 47[b]; Av. vol. V, fol. 558[b]). In 2[do] anno iterum plus quam 10 scribuntur in Reg. Av. Urb., vol. VII, et in Suppl. an. 2, ita ut licentiati e gratia extra Universitates (duobus tantum exceptis), et omnes religiosi, in duobus annis ad numerum fere 30 ascendant, dum Parisiis eodem temporis spatio licentiati vix viginti, si generatim dicamus, numerentur. Et notandum mandatum licentiam dandi quandoque vivae vocis oraculo latum, et minime in Regestis expressum esse.

3. Vid. imprimis p. 368.

4. Sic in cod. Harcur., fol. 184; et ap. BULAEUM, V, 708, *Ordonn. des roys*, XVII, 610. Sed verisimiliter substituendus est « Johannes », nam Johannes Dorp de Leydis, qui saec. XIV exeunte et XV ineunte Parisiis in artibus rexit et postea Coloniae (de quo in *Auctar.*, I), fuit « nominalis » et Commentum super scripta Johannis Buridani edidit. Cf. PRANTL, *Gesch. der Logik*, IV, 237, ubi tamen Johannes Dorp perperam ad aetatem posteriorem refertur. Adam Dorp omnino ignotus est. In instrumento supra indicato alias etiam peccatur: Guillelmus Ockam vocatur « monachus Cisterc. ».

Paris. fecisse, si saeculum XIII et priores septuaginta annos saeculi XIV comparaveris. Quam corrupta fuerit latinitas eorum saeculorum cuivis Chartularii textus percurrenti manifestum est. Corruptio semper deterior ibat. In hoc volumine inveniuntur vocabula ejus modi : *barataria, doctorizare*, *guerra, trumpare*, *viagium,* etc., *maxima* pro *sententia*, *quod* pro *ut, quod* constructum cum *infinitivo*. Multa vocabula bona auctorum classicorum apud scholasticos vel deficiunt vel alieno ac novo sensu usurpantur; sententiarum constructio tum Gallicam tum Alemannicam indolem redolet et ab illo qui instrumentum redegit pendet. Et quoties indicativus pro subjunctivo ponitur, quoties adulterata forma « contingerit » in originalibus instrumentis, pro « contigerit » occurrit! Tum classicos legere negligebant, vel si quos excerpserunt, velut saeculo XIII Vincentius Bellovacensis, non ea mente legerunt ut purum antiquorum stilum imitarentur. Exemplum hujus vitiatae latinitatis praebet declaratio Universitatis Paris.[1] pro Clemente VII an. 1383, ne verba faciamus de quodam nationis Anglicanae procuratore, Thoma de Foresta[2], cujus stilus adeo corruptus est ut etiam inter coaevos deteriori macula afficiatur; nedum de orthographia, quam non latinus modo sed quicumque gentilis sermo hac aetate pro nihilo ducit.

Impulsum ad studia grammaticae stilique renovanda, ad lecturam imitationemque antiquorum restituendam non Francia, ut omnes norunt, sed Italia dedit. Francisco Petrarcae debetur, mox asseclis eum in Italia sequentibus. In Francia renovatio incipit cum versione gallica Titi Livii[3] aliorumque classicorum, at brevi classici ipsi lecti sunt, quidam etiam in scholis Universitatis Parisiensis. Sic Petrarcae sententiam « oratoriam et poeticam artem magis in Italia quam in aliis terris edoceri », Nicolaus de Clamengis corrigit : « Respondeo id in « aliis partibus etiam plerumque fieri. Vidi ego in studio Parisiaco sepe Tullianam publice legi « rhetoricam, sepe item privatim, nonnunquam etiam Aristotelicam, poeteque summi et « optimi Virgilius atque Terentius illic etiam sepe leguntur[4]. » Fortasse huc id quoque trahi potest quod Johannes de Monsterolio in quadam epistola de Terentio dicit[5]. Singularem elenchum eorum auctorum, qui in fine saec. XIV[ti] Parisiis noti habebantur, si non omnes in scholis legebantur, nobis affert Petrus de Ailliaco : « In primo scole philosophorum ingressu, « ait, sermocinalium scientiarum, grammatice videlicet et logice, rhetorice et poetice artis « doctores invenio, qui omnes juxta sue facultatem doctrine michi aliquid afferunt; alii

1. Infra nº 1650.

2. *Auct.*, I, 633 sqq. Ubique tamen vocabula *avoare, aguare, deaguatio.*

3. A Petro Berchorio, de quo infra nis 1196, 1197, et A. THOMAS in *Romania* (1882), p. 181 sq. : « Tum primum Romanorum historia oculis majorum nostrorum subjecta est, erroribus et fabulis tandem liberata, quibus plurium saeculorum « ignorantia illigata fuerat. » Idem, *De Johanne de Monsterolio vita et operibus* (1883), p. 49 sq.

4. *Epist.* 5, ad cardin. Galeotum de Petramala, Bibl. nat. Paris., ms. lat. 3128, fol. 18. In editione LYDII (1613), quae semper affertur, p. 29 perperam legitur : « Respondeo, in aliis etiam partibus id plerumque fieri vidi. Equidem in studio « Parisiaco etiam saepe Tullianam publice legi Rhetoricam. »

5. Apud A. THOMAS, *De Johanne de Monsterolio*, p. 65.

« grammaticalia *Prisciani* rudimenta, alii logicalia *Aristotelis* argumenta, alii rhetorica *Tullii* « blandimenta, alii poetica integumenta *Virgilii*, nec solum ista, quinymmo *Ovidii* presentant « fabulas, *Fulgentii* Mithologias, Odas *Oratii*, Ormestas *Orosii*, *Juvenalis* Satiras, *Senece* « Tragedias, Comedias *Therentii*, Invectivas *Salustii*, *Sydonii* Epistolas, *Cassiodori* Formulas, « Declamationes *Quintiliani*. Decades *Titi Livii*, *Valerii* [Maximi] Epythomata, *Marcialis* « Epygrammata, Centones *Omeri*, Saturnalia *Macrobii*, et generaliter singula, que vel suavis « liram Rhetorice, vel gravis Poetrie musam resonant[1] ».

Certe quidam antiquorum auctorum cultores ex Universitate Paris. tum prodierunt, qui quanquam nec Petrarcam, nec Colutium, nec Poggium aliosque Italos attigerunt, nec inveteratos usus aequalium e se ipsis abjicere omnino potuerunt, tamen classicos, quos saepe afferunt, imitari conati sunt et permulto meliorem latinitatem usurpaverunt et introduxerunt quam qua duo superiora saecula usa erant. Feliciter invenimus primum fortasse hujus generis tractatum in Francia anno circiter 1388 conscriptum, qui manu posteriori in manuscripto Johanni Gersoni adscriptus est, sed, ut opinamur, cum majore veritatis specie Nicolao de Clamengis restituendus[2] videtur.

Sane Nicolaus Poillevillain de Clamengis, qui, ipso fatente, eloquentiam in Gallia paene in antiquum honorem restituit[3], et Johannes de Monsterolio[4] humaniores litteras apud Francos in ea tempestate et sequente repraesentant. Inferiores utique nominandi sunt tres alii Universitatis Paris. magistri, Petrus de Ailliaco, Johannes Gerson, Johannes Breviscoxae. Universitas ipsa necessarium esse sensit ut acta publica sua vel saltem epistolae regi et exteris missae elegantiore sermone et puriore latinitate redigerentur, quam usque adhuc consueverat. Occasio obvia dabatur. Nicolao de Clamengis quae suo nomine scribenda erant commisit[5]; is vero jam antea, ut suspicamur, Petro de Ailliaco in redigendis quibusdam tractatibus et epistolis adstiterat[6]. Omnia quae in hoc volumine exaravit Nicolaus a caeteris documentis et scriptis honorifice distinguuntur[7].

1. Principium super lecturam Sententiarum, in Bibl. Mazarin. Paris., mss. 934 et 935 (*Quenam doctrina hec nova*), fol. 2. In *Opp. Gersonii*, ed. Dupin, I, 612, ubi perperam inscribitur : *Principium in cursum Bibliae*, cum textu manco.

2. Quem in fine *Introductionis*, p. xxxi, magna ex parte edimus. Vid. p. xxviii.

3. « Non proinde tamen aut in patria ipsa odio haberi aut patria ipsa pelli merui, quod hiis ingenuis similiter studiis, « tanta superioribus seculis celebritate veneratis, operam aliquantulam impendi, atque ipsam eloquentiam diu sepultam in « Galliis quodammodo renasci novisque iterum floribus, licet priscis longe imparibus, repullulare laboravi, ut sicut in ceteris « laudibus Gallia etiam his temporibus ceteris regionibus non inferior est, ita etiam oratorie virtutis aliquid haberet, quo, « etsi aliis non fortassis equaretur, prorsus tamen expers esse argui non posset. » Ep. 55, ad Gontherum Colli, in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 3128, fol. 90; in ed. ep. 46, p. 141. Oblata occasione cum desiderio A. Thomas (l. c., p. 86, not.) nostrum jungimus : « Utinam aliquis de Nicolai de Clamengis vita et operibus Galliam condigno libro donet ».

4. De quo A. Thomas, l. c.

5. Ipse postea in epistola ad collegium studii Paris. gloriatur : « meum stilum ... vestris obsequiis voluntatibusque « servientem leti sepius gaudentesque audistis ». Ep. 51 in ms^to^, fol. 82; ep. 42, p. 128, in editione pessima.

6. Sic, v. g., in litteris infra n° 1560, si eas cum epistola n° 1690 comparaveris.

7. Cf. tractatum in fine *Introductionis*, et n°s 1557, 1683, 1688, 1690, 1693. Alia invenientur in tom. IV *Chartul.*

Dolendum autem hoc melioris notae spatium non tamdiu in Francia quamdiu in Italia durasse. Jam ante finem saeculi XIV acta et litterae Universitatis intoleranda fiunt, sicut Benedicti XIII epistolae, et eo magis quod memoriae illius scriptores in lucubrationibus suis tumorem et ampullas captare tentabant. Apud Francos, quibus non contigit scholam celebrem, ut Italis, obtinere, ii scriptores optimi, quos nominavimus, usque ad Guillelmum Fichet vix imitatores invenerunt, nisi fortassis excipias Gerardum Machetum, de quo in vol. IV agetur. Quod Johannes Vatel an. 1521 ait : « Clemangio id schola Parisiensis debet quod latine scribat[1] », de minimo annorum spatio saeculi XIV verum est.

De alia septem artium liberalium parte, de *Musica* videlicet, loquebantur peregrini qui ea tempestate Parisiis in Universitate studebant. Johannes de Jenzenstein, postea episcopus Misnensis et archiepiscopus Pragensis in quadam littera scribit : « Musica considerat de numero considerato ad sonum, nunc dissono, nunc semitono, nunc falseto, nunc vero bemollem cantum exornat, et quomodo secundum gravitatem numerorum et mensuraciones accentuum quis decantet, quod peroptime novit Parisiensium turba quamplurima[2]. » An. 1403, Johannes Comitis, Ebroic. dioec., et Guillelmus Burgondi, Paris. dioec., ut « actu docentes[3] Parisius in arte musice ex auctoritate et licentia Universitatis Paris. » afferuntur[4]; prior fuit etiam instructor puerorum chori ecclesiae Paris., alter « cantor Universitatis ». Musica.

De Facultatibus *Decretorum* et *Medicinae* pauca dicenda sunt. Tunc in Facultate Decretorum vigebant quidam indubitatae doctrinae viri, quorum fama fuit, veluti Johannes de Bournazel, Johannes Fabri, Simon de Cramaudo; at scripta quae duo posteriores reliquerunt minime juris canonici incrementum pepererunt. Caeterum, durante Schismate Juristae, utpote insolentiores, non theologi in congressibus plerumque palmam ferebant. Decreta, Medicina.

Facultas Medicinae magis ac magis frequentata fuit; nunc major numerus studentium in medicina Parisiis invenitur quam temporibus superioribus. Magistros celebres habuit, ut Gervasium Christiani, Guibertum de Celseto, Johannem de Guistri, medicos regis Caroli V, quorum cura vel exemplaria manuscriptorum exarata sunt, vel bursae studentibus fundatae (de quo fusius cum de Collegiis tractabimus); sed quem ii in docenda medicina progressum paraverint, frustra in documentis quaesieris.

Schismatis aetas plurimum studiis nocuit. In dubium animi moti, stimulati, agitati, vires suas dissipabant. Quis esset verus papa? quibus unio viis obtinenda? Ea tantum mentes magistrorum studentiumque occupant. Quaestiones de Schismate ejusque consequentiis solemne Studiorum prolapsio Schismate durante.

1. LAUNOIUS, *Opp.*, IV, parte 2, p. 63.
2. Vid. Cod. epistolarem, ed. LOSERTH in *Archiv f. Oesterreich. Gesch.*, LV, p. 386.
3. Non abs re erit notare eos ambos in fine totius rotuli afferri, et ut a ceteris regentibus distinguantur nominari « docentes », perinde atque hodie vox « Dozent » etiam pro magistris musicae similiumque artium adhibetur.
4. Vid. tom. IV.

momenti argumentum fuerunt. Cum Universitas esset pars valida ac rectrix, non cordi habuit regulas de studiis condere; omnesque fere congregationes nihil aliud quam Schisma tractabant. Peritissimi magistri, quemadmodum Petrus de Ailliaco, Johannes Breviscoxae, Dominicus Parvi, Petrus Plaoul, Johannes Mullechner, Johannes Mercatoris, Galterus Forestarii, Arnoldus Uitwiic, etc., electi sunt legati oratoresque ad Concilia Franciae, ad alias Universitates, ad pontifices, ad consilia principum in Alemannia. Semper in itinere vel absentes quidam nominantur quorum quandoque ne studia quidem perfecta erant; quando igitur studuerunt[1]? Alii alio modo in Schismate versabantur; sane cursus adhuc sequebantur, sed sana disciplina evanescente. Orationes actusque tument, demonstrationes invalidae fiunt, argumentatio saepe nihil nisi inanis verborum strepitus, usus Sacrae Scripturae vel aliorum auctorum non raro arbitrarius et nullo fundamento fultus aberrat[2].

Praeterea Schismatis causa graves jacturas passa est Universitas Paris., cum non pauca supposita de vero papa aliter ac major pars magistrorum sententia Universitatem derelinquerent. Inter quae non ignobilis famae fuerunt Henricus de Hassia, Marsilius de Inghen, Conradus de Gelnhausen, Henricus de Oytha. Cum illorum aliorumque profectione connectitur novarum Universitatum in Alemannia fundatio vel reintegratio. Id non immerito patefacit Henricus de Hassia[3]. Illas Universitates non parvi pendebat ipsa Parisiensis, cum Vindobonensem Henricus de Hassia, Heidelbergensem Marsilius de Inghen illustraret, Coloniensem justa laus sequeretur, teste Petro Regis, abbate S. Michaelis, qui eam notat Universitatem « ubi sunt famosiores viri in scientia theologica totius mundi[4] ».

Denique aliud malum Universitati Paris. Schisma attulit[5]. Omnes intelligunt pontificem Avenionensem iis subjectis, qui sibi fideliores remanserant et quibus fidere debebat, favisse; at ii subjecti non semper optimi judicandi erant. Cum tanti ponderis sit Cancellarius in Universitate Paris., mirandum est Clementem VII id munus contulisse cardinali Nicolao de S. Saturnino, qui officio cancellarii fungi nequibat; quae tantummodo merces erat pro ministerio causae Clementis VII oblato. Postea venit alius Clementi VII carissimus, Johannes Blanchart, qui quale certamen in sinum Universitatis provocaverit scimus. Deinde cancellariam occupavit Johannes

1. Jam ante hanc aetatem Marsilius de Inghen. Simon de Cramaudo, Petrus de Ailliaco, Johannes Gerson, Petrus Plaoul aliique plures iterum iterumque ut nuntii ad curiam electi quandoque per longum temporis spatium absentes erant, quod nec istis absentibus, nec discipulis Parisiis remanentibus emolumentum scientificum alere potuit.

2. Sic v. g. Universitas in famosa epistola an. 1394, Jun. 6, ad regem (infra n° 1683) textus : « omnes sumus fratres in Christo », et « si oculus tuus scandalizat te », *etc.*, affert ad probandam cessionem utriusque pontificis. Pro via compromissi inveniebat verba Christi : « ubi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ego sum in medio eorum », eumdemque textum affert pro Concilio generali.

3. In *Epistola informatoria super schismate* scribit : « Quid etiam est quod studia dissipantur Gallie, sol sapientie ibi « eclipsatur? Recedit sapientia, ut illustret gentem alteram. Numquid non jam apud Germanos lucerne quatuor sapientie « accense, studia veritatis radiis choruscantia? ». Bibl. Caesar. Vindobon., ms. lat. 4923, fol. 67[b].

4. Arch. Vat., arm. 54. n° 27, fol. 125.

5. Jam hoc praestrinximus in *Introd.* t. II, p. X

b.

de Guignecurte, quanquam baccalareus tantum in theologia; satis erat quod acriter Clementi VII adhaereret.

De alio periculo in Universitatem introducto a Schismate, id est de divisione intra sinum Universitatis grassante, in hoc volumine loqui nolumus, quia partim ad *Auctarium* pertinet, partim ad tom. IV *Chartularii*, cum vera atque propria divisio posterius eruperit, quanquam jam in nostro semina acceperit.

Cultura linguae gallicae.

Profectus tamen quidam nobis memorandus, hoc est cultura gallicae linguae ut stilus oratorum liquidior evaderet. Locus, quem occuparat in Schismate Universitas, causa fuit cur optima ejus supposita, in congressus publicos missa, prompto sermone uti deberent ad opiniones explicandas, ad respondendum subito repentinis oblocutionibus vel contradictionibus. Impedimento erat sermo latinus, ut varii fatentur, neque plane ab auditoribus cunctis intellectus. Tum, adhibito gallico sermone, quasi oratores a cunis se ostendunt; sic deprehenduntur in orationibus cum adversarii semper ad obloquendum proni obstarent. Inter eos nonnulli peritissimi oratores fuissent in nostris deputatorum conclavibus, quippe quos nullae artes fugerent ut adversarium ridiculum efficerent, ut immoti et placidi contra oblocutores manerent, ut sententias ordine praefixo, invitis interpellatoribus, prosequerentur. Semper parati instructique stant. Omnino aliud genus est quam sermones ejusdem temporis non extemporales gallica lingua pronuntiati. Optima exempla praebet Concilium Parisiense an. 1406; aetas quidem posterior est nostra (non de *Auctario* loquimur), at nostrae aetatis sunt ii oratores[1].

Cupiditas.

Non opus est etiam in illud diu insistere quod in Introductione vol. II jam tetigimus, scilicet studiorum propositum esse beneficiorum praebendarumque consecutionem. A summo ad infimum beneficia quaerebantur, ut in libro *De ruina et reparatione ecclesiae* (*De corrupto statu ecclesiae*) scribitur; neque Nicolaus de Clamengis in priori vitae suae stadio, neque ejus

1. Quaedam exempla sufficiant. Simon de Cramaudo in eodem Concilio demonstrat, Petrum de Luna omnino mutatum esse ab illo, qui fuerat cardinalis. Tunc ille cessionem proclamavit; sed postquam factus est papa, ea oblitus est, quae de cessione proposuerat. Simon ita prosequitur : « Il faisoit l'Agneau-Dieu; il sembloit que ce fust merveille, — ce n'estoit que toute faintise. « Il y avoit un moine en un moustier, qui faisoit si fort le religieux que merveille; il jeûnoit trois fois la semaine, il n'y faillit « jamais. Avint qu'il fut éleu abbé, il ne jeûna plus. L'en ly demanda : « Sire, vous soulés jeûner, vous en avés tost oublié vostre « coustume. » Il répondit, qu'il faisoit lors la vigile de la feste, où il estoit. » (BOURGEOIS DU CHASTENET, *Nouv. hist. du Concile de Constance*, Preuves, p. 216.) Simon de Cramaudo adeo callidus fuit ut post illam historiam nullum commentarium adderet, aliis facilem interpretationem linquens; ad materiam orationis inceptae protinus redit. — Johannes Parvi contra Petrum de Ailliaco in eodem congressu Parisiensi observat : « Quant à ce qu'il a parlé de la faculté de médecine, n'a point à se entremettre en cette « matière, je m'en merveille, et aussi de la faculté des arts. Car la faculté des arts est telle, qu'il y a bien mille maistres. [*Quidam « interloquitur :* deux mille.] Cest icy derrière me dit : deux mille. Au moins y en a-il bien mille, de quoi il y en a bien deux ou « trois cents gradués en autre science, comme bacheliers en théologie, en médecine, en droits civil et canon, et en y a comme « ces sont plus gradués. Un théologien est de la faculté des arts, jusqu'à ce qu'il ait le bonnet sur la teste. Le bonnet ne lui « ameine point de science. [*Alius obloquitur.*] L'en parle à moi cy par derrière : il a grand paour que je ne le oublie. Il me dit « et dit vrai, qu'il y en a de moult crottés, qui sont très suffisant et bons clercs. En pauvreté croist la science plustost qu'en « richesse. Il y a des bacheliers cursoires, à qui je m'envois, quand j'ai aucune chose à faire... » (*ibid.*, p. 229). Ab illo genere distinguendae sunt orationes in gallica lingua quas multa cura praeparaverat auctor, ut, ex. g., Sermones gallici Gersonis an. 1394 et 1404 (*Opp.*, IV, 565, 571).

amicus Petrus de Ailliaco pluris valebant quam caeteri. Res magna, quae tot folia *Auctarii* implet, fuit ut magistri inscriberentur rotulo praesenti vel futuro, dirigendo ad papam, ut beneficium de gratia exspectativa obtinerent. Fastidium affert, videre magistros impatienter mortem pontificis exspectantes, ut rotulo ad novum papam mittendo imponerentur[1]. Nec papae tantum, sed regi Franciae etiam supplicabant, qui ex se et ex dispensatione apostolica quandoque praebendas conferre potuit[2], et postea episcopis sub pontifice Benedicto XIII. An. 1387 theologi queruntur quod in Facultate theologiae « in detrimentum fidei catholice » pauci inveniantur scholares, quia magistri theologiae tenuiter providentur de bonis ecclesiasticis. An. 1403 Johannes Gerson coram papa eamdem querelam exponet[3].

Numerus suppositorum.

E documentis aetatis illius conjici potest aliqualiter quis fuerit numerus suppositorum in Universitate Parisiensi. Cum episcopus Faventinus in congressu apud Medinam Campi (*Medina del Campo*) an. 1381 dixisset : « Quanquam in Francia sunt viri valentes et jurisperiti, non « tamen eos credo esse tales (i. e. tam profundi in scientia quam Itali), quia fons juris in « Italia est et non in Francia[4] », id responsum accepit : « Tales comparationes odia incitant « et contentiones verborum, et temerarium est notorie de talibus judicare.... In Francia tot « sunt studia sicut in Italia, plures studentes numero et doctores, qui eque operam dant « scientie, eadem ars, modus consimilis, finis idem, omnes homines ingenia utrobique exce- « dentia et excessa[5]. » Petrus de Ailliaco loquitur de « multis millibus » in Universitate[6]. Anno 1394 schedae, in quibus supposita Universitatis suam opinionem de viis ad Schisma tollendum inveniendis scribebant, « decem millium numerum excedebant[7] ». Quando Johannes Parvi an. 1406 asserit, solos artium magistros esse « bene mille[8] », nequaquam exaggeravit, nam in Rotulo anni 1403 magistri artium praesentes, absentibus non computatis, plus quam 790 afferuntur; et notandum quod multi e nationibus Normannorum ac Picardorum, Alemanni vero paene omnes e natione Anglicana, in rotulo desunt. Scriptores coaevos numerum magis deminuisse quam amplificavisse fatendum est, ut Simonem de Cramaudo dicentem : « Et Universitas Paris. habet bene ducentos tam magistros in theol., quam doctores « decretorum, baccalareos solemnes in theologia, licentiatos in decretis et in legibus, et in

1. Ecce perpetuam sententiam : « si contingat papam mori in eorum absentia (cujus vitam conservet Altissimus, 95, 28), quod imponerentur rotulo ». Vid. *Auctar.*, I, 323, 19; 406, 33; 446, 26; 458, 42; 462, 2; 493, 3, 12, 34; 518, 24, 38; 519, 8, *etc.*

2. Sic, v. g., rex ab Innocentio VI obtinuit an. 1356, Jul. 11, ut in Parisiensi ecclesia duas praebendas sacr. paginae magistris, duas decretorum et duas legum doctoribus conferret. Per idem privilegium potuit de tribus praebendis in eccl. Carnotensi disponere (Reg. Av. Innocentii VI, vol. XIII, fol. 300b). An. 1371, Jan. 16, obtinuit decem praebendas in ecclesiis cathedralibus, decem in collegiatis, pro viginti magistris in theol., jure can. et legibus (Reg. Av. Gregor. XI, vol. III, fol. 383b).

3. *Opp.*, II, 52.

4. Arch. Vat., arm. 54, nº 48, fol. 14b

5. Ibid., nº 49, fol. 14b.

6. Infra p. 504.

7. Infra nº 1678.

8. Supra p. xv, not.

« aliis Facultatibus etiam magistros[1] ». Si quis in Universitate Paris. plus quam 10 000 supposita admiserit, certe a vero non abhorrebit.

De scholarium numero sub finem saeculi XIII testis nuper e tenebris erutus non praetermittendus est, scil. Rabbanus Çauma, monachus Nestorianus, ab Argoun principe Persico ad papam regesque Occidentis missus. Sic, e versione Syriaca textus Persici nunc amissi, loquitur de Parisiis, quo vergente autumno an. 1287 advenerat : « Ibi erant 30 000 scholares, qui « scientiis ecclesiasticis ac profanis studebant, hoc est interpretandis explicandisque omnibus « sacris libris; sapientiae, hoc est philosophiae rhetoricaeque cum medicina, geometria, « arithmetica, planetarum stellarumque scientia; constanter in scribendo detinentur, omnes« que a rege aluntur[2]. » Fortasse hic oculatus testis mente Serica res amplificavit.

Sane vitanda est amplificatio, cui favebat Paulus Aemilius Veronensis (quem Bulaeus exscribit[3]) asserens : an. 1381 « aliquot millia liberalium disciplinarum studiosi Lutetia alii alio dilapsi sunt[4] », id est propter Schisma aliquot millia Parisios reliquisse.

III

Res novas et documenta nova majore numero in hoc volumine quam in prioribus invenies. Chartularium edentibus ea ratio nobis adoptata est, ut plurimas res novas quaerendo inventas praetermitteremus quoties parum ad materiam nostram pertinerent, ac delectum inter instrumenta obvia et utilia faceremus; quae autem sunt jam ab aliis vulgata, horum tum puriorem saltem textum edere conamur. DOCUMENTA NOVA.

Non inutile est conspicere ipsam Universitatem claustrum Nostrae Dominae in Insula tanquam cunas Universitatis, vel potius scientiarum Parisiis traditarum[5], agnovisse, quae opinio cum illa quam in Introductione t. I aperuimus convenit, cum tamen Carolus VI putaret, cancellarium S. Genovefae a Carolo Magno institutum esse[6].

E documentis in hoc volumine et in *Auctario* congestis, praecise dijudicatum est, contra Caroli Thurot sententiam[7], baccalareatum Parisiis vere ut gradum habitum fuisse, et quidem in omnibus Facultatibus[8].

1. In tractatu *Et nunc reges intelligite*, in Arch. Vat., arm. 54, n° 21, fol. 147; n° 33, fol. 17b.
2. *Histoire de Jabalaha III... et du moine Rabban Çauma, ambassadeur du roi Argoun près du roi de France au XIIIe siècle*, traduite du syriaque, par J. B. CHABOT (Paris, Leroux, 1894), p. 79; vel *Revue de l'Orient latin*, 1894, p. 75.
3. IV, 584. Vid ad haec DENIFLE, *Die Universitaten des Mittelalters*, I, 616.
4. *De rebus gestis Francorum*, Lutetiae, 1576, fol. 206.
5. Infra p. 322, et n° 1488, p. 329.
6. Infra p. 306.
7. *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris*, p. 137.
8. Quantum ad baccalareatum in *theol.* vid. nos 1321, 1386, 1464. Ex ultimo n° apparet, theologum solummodo post

De ludo episcopali Parisiis in festo S. Nicolai permisso hactenus nihil noscebatur. N^us 1340 nos docet ludum illum ab antiquo tempore in Universitate Paris. usitatum fuisse, et nonnulla ad mores illius memoriae explicandos non superflua suggerit.

Aliquoties notitiae tantum interpositae lumen novum cuidam puncto adhuc obscuro afferunt. Sic, e n° 1528 (pag. 427) docemur magistros in theologia Bibliam legisse. Quae fuerit sive Parisiis sive alibi lectio magistralis magistri in theologia, usque adhuc ignorabatur; magistrum eum disputationibus tantum praesedisse putabant. Nunc vero patet lecturam in Universitate Paris. inceptam esse cum Biblia (a baccalareis biblicis) et iterum cum Biblia perfectam (a magistris); cum priores textualiter et cursorie, posteriores scientifico modo cum glossis legerent[1].

Ut eodem documento liquet, lectio magistralis doctorum in decretis per quadrantem horae tantum durabat, et is qui doctorem regentem non audiebat, scholaris haud reputabatur. Scimus etiam ex eodem fonte, 26 doctores regentes in Facultate decretorum fuisse, quod concordat cum n° 1589.

Ex instrumentis infra vel in *Auctario* editis primum edocemur vel de juvenilibus studiis vel de professione magistrali seu de nominibus virorum qui hanc nostram memoriam postea illustrarunt vel famam adepti sunt, quales notandi Hugolinus Malabranca, Gerardus Groot, Ferricus Cassinelli, Henricus de Hassia, Conradus de Gelnhausen, Simon de Cramaudo, Petrus Regis abbas S. Michaelis, Stephanus de Calvomonte, Stephanus Galdeti, Petrus de Ailliaco, Aegidius de Campis, Johannes Arnaudi Gerson, Dominicus Parvi, Johannes Breviscoxae, Johannes Mullechner de Austria, Nicolaus Poillevillain de Clamengis, Petrus de Candia, Johannes de Basilea, Johannes de Chevegneyo, Petrus Plaoul, Johannes Thomae, Johannes de Montesono, Johannes Parvi, aliique.

Praeterea e multis textibus simul consideratis judicium nostrum de quibusdam magni rumoris viris corrigi debet. Sic, v. g., Petrus de Ailliaco non solum ut ambitiosus, et plus quam alii, apparet, sed etiam homo ambiguae fidei reputandus, qui propterea e senatu magistrorum expulsus fuerat[2].

lecturam Sententiarum ad gradum baccalareatus pervenisse. Quod ad *jus canon.* vid. *Chartul.*, II, n° 1040, p. 504; III, n° 1363. not. 17; n° 1412. De gradu baccalareatus in jure can. agitur in Reg. Aven. Gregorii XI, vol. VI, fol. 624; vol. IX, fol. 471. Promiscue cum aliis ibid., fol. 375^b, 411, 443^b, 446^b, 472^b. Sic etiam in *jure civili* loquebantur de gradu baccalareatus, ibid., fol. 480^b. Quantum ad *artes* pluries inveniuntur in *Auctar.*, v. g. 452, 37; 606, 24; 674, 25; 855, sq., 894, 5: ad gradum bachalariatus; p. 180, 13 : ad gradum determinationis. In diversis locis agitur de tribus gradibus, i. e. determinationis, licentiae et magisterii, v. g. 434, 15. Vid. praeterea infra, p. 39 : ad gradum bachelarii vel magistri. Ceterum alias etiam, ut in *Mon. hist. Univers. Prag.* saepe occurrunt locutiones : gradus baccalareatus in art.; promotus ad baccal. vel ad gradum baccal.

1. Vid. nunc Denifle in *Revue Thomiste*, II, (1894), 149 : *Quel livre servait de base à l'enseignement des maîtres en théologie*. In Ord. Praed. mos etiam nunc conservatur, ut praesidens novum magistrum in theologia creandum alloquatur : « te instituimus ... doctorem et magistrum in s. theologia ... cum auctoritate etiam cathedram magistralem ascendendi, *sacram Scripturam docendi, interpretandi, glossandi* ».

2. Vid. *Auctar.*, I, 707.

Ut ad integra documenta transeamus, gravissimi momenti sunt articuli (n° 1246) quibus Facultas theologiae insurgit in Rectorem Universitatis, qui se caput Universitatis autumabat[1].

Cum hac concertatione connectitur lis celebris Universitatis contra Johannem Blanchart cancellarium. Quae de ea lite in n^{is} 1504-1522 publici juris fecimus, paucis exceptis, omnino ignota erant. Ibi tam multa de moribus ejusdem temporis, praesertim Universitatis, occurrunt, ut operae pretium esset de illa lite librum componere. Nonnullorum magistrorum nomina etiam aliunde inaudita ad notitiam nostram his instrumentis perveniunt.

Juramenta pro parvis scholis puerorum et puellarum Parisiis[2] non sine utilitate sunt; jam quidem edita erant sed pessime, ac versio gallica quam suppeditat codex Arsenalis omnino alia est atque traductio antea typis vulgata.

Statuta Urbani V pro quattuor Facultatibus Parisiensibus[3] quasi fundamentum Universitatis remanserunt usque ad reformationes Cardinalis Guillelmi de Estoutevilla, qui eadem partim in suis exscripsit. Textus quem e manuscriptis protraximus mendis apud Bulaeum obviis expurgatus est.

Statuta non minimi ponderis, tam pro theologia[4] quam pro Decretis[5], in hoc volumine primum in lucem trahuntur. Statuta a Medicis condita[6] nos docent magistros medicinae in nationibus remansisse, quod suspicari etiam e Rotulo nationis Gallicanae (p. 252) possemus[7]. Quemadmodum Guillelmo Carnificis medico uxorato[8] medicinam legere Gregorius XI permiserat, sic Guiberto de Celseto presbytero[9] Clemens VII concedit; et contra Macaeum Revel judaeum Facultas litem in Parlamento[10] commisit. — Addamus quoque n^{um} 1603 de abolenda quadam practica medicinali dicta « escarmouche ».

Praeter Statuta Facultatis decretorum, magni momenti sunt duae epistolae Innocentii VI pro eadem Facultate[11], cum illis falsa opinio, Innocentium VI lecturam juris civilis Parisiis permisisse, redarguatur[12]. Paginae quae litem inter Amelium de Brolio ac Facultatem decretorum[13] exponunt multa nova suppetunt de usibus statutisque antiquis ejusdem Facultatis.

1. Vid. ad haec n° 1500 et *Auctar.*, I, 168, 1; 239; 241.
2. Vid. n^{is} 1237, 1713.
3. Vid. n° 1319.
4. N^{is} 1494 et 1534.
5. N^{is} 1694-1712.
6. N^{is} 1234-1236.
7. Sic in *Auctar.*, I, 399, 23, Thomas Duns, mag. in medic., remanebat in natione. Idem de Henrico de Thenis et de Waltero de Delf dicendum.
8. Vid. n° 1403.
9. Vid. n° 1452.
10. Vid. n° 1595.
11. Vid. n^{is} 1230 et 1242.
12. Vid. not. 2 ad n^{um} 1242.
13. Vid. n^{is} 1528-1531, 1546.

Paene omnia nova afferunt instrumenta nostra litis inter Facultatem decretorum et Capitulum ecclesiae Parisiensis[1].

Quo electi sint tempore cancellarii Parisienses illius aetatis, Grimerus Bonifacii, Johannes de Calore, Nicolaus de S. Saturnino, Joh. Blanchart, Joh. de Guignicurte, Petrus de Ailliaco, solummodo e documentis[2] quae dedimus scire licet.

Ingentem locum Rotuli Universitatis et Facultatum et singularium ad summos pontifices[3] missi in hoc volumine obtinent. De Rotulis jam in Introductione ad tom. II verba fecimus; quaedam tamen addenda. Quot nomina, huc usque incognita, ad lucem veniunt! At id utilius est quod Rotuli nos nationem vel natale solum virorum cognitorum docent, aut meras conjecturas de ea materia in certitudinem mutant, unde varii errores corriguntur[4]. Nomina plena (id est praenomen, gentilicium, cognomen) viris cognitis restituuntur. Praeterea Rotuli tempore Schismatis redacti an. 1379 et 1387 in eo majoris utilitatis aestimandi sunt quod nonnulla facta interjecta, quae in *Chartulario* annotavimus, conservaverunt.

Non parva opera fuit cuncta documenta tumultuosae concertationis Universitatis adversus Johannem de Montesono[5] conquirere et colligere. Quorum fere omnia ex originalibus vel bonis manuscriptis edidimus, cum Bulaeus, Baluzius, Argentraeus partem eam quam cognoverunt ferme e mendoso *Registro ms. censurarum facultatis theologiae* protraxissent. Quanquam lis ea inter insignissimas numeratur quas praebet historia Universitatis Parisiensis, plane theologica lis fuit, nequaquam politica neque rationibus politicis adducta, quod quidam docti in Germania conjecerunt. Si quaerenda esset politica causa in qualibet magna lite Universitatis Paris., cui rerum publicarum rationi serviens Petrus de Ailliaco contentionem non minus pertinacem contra Cancellarium an. 1385 iniit? Qui asserunt litem adversus Johannem de Montesono et Dominicanos pendere e publicis rebus et dominatione eorum quos « Marmousets » dicunt, obliviscuntur eam mense Novembri an. 1388 incepisse, dum certatio adversus Ordinem Praedicatorum in Francia an. 1387, Maio-Junio, initium habuit; mense April. 1388 jam Universitatis legati coram pontifice Avenione fuerunt. Id solummodo dici potest: Clemens VII an. 1391 omnes causas inter Universitatem et Praedicatores, fortasse interveniente duce Bituricensi, fautore Praedicatorum, ad suam audientiam advocavit[6]; quae duo puncta ut alia plura

1. Vid. n^is 1486-1489; 1523.
2. N^i 1259, 1362, 1460, 1461, 1527, 1552, 1553.
3. Vid. *Indicem Rerum.*
4. Quam facile docti aberrent quaedam exempla demus. Sic. BESS, *Zur Gesch. des Constanzer-Konzils*, I, p. 34 et 75, nuncupat Normannos Johannem Breviscoxae et Simonem de Cramaudo. Revera, ut e rotulis apparet, Joh. Breviscoxae ad nat. Gallicanam pertinebat et quidem ad provinc. Paris. (v. infra, p. 252) ac Simon de Cramaudo fuit dioecesis Lemovicensis (infra, p. 243). BUDINSZKY, *Die Univers. Paris.*, etc., p. 78, affert tanquam Anglicum « Arnoldum Witwit » (*lege* Uitwijc), cum tamen fuerit Trajectensis dioecesis.
5. Vid. n^is 1557-1583. Cf. n^um 1272.
6. Vid. n^is 1583 et 1394, not. 3.

huc usque incognita. Neque Praedicatores[1] tantum, sed etiam quosdam eis adversarios assertiones temerarias fecisse, dicentes Mariam virginem conceptam esse operante Spiritu Sancto, auctor aequalis narrat[2]. Caeterum Johannes de Montesono postea in curia Bonifacii IX acceptus erat.

Non pauca instrumenta hactenus inedita, quandoque cujusdam amplitudinis, mores simul atque usus illius saeculi illustrant, vel certamina vigilum praepositique Paris. contra scholares ac magistros patefaciunt[3], quibus *Auctarium* etiam nonnulla adjungit.

Librariorum Universitatis Paris. nomina in hoc volumine nova comparent[4], ut taceamus de documentis jam alias publici juris factis.

Multa lemmata, quae in breve coegimus, ad id spectant ut faventibus papis Cancellarius Parisiensis alicui lecturam Sententiarum permittat vel licentiam ac magisterium in theologia largiatur. Nonnulli studentes in eis nominati postea quamdam personam gesserunt vel fama potiti sunt.

Cum duae Praedicatorum scholae Parisiis essent, prioris lectorem Sententiarum pontifex, alterius Ordo ipse elegit[5].

Ad Ordinem Praedicatorum necnon Cluniacensium Collectiones Capitulorum generalium nova nobis adhuc suppeditarunt, pauca Capitula Cisterciensium. Quoniam tempore Schismatis Ordines divisi erant, pro Universitate Paris. ea pars tantum aliquid utilitatis praebet quae papae Avenionensi adhaerebat; itaque Generales ejusdem partis solius oblata occasione infra attulimus. Praedicatorum Generales e Quétif-Echard noti erant, minime vero omnes Ordinis Minorum[6]. De Augustinensibus et Carmelitis vid. in Indice. Pro religiosis alia quoque interjecta invenies quae non commodi expertia videntur[7].

Ordinem Servorum B. Mariae (cujus plures magistros in hoc volumine quam in secundo invenimus) n^us 1544 nos certiores facit Parisiis minime Collegium aliorum instar religiosorum habuisse, sed quamdam domum ubi studentes Itali solummodo morabantur, qui Schismate ineunte eam reliquerunt, quia Romani pontificis partes secuti sunt. Servorum deinde in Universitate Paris. per saeculum paene nulla mentio occurrit[8].

Novissime in Universitatem Paris. tunc introducitur Ordo fratrum Charitatis B. Mariae

1. Vid. Introd. ad n^um 1557.
2. Infra p. 624, not.
3. Vid. n^is 1200, 1293, 1311, 1312, 1326, 1340, 1382, 1389, 1410, 1590.
4. Vid. n^is 1335, 1407.
5. Hoc Johannes XXIII explicat an. 1415, Martii 4 : « in domo fratr. Ord. Pred. Paris. due schole theologice facultatis « consistunt, in quarum una, videlicet majori, per Ordinem ipsum, et alia scolis (*sic*) minori auctoritate apostolica de bacallario « pro lectura librorum Sententiarum provideri consuevit » (Arch. Vat. Lateran., n° 177).
6. Angelo de Spoleto defuncto successit an. 1391, Maii 8, Johannes de Chevegnejo (vid. n° 1394, not.), quem excepit an. 1403 Johannes Bardolini (p. 468, not. 3, et p. 663, add. ad p. 468).
7. Vid. imprimis n^is 1225 et 1545.
8. Vid. not. ad n^um 1544.

Virginis, cum quo Giani-Garbio Ordinem Servorum confundebant[1]. Parisiis *Billettes* vocabantur. Johannes Collet seu Coles, magister in theologia Paris., totius Ordinis de Charitate Generalis fuit[2].

Mathurinorum, apud quos generatim congregationes Universitatis a saeculo XIII° fiebant, rara in studiis vestigia. Solus Stephanus de Mesnillo Fouchardi, minister S. Mathurini Paris., magister in theologia, memoratur[3].

Charta deficiat si novitates singulas in documentis nostris, quandoque in notis tantum patefactas, velimus percensere. Caeterum Tabula lectoribus praesto est. Nunc de Schismate pauca dicenda.

De Schismate.

Chartularium et ejus *Auctarium* ex eis operibus erunt quorum ratio habenda erit cuivis rebus magni Schismatis studenti. Quanquam adhuc fere apud historicos constat, Urbani VI electionem Romae fuisse veram electionem, atque Urbanum ejusque successores veros papas fuisse, nihilominus Clementem VII quasi solum induximus, Urbanum VI et Bonifacium IX tantum quasi per transennam inspicientes, quia Universitas Paris. Urbano VI electo nonnisi per unum temporis punctum adhaesit, mox Clementis VII partes firmiter tenuit.

Ut volumini integro, ita textibus de Schismate, finem cum morte Clementis VII imposuimus. Primum instrumenta quae Schisma Universitatemque respiciunt in unum[4] congregavimus, ita ut facile sit viam ab Universitate Paris. regnante Schismate peractam percurrere, nedum aliena documenta animum in alias res distrahant. Excerpta quaedam, paulo longiora, ad *Addenda*[5] remisimus, quae quidem assertiones in Chartulario pronuntiatas illustrant et convincunt. Spuriis actis abstinuimus, quemadmodum epistola quam « Universitates Parisiensis, Oxoniensis, Pragensis et Romana generalitas » Urbano VI ac Wenzeslao Romanorum imperatori, de auctoritate imperatoris in Schismate tribuenda, an. 1380 misisse dicuntur[6]; quae epistola, ab aliquibus[7] authentica reputata, certe tamen inter apocrypha rejicienda est[8].

Cum ordinem temporum documenta et regesta sequantur, plura verba de iis facere abundaret. Quae nova sunt aut scriptis historicorum correctiones vel supplementa afferunt, haud aegre sciens lector inveniet. Inter maximi momenti facta incognita Schismate ineunte comparet

1. *Ann. Ord. Serv.*, I, 337.
2. Vid. p. 384, n° 55, et p. 389, not. 29. In Reg. Vat. Clem. VII, n° 293, fol. 55 b, an. 1384, Nov. 18, indulgentiae sunt collatae benefactoribus hospitali de Charitate B. M. Paris., in cujus capella in octava Resurrectionis et singulis jovis diebus in memoriam miraculi (hostiae) missa solemniter celebratur. Fol. 54b sq. enumerantur hospitalia Silvanecti, Horeflotens. [i. e. Hareflorens.] Rotomag. dioec., Montenotens. Bisuntin. dioec., Rotomagense et Bajocense.
3. Vid. *Indicem Personarum*.
4. Vid. nis 1605-1695.
5. P. 663-670.
6. Ed. apud GOLDAST, *Monarchia* (Hanoviae, 1611), p. 229-232, et incipit : « Moyses noster dominus ».
7. O. J. WOOD, *Hist. Univers. Oxon.*, I, 188.
8. Quod merito facit Alfred LEROUX, *Nouv. recherches critiques sur les relations politiques de la France avec l'Allemagne*, p. 8, not. 3.

Rotulus Universitatis Paris. anno 1379 scriptus. Argumenta quibus ea temporis nota evincitur vide in particulari Introductione ad Rotulum p. 242 et n° 1633.

Caeterum vulgo, nostra quidem sententia, ad putandum inclinabant an. 1383 tantum Universitatem Paris. in causam Clementis VII descendisse et ab eo anno Clementem veram auctoritatem in Universitate habuisse. At quomodo potuisset antea Universitas Rotulum pontifici mittere? Revera unum Clementis VII actum erga magistros Parisienses[1], anni 1379 Jul. 26, vulgatum erat. In obscuro erat, inter annos 1379 Novemb. (quo mense nobis reputantur nuntii Universitatis Avenione cum Rotulo fuisse) et 1383, Clementem VII plurimis mandatis Cancellarium Paris. monuisse de lectura Sententiarum, de licentia, de beneficiis[2], etc., ne multa, pontificis instar ab Universitate recogniti, eodem denique modo quo reliqui ante defunctum Gregorium XI pontifices cum Universitate agere solebant; immo latebat Clementem VII defuncto Johanne de Calore novum Cancellarium creavisse[3], Capitulo ecclesiae Paris. et Universitate annuentibus obedientibusque, sola natione Anglicana dissidente, de qua Introductionem ad *Auctarium*, cap. 16, vide.

Quod superest, tam de istis quam de Rotulo nationis Gallicanae a Petro de Ailliaco Clementi VII ante Rotulum communem deportato, reliquisque, lectorem ad volumen ipsum remittimus. Neque res minoris momenti inveniet de illa aetate qua unio in ecclesia tentata est, i. e. ab an. 1390-1391; nexus quosdam inter facta hucusque obscura nonnullasque notitias ignoratas colliget.

Cum Petro de Luna Universitatem amice egisse et ei obviam fido animo ivisse, cuivis hoc volumen versanti patebit. Aliter in tomo IV, cum Petrus de Luna factus erit Benedictus XIII, res erit. Ad ultimum Universitas ei obedientiam praecise subtraxit, eum schismaticum, haereticum, destructorem ecclesiae declarando; contra Benedictus XIII Universitatem Paris. an. 1410, Januar. 16, titulo juribusque Universitatis privavit, sub poena excommunicationis prohibens ne quis Parisiis in aliqua Facultate legeret vel audiret[4].

IV

Pauca iis quae in Introductione vol. II diximus addenda.

Documenta cognatione quadam conjuncta etiam in hoc volumine in unum congregare utile putavimus. Tres globi praecipui occurrent: lis contra cancellarium Blanchart, lis adversus Johannem de Montesono, series de Schismate. Ut anni 1379 Rotulos, ita horum quemque globorum praecedit particularis Introductio, quae continentiam exponat et intellectum rerum RATIO EDITIONIS.

1. Vid. n° 1630.
2. Vid. n^is 1438, 1440, 1442-1445, 1448-1453, 1455, 1458, 1463, 1464, 1466, 1469, 1471-1473, 1638, 1643.
3. Vid. n^is 1450, 1461.
4. Bullam hanc in tom. IV edendam praebent Reg. Aven. Bened. XIII, vol. LVIII, fol. 635^b, et *Instr. Misc.* ad h. an. Cum eo connectitur bulla an. 1408, ibid., vol. LV, fol. 66.

collectarum expediat. Quantum ad Schisma, in propatulo est cur Rotulus annorum 1379 et seq., atque mandata Clementis VII de lectura Sententiarum et de licentia intra seriem Schismatis inserere noluerimus, iis textibus non ad Schismatis sed Universitatis res, praeter paucas interpositas notas, proprie spectantibus.

Plura quam in praecedenti tomo, ne longiores essemus, relinquere debuimus instrumenta, eorum mentionem solum paucis verbis rejiciendo in notas, quae eadem consideratione atque textus ipse adhibendae erunt. Quaedam consulto omisimus, veluti lites aliquas coram Parlamento, unde nihil docetur nisi scholarem ignoti omnino nominis feritum vel male mulctatum a personis studio extraneis fuisse, Universitatemque partes scholaris amplexam esse[1]. Illae rixae paucis annis multae numerantur, et sensum communem munditiasque editorum in eo consistere putavimus, ut causae alicujus momenti solae hic insererentur, reliquis per notas signatis vel prorsus praetermissis. Quae ad Collegia pertinent prudenter in hoc volumine tacuimus, sicut litem Rectoris Universitatisque an. 1386 (1387) in Parlamento adversus magistrum Flamingum de Martrolio, qui contempta prohibitione Universitatis in certis Sorbonae scholis legerat ac propterea ab Universitatis honoribus privatus erat[2].

Plura etiam in breve coegimus, ita ut puncta cujusdam ponderis statim conspicua essent. Formulas inanes eadem ratione amputavimus.

Sic saepius quam in volumine antecedenti textus in excerptiones seu epitomata contraximus, semper pontificum mandata ad Cancellarium de lectura Sententiarum vel licentia concedenda, ita tamen ut ad codices non recurrendum sit si quis rei studuerit. In mandatis eaedem semper formulae perscribuntur vel subintelligendae sunt, velut quando ad legendas Sententias Cancellario mandabat pontifex ut baccalareus admitteretur :

> « Si eum ad hoc idoneum esse repereris ; — si per tuam diligentem examinationem dictus ... ad hoc idoneus repertus extiterit ; — si invenies, eum habere laudabile testimonium in moribus et eum sufficientem litteris judicaveris », *etc.*

Iis qui ex gratia extraordinaria Sententias legebant, privilegia eadem quae ordinariis lectoribus dabantur papa concessit :

> « Cum omnibus libertatibus et privilegiis, quibus baccalarii qui prefatum librum ordinarie legunt potiuntur et gaudent. »

Mandato apostolico ad Cancellarium misso pro licentia magisterioque annexa erat ea condicio :

> « Si per tuam et aliorum magistrorum studii Parisiensis in eadem facultate diligentem examinationem

1. V. g. Arch. nat. Paris. X[1c] 43, nº 104 (an. 1381); X[1c] 60, nº 38 (1389-1390); X[1a], 41, fol. 18[b], etc. Plura in sequente aetate inveniuntur.
2. Arch. nat. Paris. X[1c] 54, nº 32.

dictum ... ad hoc idoneum et sufficientem esse repereris; — si per depositionem magistrorum habilis inveniatur. »

Has formulas communiter omisimus; item quae in fine legitur mandatorum apostolicorum ut magisterium recipiant :

« Servatis constitutionibus Concilii Viennensis et aliis solemnitatibus consuetis. »

Abundantiores notas quam in prioribus tomis adjecimus. A principio usque ad calcem voluminis nomina ad veram formam restituere, quo praecise tempore electi fuerint cardinales, episcopi, abbates indicare curavimus, ita ut Chartularium in rebus quoque subsecivis non infimum locum obtineret. Quanti sit ponderis ad res demonstrandas exactum electionis tempus lector prudens non semel judicabit. Ad principales personas vel res novas addidimus notitias quas in volumine ipso reperies.

Textus puros ingenuosque edere cura praecipua fuit. Eo difficilius nunc erat, quod scriptis ac tractatibus aetas Schismatis redundet; uno vix terminato, aliud incipiebatur; neque optimi scribae codices ampliabant; de quo aliquando auctores ipsi queruntur[1]. Pessimae litterae, textus adulterati, corrupta nomina inde evaserunt. Sic magis minusve perscripta sunt multa volumina in collectione de Schismate quam servat Archivum Vatic., arm. 54. Quid de nominibus propriis? *S. Gardus* pro *S. Bernardus*, *Egidius* pro *Eligius, Valesia* pro *Valeia*, *Edombuet* pro *Edimbourg*, *Sousi* pro *Saisy*, *Boignon* pro *Voignon*, *Sartuto* pro *Sercuto*, etc.[2], leguntur; quae ut genuinam formam induant non mediocriter strenuo editori insudandum est. Pejus etiam est volumen, quo usi sumus, Archiv. Vat. Collect. vol. 440. Regesta quoque pontificum multo negligentius scripta sunt ab electione Urbani V, quam superioris memoriae Regesta. Neque meliores judicandi sunt nonnulli codices Bibliothecae nationalis Paris., qui collectanea de Schismate continent, sicut, ex. gr., mss. lat. 14 643 et 14 644.

V

FONTES.

Fontes enumerati in nostro tomo secundo[3] huic quoque profuerunt; in collectionibus Archivi Vaticani et Archivi nationalis Paris. sequentia tantum volumina plerumque adhibere debebamus. *Universitatis Chartulariis* vero adjungas *Chartularium nat. Anglicanae* in Bibl. nat. Paris., ms. N. a. l. 535[4].

Ex novis sunt praeterea volumina de Schismate in Arch. Vat. servata, arm. 54, n^{i} 14-49. Ibid. Collect. n° 440 pro lite contra Cancellarium.

1. Vid. infra p. 600.
2. Plura alia vid. infra, p. 611, in notis.
3. Pag. XVIII-XXIII.
4. De quo vid. AEM. CHATELAIN in *Mém. de la Société de l'Histoire de Paris et de l'Ile de France*, XVIII, p. 100 sqq.

Bibliothecarum apostolicae Vaticanae et Nationalis Paris. codicibus iis usi sumus qui multa de rebus Universitatis continent, sive de lite contra Johannem de Montesono (etiam in Bibl. Caesarea Vindobonensi), sive de Schismate; quos suis quemque locis annotatos invenies.

Ex Archivo Avenionensi (fonds des Célestins) aliquot documenta hausimus.

In Bibliotheca Rotomagensi Codicem Gemeticensem invenimus, quem usurpaverant Martène et d'Achery, signo O. 20 notatum (nunc n[is] 1355-1357). Ejusdem alius manuscriptus O. 23 (nunc 951) celebris epistolae Universitatis an. 1394 scriptae versionem gallicam jussu regis perfectam suppeditavit; quam jam e Cod. Vat. lat. 4791 et e ms. S. Genovefae H. f. in-fol. 38 (nunc 673) habebamus[1].

Nonnulla nobis Arch. nat. Paris. J 515-518, et praeterea LL 106[a]-108[a] cum conclusionibus Capituli Parisiensis obtulit.

Multum adjuvit in notis *Catalogus licentiatorum in theolog. facultate Paris. ab anno* 1373 quem servant Bibl. nat. Paris. lat. 5657[a] et 12850[2]. Apographa ea quidem, cujus alterum priore pejus, sed ex antiquis regestis facta, tutum nihilominus esse fontem censuimus, cum alios ei comparavimus; et nomina saepe deturpata eruere non potuissemus nisi aliunde lux venisset. Titulos personarum quoque non raro mendum invasit, sic (Ord.) Minor Jean Petit, August. Aegidius de Asperomonte, S. Victoris Johannes Coles nuncupatur. Itaque posterius illum Catalogum publici juris faciemus cum seriem nominum et titulorum ex alienis fontibus restituere contigerit.

Praeterea alios codices et instrumenta e Musaeo Britannico, Bibl. Arsenali vel Mazarinaea Paris., Cameracens., Bibl. Vindobonensi Caesar. et Bibl. Vindob. Ord. Praed., Autissiodorensi, Erfurtensi, Bononiensi, Archivo Status Senensis, manuscriptos ad Ord. Praedicatorum pertinentes aliaque diligenter in notis citavimus.

Ut id caput concludamus, lectorem monemus nos non adhibuisse Codicem Bibl. Massiliensis E. b. 379, ubi a fol. 2 invenitur *Formularium litterarum provinciae Provinciae* Ord. Min., inter alia cum Formis litterarum pro lectoribus et scholaribus studii Paris., Tholosani, Montispessulani. Eae ad an. 1398 sqq. pertinent, quanquam jam prius in vigore, et nihil singulare, mandata sola servaverunt.

Tantae molis opus non sine perpetua eorum qui Archivis vel Bibliothecis praesunt benevolentia perficere licuit. Omnibus iis gratias agimus qui nostris laboribus faventes quasi privilegia in communicandis tot documentis concesserunt. Paeniteret tamen illos tacere quibus non minima pars meriti debetur, inter quos Leo Legrand, Elias Berger, Archivi nat. Paris.; Leop.

1. Vid. infra nº 1686.

2. Cod. Bibl. nat. Paris. 15440 non adhibuimus, cum sit saec. XVIII, desumptus ex aliis, et plura quam alii duo depravata nomina praebeat.

Delisle, Michael Deprez, Henricus Omont, Cam. Couderc, Bibl. nat. Paris.; Albanès Massiliensis, E. Reusens Lovaniensis, Bloesch Bernensis, Th. de Liebenau Lucernensis, Tangl Vindobonensis, Wille Heidelbergensis; A. Lisini Archivo Senensi praefectus, Cozza-Luzzi bibliothecae Vaticanae, Conr. Eubel O. Min. Romanus; peculiariter nominandi Antonius Thomas et Augustus Longnon, quorum acumine non pauca sive in textibus gallicis sive in nominibus propriis emendare gavisi sumus, et Car. V. Langlois, magister in Sorbona, qui nos de diversis documentis monuit. Denique qua editionem cura Paulus Delalain, diligenter auxiliante I. David, direxerit, facile prudens lector confitebitur.

Castellione juxta Balneolum. 4 Augusti 1894.

APPENDICULA

Tractatus ille quem magna ex parte vulgamus codicis ms. lat. 15107 Bibliothecae nat. Paris. (olim S. Victor. 639, antea MM. 14) folia 194-204 occupat. Qui indicem in primo folio exeunte XV saeculo confecit, « a de Gersonno quedam edita contra de Montesono » inscripsit, eademque manu legitur scriptum in margine superiori fol. 194 : « a magistro Jo. de Gersono ». Excerpta quaedam ex eo jam infra[1] et in *Auctario*[2] edidimus. Scriptura tractatus saeculi XIV[i] finem redolet. Ex apposito titulo tractatus quidam scholasticus suspicandus erat, itaque parum animos doctorum in se convertit.

Satira prorsus est adversus Johannem de Montesono; at Introductio, quam attentiore animo excepimus, de penuria eloquentium historicorum poetarumque Franciam vexante disserit; unde tot viri celebres, Franciae vel Universitatis Paris. lumina in saeculis superioribus, saepe in oblivionem iverint; deinde laudes Universitatis Paris. eo, quo nullus aequalis, modo canit; proprie panegyricum Universitatis perficit, in qua nihil nisi optimum cernit, veluti montem Sion medio orbe stantem, ubi demum boni verique amor resideat. Absoluta patriae caritate auctor ducitur. Quaedam interponit utilia de rebus a se visis, de variis usibus et locutionibus, etc. Postea ad satiricam litis contra Johannem de Montesono narrationem transit.

Hunc e prioribus saltem esse, si non primus est, tractatum jam diximus[3], quo restauratum latinae linguae grammaticaeque in Francia studium saeculo XIV appareat. An. 1388 scriptus esse videtur, post Universitatis tractatum adversus Johannem de Montesono editum[4], ante latam in Johannem ipsum sententiam[5], et certe ante an. 1391.

Optimum latinitatis exemplum, quod ea tempestate reperire possis, tractatus noster praebet : auctorum imitatio classicorum, amplae numerataeque periodi, peritus in conclusionibus rhythmus inveniuntur. Adducimur fere ad putandum, scriptorem saec. XVI nobiscum sermonem habere. Neque nos fugit eum verbis scholasticis non abstinere, ex. gr. vocibus « duratio », « volitivus », utpote qui institutis tunc solitis penitus liberari nequiret, quo crimine nullus politioris humanitatis assecla eo tempore, ne in Italia quidem, prorsus caret. Caeterum, unum e primis hujus generis scriptis in Francia id esse memento.

Itaque non minimae animadversionis digna nobis visa est ea laudatio Franciae Universitatisque Parisiensis. Nequaquam pares stilo reputandae disputationes quaedam a Petro de Ailliaco paucis annis ante scriptae, quae vere scholasticae, quanquam classicis auctoribus interdum allatis, remanent.

1. Nis 1522 et 1557.
2. I, p. 607, not. 4.
3. Supra p. XIII.
4. Infra no 1565.
5. An. 1389, Jan. 27, infra no 1567.

At quis auctor tractatus illius agnoscendus? Supra Joh. Gersoni adscriptum fuisse, sed saeculo posteriori, diximus. Equidem tunc auctor Parisiis actu rexit, « his omnibus, ipso teste, dum agerentur paene semper interfuit ». Sed primo a Gersone abhorret elegans jocandi genus quo noster emunctae naris scriptor adversarium deridet. Si quis accurate initium narrationis de Johanne de Montesono legerit, statim confitebitur hinc abesse Gersonis animum dulcem, ingenium temperans, indolem aliis praesertimque Praedicatoribus parcentem. Sine dubio Gerson errores Johannis de Montesono damnavit, et ei cum multis in curia Avenionensi adversatus est, at ipse posterius dicebat : « Novit Deus.... diu ostendi, me non odio habere Mendicantes, aut eorum voluisse destructionem, ut apparet in reconciliatione fr. Praedicatorum[1] »; in epistola ad Navarricos severitatem Universitatis in causa Johannis de Montesono[2] reprobat. Nimiae quoque credulitatis Gerson fuit, cum eam opinionem a saec. XIII celebrem admitteret, Parisiense studium Athenis Romam, Roma Parisios venisse[3]; auctor autem tractatus sensus caeterorum refert nec speciem credentis praebet.

Altera parte stilus Gersonis latine scribentis vehementer discrepat. Revera classicos quoque legit, eos in tractatibus et sermonibus[4] suis citat, ut Vergilium, Terentium, Horatium, Ciceronem, Sallustium, Livium, Suetonium, Juvenalem, Caesarem, Statium, Macrobium, Valerium Maximum. Sed antiquorum stilum non feliciter imitatus, durae latinitatis est et gallicas locutiones saepe pro latinis ponit.

Praeterea nostro dicente : « reclamat professe discipline alterius intermittenda occupatio », parum hoc Johanni Gersoni, tunc cursori biblico in facultate theologiae, conveniret. In tractatu enim de theologia, non de alia disciplina, agitur.

Itaque Nicolao de Clamengis tractatum illum majore cum probabilitate quam Gersoni tribuendum reputamus; eumque inter priora Nicolai scripta collocandum. Juvenilis animus jocosior saepe quam seriosior in tractatu occurrit, cujus auctor se non exercitatum esse confitetur. At Galliae amantissimum auctor se gerit, ut Nicolaus; in ea cogitatione defixus est, ut Nicolaus, eloquentiam in Gallia cecidisse atque ad eam renovandam aliquid conferre conatur. Scimus Nicolaum unum esse postea qui de inclinata eloquentia apud Francos queratur, unum esse qui se eam paene in pristinum honorem restituisse glorietur[5]. Magistros e quibus scribere didicerit nullos alios quam classicos enumerat : « studium, usum, exercitium, assiduam attentamque lectionem auctorum eloquentium, cum aliqua forte ingenii aptitudine[6] ». Epistolarum Nicolai stilus idem in summa, qui tractatus hujus est, nisi epistolis, utpote posterioribus, virum provectiorem, seriosiorem, maturiorem probantibus,

1. *Opp.*, II, 436.
2. *Opp.*, I, 110.
3. Vid. infra in notis.
4. Cf. imprimis Sermones in *Opp.*, II, 35 sqq.; III, 296; 1022; 1247.
5. Vid. supra p. VIII, not. 3.
6. *Epist.* 4, ad card. Galeotum de Petramala, qui extra Italiam nihil posse disci aut sciri aestimavit. Ed. l. c. p. 21.

consequenter stilus exercitatior. At cum Nicolaus ipse declaraverit stilum suum[1] propriis vestibus indutum facile ab alienis discerni, stilus in tractatu adhibitus nullius potius quam Nicolai videtur. Eaedem sententiae, eaedem structurae verborum et sententiarum hic illicque occurrunt.

Sed animus etiam quo scriptus est tractatus ab animo Nicolai de Clamengis non abhorret; quippe qui in scriptis suis prioribus etiam in litteris in Chartulario editis plus minus malignum se ostendat. Eo autem major in tractatu malitia apparet, quo ridiculosiorem Johannem de Montesono efficere auctor juventa fervidus conatur. — Etiam Nicolao convenit locutio hic obvia : « occupationem alterius disciplinae intermittere », cum tunc ipse magister actu regens in artibus, quamvis scholaris in theologia a septem annis[2], esset.

Adde quod auctor noster refert se orationes occasione litis pronuntiatas suis edisseruisse verbis; unde patet cur oratio Radulphi Glachardi[3] decani theologorum stilo tam eleganti scripta sit. Radulphus utique res in ea oratione positas dixit, sed ejus dicta noster meliore veste induit. Nonne ergo Nicolaus de Clamengis sic ostenditur, cujus peritiam in redigendis similibus Universitas hac occasione comprobavit, cui postea quae nomine Universitatis scribenda erant, committebantur[4]? Nonne insuper inter auctorem hujus tractatus et Petrum de Ailliaco[5] eadem ratio atque inter Nicolaum de Clamengis et Petrum de Ailliaco intercedit?

Quae quidem sentimus hic attulimus, ei qui validiora invenerit argumenta, fasces submissuri.

Non finitur in ms^to^ tractatus, neque ut opinamur ab auctore ipso finitus est, cum libellus manuscriptus ille, nisi fallimur in conjectura, « minuta » auctoris sit ipsius. Quod probant correctiones, rasurae, spatia vacua, quae alias quicumque scriba, in eo casu solus auctor ponere potuit[6], ut legenti tractatum notasque appositas liquebit. Cum auctor currente calamo, et ex memoria scriberet, sive S. Scripturam sive classicos quandoque non ad verbum citare valens, sententiam quam in mente habuit, spatio quidem vacuo relicto, restituere sibi proponebat. Quod si Nicolaus pro auctore admittatur, sic idiographum illius viri libellum haberemus.

1. In epistola *Ad collegium studii Parisiens.* scribit : « notus stilus vel dictatus apud vos quidem precipue, ubi tam vulgata sunt ipsius stili vestigia, ut non facile quis illic nisi prorsus ignarus possit in illo errare vel falli ... Sicut enim alienum morem, alienum animum, alienum ingenium homo induere non potest, ita nec profecto alienum stilum ... Qui longo usu atque exercitio certum sibi aliquem stilum comparavit, nonne certum et constantem et quasi indelebilem habitum sibi acquisivit, in quo nec alter ipsum possit imitando assequi, nec ipse alterum? Vultus est, ut ita dixerim, animi stilus » (*Epist.* 51 in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 3128, fol. 82; edit. epist. 42, p. 128, cum textu pessimo). « Equidem stilum meum quamvis humilem et pedestrem... nec negare volo, nec negare valeo, qui tot jam locis ac personis innotuit, et qui suo cursu quadamque ut ita dicam facie satis se, nisi fallor, aperit... Ipse est enim stilus meus, qui ab omni alieni stili suspicione me liberat » (*Epist.* 54, ad Jacobum de Noviaco, in ms^to^, fol. 87^b^, 88; ed. ep. 45, p. 137).

2. Vid. infra p. 452. Tunc (1387) a sex annis theologiae studuit.

3. Infra n° 1557.

4. Vid. supra p. VIII.

5. Vid. notas ad tractatum.

6. Hinc scriptura inculta et compendia insueta, non raro difficilia lectu.

Integrum excudere tractatum abundaret; ut specimine Chartularium ornaretur, partem jucundiorem elegimus. Titulum sequentem ipsi confecimus.

LAUDATIO FRANCIAE ET UNIVERSITATIS PARISIENSIS

(*Fol.* 194.) Gallia que viris semper et strenuis bello et omni sapientia eruditis illustrata est[1], gravium et eloquentium hystoricorum atque poetarum magnam hactenus passa est inopiam. Quodsi illam attigisset prior illa scriptorum solers industria, quamquam Dei nutu habunde aucta famataque sit, apud omnes tamen et maxime posteros[2], clarior et quodammodo immortalior effulsisset. Nam quid Grecorum, Romanorum atque Trojanorum regna etiam post ruinam ad semotissimos populos celeberrima reddidit? interrogati Salustius atque Naso fatebuntur id elegantem scriptorum eloquentiam effecisse, que famam illis genuit muris etiam cadentibus perire non valentem. Adeo longevior vivaciorque est scriptorum quam urbium duratio. Hec si nostris scribendi sollicitudo obtigisset, viros sane haberemus quos Ytalis Grecisque aut preponere liceret aut opponere, ac unde mordax lividaque emulorum Gallici nominis insultatio repercuti posset. Nequaquam insuper mendicanda nobis semper forent ab externis insignia virtutum exempla, nostra quippe in promptu essent, quibus habundaremus; neque enim tot prefulgida virorum illustrissimorum nomina extinxisset oblivio, nec memorandorum tot gestorum memoriam, litteris non adjutam, vetustas consumpsisset. Ingenia tamen ad id peragendum nostris defuisse non video, qui altissima et pene inaccessibilia aliarum scientiarum abdita scrutati sunt, et qui veritatem, ut Archesilao[3] placet, alto in puteo jacentem, effodientes coegerunt palam elucescere et mortalium oculis videndam obtulerunt. Sed ipsi aut studiis suis ac rerum magnitudine detenti eloquentie curam reliquerunt, qualiter fecisse Platonem, Aristotelem ac Socratem Cicero refert[4], aut accessit in quibusdam ut arbitror inopie metus, justus fortassis si in studio remunerationis exsorte tererent tempus suum; nonnullos autem ipsa ingressu primo difficilis atque ardua et a suis nundum calcata semita exterruit, suasitque reverti. Hoc, undecumque acciderit, contigisse doleo. Etsi ad rem dolor hic meus frustra sit, doleo tamen, et jacturam hanc in Galliam totam incidisse egre fero.

Verum aliud in hoc est quo crucior, etsi non fortius, crebrius tamen, et id ipsum vicinius altiusque meo insidet animo, quo aliquod dampnum proprius, eo molestius esse solet. Sepe equidem opponit se michi[5] videndam (maximum illud orbis luminare) *Parisiensis studii Universitas;* occursant animo multe preconiis ingentibus digne virtutes[6] quas non sine magna voluptate recogito; at multo plurium dilucidam visionem caliginosa quedam oblivionis nubes eripit. Itaque de tot inclitis, qui in ea floruerunt viris, deque tot bene actis suis, prudenter equidem, ingenue ac constanter, nichil pene ad nos delapsum est, preterquam vox incerto auctore anceps ac tenuis quorundam memoria. Sepe enim truduntur vetera recentibus, nec habet ibi posteritas quod in antecessoribus suis solide ac determinate mirari possit, caretque illo insigni instituto quo apud Romanos sancitum erat, triumphalium ac egregiorum virorum ymagines palam affigi aut eorum acta crebra commemoratione celebrari, quatinus nova juventus talium miratrix sese attolleret sumeretque animos, et virtuose insectationis emula accenderetur ad virtutem. Verum enim est illud Nasonicum : « immensum gloria calcar habet[7] ».

(*Fol.* 194b.) Me frequens horum consideratio impulit, ut causam fidei, quam ipsa Universitas Parisiensis nunc

1. S. Hieronymus ait : « Gallia ... viris semper fortibus et eloquentissimis abundavit ». (*Advers. Vigilant.* in *Opp. omn.* ed. Maur., IV, 2, p. 281).

2. Inter lineas minuto charactere quasi : « seros ».

3. Seu potius Democrito, qui teste Cicerone (*Acad.*, I, 12) dicebat : « in profundo veritatem esse demersam; opinionibus et institutis omnia teneri ».

4. « Qualiter ... refert » in margine. Varios Ciceronis locos memoria auctor tenebat, ex. g. *Orat.*, I, 11, 49

5. Add. « corporaliter », sed postea deletum, utique ab auctore ipso.

6. *Ms.* compendio potius : « vnitates ».

7. Ovidius, *Pont.*, iv, 2, 36.

et olim prosequitur, quam verissime scriberem, non quod michi aut ingenium aut major rariorque aliis insit facundia, sed quod hiis dum agerentur pene semper interfui, ut non audita tantum sed visa scribere michi liceat, aliis forte non ita. Ratus quoque sum, in hoc me fidei ac ipsi Universitati, cui totum me debeo, non inutiliter obsequi, si causam hanc in se maximam et coram illis duobus mundi luminibus ab eruditissimis viris agitatam, et que jam toto circonsonat orbe, indescriptam abire nequaquam permisero. Non ut apud alios ulla hic arma sonant nec, ut lirici verbo utar, « lituo tube permixtus sonitus strepit[1] », nulla hic menium oppugnatio, non arietibus obrute turres, non mille mortis generibus strata humi corpora. Fateor hec primo aspectu horrenda magis esse, idcirco forsan qui majora hec judicet scribique digniora; ast profunde et de proximo si intuearis, gravius hic aliquid visibus tuis occurret, quanto atrocior immaniorque est invasio religionis quam urbium, et deterior vite spiritualis quam temporalis ereptio. Nostrum hoc bellum exterius incruentum est, sed interius discriminis ac vulneris multum. Hiis bono igitur animo sublimioribus ingeniis bella ut scribant linquo, michi cui nec ingenii par vena est nec exercitii tantumdem, satis est hunc fidei Universitatisque triumphum qualicumque stilo in apertum deducere, ita ut hystorie nulla sit violatio. Quamvis in orationibus ea que dicta sunt aut pro materia dici potuerunt, meis edisseram verbis, quoniam alienorum nec recordatio facilis nec brevis esset repetitio. Id vero quod speculativam tangit solum, ut vulgo dicitur, in transitu eloqui propositum est, eo quod *tractatus* hac super re editus est[2], etc., et ei Universitatis sigillum in approbationis notam appensum; qui tractatus loquitur sen[ten]tiose equidem atque copiose theologorum ac prelatorum in determinatione fidei potestatem, rationabilitatem insuper sentencie in xiiij^cim propositiones temere dogmatizatas late[3], quomodo denique doctrina quevis et nominatim sancti Thome autentica esse censeatur, opus haud dubie preclarum et magnis ingenii viribus ex scriptorum penetralibus erutum.

Reclamant attamen et ab incepto magnis revocare vocibus obnituntur hinc professe discipline alterius intermittenda occupatio, hinc inexcercitata, rudis ac invalida scribendi industria, hinc postremo conflandum michi ab adversariis[4] immortale odium, reprehensio autem ab aliis atque irrisio. Inter hec aliquamdiu fluctuavit in diversa animus, dum publico tandem operi proprium cessit, Lyamque partu fecundam ad tempus ipsi sterili Rachel, quamquam hec illa venustior placidiorque esset, preposui[5], ita tamen ut ipsam Rachel hic interdum admissam aspicias. Porro rem apte dixisse suspicor si, ut gesta est, expressero, neque enim multa hic eloquencie fama queritur, modo intelligar satis est. Accuratius vero atque ornatius quisquis eam expolire voluerit habet (*fol.* 195) non parvum initium, fidelem hystorie veritatem. Odium vero, quod veritas optima mater a nequissimis patribus aut peperit aut pariet, ut potero spernam. Et quoniam invidie hic locus non est nec tale aliquid in quod figere dentes livor[6] dignetur, sicuti quorumdam applausus, sic aliorum subsanationes equo si possim animo tolerabo, magnum habens in hoc ducem Christum Jhesum, qui opem ut ferat causam suam agenti ac loquenti, suplex precor. Et hac spe fisus inexplorato prius mari me committo.

Parisiensis studii Universitas ut origine prior sic gloria et dignitate ceteris eminentior semper fuit. Ejus ortum quidam e Roma trahunt, alii ab Athenis, ex Egypto alii[7], nonnulli vero traducunt eam a prophetis, reliqui e

1. HORAT., *Od.*, I. I, 23.
2. A PETRO DE AILLIACO compositus. Vid. infra nº 1565.
3. Vid infra nº 1559
4. Primo « adversa parte ». Auctor aliam locutionem postea praetulit.
5. Per Liam designabatur vita activa, per Rachel vita contemplativa. Vid. S. THOMAS, *Summa*, Sec. sec., qu. 179, a. 2.
6. In margine · « metuendus michi minime », charactere minuto.
7. Nunquam alias Universitas Paris. tam saepe antiqua singularique opinione gloriata est; vid. imprimis p. 306, 320, 399. Prudens tractatus auctor rumorem tantum refert, ut ait, non imponere conatur. Omnes tamen tunc sciebant quis Roma Parisios studium transtulisset, scil. Carolus Magnus; quis Athenis Romam nobis aperit SIMON DE CRAMAUD · « Julius Cesar, « quand il eut amené cette Université d'Athènes à Rome, il s'en tenoit moult paré et moult volontiers ensuivoit leur conseil. « Le roy Charlemagne, qui la amena de Rome à Paris, ne la reputoit-il pas l'un des plus grands joyaux de son royaume? »

paradiso, sive illo terrestri ubi Ade infusa divinorum atque humanorum cognitio traditur[1], sive e celesti ubi, si poetis fides est, ex Jovis vertice progenita est Minerva sapientie dea; et quasi cum eis sentiret ipse sapiens, « mitti sibi e celis sapientiam[2] » postulabat, quam et dicit « ex ore Altissimi prodiisse[3] » et « ymaginem quamdam esse bonitatis illius[4] ». Omissa autem super hiis disceptatione, certum id habemus, reliqua studia aut post hoc aut ab hoc derivata[5] esse, velud ex fonte vivido, qui in quatuor facultates ceu totidem flumina sese impertiens superficiem omnem terre undis doctrinarum reddit irriguam[6]. Gignasia vero alia non parvam afferre scientiarum ubertatem scio, nec famam insuper eis deesse nec gloriam, et unumquodque propriis pollere disciplinis. At nostrum ampliori hec omnia sinu complectitur, ut nonnulli exinde putent *hoc studium singulariter Universitatis nomen sortitum esse, quod in se coacervatas habet particulares singulorum prerogativas atque disciplinas*[7], quas et adquirit copiosius et habundantius latiusque diffundit. In philosophia vero, metaphysica ac theologia tanto aliis superextollitur, quanto in fulgore lunam sol vincit, aut quanto, ut Maro ait, « delphinis balena Britannica major[8] ». Nec habeo neccesse ea curiose disserere, in quibus orbis totus mecum convenit, nec rem suapte perspicuam argu[tioni]bus in ambiguum deducere. Interroges ea de quibus loquor studia, et non te celent quidquam; ore venerabundo ita esse consentient. Nec ipse quidem livor hoc negabit, nam, quod difficillimum Salustio[9] visum est, « invidiam gloria superavit ». Hec est que[10] Gallie illud attulit elogium : « sola Gallia monstro caruit ». Quod a Jeronimo dictum[11], recte ad id tractum est, quod illam fidei pulcritudinem, quam Gallia semel est professa, monstris heresum indeformatam assidue custodivit, cum ubilibet pene terrarum tot errorum duces narrentur, quot[12] actores. Nam ubi par fidei zelus, ubi illius defensio paratior, ubi hereticantium vehementior confutatio? Nullubi enim quam in Gallia veriorem, integriorem, sincerioremque fidei professionem reperies. Istius autem que alia potior causa fuit quam preclarum illud orbis jubar, Parisiensis Universitas? Nam tenebris locus non est, ubi tantus fulgor irradiat, et suavissimum florigere talis vinee odorem veneniferum quidquam non sustinet, nec habent denique hereses ullum cum earum extirpatrice commercium.

(Bourgeois du Chastenft *Nouv. histoire du Concile de Constance,* Preuves. p. 123). Dum Athenis Universitas esset, fuit « nommée Pallas ou Minerve », ut Gerson sciebat (*Opp.*, III, 573). — Petrus de Ailliaco Universitatem introducit, se in Aegypto ortam esse, confitentem (infra p. 399), et Gerson postea eum imitatur (*Opp.*, III, 573). Quid mirum, cum auctore Alexandro Neckam Abraham in Aegypto Quadrivium docuerit (*De nat. rer.*, ed. Wright, p. 308)? « Et sub tanto doctore, prosequitur, multi mathematicis invigilantes disciplinis in nobiles evaserunt philosophos ».

1. « Helas, je suis celle, qui en Adam fus premierement inspirée en sa nouvelle creation », Universitas Paris. apud Gerson, l. c., profitetur.

2. Sap., ix, 10.

3. Eccli., xxiv, 5.

4. Sap., vii, 26.

5. Primum « prodiisse ».

6. Minus eleganter Gerson eamdem, ab aliis jam prius saepe prolatam sententiam exprimit : « Universitas Paris. est fons scientiae in quatuor facultatum flumina condivisus, irrigans universam superficiem terrae » (*Opp.* II, 51).

7. Vid. supra p. vii.

8. Auctorem memoria fallit. Cf. Juvenal., *Sat.* x, 14. Caeterum jam Alexander Neckam (l. c., p. 311) scribit : « Civilis juris peritiam vindicat sibi Italia, sed coelestis scriptura et liberales artes civitatem Parisiensem caeteris praeferendam esse convincunt ».

9. Sall.. *Jug* , 10 · « quod difficillimum inter mortales, gloria invidiam vicisti ».

10. I. e. Universitas. — « est que » minuto charactere inter lineas.

11. *Advers. Vigilantium*, l. c , « Sola Gallia monstra non habuit ». Minus eleganter haec omnia Petrus de Ailliaco an. 1389 coram Clemente VII in laudem Universitatis adduxit, in Bibl. Cameracens , ms 490 (531), fol 193 (ap. Bul., IV, p. 653 sq.) · « Hec est ...., per quam Gallie illud elogium a Quintiliano ac deinde a Jeronymo donatum est, sola Gallia monstro caruit, monstro scil. perfide infidelitatis, cum alibi tot fuerint errorum secte, quot actores ». Deinde Petro de Luxemburgo, cujus virtutes praedicat, non autem Universitati, ut auctor supra, verbum Sallustii, licet deformatum, accommodat : « nam quod Salustio difficillimum visum est, *virtute* invidiam superavit ». Certe, quamdam relationem inter duos auctores intercedere, negari non potest.

12. *Ms.* tot.

(*Fol.* 195[b].) Ceterum egregiam ac ordinatissimam ejus esse politiam constat. Primum quod sapientibus regitur. « Beatas autem fore res publicas Plato ait[1], [si aut docti et sapientes homines eas regere cepissent, aut ii qui regerent omne suum studium in doctrina et sapientia collocassent] ».

Subinde, quia regni simul ac...[2] effigiem tenet, ita ut trimensis unus rector presit, agenda proponat ac persuadeat[3]. Nichil autem arduum absque magistrorum consulto inire fas est aut exsequi. Quam utilis vero talismodi politia semper extiterit, et experimentis fulta ratio et Grecorum atque Romanorum, dum hac usi sunt, prosperitas edocuit. Quando preterea hac Universitate alia vel alti consilii habundantior, vel ab omni morbo animi in deliberando liberior, aut in prompta deliberatorum exsequtione alacrior fuit? Quando denique in victoriis crebrior? Iniquum quippe nichil inchoat, sed ea quorum fructuosus finis sit et possibilis honestaque victoria. Ad hanc ausim traducere id quod optimus poeta optime politie leges statuens Romanis appropriat : « parcere subjectis et debellare superbos[4] », quorum unum clementie est, severitatis reliquum.

Severitatem itaque ipsius Universitatis in superbos non perfacile est existimare, quam, ut multi, nuper expertus ille est, qui graduum honestatem venali precio nisus est commutare et utique commutavit[5], ita ut homines sua[6] etiam predicatione magistrali licentia dignos, nisi pecuniam juramentaque officiosa prestarent, affirmabat indignos et hanc solam ob causam licentiam denegabat; ad id vero agendum nec precibus motus, nec minis inductus, nec quod jura omnia divina simul et humana jusjurandumque confunderet. Tam nichil est quod « non mortalia pectora cogat auri sacra fames[7] ». Et hac super re duo extant tractatus dilucide ac diserte a Petro de Aylyaco etc. confecti[8], quos antiquo et jam insolito more[9] bis palam in scolis bachalariis arguentibus ipso contrarespondente promulgavit, eorumque probabilitas Universitatis attestatione firmata est. Erat vir ille[10] quem dixi flecti nesciens, indomabilisque cervicis, et sue improbitati plurima addiderat convicia, tum in ipsam Universitatem, tum in ejus supposita; se patrem ejus esse jactaverat, insuper et capud, quod ultimum cordiger unus predicando eidem incaute tribuens postmodum solemniter retractavit jussu Universitatis, nullum preter rectorem capud immediatum agnoscentis[11]. Iste autem, postquam a lecturis inhibitus, postquam multa eorum que adquisierat deperditione fatigatus, postquam in Romana curia ac parlamento regio secundum acta sua habunde cantatus est, sue proterve injusticie finem dedit indecora satis depulsio et sui quod fedare conabatur ablatio officii[12].

Porro clementiam Universitatis senserunt me vidente quamplurimi, quorum grave in eam delictum una genuflexio vindicte submovit aut pium aliquod verbum sive humilis errati confessio, ad veniam omissa lite se convertens. Hujus tamen clementie ita moderamen tenet, ut privilegiis ac legibus suis sua sit integritas suaque fidei ortodoxe reverencia; neque enim ut proprias sic communes injurias in rei publice perniciem dissimulare licet, cum hoc sit boni civis ac mansueti, sibi illatam condonare injuriam; in detrimentum vero fidei aut rei publice

1. Spatium in ms[to] satis largum. Auctor sententiam Platonis apud Ciceronem quam inter uncos posuimus (*Ad Q. fratr.* I, i, 29) in mente habuit, sed non ipsa verba recordatus, quaerere posterius sibi proposuit, et, ut alias in simili casu, spatium reliquit.

2. Postea spatium. Subintelligas « reipublice ».

3. Doctores studii Aurelianensis etiam an. 1388 scribebant « in Universitate Parisiensi, que quam strenue regatur, « rerum docet experientia, etiam simplex magister in artibus cotidie eligitur in rectorem, quia ad eum potius quam ad « potentem, si eligeretur, habetur accessus » (Denifle, *Les Universités françaises au moyen âge*, p. 50).

4. Verg., *Æn.*, VI, 854.

5. Cancellarius Paris. Johannes Blanchart.

6. Johannis Blanchart.

7. Verg., *Æn.*, III. 56.

8. Vid. infra p. 402, not.

9. I. e. disputationes magistrorum jam insolitae erant.

10. Johannes Blanchart.

11. Infra n° 1500.

12. Vid. infra n° 1522.

liberalem ac indulgentem esse hostilitas (*fol.* 196) perniciosissima. Est autem ab Universitate alienissima hec mollis crudelitas crudelisque misericordia, neque ad male tractandum fidem legesque suas violandum per impunitatem malos allicit, nec, quod Dei aut posterorum omnium est, spargit prodige, ne vulgari notetur proverbio : *secare ex alieno corio latam zonam*. Nota est ejus constancia in Hugonem Aubriot prepositum tunc Parisiensem a fidei ac nature legibus exorbitantem. Deus optime! quot acta sunt ne hujus iniquitas vindicari quereretur, quot a viris summis sinistre informatis grandia verba, quante minaces littere, quot rursus supplicationes, — ad que omnia opponebat[1] illam Petri interrogationem....[2]. Quantis sumptibus ipsa vexata est, quot attrita laboribus! Accedebat ingentis prius elationis fracta duricies et ea quam miserabiliter orare, flere ac misericordiam implorare. Sed a recti sede non amplius mota est Universitas « quam si dura silex vel stet Marpesia cautes », ut Maro ait[3]. Personales autem injurie quamvis gravissime posthabite sunt, segnisque earum prosequtio hucusque permansit, adeo apud eam lese fidei quam suorum cura major. Verum is qui nec Deum nocere sibi posse nec hominem, ut fassus est, arbitrabatur, post solemnem revocationem perpetuo carceri adjudicatus est[4].

Preterea, si evehor altius, papam Johannem, hujus nominis XXII, aspicio, cujus summa dignitas summaque potencia non obstitit, quin ipsius Universitatis theologici doctores ejus assertionem contrariis assertionibus oppugnarent[5].

Tales olim viros hec mater genuit[6], quos a veritatis semita labor, sumptus, odia, invidie, pericula deterrere, aut hiis contraria inviscando atque alliciendo avertere nequiverunt. Et quamquam in dies ubilibet in deterius res pergant, dominanteque vitio virtutis amor obtorpuerit : attamen sicubi animorum libertas, rerum judex optima; sicubi ire, odii, amoris, invidie, a recto abducentium, depulsio; sicubi ad extremum fidei, justicie ac veri amor mansit, inibi reperies. Neque enim tam alte radicata probitas perleviter avelli potest, nec facilem de hoste maximo reportare triumphum falsitati concessum est[7]. Quod ita se habere sequentia indicant, ubi Universitatis fides, constantia, religio, clemencia in humiles, in superbos debellatio patebunt; adverse vero parti omnino hiis contraria videbis infuisse. Itaque tandem res ipsa loquatur.

Regnante serenissimo ac illustrissimo Francorum rege K[arolo] nominis hujus VI°[8].... Parisius ex Arragonia, unde ortus erat, accesserat frater quidam ex illorum Ordine, qui se Predicatores appellant, vir corpulentioris stature sed animi tumiditate ingentior boatumque grandem habens, ita ut sibi, montuoso et sonoro, non fortuito cognomen accessisse opinari possit. Ei siquidem Johannes de Montesono nomen erat, cujus varias et facetas interpretationes ab aliis datas linquo. Hic theologici doctoratus cathedram ambiebat vehementer (*fol.* 196[b]), sed litteris suis parum fisus secum papales advexerat, quarum importuna tandem intercessione in theologia licenciam adeptus est. Crede michi, aliquid mali affert[9] bullata hec licencia. Ubi vero ad *vesperias*, quibus ab eo disserenda questio erat, perventum est, ipse, nescio quem spiritum haustus, ut[10] Virgilius ait[11], *dat sine mente sonum*, tanta ibi doctrine barbaries, tam confusus et insanus sermo, ut humane mentis illum esse vix crederideris. Ibi habitum caritatis infusum duabus rationalis anime potenciis, voluntate scilicet ac intellectu, conatur inducere, et opificio mirabili ex

1. Universitas Paris.
2. Spatium in ms[to]. Tunc auctor locum Bibliae quem afferre volebat non ad verbum recordabatur.
3. Verg., *Æn.*, VI, 471.
4. Vid. n[um] 1457.
5. De hoc late in tom. II *Chartul.*
6. Petrus de Ailliaco, l. c. : « Hec (Universitas) denique est, que viros semper genuit orthodoxe fidei defensores precipuos ».
7. « falsitati concessum est » in margine.
8. Ms. « VII ». Postea spatium.
9. Legi potest « afferet ».
10. Postea « de sibilla », sed deletum est.
11. Verg., *Æn.*, X, 640.

accidentali qualitate creaturam fabricat intellectivam volitivamque, omnis expertem generis, et Deum absque ejus gratuito munere beatifice contemplantem, cui insuper salvandi mundi potestatem ascribit. Stupes, lector, et michi tam inepta ac insulsa recitanti tardius credis. Ast quo magis stupeas, illius hec verba sunt : « essentia anime Christi transsubstantietur et gratia ipsius anime vices gerat essentie anime Christi quoad omnia, scilicet quoad informare corpus et ipsum vitaliter immutare, et quoad substare accidentibus anime Christi, scilicet intellectui et voluntati, et eas ad suas debitas operationes inclinare. Talis gratia remanens post transsubstantiationem esset creatura rationalis et libera[1]. » Habet subtilis hic theologus noster quod optabat : obscuris verborum ambagibus, neque aliis intelligibilibus neque sibi, aures astantium replevit in admirationemque convertit. Erigite aures, scolastici, ad tam altam profundamque doctrinam. Non audistis, ut arbitror, talia hactenus; virum hunc ex divino consilio demissum dignis attollite preconiis. Ymmo potius exsibilate et explodite, vos presertim, qui ex illorum grege non estis quibus solum id placitum est, quod insolitum, et quidquid ymaginabile est, id et probabile reputant, quibus obscuritas subtilitas est[2] et adeo inopinata ponunt, ut nil inconvenientius in eos dici possit. Ni[l] mirum igitur, si convinci nequeunt, quibus inconveniens nichil est[3]. Hinc portentuose ac chimerine ymaginationes, qualis illa est, oboriuntur; hinc sonore, sed sensuum inopes pervolitant nuge. Et ut preceptoris mei verbum est, quo nemo ab hac animi corruptione alienior fuit, qui « maximam veri ingenii » reputabat, quam lucidissime rem dicere : « Quidam inquit, spreta logica ad rem, ut aiunt, ire volentes, in totam rei ignorantiam involuti prolabuntur; nodos quoque ambiguos, quos logicalis ars facile vereque resolvit, nescio quo pacto methaphisicare volentes magis ac magis intricant. »

Miror vero cur hic peregrine doctrine peregrinus assertor quemadmodum caritatem sic asinum intellectivum volitivumque non effecit; multo id quidem sibi facilius et Apuleio placidius extitisset; reddidisset perinde credibiliorem aliquantisper ipsius de aureo asino fabellam[4]. Scio quid retraxerit : verebatur ne se ipso rationabiliorem ac nobiliorem asellum haberemus; hoc autem si pudebat, albedinem nigredinemque sive picarum atque corvorum aliquem in Dei contemplationem ac dilectionem debuerat evehere. Non vacabat fortassis. Edocere satis erat quemadmodum hec fierent, longeque mirabiliora. Nam odium Dei hanc per artem intellectu atque voluntate investias; ei perinde dederis libertatem qua Deum diligere mererique poterit, et beatitudinis particeps effici. Quod si odio Dei tribuere (*fol.* 197) id non velis, reperi cui concedere non pigebit. An sotular[5] tuus adest? Ei rationabilitatem adde ut te dirigat, mundique salvatorem, ut te salvet, constitue. Non possum, ut ait Seneca, hoc loco dicere illud Celii : « o tristes inepcias, » — ridicule sunt.

Sed exspecta, audies aliquid quod majore cachino excipias : paulum si progrediaris creaturam rationabilem naturaliter malam, quam Manicheus tantopere querebat, reperies. Nam ut caritas in rationalem creaturam transformata essentialiter bona esset, non aliter odium Dei eo modo rationale effectum maliciam gereret naturalem. Verumtamen ipsum ob hoc neu oderis cave; venerare pocius et adora, salvare equidem te posset et in paradisum trudere. Non perdidisti tempus, auditor, plusculum aliquid quam putabas didicisti, nisi forsan, hoc artificio rationalis esse essentialiter ac intrinsece desieris, et nisi hos per jocos in accidentium numerum tua rationalitas evaserit. Et evasit, hercle, huic si consenseris.

At vero vir iste argutissimus modestus est, laudem suam non queritat, neque alienum laborem usurpando suum facit; non vult enim profunde hujus doctrine actor putari. Habet, ut ait, sanctum Thomam (mirarer si non

1. Vid. infra p. 493 sq.
2. « quibus ... est » in margine.
3. Add. : « cujus inscicie non mediocris causa est talium ab inexpertis admiratio et applausus », sed deleta est sententia, cum auctor vidisset, hac sententia interjecta nexum idearum perturbari.
4. Alludit auctor ad Apuleii *Metamorphoses*, seu *Asinum aureum*.
5. I. e. subtalaris, calceus. Vid. Ducange-Henschel, VI, p. 417 sq.

quo tegeretur et diverticulum[1] error quereret); hic, inquit, essentiam anime rationalis et ejus potentias quasi sibi affixas condistinguens, intelligere dat prudentibus, easdem Dei omnipotentia separari posse[2], et ex ipsis formaliter aut inhesive res quevis alia vitaliter actuari efficique rationalis. Vides quam malum sit doctrinam aliquam malle insectando proterve dilatare, quam ipsam exponendo (si paulum vagatior est) restringere. Ab hoc enim hereses omnes suum traxerunt initium. Hanc profecto sequelam sancti hujus scripta si admittere cogunt, ut non cogunt, repudiatione quam digna sit, nemo non videt; sin autem, pessimum imitatorem ymo corruptorem habet, qui tanta eum honorat[3] insania.

E scolis tandem evomitis[4] in priorem sententiam quampluris abscessum est.

Elapsi sunt non multi dies ...[5]

1. « et » inter lineas, « diverticulum » in margine
2. In *ms*to postea · « et separatas rei alteram p », sed deletum est.
3. Vel « honerat ».
4. Manca sententia videtur.
5. Caetera usque ad fol. 201, quorum aliqua in n° 1557, *Relatio historiae*, in brevem epitomam redegimus, omittimus. Orationem Radulphi Glachardi et finem tractatus necdum finiti ibidem invenies. In sequentibus etiam tractatus magna vi oratoria non caret. *Fol. 199 :* « Ex dudum inito duello triumphum querit, et per fas perque nefas .. Illum adhuc illesum, o fideles, liberumque ac irridentem aspicimus». « O seculum nostrum, o mores, o religio! Dyane spretor perit, et vivit Marie infamator »! *Fol. 199*b: « Ecce ad improbas iterum voces cogor advertere et clamoso sonitu inquietus ad « incathedratum nostrum regredior. Piget heu revertisse. Non est jocus, jam irascitur fremitque, et estu mentis gravi in « saxa inque scopulos agitatus impingitur. E sepulcris evocat mortuos, et in causam trahens dilacerat ». Nunquam loquitur noster ut quivis suorum in Francia aequalium, excepto Nicolao de Clamengis

---

CHARTULARIUM

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PARS TERTIA

AB ANNO M CCC L USQUE AD ANNUM M CCC LXXXXIIII

RES PROPRIE AD UNIVERSITATEM PERTINENTES

1193. *Ordinatio Capituli generalis Ordinis Cisterciensis de studiis fratrum in domo S. Bernardi Paris.*

1350, Septembris 12, Cistercii.

In civitate Pragensi metropoli regni Bohemie ordinatur constitui studium Ordinis generale, ad quod mittant quicunque voluerint, dum tamen observetur statutum domini pape Benedicti de studio Parisiensi[1], cui non intenditur ullatenus derogari, et remaneat dictum studium sub regimine abbatis de Aula Regia in plenitudine ordinarie potestatis.

Ordinacio studii Sancti Bernhardi Parisiensis remanet penes Capitulum generale, et per dominum Cisterciensem et iiij^or primos[2] in Ordine vicis sue aut eorum commissarios visitabitur successive. Que visitacio fiat omni anno circa festum beati Johannis Baptiste. Et cellerarius studii beati Bernhardi per diffinitores eligetur. Eidem autem cellerario inhibetur, ne mutuum contrahere ultra bursas scolarium audeat nisi de diffinitorum licentia speciali.

Statuitur etiam quod omnes recepte dicti studii tam de bursis quam de redditibus quam etiam de elemosinis et leg[at]is ac etiam obvencionibus quibuscunque deveniant ad manum cellerarii dicti loci, et per ipsum recipiantur et expendantur prout ad utilitatem studii videbitur expedire, ac de ipsis secundum ordinacionem domini Benedicti pape super hoc editam fidelem teneatur reddere rationem.

Bursam integram tenentur solvere scolares infra mensem a festo beati Remigii, vel ab adventus sui tempore computandi.

Qui vero in principio Aprilis venerint, solvant dimidiam bursam, alioquin ex tunc solvere compellantur pro rata temporis quo in studio remanserunt, et ex tunc eisdem nil de bonis communibus ministretur. Nec alicui recedenti de studio ante annum completum, fiat aliqua restitutio burse sue nisi de sui recessus causa legittima ac necessaria fecerit plenam fidem. Et si aliquis ibidem decesserit aut revocatus fuerit vel remissus, abbas illius si voluerit alium mittat ad studium, cui ministretur de bonis communitatis prout et aliis pro residuo dicte burse. Nec alicui tarde venienti aliquid de dicta bursa defalcetur.

Qui vero minus quam dictam bursam taxatam inbursaverint, nichil eisdem de bonis communibus ministretur.

Quod si scolares sine inbursacione post festum Omnium Sanctorum remanserint, sententiam excommunicationis se noverint incurrisse, et nichilominus sub eadem pena per magistrum provisorem et bacularios de studio expellantur. Eandem excommunicationis sententiam ad residentes Parisius occasione predicta ultra diem quintumdecimum Capi-

tulum volt (*sic*) extendi. Adiciendo quod tales sic residentes ultra terminum memoratum per cellerarium Beati Bernhardi capiantur et ad propria monasteria remittantur sub monachorum ipsorum sumptibus et expensis, in quibus pena debita puniantur. Magistri autem sacre theologie non intelliguntur presentibus ordinationibus alligari.

Scolares autem qui se horis prandii sive cene presumpserint absentare, nichil de bonis communibus ministretur eisdem, nisi in ipso studio presentes fuerint ipsis horis.

Abbatibus Ordinis precipitur quod decetero tales scolares mittere studeant, qui sunt habiles ad documenta scientie capienda.

Ut autem dicti studentes metu pene ad studium fervencius animentur, refrenentur a noxiis et a dissolutionibus arceantur, statuitur ut emissi de studio ob sue pravitatis demerita in claustro teneantur in artissima disciplina, nullum deinceps habituri officium absque dispensacione Capituli generalis.

Domino Cisterciensi et quatuor primis, cuilibet in generacione sua, conceditur, quatenus abbates, qui scolares indisciplinatos miserint et ociosos vel decetero mittent ad Parysiense studium, possint ad ipsorum revocacionem compellere, audita relacione visitatorum contra tales. Si vero abbates predicti recepto super hoc mandato a domino Cisterciensi vel ab aliquo quatuor primorum, prout ad eorum quemlibet pertinebit, scolarem suum incontinenti [r]evocare renueri[n]t vel revocatum iterum miseri[n]t ac mittere presumpseri[n]t, immediate unius burse pro anno solvi Parisius consuete mulcte[n]tur, generali Capitulo Cisterciensi applicande.

Bachallarii in sacra theologia, nisi sint per generale Capitulum ad prosecucionem sui officii vel magisterii domino cancellario[3] Parisius presentandi, antequam presentantur jurare tenebuntur sollempniter requisiti per provisorem in capitulo Beati Bernhardi presente provisore ac omnibus scolaribus (qui provisor sub pena excommunicationis late sententie juramentum hujusmodi exigere teneatur), quod cum ad monasterium pervenerint, contra statuta Ordinis, privilegia et libertates aliquid in futurum non attemptabunt per se vel per alium seu alios, nec attemptare quocunque colore dolose quesito procurabunt seu patientur pro posse suo procurari, impetrando contra statuta Ordinis, privilegia et libertates, nec eadem presumant vel procurabunt per se vel per alium clam vel palam infringere seu quomodolibet alias impugnare. Quod si sic jurare noluerint, priventur gratiis in domibus propriis sibi factis, neque sperent ab Ordine gratiam aliquam. Et est intencio generalis Capituli quod hec diffinicio se extendat ad quecunque Ordinis nostri studia.....

Quicunque litteras, preces, minas a personis que non sunt de Ordine nostro pro promotionibus ad magisterium vel litteraturas quaslibet impetrans, vel impetratis uti presumens, inhabilis sit omnino ad istum gradum, quem sic voluit habere, nec decetero nisi ex dispensacione obtinendum Capituli generalis. Quicunque per Ordinem presentatum per se vel alium clam vel palam impedierit seu impediri procuraverit, ex nunc prout ex

tunc se vinculo excommunicationis ligatum agnoscat, et nichilominus si convictus fuerit, tamquam invidus et ambiciosus animadversione debita puniatur. Nec, dato quod tali casu ambiciosus gratiam promocionis obtineat, presumat kathedram magistratus ascendere, quousque presentatus ab Ordine fuerit expeditus.

Quoniam quamplures monachi scolares ordinati ad lecturam[4] Sententiarum et Biblie gravarent propria monasteria, si remanerent in Parisiensi studio continue usque ad tempus eis assignatum ad legendum, consulitur abbatibus eorumdem ut eos revocent ipsosque in aliis occupent, dum tamen ad studium eos remittere teneantur per triennium antequam annus incipiat, in quo lecturam fuerint incepturi. Si vero scolares aliqui cursores sint in studio, qui minime[5] sunt ad Sententias ordinati, permittitur quod, quandocunque placuerit abbatibus suis, possunt eos de studio revocare.

Inhibetur sub pena excommunicationis late sententie, ne quisquam abbas vel monachus audiat vel legat jura canonica in quibuscunque villis, civitatibus sive castris[6]. Abbas autem qui super hoc licentiam dederit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.

Abbatibus etiam universi Ordinis inhibetur ne in studiis sollempnibus quacunque de causa moram continuam vel longinquam facere audeant vel presumant[7]...

Bibl. Univers. Lipsiens. ms. n° 856, fol. 102, sub rubrica : « De provisoribus studii et studentibus » — Winter, *Die Cistercienser des nordöstl. Deutschlands*, III, 318, e ms. Vindob. 2234 affert aliam ordinationem ad an. 1350, qua praescribitur, scholares infra festum S. Remigii in capite Octobris mitti debere ad studium Paris « Quantitatem bursarum anni presentis taxat pro quolibet ad XVIII scuta auri dictum Capitulum generale ».

1. Vid. *Chartul.*, II, n° 992. — 2 Ibid., p. 253, not. 4. — 3. Ms.. « cellerario ». — 4. Ms. hic et postea : « litteraturam ». — 5. Ms. : « omnino ». — 6. Vid. de hoc *Chartul*, II, *Indicem*, sub voce CISTERC. — 7. Propter hoc religiosi hujus et aliorum Ordinum, qui ante magisterium in theologia obtentum in abbates eligebantur, ex gratia saepe sanctae sedis licentiam in theologia adepti sunt.

1194. *Clemens VI (Johanni de Aciaco) cancellario Paris. mandat ut Symonem de Brossa*[1], *monachum monasterii Sancti Dionysii de Nogentoretrodi, Cluniac. Ord., Carnotens. dioec., si ipse ex dispositione magistrorum in sacra pagina sufficiens repertus fuerit, ad honorem magisterii studeat servatis alias debitis solennitatibus infra duorum mensium spatium a receptione praesentium promovere.* Dat. Avinione xvj kal. Decembris, anno nono. « Sicut debetur ».

1350, Novembris 16, Avenione.

Reg. Vat. Comm. Clementis VI, n° 201, fol. 11.

1. Ab an. 1361, Aug. 4 (an. 9), abbatem Ferrariens., cum esset mag. theol. (Reg. Aven. Innoc. VI, vol. XXIII, f. 107, inter epp. an. 8), ab eod. an., Novemb. 26, abbatem Cluniac. (ibid., vol. XXVII, f. 227). Vid. infra ad an. 1351, n° 1201, et *Chartul.*, II, p. 655, not. 17.

1195. *Deliberatio Universitatis Parisiensis, qua Petrus Bercorius, Ord. S. B., camerarius Beatae Mariae de Columbis, Carnot. dioec., pro vero scholari agnoscitur, et lata in eum ab officiali Paris. sententia irrita esse declaratur.*

1351, Martii 5, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo,

more Francie, indictione quarta, mensis Martii die quinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape sexti anno nono, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum presentia, personaliter constitutus rector Universitatis Parisiensis[1], et eadem Universitas, ad congregationem generalem ad Sanctum Maturinum, hora completorii, ut moris est, tunc vocata et congregata super facto fratris Petri Bercorii[2], camerarii ecclesie beate Marie de Columbis, Carnotensis dyocesis, in carcere domini Parisiensis episcopi[3] detenti; et in eadem congregatione petivit dominus rector predictus a magistro Roberto de Villeta, regenti in theologia, utrum predictus camerarius fuerat suus scolaris pro isto anno presenti. Qui quidem magister Robertus dixit et asseruit palam et publice, predictum camerarium fuisse pro isto anno suum verum scolarem ordinarie. Tunc proposito in deliberatione per predictum dominum rectorem, utrum audita relatione predicti magistri Roberti, et attenta quadam sententia per aliquos deputatos Universitatis alias contra predictum camerarium prolata, predictum camerarium Universitas verum scolarem reputaret; et utrum predicti deputati habuerant potestatem ad diffiniendum : tunc super hoc habito maturo consilio, fuit deliberatum concorditer, nullo reclamante, quod predictus camerarius verus scolaris erat. Quam deliberationem pro facultate artium retulit dominus rector; et magister Johannes Delo pro facultate medicine, magister Hugo de Cathalano pro decretorum facultate, et magister Guillelmus Munerii, jacobita, pro facultate theologie, modo consimili retulerunt, et predictam sententiam, minus juste latam per predictos deputatos, unanimi consensu quassaverunt, deliberantes quod predicti deputati nullam habebant potestatem, nisi ad referendum. De quibus omnibus predictus dominus rector a me, notario publico, instrumentum publicum petiit fieri et confici. Acta sunt hec Parisius, anno, mense, die, hora, loco, indictione, pontificatu predictis, presentibus discretis viris magistris Nicholao Fabri, Guillelmo Comitis, Guillelmo Lamberti, Gervasio Blondelli, Petro de Herchis, Stephano Postelli, Matheo de Raimbommara[4], cum multis aliis ad hoc sufficienter vocatis et rogatis.

Et ego, Guillelmus Poignant, clericus Constantiensis dyocesis, magister in artibus, dum omnia ista fierent et proferrentur cum prenominatis testibus presens interfui et in hanc formam publicam redegi et manu mea propria scripsi, signoque meo consueto signavi, in testimonium omnium premissorum requisitus et rogatus.

Originale in Arch. Univers. Paris., theca V, B. 1. 1. — Jourdain, nº 635.

1. Julianus de Muris. — 2. Utique idem (Bercheur vel Bersuire), qui Titum Livium, jubente Johanne, Franciae rege, in linguam Gallicam transtulit, et nonnulla alia reliquit eruditionis monumenta. Vide *Hist. litt. de la France*, XXIV, 173. Delisle, *Cab. des mss.*, I, 16. Paulin Paris, *Les manuscrits françois de la Bibliothèque du roi*, I, p. 32 et s.; II, p. 285 et s.; V, p. 417 et s. L. Pannier, *Bibl. de l'Éc. des Chartes*, t. XXXIII, 325 et s. — 3. Translato Audoyno, episc. Paris., ad sedem Autissiod. (v. *Chartul.*, II, 602, not. 1), Petrus de Foresta, episc. Tornacens. (ab an. 1349, Jul. 24), an. 1350, Decemb. 20, fit episc. Paris. (Reg. Clem. VI, nº 199, fol. 9, ep. 17), an. 1352, Febr. 8, translatus ad sedem Rotomag. (ibid., nº 207, f. 58), an. 1356, Decemb. 23, card. XII apostolorum (Contelori), obiitque eadem die qua Guillelmus Farinerii, scil. an. 1361, Junii 27 (ibid.). Fuit etiam cancellarius Franciae. — 4. Qui jam in *Chartul.*, II, p. 606 et 638.

1196. *Instrumenta litis episcopum inter et Universitatem Parisiensem, de Petro Bercorio, scholari, e sententia officialis in carcerem demisso.*

1351, Martii 18, 27, 31, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Noverint universi hoc presens publicum instrumentum inspecturi, eisque pateat evidenter, quod anno ejusdem Domini millesimo CCC° quinquagesimo, secundum morem Gallicanum, die xviij mensis Martii, indictione quarta, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape sexti anno nono, Parisius apud fratres Minores, in mei notarii publici infrascripti, et testium subscriptorum presentia, cum fuisset orta dissentio inter Universitatem Parisiensem ex una parte, et dominum episcopum Parisiensem et officialem suum et promotores suos ex altera, super captione et detentione cujusdam scolaris religiosi, videlicet fratris Petri Berchorii, camerarii de Columbis, Carnotensis diocesis, ex eo quod officialis Parisiensis dicebat, ipsum fratrem Petrum fore captum propter presumptiones contra ipsum, quia utebatur scientiis prohibitis et malis et sapientibus heresim, et ob hoc non debere reddi Universitati predicte virtute privilegii Universitatis, dicta Universitate oppositum asserente, et sic propter hoc a lectionibus ordinariis cessabatur et cessare intendebat ipsa Universitas, quousque dictus scolaris esset restitutus, et esset ipsi Universitati sufficienter emendatum : tandem illustrissimo principe domino Johanne, rege Francie, volente hujusmodi dissencionem pacificare, voluit quod de isto supra se hinc inde poneretur. Postmodum deliberatione in Universitate habita inter quatuor facultates, sic supra ipsum dominum regem ipsa Universitas se supposuit super isto in hunc modum :

« Dimittatur scolaris secundum tenorem privilegii. Item, de episcopo et officiali et omnibus aliis, auditis rationibus hinc et inde, in persona sua ordinet dominus rex de emenda condigna Universitati facienda, taxando eam et faciendo eidem justicie complementum. Item, non possumus resumere lectiones, salvis juramentis, donec ista fuerint adimpleta. Universitas tenebit quod super hiis dominus rex ordinabit. »

Et ista fuit deliberatio ipsius Universitatis, que per me notarium incontinenti fuit scripta, et dominis de Renello et de Erminac, qui ex parte domini regis venerant ad Universitatem, tradita, dicentes et asserentes quod credebant dominum regem premissa facere fieri, ac etiam per episcopum et officialem seu promotores adimpleri. Quo facto, incontinenti, una cum dictis dominis deputati Universitatis adeuntes palacium ubi erat dominus rex ad cameram secreti sui, sibi dicta deliberatione per dictos dominos explicata, fuit mandatum per ipsum dominum regem pro episcopo Parisiensi et officiali suo, quibus fuit dictum ex parte domini regis per dominum de Erminac quod rex volebat, quod episcopus Parisiensis et officialis suus et promotores dicta deliberata tenerent et facerent : quod sic fuit promissum tam ex parte Universitatis quam ex parte domini episcopi et officialis sui. Quo facto, statim et incontinenti fuit dictus scolaris Universitati restitutus, cum cautione

juratoria per ipsum domino officiali Parisiensi facta, de comparando dietis sibi assignandis coram offic[iariis] seu commissariis sibi dandis. Fuit tamen protestatum per dominum episcopum Parisiensem, quod istam cautionem admittebat nunc et recipiebat solum de gratia et non de rigore[1], domino rectore Universitatis et pro ipsa Universitate de contrario protestante. Et de hiis sic actis, factis et gestis, voluit tam dictus dominus episcopus Parisiensis pro se, et rector Universitatis pro ipsa Universitate, sibi per me notarium publicum infrascriptum fieri publicum instrumentum seu publica instrumenta.

Acta fuerunt hec anno, mense, die, indictione, pontificatu et loco predictis, presentibus ibidem et astantibus domino nostro rege, et domino comite de Erminac, domino Guillelmo Flote, domino de Renello, Roberto de Lorris, militibus, ac multis aliis ibidem presentibus et astantibus; et de Universitate, magistro Juliano de Muris[2], rectore Universitatis, magistris Johanne Carpentarii in theologia, Johanne de Elot et Johanne Saillembien, magistris in medicina, et multis aliis testibus ad premissa presentibus, evocatis specialiter et rogatis.

Item, anno, mense, indictione, pontificatu et loco predictis, quia ipsa Universitas die dicti mensis xxvij°, quasdam rationes domino nostro regi tradiderat super isto facto ad ipsum informandum solum, non quod vellet per modum processus procedere; etiam econtra prefatus dominus episcopus Parisiensis alias rationes tradiderat, ut super hiis dominus rex ordinaret : tandem magistris Johanne de Remis[3], rectore ipsius Universitatis, Guillelmo Munerii in theologia, Roberto de Granchiis, Thoma de Chesa in decretis, Bartholomeo Bonneti in medicina, et quatuor procuratoribus ipsius Universitatis in presencia domini nostri regis et dictorum aliorum dominorum ibidem presentium ex una parte, et domino episcopo Parisiensi et officiali suo et quibusdam aliis ex alia, die dicti mensis Martii ultima, fuit sic per dictum dominum comitem de Erminac pro dicto domino nostro rege, huc presente, dictum[4] et sententiatum : quod dominus episcopus Parisiensis juraret et promitteret servare et custodire Universitatem in capite et in membris seu suppositis suis; et quod decetero neminem de Universitate, ratione et causa hujus facti, molestaret aut eciam inquietaret, nec eciam officialis suus et promotores sui. Insuper, quia ipsa Universitas conquerebatur ex eo quod dictus scolaris fuerat positus in tormentis, et ob hoc Universitas tenebat officialem Parisiensem, videlicet magistrum Guillelmum Charlot, pro privato, et privaverat ipsum, necnon propter hoc, quia noluerat statim reddere clericum incarceratum, sed contra tenorem dictorum privilegiorum detinebat, ut dicebat ipsa Universitas, fuit sententiatum et dictum, quod dictus officialis juraret quod dictum clericum non possuerat neque poni fecerat in tormentis, neque scivit aliquid, ymo cum scivit, sibi displicuit et adhuc displicet; et sic propter hoc dicta privatio adnullaretur. Qui statim, tam dictus dominus episcopus Parisiensis quam suus officialis, ut dictum est, promiserunt et juraverunt. Insuper, fuit dictum et sententiatum, quia ibidem erat presens magister

Johannes Le Royer[5], qui dictum clericum in tormentis poni fecerat, et ob hoc injuriam domino regi fecerat, cum factum supra se cepisset, quod domino regi emendaret, eciam Universitati, qui statim, flexis genibus, hoc fecit, [sup]plicando emendam tam domino nostro regi quam domino rectori pro ipsa Universitate; que emenda incontinenti pro Universitate fuit taxata in ducentis libris parisiens. Et illam emendam pecierat et volebat sibi dari dominus rex, que sibi per dictos Universitatis deputatos, de voluntate et consensu ipsius Universitatis, fuit sibi data et concessa. Eciam fuit dictum et sententiatum, quod clericus, qui fuerat incarceratus, conquerebatur super eo, quod servientes episcopi devastaverant in domo sua bona sua, quod illa traderet in scriptis, et sibi restituere[n]tur.

Et de hiis sic factis et sententiatis per dominum regem, voluit et peciit tam dictus rector Universitatis pro ipsa Universitate, quam dictus dominus episcopus Parisiensis, sibi per me notarium publicum infrascriptum fieri publicum instrumentum, astantes in horum testimonium invocando.

Actum ut supra, presentibus dictis dominis astantibus cum domino rege et domino cardinali de Sancto Dyonisio[6], domino episcopo Laudunensi[7], Alano, serviente facultatis decretorum, Hymberto Burgundi, subbedello nationis Gallicane, et multis aliis ibidem presentibus testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Symon dictus Quinimo, clericus Tullensis dyocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, curieque Parisiensis juratus, *etc.*

Originale in Arch. Univers. Paris., theca IV, A. 21. p. — Jourdain, nº 636.

1. Orig. « vigore » — 2. De ipso vid. *Chartul.*, II, p. 642, not. 24. An. 1360, 8 Nov., receptus est canon. eccl. Paris. Vid. Arch. nat. Paris. LL. 106ª, p. 297. — 3. Julianus de Muris circa diem 24 mensis Martii, ultimam diem legibilem ante Annuntiationem dominicam, rectoratu exierat, et ejus vices novus rector exceperat Johannes de Remis. — 4. Or. · « fuit dictum ». — 5. Commissarius officialis Paris. Vid. *Auctarium Chartul Univers*, *Liber procurat.* ad an. 1351, Martii 7. — 6. Aegydio Rigaud, abbate S. Dionysii, card. tit. S. Praxedis ab an. 1350, Decemb. 17 (Contelori). — 7. Hugone d'Arci, consiliario regis Philippi, episc. Laudun. ab an. 1341, sed an. 1351, Octob. 24, translato ad sed. Remens. (Vid. *Chartul.*, II, p. 564, not. 2).

1197. *Decretum facultatis medicinae Paris. de stipendiis debitis mag. Adae de Francovilla, qui in curia Romana in gratiam facultatis, praesertim contra illicite practicantes, laborabat.*

1350-1351, Aprilis 2, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis omnes et singuli magistri actu regentes Parisius in facultate medicine, salutem in Domino. Notum facimus quod cum nos pro quibusdam nostris arduis negotiis venerabilem virum et discretum magistrum Adam de Francovilla[1], nostre facultatis decanum, ad curiam Romanam destinaverimus, eidem certum temporis terminum ad predicta negotia in curia Romana prosequenda prefigentes, infra quem eadem negotia nostra per ipsum (licet diligenter et fideliter, prout nobis constat, fuerint prosequta) finem non potuerunt sortiri peroptatum, immo laboribus et expensis ac temporis dilatione ulterioribus indigentes : nolentes dictum magistrum Adam in hac parte

suis propriis stipendiis militare, cujus licet laboribus et dampnis satisfacere nequ[e]amus competenter, saltem in expensis ipsum pro posse relevare cupientes, de communi consensu omnium ordinavimus, deliberavimus et ordinamus per presentes, quod prefatus magister Adam habebit a quolibet magistro in rotulo supplicationum scripto et signato, ultra summam eidem promissam in ejus recessu ad curiam, unum florenum ad scutum; et ut articulum de illicite practicantibus signari diligentius procuret, de pecunia communi facultatis nostre quindecim scuta, dum tamen in Romana curia ultra terminum sibi primo cum aliis nunciis Universitatis prefixum moram faciat, quousque dicte nostre supplicationes per ipsum bene et utiliter cum nostris *non obstantibus* formate et articuli omnes, presertim predictus articulus de illicite practicantibus, pro quibus extitit destinatus, per dominum nostrum papam fuerint signati et per ipsum in Romana curia in tuto et certo loco positi, per copiam eorum nos diligenter informando, aut, quod absit, si predicta signanda per dominum nostrum papam recusarentur, de diligentia ad hoc per ipsum adhibita et mora competente, sic[ut] alii nuncii, in ejus adventum fidem nobis faciat certiorem, si predicta quindecim scuta habere voluerit. Et ad majorem roboris firmitatem omnes et singulos libros facultatis nostre ac etiam et communia omnia et singula jocalia et bona mobilia ejusdem facultatis eidem magistro Ade obligavimus et obligamus per presentes, et penes ipsum magistrum Adam obligata remanere volumus, quousque de premissis quindecim florenis eidem vel ejus certo mandato erit plenarie satisfactum. Insuper eidem promittentes, illum vel illos signatos, qui ad solutionem predictorum scutorum singulariter eidem concessorum rebelles extiterint, per dictam facultatem ad solvendum compelli. In cujus rei testimonium sigillum predicte facultatis nostre presentibus litteris duximus apponendum. Datum Parisius, secunda die Aprilis, hora prime Sancti Jacobi apud Sanctum Maturinum in nostra congregatione facultatis post missam nostram, presentibus magistris Johanne de Cossiaco[2], Gerardo de Sancto Desiderio[3], Johanne Savarici[4], Nicholao Fabri[5], Johanne[6] de Autisiodoro, et pluribus aliis ad hec per juramenta vocatis et congregatis.

Arch. nat. Paris. MM. 266, p. 161, sub inscriptione : « circa 1350 »; verisimiliter recte, licet in *Chartul.*, II, nº 1138 ultimo de illicite practicantibus an. 1347 ageretur. Certum est e Supplic. Clement., an. 8, p. 1, fol. 28, Adam an. 1350 (Martii 23) decanum facultatis medicinae fuisse, ut et supra significatur, et sic documentum fortasse ad an. 1350 pertinet E *libro procurat. nat. Angl.* (vid. *Auctarium Chartul. Univers.*, I) scimus, nuntios Univers. an. 1349, Sept. 26, in curia fuisse. Sed altera parte ibid. rotuli ad papam mittendi an. 1350, Aug.-Septemb., mentio fit, quo casu documentum ad an. 1351 pertineret. Vid. praeterea infra ad an. 1352, Decemb., nº 1211.

1. Vid. *Chartul.*, II, *Indicem.* — 2. I. e. Cussiaco. — 3. Vid. *Chartul.*, II, 500, 630. — 4. Ms. « Fimarici ». De Johanne Savarici vid. *Chartul.*, II, 630, ubi e Reg. « Savarici », sicut scribi debet contra mss. citat. infra nis 1213 et 1230. — 5. Vid. *Chartul.*, II, 630. — 6. I. e. Berthelelli.

1198. *Clemens VI Bernardo de Pacterio, Ord. fratrum Minorum provinciae Tusciae, Pastore tit. Sanctorum Marcellini et Petri presb. cardinale et Guillelmo Farinerii, ministro generali, necnon provinciali provinciae Franciae dicti Ordinis, asserentibus Bernardum octo annis generalibus theologiae studiis dicti Ordinis ut lectorem principalem legendo vacasse, concedit ut idem in aestate praesenti tempore vacationum Sententias in studio Parisiensi ut baccalareus legere valeat, maxime cum in conventu Parisiensi fratrum dicti Ordinis tanta baccalareorum penuria esse dicatur, quod nullus est in eo nisi dumtaxat ille qui actu legit ibidem, sicque frequenter accidat quod dictus conventus, nullo in eo formato baccalareo remanente, ad exercendos actus scolasticos et disputationes magistrorum insufficiens noscatur remanere.* Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. v kal. Junii, anno decimo. « Viri sacre lectionis ».

1351, Maii 28, apud Villamnovam.

Reg. Vat. Comm. Clementis VI, nº 209, fol. 3, ep. 1. — An. 1352, Novemb. 20, idem pontifex cancellario Paris. injungit, ut Bernardum dictum de Pisis, qui Sententias Parisiis jam legit, ad honorem magisterii in theologia promoveat. « Sicut debetur » (Reg. Comm. Clement. VI, nº 213, fol. 317[b]).

1198[a]. *Clemens VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi pro Roberto de Bretevilla, fratre Ord. Eremit. S. Augustini, quia, si juxta statuta et ordinationes studii Parisiensis oporteat ipsum suum gradum et ordinem exspectare, honor hujusmodi non modicum differetur. Quare promoveatur ad honorem magisterii in theologia de benignitate apostolica, si ex dispositione magistrorum in eadem theologia dicti studii idoneus esse repertus fuerit.* Dat. Avinione vij id. Julii, anno decimo. « Sicut debetur ».

1351, Julii 9, Avenione.

Reg. Vat. Comm. Clementis VI, nº 211, fol. 129. — Secret. Clementis VI, nº 145, fol. 22. — An. 1365, Sept. 2-5, Rob. de « Betevilla » nominatus est episc. Bretenoriens. (Forlimpopuli) ab Urbano V (Reg. Aven., vol. X, fol. 111[b]). Torelli, *Sec. Agost.*, VI, 76, eum falso nominat de « Rotvilla », Ughelli et Gams « de Resinelli », ubi perperam ad an. 1360.

1199. *Johannes de Sancto Martino, Ord. Carmel., petit, ut magistretur in theologia.*

1351, Octobris 1.

Significat sanctitati vestre humilis et devotus orator vester frater Johannes de Sancto Martino, lector in theologia, Ordinis fratrum beate Marie de Monte Carmeli, quod non obstante quod per sanctitatem vestram secum fuerit dispensatum ut, non obstante quod alterius fuerit religionis professus, quod hoc anno Parisius in domo predicti Ordinis legeret Sententias et tempore debito magistraretur in facultate theologie, et nichilominus propter rasuram contentam in litteris apostolicis super hoc confectis magistri dicte facultatis ipsum ad dictam lectionem non admiserunt. Verum quia alter loco sui per ordinem legit de facto, non posset ad dictam lecturam sine magno dispendio et litigio attingere, supplicat sanctitati vestre quatenus ipse de gratia vestra speciali ad gradum magisterii dicte facultatis ascendere possit in curia vel alibi si ad dictum gradum fuerit ydoneus repertus per commissarium vel commissarios sibi super hoc a sanctitate vestra deputandos, non obstante quod dictam lecturam non fecerit, etiam constitutionibus et statutis vel consuetudinibus dicti Ordinis in contrarium editis non obstantibus, et quod possit gaudere infra Ordinem omni

privilegio, exemptione et gratia magistris Parisius in dicto Ordine concessis et consuetis; et quod sibi provideatur ab Ordine sicut magistro Parisiensi dicti Ordinis fieri est consuetum, non obstante constitutione facta in contrarium in Capitulo generali dicti Ordinis anno Domini M°CCC^{mo}LI°, in festo Penthecostes Tholose celebrato. — Fiat per cardinalem Sanctorum Marcellini et Petri, vocatis magistris de quibus videbitur. R. — Et quod transeat sine alia lectione. — Fiat. R. — Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. kal. Octobris, anno decimo.

Reg. Vat. Suppl. Clement. VI, an. 10, fol. 150^b. — Exstat de hoc mandatum apostolicum ejusdem temporis notae directum ad Pastorem, SS. Marcellini et Petri presb. card., in quo etiam litterarum apostol. an. 1346, Octob. 25 (vid. *Chartul.*, II, n° 1135) mentio fit (« Religionis meretur », Reg. Comm., n° 211, fol. 154). Ibid. Clemens VI scribit, Johannem ad Ordinem Carmelit. de Ordine fratrum Minorum, quem professus fuerat, legitime transiisse, et haec verba in prioribus litteris cancellariae apostolicae « in rasura » scripta fuisse. Magistretur, quanquam « lecturam Biblie et Sententiarum non fecit ».

1200. *Johannes, rex Francorum, occasione cujusdam duelli, declarat Pratum Clericorum ad Universitatem Paris. pertinere.*

1351, Decembris 9, Parisiis.

Johannes Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis presentibus et futuris, quod cum ex ordinacione et precepto seu voluntate nostris pro duello sive bello, quod inter dilectum et fidelem nostrum dominum de Garanceriis militem ex una parte, et Richardum Totessan de Anglia militem ex altera, concordatum exstitit coram nobis fieri exequendo vel agendo [1], facta sit hiis diebus quedam clausura lignorum seu repagulorum prope abbatiam S. Germani de Pratis juxta Parisius, in prato videlicet quod Pratum clericorum vulgariter nuncupatur, quod quidem pratum dilecti nostri rector et universitas scolarium Paris. dicunt et asserunt admortizatum esse et tanquam rem perpetuam et admortizatam ad eosdem rectorem et scolares universaliter pertinere, intencionis nostre non fuit nec adhuc est quod propter dictam clausuram ibi factam vel actionem seu execucionem duelli sive belli hujusmodi ibidem, ut predictum est, peragendi vel aliquibus aliis que ob hoc ibi fieri contigerit vel contingat ista vice, dicte Universitati seu rectori vel scolaribus ejusdem seu juri eorum, quod habent vel habere se pretendunt in prato predicto, prejudicium aliquod generetur, imo jus suum integrum et illesum in omnibus, non obstantibus predictis, volumus perpetuo remanere. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, nostrum sigillum presentibus litteris duximus apponendum, nostro et alio in omnibus jure salvo. Datum Parisius ix die Decembris, anno Domini millesimo CCC quinquagesimo primo. *Per regem*,

BLANCHET.

Arch. nat. Paris. JJ. 81, fol. 38, n° 74.

1. Apud *Les grand. chron. de France*, ed. P. Paris, VI, 6, narratur, quod an. 1352, Decemb. 4, « se dut combatre à Paris un duc d'Allemaigne appelé le duc de Bresvic contre le duc de Lenclastre, pour paroles que ledit duc de Lenclastre devoit avoir dites dudit duc de Bresvic, dont il l'appela en la court de France ». Duellum fiebat etiam « au Pré-aux-Clercs », et fuit « l'Allemant demandeur, et l'Anglois deffendeur ». De simili duello supra agi videtur.

2.

1201. *Errores a Simone revocati in Universitate Parisiensi.*

An. 1351, Parisiis.

Anno Domini M°CCC51. Quia ego Symon respondendo in vesperis, declarando vel exponendo terminos questionis, quasi dixi, quod hoc nomen « Jhesus » dictum de Deo accidentaliter vel ex parte significat filium Dei, qui assumpsit naturam humanam, ponendo conclusiones posui pro prima conclusione, quod hec propositio est possibilis : « Jhesus non est Deus », et probavi ex eo quod assumpta humanitate per possibile deposita hec est vera : « Jhesus non est Deus », et intuli primo, quod hec est possibilis : « Jhesus potest non esse Deus »; secundo, quod « Jhesus potest esse et non esse Jhesus ». Expositionem et significationem nominis « Jhesus » revoco[1] sicut insufficientem et falsificantem conclusionem et corollarium primum. Posito namque quod hoc nomen « Jhesus » significat, quod significat hec oratio « Filius Dei[2] qui assumpsit naturam humanam », hec : « Jhesus non est Deus », non est possibilis, sicut nec ista : « Filius Dei qui assumpsit naturam humanam, non est Deus ». Item eadem posita, hec : « Jhesus potest esse et non esse Deus », falsa est, sicut illa : « Filius Dei qui assumpsit naturam humanam, potest esse et non esse filius Dei, qui assumpsit naturam humanam. » Illam conclusionem revoco sicut hereticam, stante dicta expositione.

Item post secundam conclusionem intuli primum corollarium, quod Jhesus[3] potest non esse Deus. Secundum : quod Jhesus non potest desinere esse Deus. Corollaria non fuerunt ponenda sine distinctione. Itaque expono ea et dico, quod si terminus subjectus « Jhesus » stet pro simplici persona, que dicitur Jhesus, corollaria sunt catholice concedenda; si vero idem terminus Jhesus stet pro vero Christo, ex persona Verbi et humanitate constituto, videlicet pro implicito, quod significat, et pro quo[4] stat in dicto prime conclusionis et in dicto primi corollarii ex conclusione prima illati, ipsa corollaria non sunt catholica sed falsa, nec etiam stant cum conclusione prima, nec cum corollario primo, ex conclusione prima illato.

Item posui conclusionem secundam, quod nulla res, que est Deus[5], potest non esse Deus, et intuli corollarium tertium, quod nulla res est aut esse potest, que modo non sit Deus et possit aliquando esse Deus; corollarium quoque quartum, quod nulla res est aut esse potest que possit incipere esse Deus. Conclusionem universaliter sic intellectam, quod terminus subjectus distribuatur etiam pro re que per communicationem ydiomatum est vel potest esse Deus, revoco sicut falsam, erroneam, hereticam. Corollaria etiam in tali universalitate intellecta, reputo sicut falsa, heretica et erronea.

Item posui conclusionem tertiam, quod Deus potest aliqualiter se habere, qualiter non se habet, ac etiam esse aliqualis, qualis non est. Et ad probandum hoc induxi pro exemplo, quod Deus pater potest esse homo et non esse homo. Conclusio, ut posita fuit, non bene sonat, in eo quod ratione relativi reciproci sonat, quod substantie Dei de novo possit

advenire habitudo aliqualiter realis; et ideo intellectus, quem[6] habui, potius fuit exprimendus in hiis verbis : Aliqua creatura se posset aliqualiter habere ad Deum, qualiter non se habet. Exemplum etiam ad conclusionem non convenit, quoniam adhuc posito quod Deus pater potest esse homo et non esse homo, proprie hoc[7] sequitur, quod Deus potest esse aliquid, quod non est, — arguitur ex decretali, *extra, de hereticis*, c. *cum Christus* [V, cap. 7][8], — et non sequitur proprie, quod Deus pater possit esse aliqualis, qualis non est, aut aliqualiter se habere, qualiter non se habet.

Ex conclusione tertia intuli tertium corollarium, quod quamvis Jhesus fuerit ab eterno semper patri coequalis, tamen aliquando fuit Deus, quando non fuit Jhesus. Istud corollarium « aliquando Jhesus erat Deus, quando Jhesus non erat[9] », male et erronee sonat.

Item ex conclusione quarta intuli quartum corollarium, quod filius Dei, quando incipiebat esse filius Virginis, non incipiebat esse aliquid. Istud corollarium, prout indistincte positum fuit, revoco sicut erroneum et hereticum, quoniam filius Dei, quando incipiebat esse filius Virginis, incipiebat esse aliquid secundum quod homo, et incipiebat esse aliquid quod prius non erat.

Ex conclusione quinta intuli corollarium ultimum, quod nunquam hic homo illo demonstrato qui est Christus, fiebat Christus. Et probavi [ex] eo quod nec purus homo fiebat Christus, nec homo Christus fiebat Christus. Corollarium istud prout indistincte fuit positum, revoco sicut falsum et erroneum, quoniam in sensu quo homo demonstratus staret pro filio Dei, concedendum est, quod hic homo aliquando fiebat Christus, quoniam filius Dei, qui nunc est homo, aliquando fiebat homo, dicente Evangelio : « Verbum caro factum est[10] ».

Bibl. Autissiod. ms. 243 (antea 206), fol. 85 b. Bibl. Amplon., in Fol., n° 179, f. 115. — Ad calcem edd. *Sentent.* Petri Lombardi, v. g. ed. 1516. D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 370. In *Bibl. max. pat.*, XXVI, 486, e qua, seu potius e *Bibl. magn. pat.*, IV, Bulaeus, IV, 322; textus mendis scatet. — Quisnam fuerit iste Simon, nescimus. Fortasse idem est ac Simon de Brossa, Ord. Clun., qui an. 1351 magisterium in theologia recipere debuit, ut e litteris Clem. VI, an. 1350, Nov. 16, liquet (vid. supra n° 1194), ut jam in *Chartul.*, II, p. 655, not. 17, observavimus, proindeque hoc anno suas vesperias habuit.

1. Om. Autiss. — 2. Amplon. hic corruptus. — 3. Mss. add. « non ». — 4. Aut. add. « non ». — 5. Aut. add. « non ». — 6. Autissiod. om. « quem habui », et ponit « qui ». — 7. Autiss. add. « non ». — 8. Nemo audeat dicere, Christum non esse aliquid secundum quod homo. — 9. Sic recte Autissiod. Amplon. ut edd. — 10 *Joh.*, I, 14.

1202. *Statutum nationis Picardicae de distributionibus solvendis in diebus solennibus.*

1351-1352, Januar. 20, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis, omnes et singuli magistri nationis Picardice regentes Parisius in artium facultate, salutem in filio Virginis gloriose. Ad majorem Deo et Virgini ejus genitrici Marie reverentiam in divinis officiis exhibendam, nos ad statuendum vocati solenniter apud Sanctum Julianum Pauperem Parisius et ibidem congregati, statuimus concorditer in hunc modum, quod decetero misse et vespere in festis predicte

Dei genitricis, sancti Nicolai et beate Catharine solenniter cantabuntur cum diacono et subdiacono ac choristis vestitis apparatibus consuetis. Quodque magistri regentes, qui in missa intererunt, sex denarios recipient quilibet in distributionibus, et in vesperis quatuor denarios; predicti vero diaconus, subdiaconus ac choriste, procurator dicte nationis et receptor distributiones pro suis laboribus duplices obtinebunt. In quorum testimonium sigillum nostrum duximus presentibus apponendum. Dat. Parisius anno Domini millesimo CCCLI, die 20 mensis Januarii.

Bulaeus, IV, 324, ex libro procuratorum nationis Picardicae.

1203. *Clemens VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi pro Austencio de Sancta Columba*[1], *Ord. fratrum Minorum, in sacra theologia baccalareo, qui librum Sententiarum nunc Parisiis actu legit; si, finito cursu lectionis dicti libri, idoneus esse repertus fuerit, ei magistralis honor et docendi licentia concedatur.* Dat. Avinione ij kal. Aprilis, anno decimo. « Sicut debetur ».

1352, Martii 31, Avenione.

Reg Vat. Comm Clementis VI, nº 209, fol. 99ᵇ, ep. 462. — Wadding, *Ann. Min.*, tom. VIII, p. 427, nº 113, e quo Bulaeus, IV, 325. Sbaralea, *Suppl. ad Script.*, p. 100, eum vocat Ascensium.

1. An. 1361, Sept. 24, factus est episc. Sarlatensis (Reg. Aven. Innoc. VI, vol. XXVI, fol. 62).

1204. *Statutum Capituli generalis Ord. Cluniac. de scholaribus insufficientibus in domo Paris.*

1352, Aprilis 29, Cluniaci.

Summe displicet altissimo creatori, cui semper placet et placuit omne bonum, quando culpabiliter amittitur et perditur fructus ad publicum et necessarium commodum ordinatus, qui fructus ex viris scientificis sicut necessarium est omnibus, oritur et procedit, cum per suam scienciam alios dirigant et seipsos in divinis actibus et humanis, et ad finem quod hic habeant divinam gratiam et humanam, et finaliter gloriam sempiternam. Quamvis igitur in domo Cluniacensi pro scolaribus Ordinis Parisius ordinata pro nunc sint aliqui, licet pauci, de sciencia non immerito commendandi, fuerint tamen quamplures temporibus preteritis, et adhuc sunt, ut dicitur, ibidem qui nec in sciencia profecerunt nec adhuc proficiunt, sed consumpserunt indebite pensiones Ordinis et consumunt, et quod est deterius, eorum aliqui sic in suis actibus se recxerunt quod ex hoc totus Ordo Cluniacensis fuit enormiter diffamatus : ad finem igitur quod super hoc conveniens et utile remedium facilius apponatur, diffiniunt diffinitores quod dominus abbas, ut brevius poterit, visitet domum illam vel hoc personis ydoneis et sufficientibus committat, et ibidem retineat retinendos, videlicet utiles et ydoneos ad acquirendam et obtinuendam sciencie margaritam, illos vero qui non proficiunt nec profecerunt, de domo predicta removeat et expellat et alios aliosque eorum loco sufficientes et ydoneos per eos ad quos pertinet subrogentur, et, sicut

consueverunt alias, futuris temporibus quando vacabit pensio, ordinent et ordinari valeant de scolari, non enim videtur quod per priores posset predicto deffectui singulariter, sicut esset et est necessarium, obviari. Justum eciam est ut in aliquo puniantur, qui predictos minus ydoneos assumpserunt.

Bibl nat. Paris. ms. lat., nouv. acq., 2263, fol. 89, sub rubr. · « Diffinicio anni MCCC quinquagesimi secundi ».

1205. *Johannes, Francorum rex, praecipit ut in villa et vicecomitatu Paris. nullus artem chirurgicam exerceat, nisi per magistros chirurgicos juratos Parisiis morantes, vocatos per Petrum Fromondi*[1] *et Robertum de Lingonis*[2], *chirurgicos regis juratos, examinatus fuerit et licentiam operandi in praedicta arte obtinuerit*[3]. Dat. Parisius anno Domini milles. CCC quinquagesimo secundo, mense Aprili. « Ex fidedignorum »

1352, mense Aprili, Parisiis.

Arch. nat. Paris. JJ. 81, n° 209, fol 115[b]. Livre rouge vieux de Chastelet, ibid., Y, 2, fol. 46. — *Ordonn. des rois de France*, II, 496; *Statuts, privil. et reglemens du college de Chirurgie* (Paris, 1743), p. 57. — Ordinatio omnino eadem est atque illa Philippi IV an. 1311 in *Chart.*, II, n° 692, mutatis nominibus

1. Mentio fit ejusdem « La cirurgie maistre Pierre Fromont » apud Delisle, *Cab. des mss.*, III, 152, n° 829. An. 1376, Januarii 11, quidam Johannes Fromondi, art et medic. mag., canon. Metensis, affertur (Reg. Greg. XI, n° 287, fol. 60[b]). — 2. An. 1369, Septemb. 25, ipse cum Raymundo de Nocla erat chirurgicus regis juratus, ut apparet e lite inter ipsos et procuratorem regis pro mag. Joh. Drouardi, chirurg., in Arch. nat. Paris X[2a] (*Crim.*), 8, fol. 136[b]. — 3 An. 1356, Febr. 25, statutum fuit, praepositum chirurgicorum Paris. etiam examini adesse debere. Vid. infra.

1206. *Clemens VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi pro Guillelmo Romani*[1], *Ord. fratrum Praedicatorum de provincia Franciae, qui per multos annos Aurelianis et locis aliis sacrae theologiae lector fuit. Cum in conventu Parisiensi dicti Ordinis tanta sit baccalareorum penuria ut nullus sit in conventu nisi qui actu legit, et frequenter accidat quod dictus conventus, nullo in eo formato baccalareo remanente ad exercendos actus scholasticos et disputationes magistrorum, non sufficiat bono modo, Johanne*[2] *tituli Sanctae Sabinae presbytero cardinale pro Guillelmo supplicante, concedatur Guillelmo ut in proxima futura aestate vacationum tempore Sententias in studio Parisiensi ut baccalareus legere valeat.* Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis iiij non. Maii, anno decimo. « Illorum desideriis ».

1352, Maii 4, apud Villamnovam.

Reg. Vat. Comm. Clementis VI, an. 10, n° 209, fol. 144, ep. 637.

1. An. 1355 factus est Parisiis mag. in theologia (vid. *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, II, 225, n° 144; secundum Quétif-Échard, *Script. Ord. Praed.*, I, 664, an. 1361, mag. s. palatii, quamvis an. 1363, Maii 24, cum ab Urbano V mandatum receperit magisterium concedendi Andreae de Turre, ejusd. Ord., qui Parisiis studuit, et in convent. Avenion., Januens., Bononiens. legit, solum mag. in theologia nominetur; — Reg. Aven. Urb. V, vol. VI. fol. 717[b]). An. 1366, Sept. 24, « pro dono speciali sibi facto per dom. nost. papam » ei dati fuerunt xx flor. cam., xxiiij sol. (Arch. Vat., *Intr. et exit.*, n° 318, fol. 103[b]). — 2. De Molendinis, de quo *Chartul.*, II, *Indic.*

1207. *Clemens VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi ut permittat Egidium de Medonta*[1], *de civitate Parisiensi oriundum, Ord. Eremitarum S. Augustini, qui per decennium studio sacrae theologiae vacando lector fuit sex annis continuis in studio generali, in proxima futura aestate vacationum tempore Sententias in studio Parisiensi ut baccalareum legere, ipsumque per magistros facultatis ejusdem studii in baccalareum in ipso studio recipi, et ut baccalareum inibi Sententias lecturum, in omnibus pertractari ac gratiis, privilegiis, honoribus, immunitatibus baccalareis ordinarie legentibus indultis uti libere et gaudere faciat.* Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis iij id. Maii, anno decimo. « Illorum desideriis ».

1352, Maii 13, apud Villamnovam.

Reg. Vat. Comm. Clementis VI, nº 211, fol. 186ᵇ.

1. Ipse est fortasse ille « Guido » Ord. Eremit. S. Aug., qui an. 1354, Maii 16, quasdam propositiones revocare coactus est. Vid. infra nº 1218. Sententias legit quidem an. 1353, sed lectura absoluta fiebant disputationes.

1208. *Clemens VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi pro Jacobo Carbonelli de Tholosa, Ord. Eremit. S. Augustini professore, in sacra theologia baccalareo, qui actu in Avenionensi studio baccalareus fore dignoscitur, ut ad legendum in Parisiensi studio Sententiarum libros admittatur aestivali tempore, si sufficiens inventus fuerit.* Dat. Avinione vij kal. Julii, anno undecimo. « Viri sacre ».

1352, Junii 25, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VI, vol. LXV, fol. 567.

1209. *Remigius de Florentia petit ut Hugolinus de Urbeveteri magisterium in theologia recipiat.*

1352, Julii 11, Avenione.

Supplicat sanctitati vestre humilis creatura vestra frater Remegius de Florentia[1], episcopus Comaclensis, quatenus sibi in personam dilecti sui fratris Hugolini de Urbeveteri, fratrum Heremitarum Ordinis S. Augustini, qui ordinarie Parisius legit Sententias et est per suum Ordinem bacalarius ad magisterium presentatus, magne literature et probate vite, specialem gratiam facientes scribere et mandare dignemini cancellario Parisiensi, ut dictum fratrem Hugolinum licenciet et expediat ad magisterium in theologia infra unum mensem a receptione literarum vestrarum.... — Fiat, si sit sufficiens. R. — Et quod transeat sine alia lectione. — Fiat. R. — Datum Avinione v id. Julii, anno undecimo.

Reg. Vat. Suppl. Clement VI, an. 11, fol. 61. — Mandatum apostolicum ad cancellarium Paris. directum sub eadem temporis nota exstat in Reg. Aven. Clement. VI, vol. LXV, fol. 566. « Sicut debetur ».

1. De Remigio de Florentia cf. *Chartul. Univers.*, II, in *Indice;* item de celebri theologo Hugolino Malabranca, ibid.

1210. *Clemens VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi ut Armandum Mayrani*[1], *presb. Sancti Flori dioecesis, qui in studio Parisiensi in theologia actu legit, si per ipsum ex depositione magistrorum theologiae sufficiens repertus fuerit, ad magisterium promoveat.* Dat. Avinione vj. kal. Septembris, anno undecimo. « Sicut debetur ».

1352, Augusti 27, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VI, vol. LXV, fol. 544.

1. An. 1354, Septemb. 6, jam fuit mag. in theol. Vid. infra nº 1227. An. 1355, Sept. 21, ipse « mag. in theol. et in

art. », fuit nuntius Univers. Paris. ad curiam Rom., et petit beneficium in dioec. S. Flori (Suppl. Innoc. VI, an. 3, p. 3, fol. 211 b). Vid. infra n[is] 1223, 1227.

1211. *Ordinatio Johannis, regis Francorum, de administrandis medicamentis in villa et suburbiis Paris.*

1352, mense Decembri, Parisiis.

Johannes Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis presentibus pariter et futuris, quod audita supplici insinuacione decani et magistrorum facultatis medicine Universitatis Parisiensis, asserencium quod quamplurimi utriusque sexus mulieresque alique et vetule, conversi, rustici, nonnullique apothecarii et herbarii quamplures, insuper scolares in medicine fac. nondum docti, aut aliunde venientes ad villam Paris. gratia praticandi, ignari scientie medicine ignorantesque complexiones hominum, tempus ac modum ministrandi ac virtutes medicinarum, potissime laxativarum, in quibus jacet mortis periculum, si ipsas contigerit indebite ministrari[1], ipsas medicinas etiam alterantes, omnino contra rationem et artem medicine, flebotomias et[2] clisteria multum laxativa et alia eis illicita, in civitate, villa et suburbiis Paris. ministrant, tradunt et consulunt ministrare, nullis penitus medicis cum eis vocatis, que cedunt in nostri populi scandalum, corporumque et animarum grande periculum, etiam in dictorum supplicantium, scientie medicine et expertorum in ea irrisionem, prejudicium et gravamen. Ex quibus etiam administrationibus indebitis homicidia et abortus clandestine alicubi, et palam quandoque, insecuntur. Quapropter dicti insinuantes, nequeuntes premissa amplius salvis eorum conscientiis tolerare, nec sub dissimulatione transire, nobis humiliter supplicarunt, ut de debito et perpetuo remedio dignaremur super hoc providere. Nos igitur tam dampnande injectioni presumptionique seu fatue audacie imperitorum ministrancium obviare et utilitati publice subditorum competentibus remediis salubriter providere volentes, statuimus et ordinamus ex nostra auctoritate regia et potestatis plenitudine per presentes perpetuo valituras, quod nullus, cujuscumque sexus vel conditionis existat, in predictis civitate, villa et suburbiis Parisiens. aliquam medicinam alterativam, (medicinamque) laxativam, sirupum, electuarium, pilulas laxativas, clisteria qualiacumque, propter timorem mortis, ex fluxu vel malis sinthomatibus pregravativis, in quibus non est verisimile eos prefatos scire remedium adhibere[3], oppiatam seu quamcumque aliam decetero faciat seu fieri consulat ministrareve audeat medicinam, vel medicinale consilium prebere, aut alias officium medici exerceat qualitercumque, cum ad expertos et edoctos operando per certum in humano corpore et non alios spectat exhibitio predictorum, nisi in dicta scientia medicine Parisius vel alibi in generali studio magister vel licenciatus existat, vel nisi per consilium et directionem alicujus magistri vel alterius per dictam facultatem approbati ad praticandum illa medicina fuerit ordinata[4]. Et hec eis decernentes non licere ea ipsis omnibus et singulis interdicimus per presentes, dantes preposito nostro Parisius presenti et futuro, vel ejus locum tenenti, presentibus in mandatis,

quatenus presentem nostram ordinacionem et statutum, ac omnia et singula per nos superius ordinata, teneri faciat et inviolabiliter observari, ac contra facientes seu attemptantes contra aliquid premissorum ministrando, visitando vel alias quovismodo consulendo, corrigat, puniatque juxta culpe, inobedientie et commissi sceleris qualitatem ad emendas pecuniarias vel alias civiles, prout jus et ratio suadebunt. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, nostrum sigillum presentibus litteris duximus apponendum, salvo in aliis jure nostro et in omnibus alieno. Datum Parisius anno Domini millesimo CCC° quinquagesimo secundo, mense Decembris. *Per regem*, J. MELLON.

Arch. nat. Paris. Livre rouge vieux du Chastelet in Arch. nat Paris. Y 2, fol. 95[b] (antea 85[b]). Ibid., JJ. 81, n° 565, fol. 285; n° 850, fol. 449[b] (ea altera transcriptione cum Y consentiente). — *Ordonn. des rois de France*, II, 609. — Vid. *Chartul.*, II, n° 1001.

1. « si ... ministrari » om. JJ n° 565. — 2. « flebot. et » om. Y et JJ n° 850. — 3. « Qualiacumque ... adhibere » om. JJ 565. — 4. « vel nisi ... ordinata » om. JJ 565.

1212. *Innocentius VI Petro Dominici, Ord. Eremit. S. Augustini, legere librum Sententiarum in vacationum tempore permittit.*

1353, Januarii 16, Avenione.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. cancellario Parisiensi, *etc.* Laudabile testimonium quod dilecto Petro Dominici, Ord. fratrum Heremitarum sancti Augustini, apud nos de litterarum scientia.... perhibetur, exposcit, *etc.* Dudum siquidem fel. rec. Clementi pape VI, predecessori nostro, exposito quod in loco fratrum Ordinis Heremitarum sancti Augustini Parisiensi unus ex fratribus dicti Ordinis lector ad legendum librum Sententiarum anno quolibet deputabatur, prout dicitur deputari, et quod idem Petrus (qui secundum ordinationes majorum dicti Ordinis Parisius Bibliam et Tholose predictum librum Sententiarum hujusmodi legisse, ibidem disputando et ceteros alios actus scolasticos exercendo, et tunc in conventu fratrum dicti Ordinis Avinionensi bacalarius deputatus esse dicebatur), prout dicitur, sufficiens erat ad legendum eundem librum Sententiarum ipsarum, tibi tuo proprio nomine non expresso mandavit, ut eundem Petrum, si eum, sicut asserebatur, sufficientem et ydoneum ad legendum librum hujusmodi reperires, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ac privilegiis Ordinis predicti ac studii Parisiensis contrariis, juramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, ad legendum eundem librum Sententiarum hujusmodi in eodem conventu a festo beatorum Petri et Pauli apostolorum hujusmodi festum Apostolorum ipsorum proximo futurum immediate sequenti usque ad festum Nativitatis beate Marie Virginis extunc immediate sequens, dummodo pro hujusmodi tempore ad legendum hujusmodi librum in conventu predicto non esset aliquis deputatus, auctoritate apostolica deputares. Cum autem idem predecessor, non confectis super hujusmodi mandato apostolicis litteris, viam fuerit universe carnis ingressus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus

quatenus eundem Petrum, si eum, sicut premittitur, sufficientem et ydoneum esse repereris ad hujusmodi librum Sententiarum ipsarum legendum, auctoritate nostra in eodem conventu lectorem dicti libri, pro hujusmodi tempore in eodem conventu, dummodo in eo pro tempore ipso lector aliquis non fuerit, sicut predicitur, deputatus, auctoritate nostra deputare procures. Contradictores, *etc.* Non obstantibus, *etc.* Dat. Avinione xvij kal. Februarii, pontificatus nostri anno primo.

Reg. Vat. Aven. Innocentii V, vol. V, fol. 98 b. — In vol. VI (an. 2), fol. 408, eadem epistola falso ad annum secundum, xvij kal. Febr , ascribitur. — In eodem volumine VI. fol. 528, exstat alia Innocentii epistola (Johanni de Aciaco) cancellario Paris. missa, data Avinione ij non. Dec , anno secundo (1354, 4 Decemb.), qua eidem Petro conceditur licentia continuandi in eodem conventu lecturam Sententiarum, hora tertiarum, quando alii baccalarei librum ipsum hora prime legent. Cum enim, secundum mandatum apostolicum supra editum, Petrus Sententias legisset post festum Apostolorum Petri et Pauli, rector et Universitas Paris. omnes lecturas et actus scholasticos in eodem studio interdixerant; itaque Petrus lecturam perficere non potuerat, non suis demeritis, sed interdicto hujusmodi impeditus. De qua studiorum suspensione, vide infra nis 1220, 1223, ad an. 1354, Aug. 25, Sept 6.

1213. « *Rotulus magistrorum Universitatis Parisiensis.* »

1353, Maii 23.

Supplicat sanctitati vestre humiliter devotissima filia vestra universitas magistrorum Parisiens. quatenus eidem specialem gratiam facientes in personas magistrorum inferius nominandorum de beneficiis ecclesiasticis infrascriptis et vacantibus cum cura vel sine cura, prout in eorum supplicationibus infrascriptis continetur, dignemini misericorditer providere cum acceptatione, inhibitione, reservatione....

Primo Magistri in theologia [1].

Videlicet magistro Hellino de Duriaco Camerac. dioc. [de paroch. eccl. S. Sulpicii de Faveriis Paris. dioc.]

Item magistro Robberto de Corbeya, curato parrochialis ecclesie de Balneolis Sancti Eblandi Paris. dioc. [de par. eccl. B. Marie de Urseyo [2], Baiocen. dioc. [non obstante canonicatu et prebenda B. Mathei Folliacen.]

Item magistro Gilleberto Cossardi Rothomag. dioc. [de par. eccl. de Livarrot Lexovien. dioc.]

Item Christiano Guys Morinens. dioc. [de paroch. eccl. de Fonte Abbatis Ebroicen. dioc.]

Magistri in decretis.

Videlicet magistro Herberto de Sarcellis Sagiens. dioc. [de eccl. par. de Morsalinis Constant. dioc.]

Item magistro Guillelmo Pigasse presb., decretorum doctori, licentiato in legibus et magistro in artibus [de eccl. paroch. de Mardilleyo Lexovien. dioc.]

Magistri in medicina.

Videlicet Theobaldo de Attigniaco [3] magistro in artibus et medicina, Remen. dioc., ad pedes sanctitatis vestre per Universitatem Parisiensem ad presens nuntio destinato [de eccl. par. de Romara Rothomag. dioc.]

Item Bartholomeo Boneti magistro in artibus et medicina, Claromonten. dioc.

Magistri in facultate artium.

Videlicet Hugoni Tenoilleti de Castro Girardi, Lingonen. dioc. [de par. eccl. de Ventis aquosis Rothomag. dioc.]

Item Nicholao de Suessione presb., nuntio de natione Gallicorum, alias rectori dicte Universitatis [de eccl. par. de Mollibeco Constantien. dioc.]

Item Johanni de Bonnella, Ambian. dioc. [de eccl. par. S. Martini de O. Sagiens. dioc.]

Item Henrico Hologhe Mindensi presbytero, alias rectori dicte Universitatis [de eccl. par. de Euvilla dioc Sagien.]

Hec sunt beneficia que supranominati magistri tenentur dimittere dum eorum, que petunt, fuerint possessionem pacificam assecuti, de quibus infrascriptis pauperibus magistris supplicat eidem sanctitati vestre eadem Universitas ut dignetur misericorditer providere cum clausulis quibus supra oportunis.

Videlicet Johanni Savarici[4] magistro in medicina et in artibus, Claromonten. dioc. [de eccl. par. B. Marie de S. Richario Ambian. dioc.]

Item Gaufrido Vastinelli diacono, Rothomag. dioc. [de eccl. par. de Mesnillio Ogeri Baiocen. dioc.]

Item Guillelmo Fourrarii de Atrebato magistro in artibus [de par. eccl. de Biaumes Cameracen. dioc.]

Item Petro Torgne magistro in artibus, Lemovicen. dioc. [de par. eccl. de Nealphacastri, Carnoten. dioc.]

Item Johanni Episcopi magistro in artibus, Briocen. dioc. [de cantoria S. Clodoaldi Paris. dioc.]

Item Jacobo de Pavillione bedello dicte Universitatis [de eccl. par. de Balneolis Paris. dioc.]

Et quod transeat sine alia lectione. — Fiat. G. — Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. x kal. Junii, anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Innocentii VI, an. 1, p. 1, fol. 195. — Ubique additur Fiat. G.

1. Vid. de istis tom. II *Chartul*, *Indicem*. — 2. De hac parochia Robertus de Corbeia postea litigabat contra Johannem Buticularii, qui tenebat dictam ecclesiam, ad praesentationem abbatis et conventus monasterii montis b. Michaelis spectantem. Processum fuit coram curia regis. Vid. instrument. in Arch. nat Paris. X1a-15, fol. 364b, notatu dignum, cum in eo *usus et consuetudines ducatus* (*patriae*) *Normanniae* observati contra Robertum afferantur, quibus Robertus « privilegia, consuetudines et libertates Universitati magistrorum et scolarium Paris concessas et multo antiquiores quam privilegia (Normanniae) allegata » opponebat (an. 1354, 30 Maii). Robertus ecclesiam obtinuit, eamque an. 1363, Febr. 10, voluit dimittere pro praepositura Bethuniae Morin. dioec. (Suppl. Urb. V, an. 1, p. 3, fol 77) De Roberto plura infra ad an. 1365, Junii 14 — 3. An 1364, Junii 21, capitulo Paris. praesentavit litteras regias Johannis defuncti, ut haberet praebendam defuncti mag. Heliae de Corsone; sed illius mag. Nicholaus de Danvilla auctoritate apost. erat possessor, et mag. Johannes de Pacyaco auctoritate regia erat oppositor gratiae apostolicae (Arch. nat. Paris. LL. 106b, p. 513). — 4. Ms. · « Favarici ».

1214. *Rotulus quorumdam magistrorum Paris.*

1353, Maii 29.

Supplicat sanctitati vestre devota filia vestra Universitas Parisiensis quatenus sibi specialem gratiam facientes in personas infrascriptorum magistrorum de beneficiis ecclesiasticis infrascriptis in eorum supplicationibus contentis dignemini misericorditer providere cum inhibitione....

Primo magistro Johanni Ogeri de Sancto Medardo supra Montem dioc. Cathalaun. magistro in theologia, in artibus et medicina [de eccl. par. de Morfavilla Constantien. dioc.]

Item magistro Johanni Vavassoris magistro in theologia et in artibus, Rothomag. dioc. [de eccl. par. S. Macuti de Follevilla ejusd. dioc.]

Item magistro Johanni Raka magistro in artibus, Tornac. dioc. [de eccl. par. de Pratellis Cathalaun. dioc.]

Item magistro Johanni Guyrberti Ruthenens. dioc. magistro in artibus [de eccl. S. Jacobi de Ulteriori Portu dioc. Rothomag.]

Item magistro Petro de Fayaco Parisius oriundo, fratri domus sancte Katherine Parisius Ord. S. Augustini[1], magistro antiquo in sacra theologia [de eccl. par. S. Martini de Escopafour Baiocens. dioc.]

Et quod transeat sine alia lectione. — Fiat. G. — Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. iiij kal. Junii, anno primo.

Reg. Vat. Supplic. Innocentii VI, an. 1, p. 1, fol. 175. — Ubique additur : Fiat. G. — Paene omnia nomina jam in *Chartul.*, II.

1. I. e. Vallisscholarium.

1215. *Mandatum Johannis, regis Francorum, quo pharmacopolae Parisiorum suburbiorumque bis in anno, scilicet circa Pascha et festum Omnium Sanctorum, visitandi erunt a magistro dictae professionis cum duobus magistris in medicina; et si ordinationes regias violaverint, pharmacopolae a praeposito Paris. punientur.* « Savoir faisons à touz. » Donné à Paris, l'an de grace mil trois cens cinquante trois, ou moys d'Aoust.

1353, mense Augusti, Parisiis.

Arch. nat. Paris X 1a-8602, fol. 40b. — Fontanon, *Les édits et ordonnances des rois de France,* IV (vol. III), 448; *Ordonn. des rois de France*, II, p. 532; *Rec. gén. des anc. lois franç.* par Jourdan, Decrusy, Isambert, IV, 679; de Lespinasse, *Les métiers et corporations de la ville de Paris*, I, p. 504. — Notandum est hic regem quasdam ordinationes vetustas fac. med. Paris. confirmare (vid. t. II *Chartul.*, p. 268).

1216. *Innocentius VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi, petentibus Ludovico rege Hungariae ejusque matre Elizabeth et consorte Elizabeth (propter quod regnum ipsum viris litteratis et in sacra pagina eruditis plurimum noscitur indigere, praesertim cum in ipso regno nullus ad praesens in theologia magister maneat nisi Stephanus episcopus Nitriensis[1], qui etiam aliis frequenter occupatus negociis non sufficit), ut Nicolaus Nicholai, Ord. Eremit. S. Augustini, de regno Hungariae oriundus, lector in Parisiensi et etiam aliis studiis exercitatus, si idoneus repertus fuerit, omnibus privilegiis gaudeat quibus alii baccalarei Parisienses.* Dat. Avinione ij kal. Novembris, anno primo. « Sicut debetur ».

1353, Octobris 31, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Innoc. VI, an. 1, vol. V, fol. 177a. — In Reg. Supplic. Urbani V, tom. unic., an. 4, fol. 195, Stephanus episcopus Nitriensis, unicus mag. theol. in Hungaria, supplicat ut Petrus de Verebel, Ord. Eremit. S. Augustini, lector Paris., capellanus Ludovici regis Hungariae Elizabethque reginae, ad magisterium in theologia promoveatur. Quod Urbanus V concessit an. 1366, Jun. 12, fieri Avenione, si per examinationem Raymundi episcopi Forojuliensis et aliorum saltem quatuor magistrorum in civitate Avenionensi existentium sufficiens repertus fuerit (Reg. Aven. Urbani V, vol. XIV, fol. 226b).

1. Vid. de illo *Chartul. Univers.*, II, no 1114.

1217. *Innocentius VI Guillelmum de Exclusa, quondam a consortio facultatis artium privatum, ad famam pristinam restituit.*

1354, Maii 2, Avenione.

Dilecto filio Guillelmo de Exclusa, alias dicto de Planis, in sacra theologia et artibus magistro, salutem, *etc.* Litterarum scientia, *etc.* Sane pro parte tua nobis exhibita continebat quod tu olim in studio Parisiensi in facultate artium licenciam et magisterium successive recipiens, certa tunc statuta facultatis ejusdem, quatenus essent licita, ad quemcunque statum devenires imposterum, ut moris erat, servare jurasti, quibus proculdubio non credis nec recolis te postmodum obviasse; et quod deinde collato tibi in sacra pagina magistratus honore, ortaque quadam inter theologie ex una parte et artium predictarum magistros ex altera controversia super prepositione[1] rectoris Universitatis dicti studii Pari-

siensis, regentes in prefata artium facultate te cum quibusdam aliis doctoribus in eadem theologia sub pena juramenti predicti ad suam fecerunt presentiam evocari, et minus veraciter pretendentes quod tu cum aliis theologie magistris certa statuta tunc expressa in facultate theologie feceras, aut ea facientibus consilium et auxilium dederas in prejudicium ipsorum magistrorum et scolarium artium predictarum et propterea perjurium incurreras, tibi in eorum presentia constituto preceperunt ut super hoc peremptorie responderes, tuque bona fide existimans non teneri ad sic proposita respondere, presertim sine deliberandi spatio competenti, quod tibi per eos dari congrue petiisti, incontinenti non respondisti, ipsi regentes te cum aliis doctoribus et magistris ipsius sacre pagine taliter evocatis, de facto a suo consortio, libertatibus et privilegiis ut perjuros et infames, rebelles et inobedientes privaverunt et perpetuo separaverunt. Propter que magistri ipsius sacre pagine de studio supradicto ad sedem apostolicam appellarunt, cui appellationi tu etiam adhesisti, de qua appellatione adhuc non fuit plene discussum, tuque deinde archidiaconatum Vallisvirie in ecclesia Constantiensi tunc vacantem tibi collatum fuisti canonice assecutus. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum ut, licet tu nullam ex premissis perjurii vel aliam te credas maculam incurrisse, ad tuam tamen conscientiam serenandam providere tibi super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati, omnem infamie maculam seu notam, si quam ex premissis forsitan [incurristi], auctoritate apostolica penitus abolemus, teque ad famam pristinam restituimus, tecum nichilominus ut premissis et quibuscunque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, archidiaconatum predictum licite valeas retinere eadem auctoritate tenore presentium dispensamus. Nulli ergo, *etc.* Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. vj non. Maii, anno secundo.

Reg. Vat. Comm. Innocentii VI, an. 2, nº 226, fol. 204, ep. 178. — Cf. tom. II *Chartul.*, nº 1143.

1. Reg. · « propositione ».

1218. *Errores a Guidone (Aegidio de Medonta?) Ord. Eremit. revocati in Universitate Paris.*

1354, Maii 16, Parisiis.

Hoc[1] anno legendo et respondendo ambulavi in magnis et mirabilibus super me, verbum veritatis non recte tractando, sed verbis contendendo profanis et vaniloquis, que ad impietatem provocant et audientium subversionem. Ex quibus factus sum occasio scandali in sacratissima facultate et Ordine meo, quod michi displicet bono corde. Idcirco juxta piam et sanctam ordinationem domini cancellarii Parisiensis, ac ceterorum magistrorum reverendorum theologice facultatis, quorum correctioni et ordinationi me submisi et submitto, dicta mea et scripta volo revocare, et intentionem meam ostendere bonam, non obstantibus dictis et scriptis in forma que sequitur. Et licet, domini ac reverendi magistri, istas

conclusiones posuerim, non est intentionis mee, nec unquam fuit per Dei gratiam, eas sustinere pertinaciter.

Primo dixi istam conclusionem : « Caritas, que semel[2] labitur vel deperditur, nunquam fuit vera caritas. » Et eam probavi contra bachelarium Beate Marie de Carmelo. Hanc revoco tanquam falsam et hereticam, et quod etiam enervat effectum sacramentorum, scilicet baptismi et penitentie, et est contra decretum Ecclesie in cap. *Fidei*[3], *extra*, de Summa Trinitate[4] et fide catholica, in *Clement.* et etiam tamquam seipsam interimentem. Quod enim nullo modo vere est[5], nullimode deseri potest, ut ait Gratianus. Et presumptuose ponitur, quia eam dixi multum probabilem, et tamen est contra communem doctorum opinionem, scilicet magistri Sententiarum, Gratiani et plurimorum aliorum. Si que vero auctoritates Augustini vel aliorum[6] videantur dicere oppositum, intelligendum est de caritate finali, que manet in patria, de qua loquitur apostolus [I] Corinth. 13, [8] *Caritas nunquam excidit,* vel intelligendum est de caritate[7] secundum efficaciam, ut glossat magister.

2. Quod ex hoc intuli, quod prescitus in caritate existens non potest mereri vel elicere actum meritorium vite juxta scalam[8] vite nostre, revoco tanquam falsum et contumeliosum.

3. Dixi contra bachalarium Predicatorum conferendo cum ipso, quod homo meretur de condigno vitam eternam, ita quod si non daretur ei, sibi fieret injuria[9]. Et hanc probavi. Illam revoco tanquam falsam et hereticam et michi contradicentem in conclusione infra recitanda, que dicit : Totum est a Deo, ita quod nichil a voluntate.

4. Dixi in disputatione respondendo de *Quolibet*, quod si nullum esset liberum arbitrium, adhuc esset peccatum. Quam scripsi in hac forma[10] : Pono unum probabile : si nullum[11] esset intenti vel voliti, adhuc esset tanti mali vel meriti. Probatio fuit quod [si] nullum esset arbitrium, adhuc esset per ymaginacionem in Dei contuitu malum[12]. Hanc revoco tanquam falsam, erroneam, hereticam, scandalosam.

5. Dixi quod bonum meritum est a Deo, ita quod nichil est a voluntate. Quam in hac forma scripsi : Tantum meriti est ex quanto beneplaciti, non ex quanto intenti vel voliti[13]. Hanc reputo tanquam falsam, scandalosam et in fide suspectam, et michi contradicentem in tertia propositione superius revocata.

6. Dixi quod Deus potest aliquem necessitare preveniendo voluntatem ad bonum actum. Quam scripsi in hac forma : Deus quandoque ita prevenit voluntatem puri viatoris, quod nunquam potest in non actum meritorium. Probationes sunt : Aliter homo posset mutare divinum propositum; 2. homo posset facere Deum mendacem. Alia sententia probabilis est ista, quod Deus potest aliquem necessitare preveniendo voluntatem ad bonum actum. Hoc argumentum si sustineri potest, probationem tamen ad hanc scandalosam et suspectam in fide adduxi.

7. Dixi quod est dare plures unitates que non faciunt numerum. Quod revoco tanquam falsum, scandalosum et in fide suspectum quantum ad trinitatem in divinis.

8. Dixi et scripsi quod nulla creatura rationalis specialiter[14] est in se, nisi quia Deus

est sibi inesse. Ex[15] hoc intuli in eodem scripto, quod in omni eo quod non est Deus, essentialius est non-esse, quam ipsum esse. Has reputo falsas, fatue positas, manifeste erroneas.

9. Dixi et scripsi quod aliquid potest esse sine tempore in merito et peccato. Et probavi quod possibile est aliquid esse in instanti eternitatis in merito, et consequenter in instanti temporis in peccato, et iterato in instanti eternitatis in merito. Hanc revoco cum sua probatione tanquam falsam, fatue positam et inintelligibilem.

Bibl Autissiod ms. 243 (antea 206), fol. 85. Bibl Amplon., in Fol. nº 179, f 115 « Revocatio facta Parisius anno Domini M CCC 54º ». Ad calcem edit. *Sentent* Petri Lombardi, v. g. an 1516 « Forma et modus revocationis facta Parrhysius per fratrem Guidonem Ord. Heremit. S. Aug. actu legentis Parrhysius Sententias in scholis dicti Ordinis an. M CCC LIIII, xvj die mensis Maii ». Sic et in *Bibl. max. patr.*, XXVI, 486 (15 Maii), e qua seu potius *Bibl. magna patr.*, IV, Bulaeus, IV, 329, ubi tamen textus mendis scatet. Textus castigatior apud D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 373. — Quisnam fuerit iste Guido, nescimus. In catal. doctorum Eremit S. Aug. Parisiis (Arch. nat. Paris. S. 3640, fol. 49), caeterum incompleto, non apparet nomen Guidonis, utique tamen Aegidii de Medonta. Verisimiliter « Guido » est error scriptoris vel typographi loco v. « Egidio », sc. de Medonta, Ord. Eremit., de quo supra ad an. 1352, Maii 13, nº 1207. Hae propositiones a Guidone seu Aegidio minime revocatae fuerunt dum Sententias legebat (an 1353, in vacationibus), sed lectura absoluta, cum ejusdem liber manuscriptus jam in manibus magistrorum repertus, ipseque ut baccalareus formatus in disputationibus respondendo occupatus esset, anno scilicet 1354.

1. Quae sequuntur usque « pertinaciter », desunt in Autiss. et Amplon — 2. Autiss. · « solum ». — 3. Autiss. *Fideli*, edit. · « Fideliter » In c. *Fidei* agitur etiam de effectu baptismi. — 4. « et ... Gratianus » om. Amplon. — 5. Autiss. addit · « dicere ». — 6 Vid. auctoritates apud Gratianum in Decreto, *De poenit.*, d. 2. c 2-14. — 7. Autiss. : « veritate ». — 8. Autiss. « stellam ». — 9. Editiones et Ampl. addunt · « Et scripsi quod Deus faceret injuriam sibi ». — 10. Autiss. inserit e 6 errore · « Deus quandoque ita prevenit.... meritorium » — 11. Autiss. « est ». — 12. Omnes edit. hic dissonant. — 13. Falso edit. et D'Argentré · « tantum meriti est ex quanto beneplaciti, intenti et vòliti, non ex quanto ». — 14. Autiss. · « simpliciter ». — 15. Ampl. : « Et ».

1219. *Guillelmus Farinerii, minister generalis Ord. frat. Minorum, in Capitulo generali Assisii celebrato statuta promulgat de studiis in Ordine Min., praesertim Parisiis, regulandis.*

1354, Junii 1, Assisii.

Bibl Massil. ms. 1200, olim E. b. 379 (circa an. 1398), fol. 85, inter Constitutiones generales ejusdem ministri, fol. 70 : « Incipiunt Constitutiones generales .... Ord. frat. Min apud Assisium in Capitulo generali ibidem noviter celebrato per rev. patrem fr. Guillelmum ejusdem Ord. generalem ministrum an. Dom. mill trescent. quinquages. IIII ». — Florentiae, Bibl. nat. 484, G. 7 (saec XIV), Oxoniae, Bodl. Canon ms. 277 (an. 1384), Ambros. Z. 195, sup ; Lugduni, Bibl civ. nº 663, Senis, Bibl. civ. U. VI, 2; Cod. Vat. lat. 7694 (Vat. lat 9380, fol. 81, continet Constit. ante an. 1316, quamvis Guillelmo Farinerii ascriptas). — *Chronol. histor. legal. Seraph. Ord.*, I, 64 sqq. (p. 71). De Gubernatis, *Orbis seraph.*, III, 48 sqq. (p. 57). — Nihil novi afferunt haec statuta (vid. *Chartul.*, II, nº 580, et de Guillelmo Farinerii, nº 1083).

Notamus, baccalareos Sententias Parisiis lecturos debuisse anno praecedente lectionem eorum, antequam baccalarei alii in studio incipiant Sententias, illuc advenisse, « ita quod in omnibus principiis incipientium Sententias debeant interesse », aliter baccalareis, qui post eos legent, postponantur. — Adjuncta sunt *Memorialia Capituli,* quae vid. in *Anal. Francisc.*, II (Quaracchi, 1887), p. 187 sq., ubi quaedam etiam de studiis — In ms. Massil., fol. 107-113, Constitutiones provinciales per Marchum general. minist. (1359-1366) compilatae exstant, ubi tamen nihil de studio Paris.

1220. *Appellatio magistri Reginaldi de Acyaco ad sedem apostolicam contra rectorem et nonnullos e magistris Universitatis Parisiensis.*

1354, Augusti 25, Parisiis.

Datum per copiam sub signo mei notarii publici infrascripti. In nomine Domini, amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno ejusdem

Domini millesimo CCC° quinquagesimo quarto, indictione septima, mensis Augusti die vicesima quinta, videlicet die lune in crastino festi beati Bartholomei apostoli, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini Innocentii, divina providentia pape sexti, anno secundo, in mei notarii publici et testium infrascriptorum presencia, propter hoc personaliter constitutus, venerabilis et discretus vir magister Reginaldus de Aciaco[1], illustrissimi principis domini nostri, Francorum regis, advocatus, quandam provocacionem seu appellationem ad sanctam sedem apostolicam fecit, interposuit et emisit ac etiam protestatus fuit modo et forma contenta in quadam cedula papirea, quam tunc in suis manibus tenebat idem magister Reginaldus, et quam michi notario publico infrascripto tradidit et porrexit : cujus siquidem cedule tenor de verbo ad verbum sequitur, in hec verba :

« Quoniam, prout jura clamant, sanctionesque legitime atque canonice decidere dinoscuntur, omnibus gravatis et oppressis, gravarique et opprimi verissimiliter et ex causis legitimis timentibus, provocacionis et appellacionis auxilium sit indultum; ego, Reginaldus de Aciaco, illustrissimi principis domini nostri, Francorum regis, advocatus, ac de regno ipsius oriundus, dico et propono contra rectorem, decanos facultatum, ac contra magistros universitatis scolarium Parisius, ac contra omnes quos infrascripta tangunt seu tangere possunt, et eisdem adherentes seu adherere volentes, tam conjunctim quam divisim, prout tangit quemlibet eorundem omnia et singula infrascripta, protestando quod contra matrem meam Universitatem predictam non intendo aliquid dicere vel facere, quod vituperium ei cedat, vel quod ei debeat displicere, quam, tanquam filius matrem, volo revereri, devocionem et obedientiam impendere filialem.

« Et primo dico, quod nuper prefati rector et magistri, seu dictus rector et aliqui magistrorum predictorum, sub Universitatis nomine, nescitur quo spiritu ducti, cessaciones lectionum in prefato studio indixerunt, et non solum in quatuor facultatibus principalibus, ymo etiam in grammatica[2], et in tantum quod puerulos *Pater noster* et *Symbolum fidei* discentes, a discendo, et magistros et pauperculas mulieres et religiosas ipsos puerulos docentes, a docendo cessare fecerunt, et temeritate propria compulerunt.

« Item dico, quod prefati rector et magistri hiis non contenti, sed accumulantes mala malis, cessacionem sermonum et predicationis verbi Dei per totam villam Parisius, in grave scandalum domini nostri regis, prelatorum, ducum, baronum et comitum, quorum tunc multitudo erat copiosa Parisius, ac cleri et populi, indixerunt.

« Item dico et propono, quod prefatus dominus noster rex, tanquam fidei et sciencie zelator, prefatis cessacionibus fuit, nec immerito, indignatus. Quare prefati rector et magister hoc scientes, ad suam presenciam venerunt, majestati sue supplicando, ut super causis ipsos ad dictam cessacionem moventibus, et super quibusdam aliis, vellet justicie remedium adhibere.

« Item dico et propono, quod prefatus dominus noster rex, michi tanquam advocato suo jurato, naturaliter et originaliter sibi subdito, precepit et injunxit, ut premissa et

quedam alia, que prefati rector et magistri, seu alii de Universitate predicta contra prefatum dominum nostrum regem commiserant, proponerem contra ipsos.

« Item dico et propono, quod compulsus dicto precepto et obediencia naturali ac veritatis zelo debite et reverenter, officium meum exequendo premissa proposui, contra ipsos conclusiones faciendo pertinentes.

« Item dico et propono, quod magister Hermendus[3], doctor in theologia, plura verba opprobriosa contra felicis recordacionis dominum Johannem papam vicesimum secundum protulit palam et publice, in presencia domini regis, ac reverendi in Christo patris, domini Guydonis de Boulongnia, divine et apostolice sedis gratia Portuensis episcopi cardinalis, asserens ipsum in fide errasse aut alias quam bene sensisse, et postmodum ipsum assimilasse pape Leoni, cui beatus Hylarius restiterat pro fide Christi; a quibus per rectorem ac alios magistros Universitatis, et ab Universitate deputatos, non fuerat desadvoatus, nec aliqualiter reprehensus, sed per rectorem et alios deputatos, generaliter de hiis que dixerat fuerat advoatus. Propter quod ego sacrosancte Romane ecclesie, matris nostre, devotus filius, amoris ardore caritativo succensus ejus petulenciam amplius ferre non potui nec premissa sub silencio preterire, propter quod ad honorem sancte matris ecclesie ac totius sanctissimi cetus Romani, ipsam, quantum potui, refrenavi; sciens quod dictus dominus Johannes papa, per felicis recordacionis papam Benedictum, ejus successorem, fuerat catholicus declaratus.

« Item dico et propono, quod prefati rector et magistri, sine causa racionabili et injuste, pro premissis, contra me commoti, in presencia domini regis et alibi, licet per dominum regem fuissem advoatus de omnibus que dixeram et proposueram, comminati fuerunt et se jactaverunt, et adhuc comminantur et jactant, quod me a corpore Universitatis privabunt seu resecabunt, licet aliqualiter non deliquerim in premissis, sed omnia que feci, zelo fidei, ob reverenciam et amorem sacrosancte Romane ecclesie, matris nostre, ac obediencie vinculo, quo domino nostro, regi Francie, domino meo naturali, sum astrictus, fecerim. Idcirco ego, Reginaldus prefatus, a predictis rectore, decanis et magistris, seu aliis deputatis ab ipsis vel deputandis, sentiens me gravatum vel timens imposterum me verissimiliter opprimi vel gravari, maxime cum tales comminaciones consueverint prefati rector, decani et magistri perducere ad effectum; volens potius ante tempus occurrere, quam post vulneratam causam remedium adhibere : ab ipsis et contra ipsos, ac contra omnes et singulos quos premissa contingere dinoscuntur, ac eisdem adherentes aut adherere volentes, tam conjunctim quam divisim, ne contra me ad privacionem, resecacionem, seu quecumque alia procedant, in hiis scriptis, in presencia tui notarii ad sanctam sedem apostolicam provoco et appello; supponens me et mea et statum meum protectioni et tuitioni dicte sedis, protestans de appellacione seu provocacione hujusmodi insinuanda et innovanda, et de apostolis loco et tempore petendis, quos ex nunc michi a te notario saltem testimoniales instanter, instancius et instantissime dari peto; protestans etiam,

quod non astringo me ad probandum omnia premissa, sed solum ad id quod michi sufficiet de eisdem. Et quia periculosum est coram suspecto seu suspectis litigare, prefatos rectorem et magistros, omnes et singulos, ac decanos predictos, ex premissis, et quia mei sunt inimici et malivoli, et famam meam, quantum in ipsis est, multipliciter gravaverunt, tanquam suspectos recuso; et, si et prout teneor, offero arbitros eligere, qui de hujusmodi suspicionum causis congnoscant. Ex nunc pro parte mea eligo reverendos in Christo patres et dominos, dominum archiepiscopum Rothomagensem[4], Francie cancellarium, ac dominum episcopum Cathalaunensem[5], dominum abbatem Ferrariensem[6], ac dominum Fulconem Bardol, decanum Silvanectensem; et eorum quemlibet in solidum, ita quod non sit condicio melior occupantis; et super hiis omnibus peto michi fieri, per te notarium publicum, instrumentum unum vel plura, quociens super hoc fueris requisitus. »

Qua provocacione seu appellacione sic facta, prefatus magister Reginaldus petiit super hoc a me notario publico infra scripto sibi publicum fieri instrumentum, astantes in horum testimonium in testes invocando. Acta fuerunt hec in domo habitationis ipsius magistri Reginaldi, sita in civitate Parisius, anno, indictione, mense, die circiter horam vesperarum, et pontificatu predictis : presentibus venerabilibus et discretis viris, magistris Egidio de Ponte, domini nostri regis Francie consiliario, Odardo de Pagnyaco, canonico Laudunensi et Cathalaunensi, et Stephano Amici, canonico ecclesie Sancti Honorati, juxta Parisius, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Hebertus Morelli, clericus Baiocensis diocesis, publicus auctoritate apostolica et imperiali notarius, curieque Parisiensis juratus, premissis omnibus et singulis dum sic agerentur una cum dictis testibus presens fui, eaque per alium, aliis occupatus legitime, scribi feci, et in hanc formam redegi......

Et ego, Symon, dictus Quinimo, clericus Tullensis dyocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius....

Originale in Arch. Univers. Paris., theca V, B. 2. bb. — Jourdain, n° 653.

1. Ipse est ille « maistre Regnaut d'Acy », qui interfectus cecidit, an. 1358, die 22 Februarii, dum tumultuatur civitas Parisiensis, Stephano Marcel, praeposito mercatorum, seditionem excitante. Vid. *Les grandes chroniques de France,* par P. Paris, VI, p 85 sq. — 2. I. e. scholares parvarum scholarum Paris , quae e cantore Paris pendebant, de quibus infra n° 1237 Sine dubio supra non agitur de omnibus scholis grammaticalibus in civitate Paris., sed tantum de existentibus in parte sinistra Sequanae (*Quartier latin*), ubi magistri Universitatis docebant. — 3. I. e Armandus de Mayrani, de quo infra n° 1223, not. 2. — 4. Petrum de la Forest, e sede Parisiensi ad Rotomagensem anno 1352 translatum. — 5 Is erat Reginaldus, qui cum esset decan. Burgens., Tornac. dioec., an. 1351, Januar. 3, factus est episc. Cabilon. (Reg. Vat. Clem. VI, n° 199, f. 15), an. 1353, Octob. 2, transl. ad Catalaun. (Reg. Vat. Innoc. VI, n° 244, f. 155). Erratur in *Gall. christ*, IV, 921; IX, 892. — 6. Dioec. Senonens. O. S B. Tunc abbas fuit Johannes de Sartanaio, ab an. 1347, Oct. 24 (Reg. Vat. Comm Clem. VI, n° 181, f. 35). V. *Gall. christ.*, XII, 165.

1221. *Altera appellatio Reginaldi de Aciaco ad sanctam sedem.*

1354, Septembris 1, Parisiis.

Datum per copiam sub signo mei notarii publici infrascripti. In nomine Domini, amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno ejusdem Domini millesimo CCC° quinquagesimo quarto, indictione septima, mensis Septembris die prima, circiter horam meredieі, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Innocentii divina providentia pape sexti anno secundo, in mei notarii publici et testium infrascriptorum presentia propter hoc personaliter constitutus venerabilis et discretus vir magister Reginaldus de Aciaco, illustrissimi principis domini nostri regis Francie advocatus, quandam provocationem seu appellationem ad sanctam sedem apostolicam fecit, interposuit et emisit, ac etiam protestatus fuit modo et forma contentis in quadam cedula papirea, quam tunc in suis manibus tenebat dictus magister Reginaldus, et quam michi publico notario infrascripto tradidit et porrexit. Cujus siquidem cedule tenor noscitur esse talis :

« Dico et propono, ego Reginaldus de Aciaco, illustrissimi principis domini nostri regis Francorum advocatus, qui, nuper ad mei noticiam deducto quod rector, decani facultatum et magistri universitatis scolarium Parisiensium comminati fuerant et se jactaverant, quod ipsi suo et Universitatis nomine predicte a dicta Universitate me privarent seu privari recusarent[1], cum tamen nulla causa subesset, prout nec subest, quare a corpore Universitatis privari seu resecari deberem; propter que verissimiliter timens, quod suas comminaciones ad effectum perduxerent (*sic*), prout sunt assueti, volens eorum comminacionibus obviare et meo statui providere a certis comminacionibus rite et juste contra dictos rectorem, decanos et magistros et omnes alios quorum intererat et quos dictum tangit aut tangebat negocium, tam conjunctim quam divisim, in scriptis ad sedem apostolicam appellavi seu provocavi, ac ipsos tanquam suspectos ex predictis et aliis causis justis recusavi, prout ex tenorem (*sic*) dicte appellationis seu provocationis quam hic volo pro inserta habere potest liquidius apparere. Item dico et propono, quod die ultima mensis Augusti novissime preteriti dictam appellationem seu provocationem per Johannem de Bethuna, procuratorem meum habentem ad hoc mandatum sufficiens dictis rectori, decanis et magistris ac Universitati insinuari feci et intimari et ab eis instanter, instancius et instantissime apostolos peti, prout hec in instrumento publico manu Heberti Morelli clerici publici auctoritate apostolica et imperiali notarii, ad cujus tenorem me refero et quem hic pro inserto haberi volo, potest plenius apparere. Item dico et propono, quod prefati rector, decani, magistri ac Universitas pro predictis non sine sedis apostolice offensa commoti petitis apostolis, ut est dictum, et per eos non datis, nec oblatis, nec promissis, ymo pocius denegatis per Jacobum de Pavillione, bedellum ipsorum, et alios eorum bedellos peremptorie et personaliter dicta die ultima Augusti citari mandarunt ac dicti bedelli me dicta die circa solis

occasum citarunt ad comparendum peremptorie et personaliter coram eis ad hanc diem, hora none Beate Marie. Item dico et propono, quod prefata citacio est nimis arta et nimis tarde et arte executa, attenta qualitate persone mee, qui propter officii mei publici necessitatem et multitudinem negociorum arduorum sum multum occupatus, dataque decreta et executa dicta die ultima mensis Augusti notorie feriata propter diem dominicam, que incidit in eadem, et alias temeraria et injusta, prout ex ipsius tenore, quem hic volo haberi pro inserto in quantum pro me facit et justificacione presentis appellationis seu provocacionis potest liquide apparere, cujus citacionis tenor inferius est insertus. Ex quibus ego Reginaldus prefatus, sentiens me gravatum ac timens imposterum saltem de facto amplius aggravari, protestando quod ab appellacione seu provocacione, provocacionibus seu appellacionibus alias per me factis, et recusacionibus propositis recedere non intendo, sed eis firmiter adherere, a predictis rectore, decanis, magistris et Universitate, ac contra omnes alios quos tangit seu tangere potest presens negocium, tam conjunctim quam divisim, in hiis scriptis ad sedem apostolicam provoco et appello et apostolos instanter, instancius et instantissime michi dari peto, et protestor de hiis petendis a quibus petendi fuerint loco et tempore opportunis, supponens me et mea et statum meum protectioni et tuicioni dicte sedis, protestans de appellatione seu provocacione hujusmodi insinuanda et innovanda et de apostolis loco et tempore petendis, quos ex nunc instanter, instancius, instantissime michi dari peto, protestans eciam, quod non astringo me ad probandum omnia premissa, sed solum ad id quod michi sufficiet de eisdem, et super hiis omnibus peto michi fieri per te notarium publicum instrumentum unum vel plura quociens super hoc fueris requisitus. »

Tenor vero cedule de qua supra fit mencio sequitur in hec verba :

« Nos rector et Universitas Parisiensis vobis, Jacobo de Pavillione, bedello nostro, et omnibus et singulis consociis et bedellis nostris, ad quem seu quos presens mandatum nostrum pervenerit, precipimus et mandamus quatenus Reginaldum de Aciaco citetis peremptorie et personaliter die crastina ad congregationem nostram generalem, hora none Beate Marie, apud Sanctum Maturinum super certis excessibus et delictis adversus eandem Universitatem per eum commissis et super aliis ad nos spectantibus contra eum proponendis, quod justum fuerit responsurum, cum idem nobis liceat de jure, consuetudine et privilegiis nostris, eoque jure acthenus usi fuerimus semper et inconcusse. Datum sub sigillo rectorie nostre anno quinquagesimo quarto, die ultima Augusti. »

Qua appellacione seu provocacione sic facta et emissa, modo et forma superius prelibatis prefatis, magister Reginaldus petiit a me notario publico infrascripto sibi publicum fieri instrumentum, astantes ibidem in testes invocando. Acta fuerunt hec in domo inhabitacionis ejusdem magistri Reginaldi, sita in civitate Parisius, anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu predictis, presentibus venerabilibus et discretis viris magistris Egidio de Ponte, domini nostri regis Francie consiliario, Oudardo de Paignyaco et Egidio

de Tramblayo, canonico Laudunensi, una cum pluribus testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Hebertus Morelli, clericus Baiocensis diocesis, publicus auctorite apostolica et imperiali notarius, curieque Parisiensis juratus, premissis omnibus et singulis....

Et ego Symon dictus Quinimo, clericus Tullensis dyocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, curieque Parisiensis juratus, prescriptas litteras appellationis tenui, legi et palpavi, et eas hic transcribi feci, signoque meo signavi rogatus.

Originale in Arch. Univers. Paris, theca V, B. 2. c

1. Sic. orig., sed sensus requirit « seu resecarent ».

1222. *Appellatio altera Reginaldi de Acyaco contra rectorem Universitatis.*

1354, Septembris 3, Parisiis.

Datum per copiam.... Anno Domini millesimo CCC quinquagesimo quarto,... mensis Septembris die tertia, satis cito post solis ortum illius diei, videlicet die mercurii post festum beatorum Egidii et Lupi, *etc. ut supra* n° 1220, *usque* cujus siquidem cedule. *Deinde :*

Dico et propono, ego Reginaldus de Acyaco, illustrissimi principis domini, Francorum regis, advocatus, quod, nuper ad mei notitiam deducto quod rector, decani facultatum, et magistri universitatis scolarium Parisius comminati fuerant et se jactaverant, quod ipsi suo et Universitatis nomine predicte, a dicta Universitate me privarent seu resecarent, cum tamen nulla causa subesset, prout nec subest, quare a corpore dicte Universitatis privari seu resecari deberem : propter que verissimiliter timens quod suas comminaciones ad effectum perducerent, prout sunt assueti, volens eorum comminacionibus obviare et meo statui providere, a dictis comminacionibus, rite et juste, contra dictos rectorem, decanos et magistros, et omnes alios quorum intererat et quos dictum tangit aut tangebat negocium, tam conjunctim quam divisim, in hiis scriptis ad sedem apostolicam appellavi seu provocavi; et ipsos tanquam suspectos ex predictis et aliis causis recusavi, prout ex tenore dicte appellacionis seu provocacionis, quam hic volo pro inserta habere, potest liquidius apparere.

Item dico et propono, quod die ultima mensis Augusti novissime preteriti, dictam appellacionem seu provocacionem per Johannem de Bethunia, procuratorem meum, habentem ad hoc mandatum sufficiens, dictis rectori, decanis et magistris ac Universitati insinuari feci et intimari; et ab eis instanter, instancius et instantissime apostolos peti; prout hec in instrumento publico, manu Heberti Morelli, clerici, publici auctoritate apostolica et imperiali notarii, ad cujus tenorem me refero, et quem hic pro inserto haberi volo, potest plenius apparere.

Item dico et propono, quod prefati rector, decani, magistri ac Universitas, pro predictis, non sine sedis apostolice offensa commoti, petitis apostolis, ut est dictum, per eos

non datis, nec oblatis, nec promissis, ymo pocius denegatis, per Jacobum de Pavillione, bedellum ipsorum et alios eorum bedellos, peremptorie et personaliter, dicta die ultima Augusti [me] citari mandarunt; ac dicti bedelli me, dicta die, circa solis occasum, citarunt ad comparendum peremptorie et personaliter coram eis ad diem primam Septembris, hora none Beate Marie.

Item, quod a prefata citacione seu evocacione, tanquam ab injusta et iniqua, ac in prejudicium appellacionum seu provocacionum mearum facta, tanquam nimis arta tarde et arte executa, dataque et decreta die notorie feriata, juste et debite appellavi seu provocavi, et ex certis et justis causis, in dicta appellacione seu provocacione contentis, cujus tenorem hic volo haberi pro inserto.

Item dico et propono, quod dictam appellacionem seu provocacionem dicta die intimari seu insinuari feci per discretum virum, magistrum Johannem Amelii, canonicum Lingonensem, procuratorem meum, quoad hoc sufficiens mandatum habentem, prefatis rectori, decanis facultatum, magistris ac Universitati predicte, in eorum congregacione generali, apud Sanctum Maturinum, hora none predicta.

Item dico et propono, quod ipsi aut eorum aliqui, in prejudicium appellacionum seu provocacionum mearum, ac in vilipendium et contemptum apostolice sedis, procuratori meo plura verba injuriose dixerunt; et contra ipsum clamantes et vociferantes, eum audire noluerunt; et quod deterius est, plures ex ipsis, in eum impetuose ruentes, ipsum violenter strinxerunt; et accumulantes mala malis, honore et reverentia sedis apostolice postpositis, appellaciones seu provocaciones meas, ac cedulam, quam pro earum insinuacione portabat, ab ejus manibus violenter rappere et aufferre conati sunt de facto, licet ipse esset clericus, in tonsura et habitu clericali.

Item dico et propono, quod ipsi plura verba comminatoria intulerunt, eidem innuentes quod contra personam meam ad deteriora processissent, si presens ibidem fuissem; propter que ad eorum presenciam accedere personaliter, nec immerito, perhorresco; nec esset michi tutum coram eis personaliter comparere.

Item dico et propono, quod dictus procurator meus apostolos ab eis instanter, instancius et instantissime petiit sibi dari, quos nec dederunt, nec obtulerunt, nec promiserunt, sed potius denegarunt.

Item dico et propono, quod prefati rector, decani, magistri ac Universitas, offensam sedis apostolice non verentes, pro premissis contra me commoti, petitis apostolis, ut est dictum, et per eos non datis, nec oblatis, nec promissis, ymo pocius denegatis, et contra appellaciones seu provocaciones meas temere attemptando, per Jacobum de Pavillione, bedellum ipsorum, et alios eorum bedellos, peremptorie et personaliter, die secunda Septembris, citari mandarunt; ac dicti bedelli me dicta die circa horam merediei citarunt ad comparendum peremptorie et personaliter coram eis ad hanc diem, hora prime beati Jacobi que est quasi hora media inter solis ortum et horam prime.

Item dico et propono, quod predicta citacio est nimis arta, et nimis tarde et arte executa, attenta qualitate persone mee, qui propter officii mei publici necessitatem, et multitudinem negociorum arduorum, sum multum occupatus, et alias temeraria et injusta, prout ex ipsius tenore, quem hic volo haberi pro inserto, in quantum pro me facit et justificacione presentis appellacionis seu provocacionis potest liquide apparere : cujus citacionis tenor inferius est insertus. Ex quibus ego Reginaldus prefatus, sentiens me gravatum, ac timens imposterum saltem de facto amplius aggravari, protestando quod ab appellacione seu provocacione, provocacionibus seu appellacionibus alias per me factis, et recusacionibus propositis recedere non intendo, sed eis firmiter adherere : a predictis rectore, decanis, magistris et Universitate, ac contra omnes alios quos tangit seu tangere potest presens negocium, tam conjunctim quam divisim, in hiis scriptis, ad sedem apostolicam provoco et appello, et apostolos instanter, instantius et instantissime michi dari peto; et protestor de hiis petendis, a quibus petendi fuerint, loco et tempore opportunis; supponens me et mea et statum meum protectioni et tuicioni dicte sedis; protestans de appellacione seu provocacione hujusmodi insinuanda et innovanda, et de apostolis loco et tempore petendis, quos ex nunc instanter, instancius et instantissime michi dari peto; protestans etiam quod non astringo me ad probandum omnia premissa, sed solum ad id quod michi sufficiet de eisdem; et super hiis omnibus peto mihi fieri per te, notarium publicum, instrumentum unum vel plura, quociens super hoc fueris requisitus.

Tenor vero cedule de qua supra fit mentio sequitur in hec verba :

« Nos rector, et Universitas Parisiensis, vobis, Jacobo de Pavillione, bedello nostro, et omnibus et singulis consociis vestris, et bedellis nostris, ad quem seu quos presens mandatum nostrum pervenerit, precipimus et mandamus, quatenus Regnaudum de Acyaco, juratum nostrum, iterato citetis et evocetis peremptorie et personaliter, ad sui maliciam convincendam, die crastina, ad congregacionem nostram generalem, hora prime sancti Jacobi apud Sanctum Bernardum, et una vice pro omnibus, super perjurio, injuriis atrocibus, infractioneque privilegiorum nostrorum per ipsum juratorum, diffamacionibus et aliis excessibus et delictis, adversus eandem Universitatem per ipsum commissis et aliis ad nos spectantibus contra eum proponendis, quod justum fuerit responsurum, cum intimacione : quod sive venerit, sive non, nos contra ipsum procedemus, virtute privilegiorum nostrorum, et alias prout de jure, usu, stilo et consuetudine fuerit procedendum, prout in talibus est fieri consuetum, cum id nobis liceat de jure, consuetudine, et privilegiis nostris, eoque jure hactenus usi fuerimus erga juratos et subditos nostros semper et inconcusse. Datum sub sigillo rectorie nostre, anno quinquagesimo quarto, die secunda mensis Septembris. »

Qua appellacione seu provocacione sic facta et emissa, modo et forma superius prelibatis, prefatus magister Reginaldus petiit a me, notario publico infrascripto, sibi publicum fieri instrumentum, astantes ibidem in testes invocando. Acta fuerunt hec in domo habi-

tacionis ejusdem magistri Reginaldi, sita in civitate Parisius, anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu predictis, presentibus Roberto Capellarum, Robino dicto Falet, Francisco Petri, Alexandro Divitis, armigero, et Colino Parvi, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Hebertus Morelli, clericus Baiocensis dyocesis....

Et ego Symon dictus Quinimo, clericus Tullensis dyocesis....

Originale in Arch Univers. Paris., theca V, B. 2. bbbb. — Jourdain, nº 654. — Exstant in Arch. Univers. tria alia documenta istud negotium tangentia, unum 1 Septemb. (B. 2. bbb), alterum 3 Septemb. (B. 2. bbbbb), tertium 5 Septemb. (B. 2. bbbbbb), quae, cum nihil novi afferant, hic commode omittuntur. De fine litis cf instrumentum sequens.

1223. *Johannes, rex Francorum, in Parlamento Paris. absolvit praepositum Paris., Reginaldum de Aciaco, advocatum suum, et Armandum, mag. in theol., de querelis contra ipsos; paxque restituitur inter ambas partes.*

1354, Septembris 6, Parisiis.

Cum universitas magistrorum et scolarium Parisiensium nobis conquesta fuisset, quod cum prepositus noster Parisiensis[1] per nonnullos examinatores, notarios et servientes nostros Castelleti nostri Parisiensis capi fecisset quamplures scolares dicte Universitatis commorantes in domo collegiata Sancti Nicolay de Lupara prope Parisius, et in capella ac cimiterio locis inmunitatis dicte domus, dictique examinatores, notarii, et servientes de inmunitate extraxissent eosdem scolares, rapuissent et secum apportassent plura bona mobilia ipsorum, hostia dicte domus fregissent, quamplures injurias et dampna alia inferendo, eos eciam in Castelletum nostrum Parisiense incarcerassent, et licet per rectorem dicte Universitatis fuissent requisiti, per dictum prepositum liberandi, eosdem reddere recusasset, et in dicta prisione firmata per quinque dies retinuisset ac eciam antequam eos liberare voluisset caucionem de stando juri et emendam solvendo ab eis extorsisset, privilegia Universitatis per nos seu predecessores nostros indulta et concessa infringendo, et contra juramentum suum, quod de ipsis observandis prestiterat dicte Universitati, temere veniendo; petiissetque dicta Universitas prefatos prepositum, examinatores, notarios et servientes ad emendandum rectori dicte Universitatis, magistris et scolaribus et ad restituendum ipsos scolares in locis dicte inmunitatis in quibus capti fuerunt et eorum bona, ut predictum est, capta, et ad adnullandum dictam caucionem per dictum prepositum extortam et resarciendum dampna et expensas ipsorum magistrorum et scolarium per nos condempnari et compelli, plures ad hoc raciones et causas allegando, dictusque prepositus plures raciones ad sui excusacionem seu deffensionem et ad finem absolucionis proposuisset; demum ipsa Universitas, ob nostri reverenciam et honorem ac eciam propter nomen bonum quod habebat dictus prepositus in exhibicione justicie pacis et probitatem ejusdem, emendam ipsius prepositi in nostram ordinacionem plenarie submisisset, absque tamen suorum privilegiorum prejudicio quocunque, requirendo quod eidem preciperemus quod

decetero offensam contra dictam Universitatem non faceret neque fieri permitteret, sed ipse eorum gardiator ex parte nostra deputatus ipsos defenderet eorumque privilegia tueretur et servaret, requisivisset eciam dicta Universitas quod cum per privilegia sua scolares ad emendam peccuniariam trahi non debeant, ut dicebat, et predicte domus magister scolaris dicte Universitatis, ad preceptum curie nostre in nostri presencia factum, nobis emendavisset excessus per eum contra certos servientes nostros dicti Castelleti Parisiensis in dicta domo Sancti Nicolay perpetratos, taxacione penes nos reservata, quod super hoc eisdem provideremus, ne fieret privilegiis dicte Universitatis prejudicium aliquale.

Conquesta fuisset insuper dicta Universitas ex eo quod magister Reginaldus de Acyaco[2], juratus dicte Universitatis, licet postea factus advocatus noster, contra ipsam absque ejus licencia et auctoritate et aliqua excusacione pro nobis litigasset; reprehensusque[3] inde per eam, ad sui excusacionem proposuisset, quod in juramento predicto, in quo dicte Universitati tenebatur ac eciam in omni alio juramento per quemcunque incolam regni nostri cuicunque prestito, nos cause juraque nostra intelligi et haberi debebamus tacite pro exceptis, et per consequens potuerat, ut dicebat, pro nobis et jure nostro tuendo contra dictam Universitatem, nulla ipsius petita nec obtenta auctoritate, licencia vel assensu seu excusacione aliquali, licite litigare : asserens et proponens dicta Universitas, multas ad hoc rationes allegando, quod virtute juramenti[4] prius dicte Universitati quam nobis vel alteri persone per dictum magistrum Reginaldum et alium quemcunque prestiti, tam idem magister Reginaldus quam alius quicunque primum juramentum eidem Universitati prestitum tam contra nos quam alios quoscunque erant astricti inviolabiliter observare; cumque querimonia per dictam Universitatem super dictis excessibus vel injuriis in dicta domo Sancti Nicolay commissis nobis exposita commissarios certos consiliarios nostros illico et oretenus deputavissemus et comisissemus (*sic*) pro inquirendo seu informando super ipsis factis per dictam Universitatem et prepositum nostrum predictum propositis et nobis referendo, ut exhiberemus celeris justicie complementum, dictaque Universitas non expectatis relacione dictorum commissariorum nostrorum et ordinacione ac responsione per nos faciendis sermones in nostra villa Paris. fieri inhibuisset, prout nobis relatum extitit, eciam ex adverso precepissemus et per solennes consiliarios nostros precipi fecissemus et mandassemus quod fierent sermones et predicaciones Parisius, prout fuerat consuetum, inhibicione predicta non obstante, quam faciendo predicta Universitas forefecerat seu malefecerat, cum alias talibus inhibicionibus usa non fuisset, nec ad ipsam tales inhibiciones facere pertinebat, prout in presencia nostra contra ipsam Universitatem propositum fuit pro nobis per dictum magistrum Reginaldum : ipsa Universitas ad sui excusacionem proponi fecisset, quod in faciendo dictam inhibicionem non erraverat seu malefecerat, sed, quod facere potuerat ac sibi incumbebat, rector ipsius Universitatis fecerat; nam propter necessitatem generalium congregationum fiendarum, dictus rector precipi mandaverat juratis ipsius Universitatis, quod ipsi cessarent a sermonibus seu predicacionibus faciendis,

ut congregationibus predictis interesse valerent et cum aliis deliberare, prout tenebantur, plures ad hoc raciones allegando; quia eciam in prosecucione premissorum, quam dicta Universitas faciebat coram nobis, nos inter cetera dici et juberi in presencia nostra fecissemus eidem Universitati, quod magistri in dicta Universitate regentes et alii lecciones suas resumerent et legerent prout faciebant, antequam premissa contigissent, necnon inhiberi fecissemus eidem, quod nullam prosecucionem vel processum dicta Universitas faceret contra dictum magistrum Reginaldum, causa vel occasione per ipsum pro nobis propositorum contra Universitatem predictam seu contra magistrum Armandum[5], doctorem in theologia, qui pro dicta Universitate proposuerat, que ipsa Universitas pretendebat prejudicialia sibi et privilegiis suis predictis existere.

Preterea dicta Universitas conquerendo proposuisset quod prefatus magister Reginaldus in presencia nostri et plurium de genere nostro et nonnullorum aliorum magnatum et consiliariorum nostrorum ac eciam tocius curie nostre proposuerat plura vituperiosa et reprehensibilia contra ipsam Universitatem matrem suam et supposita ejusdem, auctoritates sacre scripture inpertinentes et indecentes in denigracionem fame ipsius et suppositorum ejusdem; que etiam non inmerito gerebat et gerere debebat molesta; indeque petiisset per nos dictum magistrum Reginaldum ad emendandum eidem Universitati et revocandum per ipsum proposita compelli, ad hoc raciones quamplurimas allegando :

Nos autem dictam submissionem per dictam Universitatem quantum concernit dictum prepositum in nos factam suscipientes, eundem prepositum a conquestione seu querimonia dicte Universitatis quoad predicta liberavimus ac penitus liberamus, et predictam caucionem per ipsum exactam remisimus et pro nulla haberi voluimus et volumus. Ordinavimus eciam quod dicti scolares in capella et cimiterio, locis inmunitatis dicte domus Sancti Nicolay, capti per dictos examinatores, notarios et servientes nostros Castelleti Parisiensis restituantur cum eorum bonis, ut premittitur, captis, dampnis et expensis. Ac eciam ad preceptum nostrum prefati examinatores, notarii et servientes predicta emendaverunt in presencia nostra dictis rectori Universitatis et magistro dicte domus taxacione emende penes nos retenta.

Precepimus insuper dicto preposito nostro quod dictam Universitatem, magistros, scolares, eorum servitores et familiares, ac eorum privilegia tueatur et deffendat, ipsis justiciam exhibeat eosque et eorum causas prout favorabilius poterit pertractando et eorum privilegia inviolabiliter observando, volentes ac etiam ordinantes quod ex premissis aut eorum occasione nobis, dicte Universitati ac privilegiis ejusdem nullum prejudicium generetur. Quantum vero ad emendam nobis factam per dictum magistrum domus Sancti Nicolay de gracia speciali eidem magistro contemplacione dicte Universitatis ipsam emendam eidem remisimus et quitavimus, remittimus et quitamus et perinde haberi voluimus et volumus, ac si nunquam facta fuisset ac etiam per hoc nobis seu dicte Universitati nullum prejudicium generari.

5.

Et quantum ad articulum de juramento dicti magistri Reginaldi mencionem facientem, ordinavimus et voluimus, ordinamus et volumus, quod dicta et facta super hoc pro non dictis et infectis habeantur absque nostri et Universitatis prejudicio, uniuscujusque consciencie relinquentes quod ipse juramentum suum in casibus similibus observet, prout eadem consciencia sua dictante duxerit faciendum et arbitrandum. Quantum vero ad articulum de inhibicione sermonum, ordinavimus et volumus insuper ac eciam ordinamus quod omnia pro non dictis et non factis habeantur et absque prejudicio aliquali nostro et Universitatis predicte. Quantum eciam ad articulum, preceptum et inhibicionem continentem, declaramus et dicimus esse et semper fuisse intencionis et mentis nostre, quod verba predicta pro nobis dicta de et super resumpcione leccionum et non prosequendo dictum magistrum Reginaldum dicerentur dictaque fuerunt per modum exhortacionis paterne ad devotam filiam nostram Universitatem predictam, et quod per hoc nobis eidem Universitati ac ejus privilegiis nullum prejudicium generetur.

Quantum vero ad articulum querimonie contra magistrum Reginaldum de Aciaco facte, sic per nos extitit ordinatum, quod ad preceptum nostrum dictus magister Reginaldus auctoritates et proposiciones, de quarum allegacione dicta Universitas male contenta fuerat, recensendo se cum humilitate debita excusavit erga eam recommendando ipsam et ejus supposita et subjecta, honorem et beneficia que ab ipsa receperat et obtinuerat recognoscendo, ipsaque Universitas ad instantes preces carissimi primogeniti nostri Karoli delphini Viennensis emendam et cetera per eam requisita in nostram voluntatem et disposicionem plenarias submisit. Qua submissione, ad preces eciam humi[l]limas per dictum primogenitum nostrum nobis factas, in nos suscepta prefatum magistrum Reginaldum advocatum nostrum absolvimus et ad plenum liberavimus ab emenda et ceteris petitis seu requisitis contra eum, precipientes eidem in presencia dicte Universitatis quod ipsam tanquam matrem honoraret et diligeret, et eidem, prout tenebatur, serviret et pareret, exortantes insuper et rogantes dictam Universitatem filiam nostram carissimam quod remittendo eidem omnem offensam, diligeret ipsum et tanquam bonum et devotum filium pertractaret, et quod dicta et proposita per et inter prefatos magistros Armandum et Reginaldum forent hincinde remissa et pro non dictis habita, et sibi invicem bonum amorem et dileccionem gererent et haberent. Processusque et privaciones per dictam Universitatem contra dictum magistrum Reginaldum, provocacionesque et appellaciones ab ipso magistro Reginaldo contra eam, processus et privaciones factos dicte partes revocaverunt, anullaverunt, pro infectis et nullis haberi voluerunt, perinde ac si nunquam aliquid fuisset factum aut dictum. Predicta autem omnia proprie partes in nostri presencia ratifficaverunt, laudaverunt et emologaverunt et inde nobis gratias humil[l]imas reddiderunt, petentes super ipsis nostras litteras sub magno nostro sigillo sigillandas, quas concessimus et fieri precepimus eisdem tradi ac eciam liberari. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus litteris est appensum. Actum Parisius die sexta Septembris, anno Domini millesimo CCC quinquage-

simo quarto. — Collacio facta est cum originali tradito Universitati, sic signato : *Per regem in suo consilio sedentem in Parlamento,*

DYONISIUS.

Arch. nat. Paris. X1a-15 (*Jugés*), fol. 256.

1. Guillelmus Staise, ab an. 1354, Febr. 12-1359, Martii 30. — 2. De ipso vid. supra in instrumentis praecedentibus. — 3. Ms. · « quod ». — 4. Ms. add. « per ». — 5. Armandum de Mayrani, de quo supra ad an. 1352, Aug. 27, nº 1210, et p. 25.

1224. *Innocentius VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi, ut Egidio de Marla*[1], *fratrum Predicat., in theologia baccalareo, qui in Parisiensi studio Bibliam per duos annos legit et Sententias more baccalareorum Paris. incepit, continuavit et complevit ceterosque actus scholasticos in eodem Parisiensi studio exercuit, si per examinationem sufficiens repertus exstiterit, magisterium in theologia tribuat.* Dat. Avinione idus decembris, anno secundo. « Viri sacre lectionis ».

1354, Decembris 13, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Innocentii VI, vol. VI, fol. 540b.

1. In *Catal. magistrorum* (*Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, II, 224, nº 143) dicitur magisterium recepisse Parisiis an. 1355, fer. 6 ante *Laetare*, hoc est, Martii 13, quod optime cum supra relatis congruit. Minime ergo cum Echard (*Script. Ord. Praed.*, I, 664) concedendum, hic notari stilum Gallicanum, sec. novum an. 1356.

1225. *Innocentius VI prohibet ne fratres Eremit. S. August. in aliis locis praeter Parisios, Oxoniam, Cantabrigiam magisterium in theologia sumant.*

1355, Junii 22, Avenione.

Innocentius.... Ad perpetuam rei memoriam. Inter solicitudines.... Cum itaque, sicut petitio dilectorum filiorum .. prioris generalis[1] et fratrum Ordinis Heremit. S. Augustini nobis exhibita continebat, ex eo, quod in quibusdam aliis a Parisiensi, Oxoniensi[2] et Cantabri[gi]e.... civitatibus, studiis et Universitatibus a sede apostolica per ipsius sedis privilegia est indultum, ut in eis per ordinarios locorum in dicta facultate (theologie) et ceteris aliis scientiis qui ad hoc acceptantur ab ipsis valeant magistrari, nonnulli fratres dicti Ordinis Heremitarum sancti Augustini minus sufficientes et ydonei, ymo potius indigni ad magisterium in facultate hujusmodi assumendum se in hujusmodi aliis civitatibus, studiis seu Universitatibus per predictos ordinarios seu presidentes contra consuetudines et statuta ipsius Ordinis.... plerumque magistrari procurant et jam quidam etiam procurarunt, ut gratias et exemptiones seu libertates concessas aliis magistris Parisiens. per generalia Capitula dicti Ordinis sibi usurpent indebite et acquirant et contra bonum et pacificum statum dicti Ordinis et scandalum plurimorum : nos volentes super hoc paterna solicitudine providere ipsorum prioris et fratrum supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore presentium districtius inhibemus ne decetero aliquis frater dicti Ordinis vigore privilegiorum hujusmodi in aliquibus aliis civitatibus, studiis seu Universitatibus nisi dumtaxat in Parisiensi, Oxoniensi et Cantabri[gi]e studiis predictis, ad que fratres dicti Ordinis licentiandi in generalibus Capitulis fratrum dicti Ordinis deputantur, valeat[3] in facultate

hujusmodi modo aliquo magistrari, nisi per dictum Capitulum generale vel priorem generalem dicti Ordinis ad hoc fuerit deputatus. Nos enim irritum decernimus et inane quicquid contra inhibitionem nostram hujusmodi scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo, *etc.* Dat. Avinione x kal. Julii, anno tertio.

Reg. Vat. Aven. Innocentii VI, vol. X, fol. 472. — Vid. *Chartul. Univers.*, II, *Introduct.*, p. X.

1. Thomae de Argentina, de quo vid. in *Chartul.*, II, *Indic.* — 2. Reg. « Exonien. ». — 3. Reg. « valeant ».

1226. *Universitas Parisiens. ad Innocentium VI pro Gerardo de Maynillis, rectore Universitatis.*

1355, Junii 1; Septembris 2.

Supplicat sanctitati vestre devota vestra filia universitas magistrorum Parisius studentium quatenus de solita benignitate vestre clementie in personam magistri Girardi de Maynillis presbiteri Cathalaun. dioc., dicte Universitatis rectoris, gratiam specialem facientes de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Remensis dignemini misericorditer providere cum acceptatione, inhibitione.... Dat. Parisius in nostra congregatione generali apud Sanctum Maturinum anno Domini millesimo CCC° quinquagesimo quinto, prima die Junii. — Fiat in ecclesia Silvanectensi. G. — Et quod transeat sine alia lectione. — Fiat. G. — Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. iiij non. Septembris, anno tertio.

Reg. Vat. Suppl. Innocentii VI, an. 3, p. 3, fol. 197b. — Eodem anno, Octob. 10, in rectorem electus fuit Albertus de Bohemia, de quo in *Lib. nat. Angl.* in *Auctar. Chartul.* Gerardus an. 1370, Junii 24, iterum in rectorem electus est. Vid. Bul., IV, 956.

1227. « *Rotulus nuntiorum Universitatis Parisiensis* ».

1355, Septemb. 2.

Supplicat sanctitati vestre :

Armandus Mayrani, Sancti Flori dioc., magister in theologia Parisius et in artibus ... attenta ejus paupertate et quod solus est Parisius actu regens de tota lingua occitana[1] [de can. in eccl. Paris., recipit in Atrebat.].

Item Jacobus Divitis de Parisius, presbiter, utriusque juris doctor, actu regens Parisius in decretis[2].

Item Nicholaus Prioris de Savonneriis[3], cler. Cathalaun. dioc., magister in medicina et in artibus.

Item Johannes Petri de Calore, clericus Lingonens. dioc., magister in artibus[4].

Item Symon de Castro de Conino, presbiter Leodiens. dioc., mag. in art. et licentiatus in jure canonico.

Item Guillelmus Lamberti, clericus, mag. in art., Rothomag. dioc.

Item Johannes de Peblis[5], Scotus, subdiaconus, Glasguensis dioc., mag. in art. [de can. in eccl. Glasguen.].

Item Jacobus de Pavillione[6], bedellus generalis Universitatis Parisiensis, subdiaconus [de beneficio].

Et quod transeat sine alia lectione. — Fiat. G. — Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. iiij^{to} non. Septembris, anno tertio.

Reg. Vat. Suppl. Innocentii VI, an. 3, p. 3, fol. 196b. — Singulis additur : Fiat. G.

1. De ipso pluries in *Chartul.* — 2. An. 1363, Martii 7, receptus est in can. Paris.; an. 1364, Decemb. 7, in decanum eccl. Paris. (Stephano praedecessore consecrato in episcopum. — Arch. nat. Paris. LL. 106b, p. 348; 573), decanus jam Martii 18 nominatus (Reg. Aven. Urbani V, vol. VIII, f. 225), cum Aymericus de Maigniaco de ejus nominatione an. 1363 facta

nihil curasset. — 3. De ipso in hoc vol. — 4. Qui factus est an. 1370 cancellarius. Vid. infra, et *Chartul.*, II, p. 636, not. 9. — 5. Vid. de ipso in *Lib. proc. nat. Anglic.* (*Auctar. Chartul.*). — 6. De ipso jam in *Chartul.*, II.

1228. *Statutum nationis Picardicae de distributionibus et clavibus arcae communis reportandis ad electionem novorum procuratorum.*

1355, Octob. 15, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis omnes et singuli magistri nationis Picardorum Parisius in artium facultate regentes, salutem in Domino. Cum ab antiquo reverendi patres et predecessores nostri et nos in servitium et honorem Dei omnipotentis, gloriosissime Virginis Marie ac beatorum cleri patronorum Nicolai et Katharine, consueverimus in eorum festivitatibus in vigiliis dicere vesperas et in diebus missam simul congregati in aliqua ecclesia celebrare[1], nos cum debitis circunstantiis vocati specialiter ad statuendum apud Sanctum Julianum Pauperem, hora prime Beate Marie, die jovis post festum beati Dionysii, anno a Nativitate Domini millesimo CCCLV, ut predictum servitium valeremus decetero solennius et cum majori magistrorum multitudine exercere, statuimus que sequuntur. Scilicet quod singuli magistri predicte nostre nationis, in artium facultate regentes, in singulis festis solennibus predictorum Virginis gloriose[2] ac beatorum Nicolai et Katherine, recipiant per modum distributionum, si fuerint presentes, in vesperis quilibet quatuor denarios; et si in missa, quilibet sex denarios de pecunia nationis[3], si et in quantum dicta pecunia poterit ad hoc sufficere, solutis primitus aliis debitis nationis, et quod inde non appareat ex defectu pecunie sequi detrimentum aliquod vel vituperium nationis. Statuimus etiam quod quicunque erunt in dictis missis vel vesperis vestiti apparamentis ad tenendum chorum, vel ad serviendum presbytero vel altari deputati, ac etiam procurator et receptor dicte nationis pro suis laboribus duplicem in dictis distributionibus percipiant portionem. Insuper cum dudum statutum sit et fuerit in nostra natione observatum et statutum propter securitatem et profectum nationis jocalium suorum, quod in omni novi procuratoris electione procurator electus claves arche nostre tribus magistris diversarum dioceseon distribuat in presentia nationis, quod aliquando fieri non potest, ex eo quod habentes eas omittunt negligenter reportare eas in die electionis ad presentiam nationis : idcirco his obviare volentes negligentiis, statuimus ut quilibet magistrorum, qui in precedente procuratione clavem aliquam servaverit, illam reportet ad locum et horam electionis faciende, et indilate procuratori electo reddat eam in presentia nationis, alioquin pene subjaceat duorum solidorum parisiens. nationi nostre predicte applicandorum ac etiam solvendorum, et sub eadem pena procurator de novo creatus quemlibet in predictis vel aliquo eorum deficientem tenebitur cogere ad solvendam penam predictam, et in hoc ille sic deficiens tenebitur obedire procuratori sub debito juramenti. Tenebitur etiam dictus procurator illos magistros quibus claves distribuet, inscribere in papyro nationis statim et in presentia nationis. Et tunc bedelli sub eadem pena tenebuntur pennam et incaustum pro litteris

scribendis procuratoribus ministrare. Dat. sub sigillo nostre predicte nationis, anno, mense, die, hora et loco predictis.

Bulaeus, IV, 333, e *Libro procuratorum nationis Picardicae.*

1. Vid. supra nº 1202. — 2. Fuerunt quinque festa b. Virginis, ut apparet etiam e statutis similibus nat. Normann. (*Chartul.*, II, 473), et nat. Anglicanae. — 3. Cf. simile statutum nat. Gallicanae (*Chartul*, II, 467), et nat. Anglic. in *Auctar. Chartul. Univers. Paris.*, I, 15, 21.

1229. *Statutum facultatis artium de modo legendi libros artium in scholis.*

1355, Decembris 10, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Temptatis duobus modis legendi libros artium liberalium, primis quidem philosophie magistris in cathedra raptim proferentibus verba sua, ut ea mens auditoris valeret capere, manus vero non sufficeret exarare, posteris autem tractim nominantibus, donec auditores cum penna possint scribere coram eis; diligenti examine hiis invicem collatis, prior modus melior reperitur. Propter quod communis animi conceptio nos ammonet, ut ipsum in nostris lectionibus imitemur. Nos igitur omnes et singuli magistri facultatis artium tam regentes quam non regentes ad hoc specialiter convocati per venerabilem virum magistrum Albertum de Bohemia, tunc rectorem Universitatis, apud Sanctum Julianum Pauperem, statuimus in hunc modum, quod omnes lectores, tam magistri quam scolares ejusdem facultatis, quandocunque et ubilibet eos aliquem librum legere contigerit ordinarie vel cursorie in eadem facultate, vel disputare aliquam questionem circa ipsum, seu aliquid aliud per modum expositionis, priorem modum legendi observent secundum vires suas, sic scilicet proferendo, ac si nullus scriberet coram eis, secundum quem modum fiunt sermones in Universitate et recommendationes, et quem lectores in ceteris facultatibus insequuntur. Transgressores autem istius statuti, si lectores fuerint magistri vel scolares, ex nunc pro tunc privamus a lectura, honoribus, officiis et ceteris amminiculis nostre facultatis usque ad unum annum. Quod si quis residivet, pro primo residivo penam duplicamus, pro secundo quadruplicamus, et sic ultra. Auditores vero hujus nostri statuti executioni obviantes clamore, sibilo, strepitu, jactu lapidum per se aut per suos famulos vel complices, seu quovis alio modo, privamus et resecamus a nostro consortio usque ad unum annum; et pro quolibet residivo penam augemus ad duplum et quadruplum sicut ante.

Ordinamus insuper pro hujus statuti observantia firmiori, ut quilibet rector in sua creatione juret, et suo successori jurare faciat, procedere ad punitionem talium transgressorum.

Incipientes vero et determinantes similiter jurent observare statutum, alias non admittantur ad gradum bachellarii vel magistri. Per hoc autem statutum non intendimus excludere nominacionem ad pennam alicujus determinationis, notabilis tractatus, vel expositio-

nis, quam in vico Straminis scribunt quandoque juvenes in diebus festivis, dum tamen non fiat hora sermonis Universitatis, nec aliquis hujusmodi nominationem audeat facere extra scolas dicte facultatis, alioquin eandem penam incurrat, ad quam astrinximus auditores. Neque per hoc volumus derogare antiquis statutis super modo legendi confectis, sed maneant in sua firmitate.

In cujus rei testimonium presenti statuto sigillum rectoris una cum sigillis quatuor nationum, videlicet Gallicane, Picardie, Normanie et Anglicane et earum consensu unaque cum signo et subscriptione subscripti notarii duximus apponenda. Datum et actum in congregatione nostre facultatis tam regentium quam non regentium ad hoc specialiter convocatorum et apud Sanctum Julianum Pauperem Parisius congregatorum anno Domini M° CCC° quinquagesimo quinto, decima[1] die mensis Decembris, indictione nona, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini domini Innocentii divina providentia pape sexti anno tercio, presentibus ad hoc discretis viris Jacobo de Pavillione, Johanne Candelli, Petro Guerardi, Corrardo Almanni, servientibus Universitatis Parisiensis in dicta facultate artium et multis aliis testibus ad hoc evocatis specialiter et rogatis.

Et ego Symon dictus Quinimo, clericus Tullensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, *etc.*

Originale in Arch. Univers. Paris.. theca VII, D. 9. a. — Ibid., Reg. 94, p. 73, n° 68, Reg. nat. Angl. in Bibl. nat. Paris., nouv. acq. lat , 535, fol. 112 b; Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 106. — Bul., IV, 332. — Vid. praeterea *Auctarium Chartul. Univers. Paris., Lib. procurat. nat. Angl.* ad h. a.

1. Ms. Bibl. nat « 14 » sed charactere recentiori; nam quotus dies fuerit primus amanuensis in albo reliquit. Sic etiam Reg. 94 praebet solum « die mensis decembris ». Ambo offerunt ubique textum mendosum.

1230. *Innocentius VI Hospitalariis S. Johannis Hierosol. indulget ut Parisiis alibique juri canonico studere magisteriumque sumere possint.*

1356, Februarii 21, Avenione.

Dilecto filio magistro et fratribus Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani salutem, *etc.* Sincere devotionis affectus.... Dudum siquidem fe. re. Benedictus papa XII predecessor noster statuit et etiam ordinavit[1] ut quicunque monachus et canonicus regularis sanctorum Benedicti et Augustini Ordinum seu religionum, qui in Parisiensi vel aliquo seu aliis generalibus studiis ad bacalariatum, licentiam, magisterium seu doctoratum et lecturam juris canonici seu decretorum in eodem Parisiensi et quolibet alio studio in capa sue religioni congruenti, dummodo sufficientes et ydonei forent, ac illi qui ad bacalariatum et ad legendum decretales ibi assumi vellent et in ipso Parisiensi vel quovis alio generali studio audivissent jura canonica per sex annos, de quibus per tres annos ad minus audivissent decretum, necnon illi qui ad magisterium in decretis vel ad lecturam decretorum assumi vellent in prefato Parisiensi studio, et ibi vel in alio generali studio jura canonica ut bacalarii legissent per quinque annos, et de hoc primo fidem fecissent per

eorum proprium et duorum aliorum juramentum, absque dilatione et difficultate maliciosa et impedimento quibuscunque libere admitterentur, sicut ceteri clerici seculares ibidem consueverunt admitti, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus monasteriorum et aliorum locorum eorumdem Ordinum seu religionum, ejusdem Parisiensis et aliorum studiorum quorumcunque contrariis, juramentis, confirmationibus apostolicis aut quibuscunque firmitatibus aliis roboratis, et illis presertim statutis quibus in eodem Parisiensi studio caveri dicitur quod nullus monachus vel religiosus alius legat inibi jura canonica vel ad bacalariatus statum aut magisterii honorem in jure canonico permittatur assumi, seu quod nullus sine rubea capa decretum legat seu legere permittatur ibidem, aut quod nullus ibi legere valeat jura canonica vel ad bacalariatum assumi, seu ut bacalarius legere decretales aut ad magisterium ascendere in decretis sive doctor fieri decretorum, aut ad lecturam in decretis assumi seu ipsam continuare, nisi ibidem vel in alio studio generali audierit jura canonica per quinque et alibi[2] jura civilia per tres annos, aut alibi[2] jura civilia per quinque et ibi vel in alio generali studio jura canonica per tres annos prout, *etc. ut in Chartulario,* II, p. 465.

Verum cum sicut oblata nobis postmodum pro parte vestra petitio continebat, hospitale vestrum noscatur viris litteratis indigere et in eodem hospitali multi sint fratres cupientes in facultate juris canonici proficere, et in prefato Parisiensi vel aliis studiis statum bacalarii et insignia recipere doctoratus, ad quod obstantibus prefatis statutis ejusdem Parisiensis et aliorum studiorum fratres ipsi pervenire non possunt : nos cupientes viros litteratos in Dei ecclesia confovere, ut fructum in ea suo tempore afferre valeant oportunum, vestris supplicationibus inclinati, ut fratres hospitalis vestri ad bacalariatum juris canonici sive decretorum necnon ad eorum lecturam ac magisterii sive doctoratus honorem in habitu fratribus dicti hospitalis congruente admitti et recipi libere et licite valeant, prout dicti monachi et canonici admittuntur, juxta constitutionem eandem predecessoris predicti, premissis et aliis statutis et consuetudinibus dicti Parisiensis et aliorum studiorum contrariis nequaquam obstantibus, devotioni vestre auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo, *etc.,* nostre concessionis infringere, *etc.* Dat. Avinione viiij kal. Martii, pontificatus nostri anno quarto.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 311, nº 14 (notat. ante xxxiii). Superest sigillum. In plica · « R. de Lanloys ». Rubrica vetus in tergo addit : « Et fuit procuratum per fratrem Guillelmum de Malleo, pro tempore Francie priorem. » — Reg. Vat. Aven. Innocentii VI, vol. XIII, fol. 307ᵇ. Bibl. Arsen. ms. 1121, p. 318 (fol. 182ᵇ), sub rubrica : « Privilegium Innocentii quod hospitalarii et alii monachi possint graduari ».

1. Vid. *Chartul.*, II, nº 1002. — 2. Péries, *La faculté de droit dans l'anc. Université de Paris,* p. 102, pro « alibi », i. e. in alio ac Paris. studio, bis ponit « ipsa », i. e. « ipsa jura civilia », ita ut sensus occurrat, jura civilia in Universitate Paris. tunc temporis tradita esse. Revera Péries exclamat : « On chercherait en vain des témoignages plus formels de l'existence de l'enseignement du Droit romain dans le *Clôt-Bruneau* »! Supponimus Péries inscium textum adulterasse. Caeterum Innocentius VI an. 1356 (Péries . « 1355 ») tantum eodem modo loquendi quo Benedictus XII (Péries : « XIII, alias X ») usus est, de quo vid. *Chartul.*, II, p. 465, not. 4 et 5. Cf. praeterea infra nº 1242.

1231. *Concordatum, secundum quod duo chirurgi jurati in Castelleto, et praepositus chirurgorum Paris. licentiandos in facultate praedicta convocare debent ad examen eisque donare licentiam.*

1356, Februarii 25, Parisiis.

Johannes, Dei gracia Francorum rex, universis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quod inter magistros Petrum Fromondi nostrum cyrurgicum et Robertum de Lingonis, cirurgicos juratos in Castelleto ex una parte, et magistros Johannem de Trecis, prepositum cirurgicorum Parisiensium quoad praesens, Johannem de Pantalye nostrum cirurgicum, Johannem de Lens, Matheum de Bezu, Petrum de Pysa, Egidium Parvi et Jacobum Jambatte, cirurgicos ex altera, concordatum fuit in curia nostra de licentia ejusdem, vocato ad hoc procuratore nostro et consenciente, prout in quadam cedula ab ipsis partibus unanimiter tradita continetur, cujus tenor talis est :

« Sur ce que maistre Pierre Fromond et maistre Robert de Lengres, cirurgiens jurez du roy nostre sire, en son Chastelet de Paris, eussent plaidié pardevant l'official de Paris contre les cirurgiens de ladicte ville, et finablement à la requeste desdis maistre[s] Pierre et Robert, la cause est venue pardevant nos sieurs de Parlement, sur ce que il disoient que à euls devoit appartenir l'examen de tous ceuls qui seroient licentié en cirurgie en ladicte ville, et que ainsi leur avoit octroié le roy nostre sire par ses lettres scellées en las de soye et cire vert, si comme par icelles peut apparoir[1]; lesdiz cirurgiens disans le contraire, que le prevost desdiz cirurgiens qui par eulz est esleu et establi, les doit appeller à l'examen faire, et il doivent donner la licence et congié aux cirurgiens souffisanz, si comme il appert par plusieurs privileges royaux de sainct Loys, et de plusieurs roys qui depuis ont esté : si plaist à la Cour et au procureur du roy nostre sire, les parties sont ainsi à accort, que les jurez du Chastelet, l'un ou les deux d'une part, et le prevost des cirurgiens d'autre part, qui est à présent, ou qui pour le temps à venir sera, appelleront les cirurgiens licentiez en ladite faculté à l'examen, et ceux qui seront trouvé souffisants, lesdiz jurez et prevost leur donrront congié et licence[2]; et lesdiz jurés et prevost aront povoir de faire prendre les non lissentiez pratiquans, et ouvrans, et mettre en prison ou Chastellet de Paris afin qu'il facent amende souffisant, si comme en leurdit privilege est contenu, laquèle amende soit taxée par le prevost de Paris, en la maniere qu'il a esté acoustumé, et qu'on en use. »

In cujus rei testimonium nostrum presentibus litteris fecimus apponi sigillum. Datum Parisius in Parlamento nostro, die xxv^{a} Februarii, anno Domini M°CCC° quinquagesimo quinto[3].

Originale in Arch. nat. Paris. X^{1c}-9^{b} (*Accords*), n° 239. Deest sigillum. — *Statuts, priviléges et réglemens du Collége de Chirurgie de la ville de Paris* (Paris, 1743), p. 60, ex originali olim in Arch. de S. Cosme, cote HH. n. 1, conservato.

1. Vid. supra ad an. 1352, mense April., n° 1205. — 2. Cf. infra ad an. 1364, Octob. 19. — 3. Abhinc usque ad an. 1357, April. 23, id est per quatuordecim menses, deficiunt documenta. Hujus lacunae causa praecipua videtur tumultus quo animi

turbabantur, cum bellum adversus Anglos pararetur, clades apud Pictavium subiretur, capereturque ab Anglis rex Johannes an. 1356, Sept. 19. (De pugna cf. Siméon Luce, *Hist. de Bertrand Du Guesclin*, p. 143 sqq.). In toto regno subsecuta est animorum consternatio, imprimis Parisiis, unde Petrarca scribebat : « Ubi scholasticorum agmina? ubi studii fervor?... Non disputantium ibi nunc auditur, sed bellantium fragor; non librorum, sed armorum cumuli cernuntur; non syllogismi, non sermones, sed excubiae atque arietes muris impacti resonant... Quis hoc unquam, quaeso, divinasset quod Francorum rex... invictissimus hominum, vinceretur et in carcerem duceretur? » (*Senil.*, X, *ep.* 2.) Vid. tamen *Auctar. Chartul.* I, ad Maii 4 sqq.; Julii 8, *etc.*

1231a. *Innocentius VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi, ut Bernardus Ermengaudi, Ord. fratrum Predic., de provincia Aragoniae, qui secundum morem dicti Ordinis in Parisiens. studio sacrae theologiae vacando, cursus suos opponendo, respondendo et praedicando perfecit, Sententias ibidem legit et baccalareus juxta morem dicti studii formatus existit, ad magisterium in theologia promoveatur*[1], *precibus Petri regis Aragoniae inclinatus.* Dat. Avinione viiij kal. Maii, anno quinto. « Viri sacre ».

1357, Aprilis 23, Avenione.

Reg. Vat. Comm. Innocentii VI, nº 232, fol. 358, ep. 55.

1. Hoc secundum *Catal. magistrorum* in cod. Lingon. apud Quétif-Echard, *Script. Ord. Praed.*, I, 688, an. 1358, mense Decemb., evenit, quod ex documento nostro vix credendum est, cum paene duos annos exspectare debuisset. In *catal.* ed. in *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, II, 225, nº 145, annus non exprimitur.

1232. *Capitulum Parisiense Talerandum scholarem Paris. e carceribus capituli ad supplicationem rectoris et Universitatis Paris. dimittit.*

1357, Aprilis 28, Parisiis.

Hodie presente magistro [Guillelmo] priore Beate Marie de Campis apud Essonam, magistro in theologia, Adam de Francovilla, mag. in medicina, Jacobo de Pavillione, majori bedello rectoris Universitatis, Johanne de Assiaco, bedello teologorum, et pluribus aliis magistris, scolaribus et bedellis, Jo[hanne] d'Orli, dominis Guillelmo Coustour, Johanne de Paris, Herveo Flogier, capellanis ecclesie Paris., rector Universitatis Paris. per os dicti magistri [Guillelmi] in theologia supplicavit dominis [canonicis Paris.] quatenus amore matris sue Universitatis, et non de rigore, Talerandum Coconnerii, quem filium dicte matris esse asserebat, qui erat eorum carceribus mancipatus, abire dimitterent. Qua supplicacione facta, dictis rectore cum suis secacibus predictis capitulum exeuntibus, deliberatione habita super supplicacione predicta inter dominos, dictisque rectore cum sequacibus predictis ad capitulum revenientibus, domini per os cantoris responderunt quod, si dictus Talerandus cum humilitate et reverencia decentibus veniret, et caucionem de stando juri eis dare vellet, amore Universitatis illum abire dimitterent. Quo veniente et dicente quod si eos in aliquo offenderat, hoc sibi multum displicebat, et tandem per ejus fidem in manu mea [*i. e.* notarii] prestitam, salvo honore matris sue predicte, promisit stare juri coram eis super omnibus quibuscunque, super quibus apud eos fuerat delatus. Et hoc facto dicti domini eum a dictis carceribus dimiserunt; dictis vero re[ctore] et suis sequacibus graciarum actiones referentibus.

Arch. nat. Paris. LL. 106ª (*Act. capit.*), p. 39, ad diem « veneris post *Misericord. dom.* an. [MCCCL] vij^mo, presentibus

dominis (canonicis Paris.) Vi[tali] cantore, P[etro de Roniaco] archidiacono Brie, Eblone Fouchier, Gilberto Hamelin, St[ephano] de Parisius, Regnaudo de Bruxia, Mar[tino] de Mellou, Ytherio de Jorrassa (Jarrossa), Johanne [Lupi] succentore, P[etro] Ponerelli, Girardo de Curtillis, P[etro] de Caritate[1], Dyonisio de Duclaro[2], Bernardo de Chenaco, Johanne de Essartis, P[etro] de Alvernia[3], Roberto de Seris, Hely [de Corsone] penitenciario[4] ». — Ex alio fonte Jourdain, nº 659, documentum amplum de eodem negotio (cum nominibus partim vitiatis) edidit.

1. Ipse an. 1359, Jun. 1, defuncto Vitale de Prinhaco, recepit cantoriam Paris. (Arch. nat. Paris. LL. 106ª, p. 150), quam tenuit usque ad an. 1362, quo ei Thomas Maalou successit (vid. ibid. LL. 106ᵇ, p. 321 et *Chartul.*, II, p. 628, not. 10). — 2. De quo aliisque in *Chartul.*, II. Vid. *Indic.* — 3. Ipse est idem ac Petrus Calcati de Alvernia in *Chartul.*, II, p. 362, not. 22; 631, not. 29, qui erat mag. in art. et med., et postea decanus S. Marcelli; sed jam ante an. 1356 factus est can. Paris. An. 1364, April. 29, capitulum Paris. magistris et scholaribus S. Nicolai de Lupara, « qui petierunt primo per modum legati libros medicinales, qui fuerunt defuncti mag. Petri de Alvernia quondam canonici Paris.; deinde per modum obligacionis et restitucionis fiende dicte domui scolarium, in qua dictus defunctus suum *fundamentum obtinuit in studendo et circa studium proficiendo tam in artibus quam in sua licentia medicine* », negative respondit. Sic et postea (Arch. nat. Paris. LL. 106ᵇ, p. 493). — 4. Vid. *Chartul.*, et infra nº 1262, not. 1.

1233. *Ordinatio Capituli generalis Ord. Praed. sub mag. gen. Simone de Lingonis de studiis, de ordine baccalareorum in lectura Sentent. Parisiis, et de praesentatione eorum ad magisterium.*

1357, Maii 28 circiter, Venetiis.

Mandamus ac districte imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus.... quatenus nullus frater noviter transiens de studio philosophie ad studium theologie audeat studere vel legere ex proposito et morose in doctrinis vanis et mechanicis[1], quoadusque ad minus studuerit et legerit sic, quod non habeat ignorantiam terminorum et communium conclusionum et vere doctrine in doctrina sancti doctoris[2] et doctorum nostrorum antiquorum et aliorum et potissime sanctorum, ne ignorantes quod et quid falsum, varios, quod absit, prolabantur in errores.... Idem.... volumus de studentibus Parisius, Oxonie et aliorum studiorum generalium intraneis vel extraneis, necnon lectoribus, cursoribus et sublectoribus et generaliter studentibus Ordinis universis.... imponentes omnibus lectoribus principalibus et cursoribus et magistris studentium in theologia, ne ipsi questiones mere philosophicas et logicas audeant disputare vel tractare, sed potius theologicas et morales....

Item[3] ut magistris et bachalariis Parisien. omnis dissensionis occasio subtrahatur, volumus et ordinamus quod quandocunque infra eundem annum contigerit Parisius duos bachalarios nostri Ordinis legere Sententias, quorum unus legat in estate, alter vero in hyeme[4], ille qui in yeme legerit Sententias[5], primo ad magisterium presentetur, alter vero quibuscunque annis sequentibus legentibus [Sententias] in presentatione et magisterio preferatur, nisi forte in predictis per sedem apostolicam contigerit aliter dispensari. Addicientes ad predicta, quod multorum bachalareorum intraneorum[6] licentia et expeditio ad magisterium graciosa non tollit nec prejudicat expeditioni intraneis debite de rigore. Et idem per omnia dicimus de bachalareis extraneis, et volumus imposterum taliter observari.

Bibl. Univers. Bonon. ms. 1535, Capit. general. Ord. Praed. contin. — Non repetimus ordinationes factas an. 1353,

1360, 1361, 1362, etc., quod Parisiis noviter licentiatus et magister ibid. permaneat legendo et regendo, quousque praesentem ibi habuerit successorem. Vid. *Chartul.*, II, nº 723. Item aliam ordinationem an. 1353, ne magistri, lectores, baccalarei in suis principiis pictantias faciant. *Chartul.*, II, nº 1071.

1. Ms. potius : « Ochanicis ». — 2. I. e. S. Thomae de Aquino. Similia jam in tom. II *Chartul.*, nº 1127, et in Capit. generalibus an. 1352, 1353, 1354, occurrunt. — 3. Haec ordinatio jam an. 1355 et 1356 in Capitulis generalibus promulgabatur. — 4. An. 1356 : « alter vero ordinarie », quod idem est. — 5. An. 1356 : « ille qui ordinarie Sententias legerit ». — 6. I. e., provinciae Franciae.

1234. *Lite suborta inter nationes Gallicorum, Picardorum et Normannorum in facultate medicinae Paris. de electione decani et examinatorum, compromissum inter ambas partes factum est.*

1356, Januarii 25, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Dudum inter venerabiles et discretos viros magistros facultatis medicine de natione Gallicana, ex una parte, ac venerabiles et discretos viros magistros ejusdem facultatis Picardie et Normannie nationum ex altera, super electione decani et examinatorum dicte facultatis suborta questionis materia, factoque exinde inter ipsas partes super hoc compromisso, tandem noverint universi presens publicum instrumentum inspecturi, quod anno a Nativitate Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo sexto[1], indictione nona, mensis Januarii die vigesima quinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Innocentii divina providentia pape sexti anno quarto, in mei notarii publici et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presentia, personaliter comparentibus venerabilibus et discretis viris in dicta facultate magistris, videlicet Johanne de Couciaco[2], Thoma le Ghisnoys[3], Johanne Berthelelli, alias de Autissiodoro, Johanne de Woist[4], Nicolao de Savoneriis, Gervasio Christiani[5], Guillelmo Osberi[6], Dominico de Clavasio, Gilberto de Celseto[7], Johanne Laurentii[8], Arnoldo de Capella et Roberto Bermain, in capitulo Sancti Mathurini Parisiensis congregatis ac etiam convocatis, ut moris est, congregationemque dicte facultatis sue facientibus ibidem et ipsam facultatem representantibus, considerantibusque diligenter quod, quia super modo eligendi decanum et examinatores predictos coram arbitris verteretur materia questionis, que electiones diutius differri sine magno dispendio et periculo ejusdem facultatis usque ad arbitrorum decisionem non possunt : ideo cum predicti magistri dubitent quem modum in dictis electionibus celebrandis debeant observare, propter causas predictas ad hujusmodi decani et examinatorum electionis modum per sortem condescenderunt in formam que sequitur inferius annotatam, protestacionibus tamen a dictis partibus factis primitus et admissis specialiter et expresse, quod per electionem hujusmodi presentem nulli hujusmodi partium nec juri et possessioni ipsarum et earum cujuslibet prejudicium nec jus nemini quovis modo generetur in futurum. Et renuntiavit utraque pars predicta per presentem electionem, ac si presens hujusmodi electio facta non esset, in futurum quovis modo nullatenus se juvare, promittens michi publico notario infrascripto legitime stipulanti et recipienti vice, nomine et ad opus omnium et singulorum quorum interest

vel interesse poterit quolibet in futurum premissa omnia et singula ac modum electionis inferius annotatum tenere, observare ac fideliter adimplere et non contra ea vel eorum aliquod per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, venire, fide media michi publico notario infrascripto per magistros hujusmodi partium predictos super hoc prestita corporali.

Modus vero electionis, de quo supra fit mentio, sequitur et est talis. Magistri Nicolaus de Savoneriis pro Gallicana et per Gallicos, et Arnoldus de Capella pro Picardis et Normannis ac per Picardos et Normannos, a dictis partibus unanimiter electi et ab eisdem partibus seu a loco quo hujusmodi partes sedebant aliquantulum elongati, duos denarios acceperunt et inter se ordinaverunt quod, cui partium hujusmodi per unum aliorum magistrorum talis denarius hujusmodi denariorum traderetur, hec pars partem quam vellet eligeret, et alteri parti alia electio remaneret. Quo facto taliter inter ipsos Nicholaum et Arnoldum ac eciam ordinato, iidem magistri Nicolaus et Arnoldus ad alios accedentes, magistro Johanni de Couciaco predicto hujusmodi denariorum unum uni parti, et alterum alteri parti casualiter distribuendum tradiderunt, qui magister Johannes de Couciaco hujusmodi denarios accepit, et statim unum de hujusmodi denariis magistro Nicolao et alterum magistro Arnoldo a predictis casualiter distribuit. Et quia per distributionem hujusmodi magister Nicholaus predictus denarium pro electione signatum obtinuit, et magister Arnoldus denarium alterum habuit, hinc est quod magistri de natione Gallicana decanum eligere volentes, magistrum Guibertum de Celseto[9] pro decano elegerunt, et magistri aliarum nationum predictarum magistros Johannem de Couciaco, Nicolaum de Savoneriis, Guillelmum Osberi et Robertum Bermain predictos pro examinatoribus dicte facultatis elegerunt. Et voluerunt dicte partes, quod decanus et examinatores predicti sic electi usque ad terminum decanatus consuetum durent in suis officiis, nisi arbitri super dicto compromisso electi super dicta[10] materia sententiaverint vel alii loco ipsorum. Super quibus premissis omnibus et singulis a me publico notario infrascripto publicum petitum fuit instrumentum. Acta fuerunt hec de mane sicut et ubi supra, presentibus ad hoc venerabilibus et discretis viris magistris Johanne Martinelli, Guillelmo Poignant[11] dicte facultatis magistris, consentientibus in premissis et ab ipsis sicut et ceteris, fide super hoc prestita corporali, testibus cum Jacobo Le Fourrier, ipsius facultatis bedello, ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et Ego Henricus de Septemvannis[12], clericus Bajocensis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, premissis omnibus et singulis una cum dictis testibus vidi, *etc.*

Arch. nat. Paris. MM. 266, p. 162. Cf. documenta sequentia.

1. Secundum stilum communem, ut ex indictione et anno pontificatus apparet. — 2. Multi sequentium jam in *Chartul.*, II. Vid. *Indic.* — 3. Ms. : « Guinart ». Vid. *Chartul.*, II, 528, 630. — 4. Fortasse « de West », qui in *Chartul.*, II, 644. — 5. Celeberrimo inter omnes, qui fundavit collegium Parisiis. — 6. Vid. *Chartul.*, II, 630. — 7. Seu « Guibberto ». Vid. *Chartul.*, II, 633. Notus est « Guibert de Celsoi », de quo Le Clerc et Renan, *Hist. litt.*, I, p. 516. Verisimiliter eo jubente ingentia duo volumina *Rasis Continentem* offerentia, « pro magistro Guibberto » an. 1379 scripta sunt, quae nunc in

Bibl. Univ. Paris. ms. nis 126-127 conservantur. — 8. Ms. « Laurentio ». Postea : « Darnaldo ». — 9. Ms. addit « du Saulsay », sed vid. not. 7. — 10. Ms. add. : « quovis ». — 11. Seu « Pougnant », in *Chartul.*, II, 606, 638. — 12. Ipse et medicinae mag. erat. Vid. ad an. 1362, Novemb. 26. Jam in *Chartul.*, II, 638.

1235. *Facultas medicinae, suborta lite inter nationes Gallicorum, Picardorum et Normannorum ejusdem facultatis, de modo eligendi decanum et examinatores facultatis, eligit duos magistros ad stabiliendum modum.*

1357, Novembris 25, Parisiis.

In nomine Domini. Presentis publici instrumenti seriem inspecturis cunctis pateat evidenter, quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo septimo, indictione undecima secundum morem Francie[1], mensis Novembris die vicesima quinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Inocentii divina providentia pape sexti anno quinto, venerabiles et discreti viri magistri facultatis medicine Parisiensis vocati per bidellum juratum, ut moris est, ac etiam congregati Parisius in Sancti Maturini capitulo dicti loci in congregatione facultatis, ut dicebant, ad ordinandum super quadam discordia dudum mota in dicta facultate inter nationes Picardorum et Normannorum ex una parte, et nationem Gallicorum ex altera super electione decani et examinatorum ejusdem facultatis[2], ex eo quod dicte nationes Picardorum et Normannorum asserebant quod decanus et examinatores antedicti debebant fieri secundum formam statutorum inscriptorum in libro facultatis memorate et juratorum, ut dicebant, videlicet quod decanus debebat eligi per quatuor juniores magistros quatuor nationum, scilicet Gallicorum, Picardorum, Normannorum et Anglicorum, presentes die et hora hujusmodi electionis celebrande, si de quatuor dictis nationibus essent supposita dicta hora; et si die et hora supradictis in una predictarum nationum suppositum non haberetur, tres alii de tribus nationibus magistri poterant eligere decanum ipsis unanimiter concordantibus in unum; si autem de duabus nationibus nulla essent presentia supposita dicta hora, magistri tunc presentes ordinarent secundum quod eis videretur expedire; — et natio Gallicana asserebat, se de consuetudine obtinere quod defficiente natione aliqua ipsa[3] debebat supplere locum illius, ponendo unum intrantem loco illius de sua natione.

Et quantum ad examinatores asserebant et dicebant dicte nationes Picardorum et Normannorum, quod electores examinatorum debebant eligere quatuor magistros sufficientes ad examinandos scolares volentes incipere cursus suos, non distinguendo nationes, prout in libro statutorum in quodam statuto super hoc confecto plenius continetur; et dicta natio Gallicana asserebat, de consuetudine se habere, quod duo examinatores semper debebant esse de sua natione.

Ob hoc in mei notarii publici et testium infrascriptorum presentia personaliter constituti magistri facultatis supradicte ad perpetuam rei memoriam et infrascriptorum integraliter observantium, habita super hoc deliberatione matura, ordinaverunt in hunc modum, videlicet quod duo magistri eligerentur ex parte facultatis memorate vel dictarum natio-

num, qui haberent potestatem terminandi decani brigam seu discordiam, et ordinandi super illa, non obstantibus statutis vel consuetudinibus, si qua vel que essent contraria vel contrarie quoquo modo, [qui] electores possent eligere decanum ista vice, et ordinare de modo eligendi ipsum in futurum, et etiam de modo eligendi examinatores in ejusdem facultate, sine[4] hoc quod dicta statuta vel consuetudo possint in posterum contra eorum ordinationem allegari, si et in quantum contra illas vel illa ordinarent.

Ad quod ordinandum et faciendum fuerunt ordinati et electi venerabiles et discreti viri magistri Ebrardus de Conti[5] et Guibertus de Celseto, magistri in eadem facultate tunc regentes, protestatione tamen prius facta et admissa a partibus utrobique, quod dicta electio duorum electorum ratione paritatis non prejudicaret alicui partium predictarum nec alicui jus quereret vel quesitum conservaret quovis modo. Et data fuit eis potestas tractandi et ordinandi de discordia sive briga supradictis, sicut superius est expressum; et promiserunt omnes et singuli magistri memorate facultatis tunc presentes, quorum nomina inferius sunt scripta, per eorum juramenta fide michi publico notario infrascripto legitime stipulanti per eos super hoc tradita corporali, dictam ordinationem dictorum duorum magistrorum super premissis faciendam tenere, adimplere integre, firmiter et inviolabiliter perpetuo observare sine oppositione, contradictione, expositione et cavillatione quibuscunque.

Et ego Gervasius Christiani, actu regens in eadem facultate, notarius publicus, super premissis requisitus quidem, in manu venerabilis et discreti viri magistri Johannis de Couciaco tunc presentis et officium decani dicte facultatis tanquam antiquior exercentis, tenere, adimplere et etiam observare, prout superius, promisi. Super quibus premissis omnibus et singulis a me publico notario infrascripto publicum petitum fuit instrumentum. Acta fuerunt hec Parisius, sicut et ubi supra, presentibus ad hec venerabilibus et discretis viris magistris Johanne de Couciaco, Adam de Francovilla, Bartholomeo Bonneti[6], Petro Lupi de Montibus, Johanne[7] de Autisiodoro, Ebra[r]do de Conti predicto, et Nicolao de Savoneriis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis, una cum magistris Guillelmo Osberi[8], Dominico de Clavaxio[9], Arnoldo de Capella, Johanne de Sancto Trudone, Hugone Tenouilleti, Guillermo de Bosco[10] et Matheo Ricoul[11].

Ego Gervasius Christiani, clericus Bajocensis diocesis antedictus, Sacri Romani Imperii auctoritate publicus notarius, premissis omnibus et singulis dum sic agerentur, ut prefertur, una cum eis prenominatis testibus presens fui eaque sic fieri vidi et audivi et in hanc formam publicam redegi, aliisque negotiis occupatus per alium scribi feci, hicque nomen meum scripsi ac etiam signum meum in testimonium premissorum huic presenti publico instrumento apposui consuetum, rogatus....

Arch. nat. Paris. MM. 266, p. 163.

1. I. e. secundum indictionem Bedanam, quae 24 Septemb. incipiebat, non 25 Decemb. vel 1 Januarii, ut indictio Romana, quae per totum an. 1357 erat decima. Indictione Bedana utebantur in curia Paris., et in Actis capit. Paris. (LL.

105 sqq.) semper haec indictio notatur. — 2. Vid. supra nº 1234. — 3. Ms. : « ipsi ». — 4. Ms. : « sive ». — 5. Evrard de Conti, qui primus *problemata Aristot.* in linguam Gallicam traduxit, in Bibl. nat. Paris., mss. franç. 24281, 24282. Vid. Delisle, *Cab. des mss.*, II, 224 ; III, 183. — 6. De isto et sequenti *Chartul.*, II, *Indic.* — 7. Vid. *Chartul.*, II, 638. — 8. Ibid., II, 634. — 9. Berthelelli. — 10. Vid. *Chartul.*, II, 639. — 11. Ibid., 634.

1236. *Decretum facultatis medicinae de modo eligendi decanum et examinatores.*

1357, Decembris 23, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Super eo quod inter nationem Gallicorum ex una parte, et Picardorum ac Normannorum nationes ex altera, in facultate medicine Parisius constitutas, de modo eligendi decanum ipsius facultatis ac examinatores scolarium cursus suos incipere volentium in eadem suborta fuisset brige et discordie materia, ad quas quidem sedandas, pacificandas fineque debite terminando, ceteraque faciendo, que et prout in quodam publico instrumento sub signo et subscriptione discreti viri magistri Gervasii Christiani in dicta facultate actu regentis, publici imperiali auctoritate notarii, confecto plenius continentur[1], venerabiles et discreti viri magistri Ebrardus de Conti et Guibertus de Celseto, magistri regentes in dicta facultate, fuissent ab eadem facultate expresse et specialiter deputati : noverint universi hoc presens publicum instrumentum inspecturi, quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo septimo, indictione undecima secundum morem Francie[2], mensis Decembris die vigesima tertia, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Innocentii divina providentia pape sexti anno quinto, Parisius in capitulo Sancti Maturini, assistentibus ibidem venerabilibus et circumspectis viris magistris Adam de Francovilla, Bartholomeo Bonnetti, Petro Lupi de Montibus, Johanne de Autissiodoro, Ebrardo de Conti, Nicolao de Savoneriis, Guillelmo Osberi, Dominico de Clavasio, Guyberto de Celseto, Arnoldo de Capella, Johanne de Sancto Trudone, Hugone Tenoilleti, dicte facultatis magistris actu regentibus, vocatis per bedellum juratum, ut moris est, ad congregationem dicte facultatis ibidem faciendam, ipsamque congregationem inibi facientibus et representantibus, nostrumque notariorum publicorum et testium infrascriptorum presencia, personaliter constituti dicti magistri Ebrardus et Guibertus virtute potestatis eisdem ab eadem facultate attribute super contentis in dicto instrumento ordinaverunt, decreverunt seu decretum et ordinationem sua[3] promulgaverunt in modum qui sequitur et in formam :

Videlicet quod quocienscumque in hora electionis decani dicte facultatis faciende fuerint Parisius magistri regentes in dicta facultate de qualibet natione (scilicet Gallicorum, Picardorum, Normannorum et Anglicorum) unus vel plures, et in loco, ubi debebit dicta electio celebrari, quatuor juniores hujusmodi magistrorum et nationum tunc in eadem electione celebranda existentes decanum predictum eligent modo et forma contentis in statuto super hujusmodi electione decani confecto in libro seu registro ipsius facultatis annotato, et si de una vel duabus nationibus nullus magister actu regens in dicta facultate

in loco et hora electionis hujusmodi presens extiterit, decanus ipsius facultatis, qui tunc erit, vel ejus substitutus debite constitutus, de qualibet natione unum magistrum actu regentem in ipsa facultate Parisius et [ibi] existentem nominabit, quem sciet fore habilem et idoneum ad decanatus hujusmodi officium exercendum ad honorem et commodum memorate facultatis, et ille de istis nominatis, qui per deliberationem magistrorum ipsius facultatis et in ipsa actu regentium in electione hujusmodi celebranda existentium plures voces habebit, erit decanus facultatis supradicte. Quod si duo vel tres istorum nominatorum equalitatem et paritatem vocum habuerint, inter magistros, qui in congregatione, in qua debebit hujusmodi decani electio celebrari, personaliter intererunt, sors ponetur, et ille super quem sors cadet, vocem duorum habebit, et ille de istis nominatis, cui iste, qui vocem duorum habet, suam vocem concessit, erit decanus, et per decanum, qui tunc erit, decanus concludetur.

De electione vero examinatorum predictorum ipsi Ebrardus et Guibertus ordinaverunt in hunc modum, scilicet quod duo juniores et duo antiquiores magistri nominate facultatis actu Parisius regentes in eadem, in hora electionis et in congregatione, quibus fiet seu fieri debebit hujusmodi examinatorum electio, existentes non distinguendo nationes examinatores eligent, sicut in statuto super eadem electione confecto et in libro ipsius facultatis seu registro contento et in scripto plenius dicitur contineri. Super quibus premissis omnibus et singulis a nobis notariis publicis infrascriptis dicta facultas et presertim dicti magistri Ebrardus et Guibertus publicum sibi fieri petierunt instrumentum.

Acta fuerunt hec Parisius anno, indictione, mense, die, loco et pontificatu quibus supra, presentibus ad hec discretis viris magistris Gervasio Christiani, Ricardo Mignoti, publicis notariis, Guillelmo de Bosco et Matheo Ricoul, dicte facultatis magistris regentibus, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Gervasius Christiani, clericus Baiocensis diocesis antedictus, sacri Romani Imperii auctoritate publicus notarius atque regens in dicta facultate, premissis omnibus et singulis, dum sic agerentur ut superius inscribuntur, una cum notario infrascripto et testibus superius scriptis presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, signumque meum in testimonium premissorum huic presenti publico instrumento super hoc confecto apposui consuetum, rogatus. Rasuram....

Et ego Ricardus Mignoti, magister in artibus, Baiocensis diocesis, publicus auctoritate imperiali notarius, omnibus et singulis supra dictis per predictos magistros Ebrardum et Guibertum ordinatis, una cum prenominatis testibus presens interfui, presensque publicum instrumentum signo meo solito signari rogatus....

Arch. nat. Paris. MM. 266, p. 164 b.

1. Vid. docum. praecedens. — 2. Vid. ibid. not. 1. — 3. Ms. : « suos ».

7.

1237. *Juramenta et statuta consueta in parvis scholis grammaticalium villae, civitatis, Universitatis et suburbiorum ac banleucae Parisiensis*[1].

Circa an. 1357.

Quilibet magister vel magistra tenetur ad ista per juramentum :

1. Quod fideliter exercebit officium docendi pueros, diligenter eos instruendo in litteris, bonis moribus et bonis exemplis.

2. Quod exibebunt honorem et reverentiam domino cantori[2], et quod jura cantorie pro posse fideliter observabunt, ad quemcumque statum pervenerint.

3. Quod in hiis que spectant ad scolarum regimen, exibebunt obedientiam eidem cantori.

4. Quod nullus magistrorum pueros socio allocatos sine illius licentia tenebit, et quod se teneat pro contento[3].

5. Nullus subtrahet, per se vel per alium, pueros alteri sociorum conductos.

6. Nullus socium suum detractorie diffamabit; poterit tamen denunciare cantori.

7. Nullus tradet scolas suas ad firmam, nec habebit socium, sed habere poterit submonitorem.

8. Nullus tenebit submonitorem qui cum alio magistrorum fuerit, nisi tribus scolis intermediis.

9. Nullus procurator alicujus curie scolas obtinebit.

10. Nullus capellanus similiter[4].

11. Nullus submonitor tenebit scolas juxta magistrum suum, nisi tribus scolis intermediis.

12. Nullus magistrorum mulierem mechantem tenebit.

13. Quilibet tenebit pacem cum socio; et de discordia propter scolas orta stabit in dicto domini cantoris sub pena privationis scolarum.

14. Nullus trahet coram alio quam cantore socium de causa orta ex scolis, sub pena antedicta.

15. Nullus recipiet scolas ab alio collatore in aliqua parrochia : esto quod de facto alius a cantore voluerit dare sibi.

16. Quilibet debet interesse in vigilia sancti N[icolai] in vesperis, in die in missa et hora vesperarum, in vigiliis pro deffunctis, et in crastino in missa.

17. Quilibet magister aut magistra stabit in limitibus gratie sue, ita quod non excedet in numero aut sexu puerorum, seu etiam in qualitate librorum.

18. Quilibet reddet litteram[5] in fine anni, scilicet in Nativitate sancti Johannis, vel etiam quando dimittet scolas.

19. Non intendo[6] alicui dare scolas, nisi usque ad terminum Nativitatis sancti Johannis, et nisi faciat juramenta et nisi habeat litteram.

20. Si quis excedat numerum puerorum, retineo in mea[7] dispositione pretium scolarium ultra numerum concessum.

21. Nullus exeat villam nisi sit festum, nisi de licentia cantoris, et nisi dimittat submonitorem sufficientem, et hoc de consensu cantoris.

22. Omnes magistri et magistre debent esse in exequiis magistrorum seu magistrarum.

23. Nulla mulier habeat nisi filias[8].

24. Nullus doceat libros grammatice, nisi sit bonus grammaticus et sufficiens.

25. Si quis sciat aliquem docentem pueros sine licentia[9], revelabit[10].

26[11]. [Jurent quod] pro scolis habendis nihil dederunt aut promiserunt, nichilque in futurum promittent seu dabunt.

27. Similiter pro scolis alicui magistro procurandis nichil ab aliquo recipient seu aliquod pactum facient.

28. Item, si conti[n]gat vos capere vicemagistrum, presentabitis eum domino cantori infra octo dies, et antequam pactum aliquod feceritis cum ipso vicemagistro; et si cantor sit absens, simili forma presentabitis procuratori[12], in quo casu ibitis ad illum, quem procurator vobis nominabit; et non recipietis vicemagistrum, nisi de beneplacito cantoris[13].

29. Item, non recipietis vicemagistrum nisi de consensu domini cantoris, aut ipso absente, procuratoris ejus, seu deputati per ipsum.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 192, fol. 41. Hoc folium, quod ultimum est, consutum est codici an. 1357 scripto, ut tabula pascharum (fol. 37 et 38^{b}) probat. Rasurae et mutationes in juramentis obviae nos docent minutam seu originalem esse illius cantoris Parisiensis qui ea redegit, videlicet Vitalis de Prinihaco. Inde edidit Cl. Joly, *Statuts et réglemens des petites écoles de grammaire de la ville, cité, université, faux-bourgs et banlieuë de Paris*, etc., 1672, p. 1-5, sed non ea qua par erat diligentia. Postea codice cantoris quasi perdito, sola Claudii Joly editione usi sunt Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 447, et Philibert Pompée, *Rapport historique sur les écoles primaires de la ville de Paris* (Paris, 1839), I, p. 27. — Eadem juramenta et statuta in usum magistrarum gallice reddita, quae substantiam 25 priorum articulorum in 27 rubricis continent, dabimus in *Appendice*, nº 1713. Quae Joly, p. 7-13 (Félibien, p. 447), publici juris fecit, quasi anno 1357 gallice versa, plurimas mutationes offerunt aetatemque multo recentiorem redolent.

Scholarum parvarum magistros et magistras ad erudiendos pueros et filias in religione et grammatica cantor Paris. ecclesiae instituebat. Scholae tantum in insula (sedes in civitate), in parochiis S. Severini, S. Eustachii, S. Gervasii, S. Germani Autissiod., S. Nicolai de Campis, S. Pauli, ad collationem cancellarii Paris. erant, ut apparet e doc. an. 1423 apud Pompée, p. 29, not. 2. Inde rixae inter cancellarium et cantorem. Certe cantor in quibusdam scholis paroch. S. Germani Autis. et S. Severini etiam magistros instituebat, ut e documentis an. 1359, Maii 5, ediscimus. Et Universitas plurimum auctoritatis apud scholas in parte sinistra Sequanae sitas habebat, de quo vid. exemplum supra ad an. 1354, Augusti 25, nº 1220, quanquam parvae scholae ab Universitate Paris. distinguebantur. — In cathedrali ipsa scholae parvae existebant, ut notum est, et ad an. 1363, April. 21, mentio fit « mag. Joh. de Arceyo, mag. scolarum grammaticalium puerorum chori » (Arch. nat. Paris. LL. 106^{b}, p. 358). Nomina similium magistrorum non raro occurrunt.

Magistri et magistrae litteris testimonialibus cantoris muniti esse debebant, quarum aliquae adhuc supersunt. Jam Pompée, p. 175, edidit litteras cantoris Vitalis de Prinihaco (de quo *Chartul.*, II, *Indic.*, et supra nº 1232, not. 1), quibus an. 1359, April. 2, Guydomaro de Villaordei presb. docendi pueros in vico de Quinquempoit Paris. usque ad festum S. Joh. Bapt. licentiam concedit. Aliae exstant in Arch. Univers. Paris., thec. I, liasse 3, n^{i} 1-4. Sic an. 1359, Maii 5, idem cantor sequentem chartam sigillavit : « Universis presentes litteras inspecturis Vitalis de Prinihaco legum professor, cantor ecclesie « Beate Marie Parisiensis, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod nos de gratia speciali ac intuitu pietatis « magistro Roberto Vavassoris clerico magistro in artibus docendi et erudiendi pueros in scolis nostris in vico dicto D'Ave- « ron, parochie Sancti Germani Autisiodorensis, in hiis in quibus nos et predecessores nostri dare et concedere consuevimus, « videlicet a data presentium usque ad instans festum Nativitatis beati Johannis Baptiste, et de dicto festo Nat. beati Joh. « Baptiste usque ad annum terminantem et completum tenore presentium concedimus facultatem. In cujus rei testimonium « sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini Mº CCCº LIXº, die martis post dominicam

« qua cantatur *Cantate.* » — Aliam chartam ejusdem temporis notae pro Gaufrido Vavassoris, cler. licent. in artibus, in scholis Sancti Severini Paris., vid. ibid. et apud Jourdain, nº 673. — An. 1371, Aug. 25, cantor Guillelmus de Salvarvilla, doctor in s. pagina (de quo *Chartul.*, II, p. 641, not. 15), mag. Garnerio de Mauvagiis licentiam erudiendi pueros in eadem parochia « usque ad numerum duodecim, in quibus nos et predecessores nostri dare et concedere consuevimus », usque ad festum S. Johannis Bapt. an. 1372 concedit. — Et an. 1376, Junii 24, idem cantor licentiam erudiendi pueros in parochia S. Mederici concedit mag. Nicholao de Valle, usque ad eumdem terminum an. 1377. — Infra ad an. 1380, Maii 6, non minus quam 41 magistri, tam clerici quam laici, et 21 rectrices scholarum grammaticalium in villa Paris. et inter banleucam afferuntur.

1. in ms. solus titulus : « Juramenta magistrorum et magistrarum. » — 2. « ecclesie Paris. » add. supra lineam. — 3. Manu alia mutatum in « et donec se teneat pro contento de illis ». — 4. Postea add. « aut beneficiatus, absque dispensatione domini cantoris ». — 5. « cantori » add. sup. lin. — 6. Postea corr. in « non intendit cantor ». — 7. Postea corr. in « retinet cantor in sua ». — 8. Postea add. « absque dispensatione cantoris, nec magister nisi pueros mas[culos] » Finis omnino vetustate deletus. Pro « masculos », frustra Joly ed. « nisi de ejusdem dispensatione ». — 9. « cantoris » add. s. lin. — 10. Postea add. s. lin. « statim cantori ». — 11. Articuli 26-29 manu alia addita sunt, neque in versione gallica (quae in codice sequitur) redduntur; itaque paulo posteriores judicandi sunt. — 12. Sic ms. hic et infra. Perperam Joly ter edidit « procantori ». — 13. Sequuntur verba sine sensu « aut cato », id est cantor, sententia hiante, quasi in minuta propria auctoris. Ceterum notandum art. 29 inutilem esse, cum finem art. 28 iteret.

1238. *Carolus, dux Normanniae, concedit, ut vicus Straminum nocte claudatur, ne magistri et scholares de mane venientes ibidem spurcitias inveniant.*

1358, mense Maii, Compendii.

Karolus, regis Francie primogenitus, regnum regens, dux Normannie et Dalphinus Viennensis. Notum facimus tam presentibus quam futuris, quod cum dilectis filiis nostris magistris, scolaribus Parisius studentibus in artium facultate a principio fundationis studii Parisiensis vel quasi, certus vicus ultra Parvum Pontem vocatus gallice *la rue du Feurre* eisdem magistris ad legendum, scolaribus vero [ad] audiendum et proficiendum fuerit assignatus, et in dicto vico temporibus retroactis dicti magistri pacifice legerint ac scolares audierint sine inquietatione vel nota[bi]li perturbatione : nunc vero crescente malitia hominum et inimico scientie zizaniam inter bonos et alios seminante, in dicto vico de nocte immunditias et fecosa portando ac ibidem dimittendo, que corda et corpora ibidem inhabitantium corrumpunt et infestant; sed, quod horrendius seu detestabilius est inter studentes et philosophos reperiri, per le[n]ones et spurcissimos homines, Deum nec scientiam pre oculis habentes, imo, ut presumendum est de talibus, florem et margaritam scientie impedire potius cupientes, de nocte villissime et inhonestissime hostia scolarum franguntur ac in eisdem meretrices communes ac mulieres immunde adducuntur ac in eisdem villissime et inhonestissime aliquotiens pernoctando et remanendo, immundicias orribiles tam super cathedras dictorum magistrorum quam per scolas et loca, in quibus scolares sedent et sedere debent, faciunt et dimittunt, quod in crastino magistri ad legendum, scolares ad proficiendum, ibidem accedentes et tam enormia, turpia ac fetida reperientes, a tam fetido, horrendo et immundo loco fugiunt et recedunt — quid mirum, cum philosophos mundos esse deceat et honestos et habitare loca munda, decentia et honesta? — et sic, quod dolendum est et dampnosum, tunc temporis sepedictos magistros et scolares a suo studio,

lectura et auditorio, necnon a fine principaliter intento, scilicet margarita scientie, defraudari. Quibus impedimentis, perturbationibus et inquietationibus continuatis et durantibus, iidem supplicantes dictum vicum diu inhabitare [non] possunt, neque possent, nisi per nos et de nostra gratia speciali eisdem provideremus de remedio opportuno. Et cum in dicto vico sint due extremitates vel exitus, qui ad impedimenta et nociva predicta removenda claudi possent, ibidem portas faciendo, que de nocte clauderentur et de die apperirentur, prout in pluribus aliis locis ville Parisiensis est repertum : iidem magistri et scolares nobis humillime supplicarunt, quatinus de hujusmodi clausura ac portis faciendis de nostra gratia speciali et scientia certa dignaremur licentiam impertiri, maxime cum hujusmodi licentiam claudendi, jam diu est, habuerunt a domino fundi terre. Nos igitur, qui intima cordis affectione volumus[1] transquilitatem, bonum honorem et quietem dilecte ac devote filie nostre Universitatis Parisiensis, cujus dicta facultas artium est quarta pars nobilis ac quartum membrum nobile, continuacionem dicti studii etiam totis visceribus affectamus, intendentes insuper dictam facultatem, que dicitur facultas septem artium liberalium, esse fundamentum, originem et principium omnium aliarum scientiarum, et sine qua nulla alia scientia haberi potest perfecte, commode ne[c] complete, ut decetero sepedicti magistri et scolares liberalius, attentius et se[cu]rius studere valeant tam legendo quam audiendo, eisdem de nostra gratia speciali, certa scientia et de nostra plenitudine potestatis, concedimus et volumus quod ad eorum et tocius vici securitatem in dictis extremitatibus seu exitibus vici predicti possint et eisdem liceat facere portas et clausuras, que de nocte claudi debeant et possint, et tota die apperiri per bonos, legitimos et certos custodes per eosdem supplicantes ibidem deputatos, dantes preposito Parisiensi presenti pariter et futuro, ac etiam committentes tenore presentium in mandatis, necnon omnibus nostris justiciariis ac regni nostri aut eorum loca tenentibus presentibus pariter et futuris, et eorum cuilibet, prout ad eum vel eos pertinere poterit, quatinus dictos magistros et scolares dicte facultatis artium faciant et permittant seu sinant et gaudere et uti pacifice et sine aliquo impedimento de presenti nostra gratia speciali. Non obstantibus quibuscunque litteris in contrarium impetratis seu etiam impetrandis, non facientibus plenam et expressam de verbo ad verbum de hujusmodi gratia per nos eisdem magistris et scolaribus facta et concessa mentionem. Salvo in aliis jure nostro et in omnibus quolibet alieno. Quod ut firmum, perpetuum et stabile permaneat in futurum, nostrum presentibus apponi fecimus sigillum. Datum apud Compendium anno Domini millesimo CCC° LVIII°, mense Maii.— *Per Dominum Regentem*, JULIANUS.

Arch. nat. Paris. JJ. 90, n° 5, fol. 2b. — *Ordonn. des rois de France*, III, 237. — An. 1362, Junii 1, idem Carolus injungit « aux maîtres de nos eaux et forêts, et au maître de notre forêt de Bierre », ut magistris et scholaribus facultatis artium Parisiis praebeant « deux arpens de bois de ladite forêt », ad hoc ut possint vicum *du Feurre* nocte claudere : « Comme ja pieça ». Sauval, *Antiquités de Paris*, III, 103.

1. Ms. : « voluntatem ».

1238ª. *Innocentius VI (Grimerio Bonifacii) cancellario Paris. injungit, ut Petrum*[1] *abbatem monasterii Fontisfrigidi, Cisterc. Ord., Narbonens. dioec., theol. baccal. Paris., servatis servandis ad magisterium promoveat.* Datum apud Villamnovam Avinion. dioc. iiij non. Junii, an. sexto. « Viri sacre ».

1358, Junii 2, apud Villamnovam.

Reg. Aven. Urbani V (inter epistolas istius papae), vol. XVIII, fol 299.

1. Petrum Clayrani, qui mortuo Johanne, an. 1356, Octob. 24, cum esset monachus dicti monasterii, factus est abbas (Reg. Aven. Innoc. VI, vol. XIV, f. 97). Erratur in *Gall. christ.*, VI, 212, cum ibidem Petrus omittatur, seu potius Johannes II Clerani nominetur.

1239. *Innocentius VI rectori et Universitati Paris. ut Stephanum Marcelli ad obedientiam reducant, et legatis apostolicis ad tractandum de pace inter ducem Normanniae et villam Parisiensem assistant.*

1358, Junii 18, apud Villamnovam.

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis rectori et Universitati studii Parisiensis, sal. et apostol. benedictionem. Moleste nimis accepimus nepharias novitates, quas Parisienses et quamplurimi aliarum communitatum illarum partium de regno Francie populi contra nonnullos ipsarum partium nobiles hostiliter et impetuose fecerunt et continue facere non desistunt. Ex quibus, si vera sunt, graves sensimus et sentimus in corde puncturas, emergencia inde animarum, personarum et rerum excidia, dictique tam nobilis, tam preclari regni scissuras aliaque detestanda et innumera mala cum profunda cordis amaritudine deplorantes. Propter quod venerabiles fratres Raimundum[1] archiepiscopum Lugdunensem et Johannem Parisiensem[2] episcopum et Johannem de Pinu priorem prioratus S. Martini de Campis Parisiensis[3] ad eosdem populos et alios de quibus eis videbitur, ut pestiferas sediciones et novitates hujusmodi, quantum poterunt ex parte nostra cessare procurent, decrevimus destinandos. Quocirca devotionem vestram rogamus et hortamur attente quatenus ob divine pietatis intuitum ac nostre et apostolice sedis reverentiam, dilectos filios Stephanum Marcelli prepositum mercatorum, scabinos et omnes cives Parisiensis civitatis et alios de quibus vobis expedire videbitur, ut ab hujusmodi perniciosis novitatibus cessent, et ad humanitatem et obedientias solitas se convertant, hortari et inducere diligenter et efficaciter studeatis, ad hoc prefatis archiepiscopo, episcopo ac priori, vel eorum alteri, quantum poteritis operose et fideliter assistendo, ita quod inde vobis a Deo et nobis et apostolica sede benedictionis et gratie proveniat incrementum. Dat. apud Villamnovam Avenion. dioc. xiiij kal. Julii, pontificatus nostri anno sexto.

Mus. Britan. ms. add. 17304, fol. 91ᵇ. Cod. Harcur , fol. 51ᵇ. — Bulaeus, IV, 345. — Notum est Stephanum Marcelli contra ducem Normanniae seditionem excitasse Parisiis dum Johannes rex captivus esset in Anglia (vid. Perrens, *Etienne Marcel*, passim). Universitatis conatus aliquantum successisse, et quidem 19 Julii, scimus e *Libro proc. nat. Angl.* (cf. *Auctar.*), et e *Les grand. chron. de France*, ed. P. Paris, VI, 126 sq. Caeterum mox Stephanus Marcelli occisus est (31 Jul. 1358). Plura vide apud Jourdain, *L'Université de Paris au temps d'Etienne Marcel* (in *Rev. des questions hist.*,

t. XXIV, 1878, p 548 sq) Quid mag. Simon Lingonensis, postea mag. generalis Ord. Praed., antea egerit, jam diximus t. II *Chartul.*, nº 1052, not 2, similiter quid mag. Robertus de Corbeia, ibid, p. 597, not. 16, et infra nº 1306.

1. Raymundum Saquet, qui, cum esset decan. eccl. Belvac. et leg. doctor, an. 1334, Octob. 22, factus est episc. Morin. (Reg. Vat. Joh. XXII, nº 108, ep. 4), an. 1356, Febr. 10, transl. ad Lugdun. (Reg. Aven. Innocentii VI, vol. XIV, f. 53); sed jam ante Aug. 25, an 1358, diem supremum clausit. Vid. infra ad an. 1363, Feb. 3 et 26. — 2. Cum esset archidiaconus Brie in eccl. Meldens., an. 1334, Octob. 12, factus est episc. Meldens. (Reg. Joh. XXII, nº 108, ep. 14); an. 1351, Januar. 3, transfertur ad Noviomens. sed. (Reg. Clem. VI, an. IX, tom. I, fol. 19); an. 1352, Febr. 8, ad Paris. eccles. (Reg. Clem. VI, nº 206, ep 40), translato Petro ad Rotomag. sedem. — 3. V. *Chartul.*, II, p. 550, nº 1090, not. 2, et p. 720, et infra nº 1279.

1240. *Concordatum inter nationes Picardicam et Anglicanam de finibus provinciarum et locorum.*

1358, Julii 12, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Noverint universi presens publicum instrumentum inspecturi, quod anno ab Incarnatione ejusdem 1358, die duodecima Julii, indictione undecima[1], pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini domini Innocentii divina providentia pape VI anno 6, in mei notarii publici testiumque subscriptorum ac totius Universitatis Parisiensis presentia apud S. Maturinum Paris. in capitulo dicti loci propter hoc personaliter constituti venerabiles et discreti viri magistri Guillelmus de Alckines et Remboldus Vener de Gamundia, procuratores et procuratorio nomine nationum, Picardorum videlicet et Anglicorum, dictus Guillelmus procurator Picardorum et dictus Remboldus procurator Anglicorum asserentes quod, cum dudum lis et litis materia seu discordia inter dictas nationes fuisset mota seu suborta super distinctione finium et limitum dictarum nationum versus partes Alemanie, de consensu dictarum nationum et procuratorum eorundem ad ejusmodi discordiam sedandam necnon finem in hujusmodi lite et controversia ponendum et bonum pacis, cujus nichil melius, inter ipsas ponendum ac etiam procurandum, certas personas hinc inde elegerunt et inter se nominaverunt Picardorum natio et natio Anglicorum infra subscriptas, ordinando et asserendo quod, quidquid per easdem esset ordinatum et distinctum, factum seu etiam judicatum, ipse nationes et procuratores earundem nomine procuratorio et pro ipsis tenerent, ratificarent, ac in perpetuum firmum et stabile approbarent, qualicunque reclamatione facienda per se vel earum alios successores. Quibus quidem tractatoribus pluries et pluries, ac in diversis locis simul congregatis[2], de bonorum ac peritorum tam jurium, quam et illorum, qui partes super quibus fuerat et erat contentio, ordinaverunt, et unanimiter concordaverunt in modo qui sequitur et in forma.

Cum alias nationes Anglicorum et Picardorum venerabilis studii Parisiensis litigassent seu disceptassent super limitibus, terminis, finibus ac districtionibus earundem nationum[3], eedem nationes, considerantes antiquas et preteritas amicitias multas et magnas habitas inter ipsas ac supposita earundem, pro bono pacis et concordie finem litibus ac disceptationibus premissis concorditer imponere cupientes, certos dederunt, ordinaverunt et elegerunt[4] tractatores viros providos et discretos, natio videlicet Picardorum magistros Guil-

lelmum de Alckines pro tunc ipsius nationis procuratorem, Robertum de Racourt, Henricum de Olmen; natio vero Anglicana magistros Alardum de Lumnen[5], Girardum dictum de Wilde et Johannem Wilhelmi[6], investitum ecclesie de Waës : quibus prefate nationes plenariam et liberam dederunt potestatem tractandi super limitibus, finibus, terminis ac distinctionibus earundem nationum, de ipsisque ordinandi et disponendi prout earum distinctionibus expedire videretur, necnon faciendi declarationes terminorum, limitum, finium ac distinctionum habitorum de jure et habendorum seu observandorum decetero inter prefatas nationes. Cumque ipsi magistri tractatores predicti pluribus et diversis vicibus tentassent de premissis, et tandem concorditer in certos modos et formam distinctionis terminorum, limitum ac finium decetero observandorum inter dictas nationes convenissent videlicet infrascriptos, quos utrinque nationibus suis ad hoc sufficienter vocatis plene retulerunt et expresserunt una voce : qui modus et forma ipsis nationibus placuere predictis ac per eosdem tractatores dicte nationes perfici, compleri et confirmari voluerunt eosdem et mandarunt, et per ipsos predictos tractatores in scriptis poni et in publica munimenta redigenda. Qui tractatores premissi de predictarum nationum voluntate et mandato modum et formam limitum, terminorum, finium, ac distinctionum nationum predictarum, prout ipsi convenerant, in scriptis posuerunt, et nationibus predictis presentarunt, legerunt et in scriptis tradiderunt in hunc modum.

Videlicet quod fluvius dictus Mosa, *etc. ut in* Auctario Chartul. Univers., *Liber procurat. nat. Anglic. ad an. 1358, Julii 12. Deinde :*

Quos modum et formam limitum, terminorum et finium ac distinctionum supradictos ipse nationes prefate plenius avizate et deliberate laudaverunt et approbaverunt et perpetuo ratos et firmos habere voluerunt et tenere promiserunt, ac earum pro tunc procuratores ipsos procuratorio nomine jurarunt observare juxta infrascripta, videlicet ut omnis decetero controversia, discordia, et pericula, que inter dictas nationes oriri poterunt in futurum, evitentur[7], voluerunt eedem nationes et concorditer ordinaverunt, ut[8] procuratores seu provisores dictarum nationum, qui pro tempore fuerint, suppositis suarum nationum exprim[er]ent premissam distinctionem, cum ad eos aliquem gradum recepturi venerint ad jurandum; necnon in suis congregationibus et eadem supposita expresse informabunt super premissis. Hoc etiam adjecto, quod si aliquis magister, vel bachalarius aut licentiatus de aliqua predictarum nationum aliquem attraxerit de limitibus alterius nationis superius declaratis seu allectaverit scienter, dolose aut fraudulenter, perjurus in dictis nationibus habeatur, nec ad aliquem honorem, gradum vel statum aut actum admittatur qualitercunque deinceps, quousque nationi, quam leserit, octo marcas persolverit argenti cum effectu. Scolaris vero, qui aliquem attraxerit fraudulenter, dolose aut scienter allectaverit, vel qui sic attractus fuerit vel allectus, tanquam resecatus habeatur, ad nullos deinceps statum, gradum vel honorem aut actum admittendus, donec nationi, quam lesit, 12 persolverit marcas argenti cum effectu, et sue competenter emendaverit nationi; quod-

que per tales attractiones sic factas nullum alicui dictarum nationum prejudicium quomodolibet poterit aut debeat generari circa distinctionem predictam. Et insuper omnia et singula supposita ad aliquem gradum decetero in aliqua predictarum nationum promovenda jurabunt, supradictos modum et formam distinctionis finium ac limitum predictorum observare inviolabiliter et tenere, nec contra eos aliqualiter facere vel venire.

Et ut premissa omnia et singula perpetuo robur obtineant firmitatis, nec ab aliquo quomodolibet infringi valeant temerarie vel dolose, predictos modum et formam limitum, terminorum, finium et distinctionum predictorum, necnon ordinationem et omnia alia et singula supradicta prefate nationes et earum procuratores nomine quo supra per me notarium conscribi fideliter petierunt, et in publica redigi munimenta, necnon sigillis Universitatis, nationum Gallicane et Normanorum unacum sigillis ipsarum nationum Picardie et Anglicorum robore muniri in testimonium premissorum, omnibus in premissis et eorum aliquibus et singulis dolo, fraude et cavillatione cessantibus penitus et exclusis. Salvo tamen in omnibus et per omnia jure aliarum nationum, Gallicane scilicet et Normanorum.

Quam quidem ordinationem et finium ac limitum distinctionem dicti procuratores nominibus quibus supra, loco et die quibus supra, in dicta Universitate supplicaverunt approbari, emologari et confirmari propter melius in futurum. Que quidem supplicatio concorditer et unanimiter per omnes facultates, theologie videlicet, decretorum, medicine et artium fuit concessa, nulla dictarum facultatum penitus discrepante. Concedentes insuper quod presentes littere sigillo dicte Universitatis magno sigillarentur propter perpetue pacis firmitatem, et totius materiam discordie removendam, prout in subscriptione, que sic incipit : *Nos rector et universitas magistrorum, etc.*, plenius continetur. Acta fuerunt hec anno, mense, die, loco, indictione, pontificatu, quibus supra, presentibus ad hec honorabilibus et discretis viris dominis et magistris Hengerenno[9] de Fresneyo, Christiano de S. Audomaro in theologia, Herberto de Sarcellis[10] in decretis, Johanne dicto Mercurel, Gervasio Christiani in medicina, Johanne Buridan[11], Nicolao de Suessione, Roberto Godefridi, Alberto de Saxonia in artibus, et pluribus aliis fide dignis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et nos rector et universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium supradictam ordinationem et limitum seu finium distinctionem per tractatores superius nominatos factam et distinctam ratificamus, approbamus et propter perpetue pacis bonum inter dictas nationes et in nostra Universitate habendum et observandum omologamus. Et ut melius et perfectius roboris firmitatem obtineant, ad dictorum procuratorum supplicationem nominibus quibus supra est et fuit supplicatum, presentibus litteris magnum sigillum nostre Universitatis antedicte unacum sigillis dictarum nationum, duarum Gallicorum videlicet et Normanorum, et signo et subscriptione publici tabellionis infrascripti duximus apponendum.

Et ego Oudardus Billeti, clericus Suessionensis diocesis, publicus auctoritate imperiali

notarius, dum omnia et singula suprascripta fierent et ordinarentur, presens fui indeque presens publicum instrumentum in formam publicam redegi. Pluribus autem aliis negotiis prepeditus per alium scribi feci....

Bulaeus, IV, 346, e *Libro Picardiae nationis* In ms nouv. acquis. lat. 535, fol. 151, Bibl. nat. Paris., Registrum nat. Anglic. continente, exstat « appunctamentum divisionis provinciarum et locorum nationis Picardie et Anglicorum », i. e. Concordatio inter dictas nationes, de quo in *Auctario Chartularii Univers. Paris.*, I, ad an. 1358, Julii 12.

1. Bul · « die 18 Julii, indict. II ». — 2. Bul. . « aggregatis » — 3. De qua lite vid. in *Auctario, Lib. procurat. nat. Anglic.* ad an. 1356, 1357 — 4. Bul. . « dederent ». — 5. In ms. Bibl. nat. . « Lunne ». — 6. Bul. : « Wlliem ». — 7. Bul. : « evidenter ». — 8. Bul. « et » — 9. I. e. Ingeranno — 10. Bull. : « Correllis ». — 11. De ipso et quibusdam aliis vid. *Chartul.*, II.

1241. *Gregorius Ariminensis*[1], *prior generalis Ord. Erem. S. Aug., ad fratres Ord. conventus Paris., de inordinata promotione lectorum.*

1358, Augusti 13.

Priori et magistris ac fratribus universis conventus Parisiens. .... Sicut experientia facti percepimus, nichil sic Ordini officit prelibato sicut inordinata promotio studentium Parisiensium prepropera nimium et festina, in quorum multitudine numerosa plurimos reperimus in lectoris solo nomine gloriari, et hoc quia ante cupiunt lectores dici, quam boni scolares haberi. Propter quem abusum tantum et talem in lectoribus ydoneis defectum habemus.... Quocirca cupientes tam pestifero obviare langori et tanto Ordinis dispendio providere, vobis tenore presentium facimus manifestum quod cum aliquo studente Parisius ante completum triennium, juxta formam additionum nostrarum, super hoc non intendimus dispensare, nec facere quod odimus, nec quod dampnamus velle...., ut in dicto studio expediri possit seu antea promoveri aut licentiari ad officium lectorie. Unde sibi caveant prior, magistri et reliqui patres conventus ejusdem nos decetero de tali gravare materia, quia talia rogamina proponimus nullatenus exaudire.... Quod autem in vestris litteris supplicastis per nos debere decetero moderari multitudinem studentium Parisiensium, de nostra gratia speciali gratum habentes pro nostro posse curabimus adimplere, et dictum conventum nimis studentibus non gravare. Verum quia invenimus venerabilem virum fratrem Thomam[2] olim predecessorem nostrum in conventu statuisse prefato, quod quilibet magistrorum cum duobus sociis, bachalarius autem actu legens et biblicus in suis cameris, dispensis seu cellis, quilibet cum uno socio tantum comedere sint contenti, ideo dictum statutum tanquam rationabile atque nostre congruum honestati decernimus, vim habere perpetue firmitatis et tenore presentium innovamus ...

Reg. Gregorii Arimin. et Matthaei Ascul. ad Augustin. pertinens — Dd. 1 — (saec. xiv), p. 89, an MCCClviij, mensis Augusti 13 Incipit « Scripsimus unam litteram priori.... Parisien., in qua inter cetera sic habetur ». In iisdem litteris prior generalis Gregorius fratres Benenatum de Catalonia et Franciscum de Florentia, in sacra pagina baccalareos, ut visitatores conventus Paris deputavit — Ibid., p. 329, exscriptae sunt ordinationes et additiones ejusdem prioris generalis, factae in conventu Avenionensi an. 1357, in quibus multa de magistris et baccalareis Ordinis.

1. De ipso *Chartul.*, II, nº 1097. — 2. De Argentina. Vid. *Chartul.*, II, nº 1113.

1242. *Innocentius VI concedit ut illi qui jure prohibente leges audire nequiverint, non obstante statuto Univers. Paris., in facultate decretorum Paris. doctorari possint.*

1358, Augusti 17, Avenione.

Innocencius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis .. cancellario ecclesie ac Universitati studii Parisiensis, salutem [et apostolicam benedictionem]. Vestre sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam, nos inducit ut hiis, que a nobis suppliciter postulatis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra peticio continebat, quod in quodam statuto Universitatis studii Parisiensis juramento firmato expresse cavetur, ut nullus in studio ipso ad obtinendum in facultate decretorum doctoratus honorem, illum inibi obtinere possit nec admittatur ad illum, nisi prius alibi[1] leges audierit per tres annos[2], quanquam alias ad id sufficiens et ydoneus existeret tunc repertus. Quare pro parte vestra nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere super hiis de benignitate apostòlica dignaremur. Nos igitur vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate presencium tenore decernimus, ut studentes pro tempore in dicto studio in facultate predicta, qui jure prohibente leges ipsas audire nequiverint[3], ut prefertur, valeant obtinere inibi in dicta facultate hujusmodi doctoratus honorem, dummodo alias ad id servatis solempnitatibus et aliis in talibus fieri consuetis sufficientes et ydonei reperti fuerint, statuto[4] et juramento predictis nequaquam obstantibus, et ad illum decetero libere admittantur. Nulli ergo, *etc.* Dat. Avinion. xvj kal. Septembris[5], anno sexto.

Reg. Vat. Aven. Urbani V (inter epp. istius papae), vol. XVIII, f. 383 — Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, p. 334, e ms. Cheltenham nº 2863, fol. 51, sub rubrica « Privilegium Innocentii super admittendis ad doctoratum in facultate decretorum ». In Reg. Vat. Aven. Innocentii vol. XVIII, fol. 60ᵇ, rubrica tantum invenitur « Cancellario ecclesie ac Universitati studii Paris. decernitur quod studentes in jure can. in dicto studio, qui jure prohibente leges audire nequiverint, in ipso valeant studio doctorari ».

1. Om. Arsen., et addit « ipsas » post « leges ». — 2. Hoc statutum in *Chartul.*, II, pluries affertur; cf. nº 1002 p. 465; nⁱˢ 1003, 1056. Péries, *La Faculté de droit*, etc., p. 102, ex hoc statuto, quod perperam ad an. 1357 refert, concludit « Le Droit romain était donc enseigné en 1357 à Paris, malgré les défenses d'Honorius et avec une autorisation tacite d'Innocent VI ». Sed Innocentius nullibi scribit, juxta statutum Universitatis canonistas per tres annos *in studio Paris.* leges debuisse audire, immo, ut Benedictus XII, qui idem statutum, sed luculentius. affert, dicit : « alibi », i. e. in alio ac Paris. studio (vid. *Chartul.*, II, p. 465), quod ab Innocentio VI repetitur supra nº 1230. Praeterea nº 1056 scribitur : « nisi per triennium leges audiverit *in aliquo studio generali* ». — 3. I. e. religiosi, presbyteri aliique per Bullam *Super specula* exclusi (vid. *Chartul.*, I, nº 32). — 4. Reg. : « statusto ». — 5. Arsen. : « Februarii », i. e. Januarii 17.

1243. *Innocentius VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi, ut Francisco de Cardalhaco*[1], *Ord. Minorum, qui in Parisiensi studio anno proxime praeterito Sententias legit, si per suam et aliorum magistrorum dicti studii in facultate theologiae diligentem examinationem sufficiens repertus exstiterit, magisterii honorem et docendi licentiam in eadem pagina concedat.* Dat. Avinione viij kal. Septembris, anno sexto. « Viri sacre lectionis ».

1358, Augusti 25, Avenione.

Reg. Vat. Avenion. Innocentii VI, vol. XIX, fol. 638. — Wadding, *Ann. Min.*, VIII, p. 476, nº 63, e quo Bul., IV, 345.

1. Seu Cardaillac. A summo pontifice quandoque deputatus fuit, ut magisterium in theologia conferret. Sic an. 1364, Martii 28, ut Bertrando de Sancto Guillelmo de Montepessulano, Ord. Min. (Reg. Aven. Urb. V, vol. VII, fol. 590), Maii 11, ut Philippo Torytona ejusd. Ord., qui Cantabrigiae et Oxonii studuit (ibid., fol. 592), licentiam daret. An. 1366, Septemb. 23, ad sedem episc. Cavalionensem (Reg. Aven. Urb. V, vol. XIII, f. 73); an. 1388, Octob. 11, ad Caturcensem promovetur (Reg. Aven. Clem. VII, vol. L, f. 360ᵇ) — Cognatus erat Johannis, Guillelmi, Bertrandi de Cardaillac.

1244. *Innocentius VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi, ut Raymundus (de Rampagiis), abbas monasterii Claraevallis Cisterc. Ord., Mediolan. dioec., dudum in Parisiensi studio vacans et per gradus debitos diversarum lectionum bibliae scilicet et libri Sententiarum ad statum baccalareatus ascendens, ad magisterium in theologia promoveatur.* Dat. Avenione x kal. Octobris, anno sexto. « Sicut debetur ».

1358, Septembris 22, Avenione.

Reg. Vat. Avenion. Innocentii VI, vol. XIX, fol. 667ᵇ. — Fuit abbas ab an. 1355, Febr. 20 (Reg. Vat. Innoc. VI, nº 228, f. 17). An. 1359, Julii 12, transl. ad Pontiniac Autiss. dioec. (Reg. Aven Innoc., vol. XXI, f. 61). An. 1358 et ante in curia Rom. ad defendenda jura monasterii ita moratus est ut alii baccalarei olim concurrentes magisterium jam adepti essent.

1245. *Innocentius VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi, ut Johanni Balistarii*[1], *priori generali fratrum Ord. S. Marie de Monte Carmeli, in sacra theologia baccalareo, noviter in priorem generalem ipsius Ordinis assumpto, qui ante assumptionem suam hujusmodi in studio Parisiensi per dictum suum Ordinem praesentatus et secundum ritum dicti studii admissus fuit ad magisterium promovendus, si ad hoc idoneus et sufficiens repertus exstiterit, magisterii honorem et docendi licentiam in eadem pagina largiatur.* Dat. Avinione ij kal. Novembris, pontificatus nostri anno sexto. « Viri sacre religionis ».

1358, Octobris 31, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Innocentii VI, vol. XIX, fol. 683ᵇ.

1. An. 1358, in Capitulo generali Burdigalensi, electus est in generalem, et per 16 annos hoc officio functus est. Vid. *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, V, 377, 384; Lezana, *Ann. Carm.*, IV, 619, 684; Villiers, *Bibl. Carmel.*, I, 759.

1246. *Articuli facultatis theologiae Paris. contra praeeminentiam rectoris Universitatis, et assertionem quod sit caput et superior Universitatis.*

1359, ante 14 Februarii, Parisiis.

Ponit et articulos dat et exhibet ac probare intendit procurator et nomine procuratorio decani et mag[istrorum facultatis theologie...] super quibus testes senes et valitudinarios et alios, de quorum absencia timetur, petit examinari.

I. Primo ponit et probare intendit dictus procurator quo supra nomine, quod magistri in facultate theologie [.....a] x, xx, xxx, xl et l annis citra et ultra, et a tanto tempore de

quo non extat memoria [soleant sua statuta reg]ulare per se, habentes per se unum decanum ex se ipsis pro capite dicti corporis, sigillum et archam [..... quando] sic placet. Et nichilominus fuerunt et sunt de corpore Universitatis Parisiensis studii et cum aliis facultatibus [... faciunt] ipsam Universitatem, rebus ipsius Universitatis, prerogativis et honoribus cum premissis facultatibus [gaudentes, et de hiis sunt magistri] facultatis theologie in possessione et quasi possessione, et fuerunt a dictis temporibus citra, et de hiis est Parisius et [in Universitate publica vox et] fama, et hec pro notoriis ubi supra reputantur et habentur.

II. Item et quod, quando contingit congregacionem in dicta Universitate Parisiensi fieri, rector una cum bedellis in propria persona ipsam con[vocat, et] pridie quam fiat insinuat et designat decano dicte facultatis theologie, qui tunc pro tempore existit, et nisi idem rector hoc propter aliqua [impedimenta] possit personaliter facere, ipse mittit aliquem de magistris dicte artium facultatis regentem ad ipsum decanum pro dicta insinuatione facienda, excu[sando] se quare ad ipsum decanum personaliter non accedit, licet in facultatibus decretorum et medicine sufficiat per litteram rectoris cum sig[neto suo] dictam congregacionem decanis ipsarum facultatum designari pro magistris earum ad eam convocandis.

III. Item et quod, cum ipsius Universitatis, videlicet facultatum theologie, decretistarum, medicorum et artistarum, fit congregacio, una[queque] facultas, prout in Universitate potior facultate alia reputatur, gradum sedendi potiorem habet et habere consuevit, v[idelicet pre magistris] facultatis artium medici, pre medicis decretiste, pre decretistis theologi consueverint in sedibus [prioribus et] honorabilioribus [quam alii] sedere.

IV. Item et postquam rector, qui stando in pedibus in principio cujuslibet congregationis .... in presencia sedentium [magistrorum aliarum facultatum ....] et negotia propter que sunt evocati et congregati [......] facultatum. Postmodum quod ipsarum facultatum [.......] prout in ipsa Universitate reperitur [.......] gradu et ordine potiori. Itaque rector [.......] autem facultas med[. ....] facultas theologie sedendo suas reddunt.

V. Item et quod illa facultas que [.....] precipuor et honorabilior in Universitate quod [...].

VI. Item et quod id solum .... extitit super .... et observari consuetum in Universitate eadem, nec potest idem ....

VII. Item et quod de premissis et eorum singulis est in ipsa Universitate et Parisius publica vox et fama, et de hiis est [unaqueque facultatum] premissarum, et presertim facultas theologie in possessione, et quasi a dictis temporibus et citra.

VIII. Item quandocumque agitur de rectore creando, qui temporalis est, et cujus officium durat ad tempus modicum, ut[pote] tres menses aut circa, unus magister artium regens per ipsam facultatem creatur, videlicet per quatuor aut quinque elect[ores de] ipsa facultate artium et per eam assumptos, in creationeque hujus rectoris soli sunt electores predicti et de artium facultate predicta.

IX. Item, et[1] licet idem rector sit ita creatus, non ob hoc aut alias ipsius suffragium seu vox super tractandis et deliberandis in [artium facultate et Universitate] preponderat aut plus confert quam quo[d]libet aliorum magistrorum suffragium singulare, seu quam ante creationem conferret, quinimo habet obedire [et subici] procuratori sue nationis in natione eadem.

X. Item et quando contingit pro aliquo certo negotio judicando vel ordinando aliquos magistros facultatum predictarum dep[utari[2]....] cum quatuor procuratoribus nacionum dicte facultatis artium, in ipso negotio prestat solum unicum suffragium[3], nec plus facit vox [seu suffragium] ipsorum quinque, quam suffragium solum unius magistri medicine aut decretorum sive theologie in ipso negotio deputatorum[4].

XI. Item et quod, quando contingit ipsum rectorem cum quatuor procuratoribus facultatis artium aliqua ordinare, que communiter concernunt ejus officium, et pars aliqua ab eorum ordinatione sentit se gravatam, ab hujusmodi ordinatione ad Universitatem recurrere[5] consuevit et per ipsam Universitatem, in qua [sunt] magistri facultatum, prout unaqueque potior est alia prerogativa potiori dicitur et honore, ut supra tactum est, consuevit gravamen, si sit, reparare[6].

XII. Item et quando contingit ipsum rectorem in suo officio delinquere, de delicto hujusmodi cognoscit ipsa Universitas, et si reperiat ipsum amotionis et privationis [dign]um, amovet atque privat. Ipsum etiam durante tempore sue rectorie, dum se casus offert, mutat et alium subrogat loco ejus, necnon et de causis dictum officium concernentibus, [ante] ipsum rectorem motis, ipsa Universitas tanquam superior et domina judicat et cognoscit.

XIII. Item et quod, quando pro parte Universitatis super promotione magistrorum ejusdem, domino pape per rotulos, ut consuevit, supplicatur, in [dictis] rotulis est ordo prioritatis et posterioritatis, utpote quia in rotulo cujuslibet facultatis inscribuntur magistri secundum antiquitatem, [et antiquiores] preponuntur; necnon et rotuli inter se gradum et ordinem habent, nam decretorum et medicorum ac artistarum supplicationum [rotulis] theologie rotulus prefertur. Verumptamen ipsius rectoris supplicatio nunquam inter supplicationes facultatum theologie, decretorum et [medicorum inscribitur] aut preponitur eisdem, ymo quandoque inter supplicationes sue facultatis artium inscribitur, quandoque vero [habet supplicationem propriam].

XIIII. Item et quod, quando casus occurrit propter quem dicta Universitas adiri ordinat dominum papam, dominum regem Francie aut quem[cumque principem] alium seu prelatum, certi magistri cujuslibet facultatis deputari consueverunt pro exponendo casu predicto. Verum est autem, quod idem [negotium] seu casus nunquam consuevit exponi per ipsum rectorem, licet in deputatione hujusmodi intersit, nec inde per ipsam Universitatem one[rari ...], quinimo per magistrum theologum, si sit ibi presens, exponitur; qui, si non esset presens, tunc in expositione hujusmodi succederet decretista, qui tunc [in

absentia] theologi, medicis et artistis preferretur; fierique postea consuevit in ipsa Universitate super dicto negotio seu nunciatione relatio per dictum theologum [si fuerit] presens, alias per decretistem (*sic*) vel medicum, deputatos[7], sedendo et non stando; rector autem prefatis tribus deputatis absentibus relationem ipsam facit, [sed tantum] in pedibus, ut in aliis supra tactum est.

XV. Item licet prefatus rector, sic creatus et electus, Universitatis negotia juxta mandatum et deliberata ejusdem habeat procurare executioni [mandando, non] tamen theologis, decretistis aut medicis in aliquo preest tanquam superior aut caput, in tantum eciam quod in privilegiis Universitatis [ipsius] non nominatur aut inscribitur regulariter, quinimo hujusmodi privilegia communiter diriguntur universitati magistrorum et studentium [Parisius, minime] ipsius rectoris mentione facta, licet[8] ipsa Universitas nunquam ipso rectore careat.

XVI. Item etiam satis apparet, quod idem rector non est caput ipsius Universitatis aut superior, ut prefertur, tam ex factis superius recitatis quam [etiam ex eo] quod aliquo scolari vel magistro Universitatis ejusdem decedente intestato, bona ejusdem per unum ab episcopo Parisiensi et per alium ab ipsa Universitate de[putatum] habent custodiri et conservari, et in casu distribui, ipso rectore non requisito, aut in hoc aliquam sibi precipuitatem minime vendicante.

XVII. Item quod in Universitate non sit idem rector caput aut superior, ut prefertur, satis apparet ex eo quod nullus magister theologus, decretista aut medicus sibi jurat, nec in juramento, quod iidem magistri in novitate sui magisterii in Universitate prestant de obediendo eidem, rector aut persona rectoris null[a]tenus exprimitur, nec etiam idem rector mandatum aut preceptum auctoritate sua potest aut consuevit facere seu facit aliquo magistro theologo, decretiste vel medico; quod[9] si faceret, non teneretur eidem rectori obedire.

XVIII. Item quod non sit caput, apparet etiam ex eo quod idem rector pecuniarum in dicta facultate artium recipiendarum, pro quocumque actu scolastico, nudus est minister et receptor, ipsasque tenetur exponere ad opus et mandatum Universitatis memorate, et de ipsis pecuniis consuevit reddere rationem.

XIX. Item et quod de premissis et eorum singulis est in ipsa Universitate et Parisius publica vox et fama. Et de hiis est unaqueque facultatum premissarum, et presertim facultas theologie, in possessione et quasi a dictis temporibus et citra.

XX. Item sicut idem rector, ut apparet ex superius enarratis, nullam precipuitatem aut superioritatem in negotiis Universitatis habet, ymo quilibet magister theologus, decretista vel medicus in sede, voce et suffragiis ac judiciis, honoribus et prerogativis supratactis pocior et honorabilior ipso rectore habetur, sic et in missis ac processionibus, obsequiis divinis et sermonibus ipsius Universitatis fortiori ratione pocior et honorabilior ipso debet reputari. Nam in missis solempnibus Universitatis in dextra parte chori ecclesie

theologi, et postea medici, in sinistra vero decretiste et postea artiste, cum quibus[10] et rector, sedere consueverunt. Itaque in dicta dextra parte antiquior tunc presentium magister theologus pre aliis magistris collocari consuevit, et in offertoriis faciendis et pacis osculum recipiendo, idem magister antiquior cum ceteris suis cummagistris pre ceteris magistris facultatum honorari consuevit; necnon et similiter in processionibus Universitatis ejusdem. Quinimo et a nonnullis sepe et pluries delatum est[11] quod idem rector in inferiori sede seu cathedra subtus antiquiorem [magistrum in] theologia sedit et sedere consuevit.

XXI. Item et quod eisdem rectore et facultate artium, suis terminis non contentis, idem rector sepe conatus est procurante et hoc faciente facul[tate] in ipsis missis, offertoriis, pacis osculis, divinis officiis et processionibus ac sermonibus supradictis locum dicti magistri theologi antiquioris usurpare et sibi appropriare, eciam violenter, in injuriam Universitatis ejusdem et presertim theologie facultatis supradicte.

XXII. Item et in tantum quod cum bone memorie frater Pastor, magister in theologia, et tunc archiepiscopus Ebrodunensis et sedis apostolice nuncius, semel sedens in sede altiori in quadam missa in Sancto Germano de Pratis, ubi tunc erat Universitas, cognito seu [viso quod] ibi sedebat[12] ut antiquior magister in theologia, fuit ab ipsa sede per dictos rectorem et facultatem artium violenter, etiam turpiter ejectus[13]; necnon et [quadam] vice magister Johannes de Camberona[14], magister in theologia, tunc antiquior theologus presens, cum sederet in ecclesia Sancti Maturini, [dum celebraretur] missa dicte Universitatis, in sede potiori, ut ei juxta prerogativam Universitatis incombebat, et successive magister Leonardus [Ord. Servorum?] Beate Marie, magister in theologia, cum simili modo ut antiquior sederet : per dictos rectorem et facultatem artium violenter et manual[iter expulsi fuerunt], ipso rectore sedes et loca ipsorum magistrorum sic expulsorum sibi vendicante et appropriante, quamvis[15] postmodum dicti rector et sui in hoc comp[lices ab ipso se]-ducti a dicto bon. mem. domino Pastore veniam pecierunt super ipsius ejectione prefata.

XXIII. Item et quod quamvis in articulis negociorum supratactis dicte tres facultates theologie, decretorum et medicine suis prerogativis et honoribus pre ipso rectore qui pro tempore fuit et est, gavisi fuerint hactenus et gaudeant, observatis gradibus et ordinibus earundem, sicque multo magis in hiis que divina contingunt, gaudere deberent, sicut retroactis temporibus gavisi fuerunt : verumptamen idem rector a nonnullis temporibus citra in interessentia divinorum, in quibus Universitas consuevit adesse, tam in sede quam in processione, sermonibus, offertoriis et pacis osculis recipiendis, precessionem, prerogativam et primitatem sibi vendicavit et vendicat indebite et injuste, in ipsius Universitatis dictarumque trium facultatum ejusdem et presertim [facultatis theologie] dedecus, vituperium, scandalum non modicum et jacturam.

XXIIII. Item et in tantum quod dicti magistri, theologie presertim, ad ipsa divina officia per Universitatem fieri consueta aut alias noviter ordinata comparere et venire

timuerunt, ne dicti rector et magistri artium facultatis in ipsos irruerent, eos a sedibus propriis et prerogativis consuetis expellendo et sacrilegium committendo.

XXIIII [*bis*]. Item et quod dicte tres facultates dictis prerogativis in divinis officiis usi fuerunt usque ad turbationem in hiis factam[16] per dictos rectorem et magistros artium facultatis.

XXV. Item et quod dicti magistri in theologia quilibet in novitate sui magisterii jurat et jurare consuevit honores et prerogativas dicte facultatis theologie ad quemcumque statum deveniat inviolabiliter observare.

XXVI. Item et quod tam pretextu dicti scandali evitandi, quam juramenti hujusmodi observandi, dicti magistri in theologia in ipsis divinis officiis cum ipso rectore et facultate artium comparere ausi non fuerunt.

XXVII. Item et licet ab antiquo in archa communi ipsius Universitatis, ubi custoditur commune sigillum ejusdem, consueverint esse et fuerint quatuor claves et clavature quatuor facultatum, ita quod clavatura et clavis theologice facultatis et postmodum decretorum et medicine ac artistarum facultatum seriatim et gradatim fuerint apposite et tente a tanto tempore de quo non extat memoria; verumptamen nuper et de novo iidem rector et magistri artium dictos gradus et seriem commutaverunt pro sue libito voluntatis, suam clavaturam et clavem pre ceteris clavibus et clavaturis aliarum facultatum preferendo et presituando, in injuriam et dedecus ipsius Universitatis et presertim facultatis theologie, et contra consuetudines et observancias inconcusse in preteritum observatas.

XXVIII. Item quod eo pretextu quod dicti magistri theologi suas primitates juxta mores ipsius Universitatis debitas nisi fuerunt secundum [sua juramenta observare, dictus rector] qui pro tempore fuit, et facultas artium aliquos magistros theologos, cum prius fuissent et essent magistri artium facultatis, ab ipsa facultate et ejus con[sorcio, quantum] in ipsis rectore et facultate artium fuit, privarunt et privatos publice nunciarunt, in diffamationem et scandalum eorundem ac totius theologie fa[cultatis, et] fuerat[17] pro parte facultatis theologie predicte contra dictos rectorem et magistros ejusdem facultatis artium appellatum.

XXIX. Item et quod a nonnullis temporibus citra, contra mores Universitatis antiquos laudabiles juratos et approbatos, idem rector, tanquam esset caput et superior Universitatis et facultatum ejusdem, sicut revera non est, ut satis potest ex premissis dilucide apparere, in litteris, que ab ipsa Universitate [diri]guntur et destinantur, nomen suum nititur de facto exprimere et preponere dicendo : « Rector et universitas magistrorum et studentium Parisius », aut verba consimilia, in ipsius Universitatis et facultatum ejusdem, et presertim facultatis theologie, vituperium et dedecus, presertim cum ipsam Universitatem aut facultates theologie, decretorum et medicine non regat, sed ab ipsa Universitate regatur, dirigatur et destinetur ad negocia ejus, prout per eam deliberata fuerint, procuranda et executioni mandanda, quod et necessario per suum juramentum tenetur explere.

XXX. Item[18] et quod licet presertim secundum prefatos mores ad juniorem magistrum in theologia et ad procuratores quatuor nationum facultatis artium et ad bedellos principales theologorum et artium, necnon ad duos burgenses Parisienses solos et duntaxat pertinet et pertinere consuevit a tanto tempore, de cujus contrario memoria non existit, visitatio domorum studentium Parisiensium et taxatio salariorum eorundem : verumptamen nuper et de novo idem rector auctoritate propria huic visitationi ac taxationi se inmittere nisus est.

[XXXI]. Item[19] et quod dicti rector et magistri facultatis artium vel alius seu alii nomine ipsorum ipsis hoc gratum habentibus dixerunt seu dixit temere comminando palam et publice etiam in congregatione generali, se inhibituros et se inhibere facturos, ne aliqui scolares seu studentes ad lectiones magistrorum in theologia et sermones ipsorum intrarent sub pena resegacionis (*sic*) et privationis a consorcio dicte facultatis artium et Universitatis predicte, quod nedum cessit et cedit in vituperium dictorum magistrorum in theologia, quinimo in jacturam fidei catholice et favorem heretice pravitatis, cum tam de jure scripto quam etiam de ratione excommunicati et etiam infideles possint admitti in scolis doctrine fidei et sermonibus divinis.

[XXXII]. Item dicti rector et magistri artium facultatis seu alius nomine ipsorum, ipsis hoc gratum habentibus, diffamando dictos magistros theologie, palam et publice in publico sermone penes Predicatores Parisius asseruit, ipsos magistros theologos fore perjuros et excommunicatos, licet falso et mandose (*sic*).

[XXXIII]. Item licet de usu et observantia laudabilibus dicte Universitatis existat, quod quocienscumque in ipsa Universitate missa celebratur, congregatio generalis post ipsam missam habet et consuevit fieri, ita quod semper divinum officium anteponitur : verumptamen magister Johannes de Marchia, tunc rector[20], ordine prepostero et nimis prepostere, dum missa generalis Universitatis celebrari deberet apud Fratres Minores Paris. anno Domini millesimo CCC° LVIII°, die quinta mensis Octobris, ipsam missam postposuit congregationem ipsam preponendo, ut ipsos magistros theologos in receptione apostolorum, quos in ipsa congregatione habebant recipere, secundum terminum eis prefixum super provocatione seu appellatione ad sanctam sedem apostolicam, ab ipsis magistris theologis interjecta, circumveniret et defraudaret.

[XXXIIII. Item licet][21] magistri theologi suorum commagistrorum morientium consueverint corpora ad sepulturam defferre; verumptamen dum magister Oudar[dus de G]annis[22], ipsorum theologorum condoctor, foret mortuus, ipsique magistri attenderent et proponerent juxta dictum usum tam lauda[bilem et ju]stum, ipsius corpus defferre : pro parte dicti rectoris et magistrorum facultatis artium fuit ipsis magistris theologis comminat[um ....], quod si ad deportationem dicti corporis manum apponerent, ic[t]us et verbera eis dicti rector et magistri artiste inferrent, et pro[pter] comminatoriam injuriam dicti magistri theologi, ne dictas violencias a dictis artistis, qui tales minas suas effectui [mandare

minati]sunt, paterentur, a dicta deportacione cessarunt, et eos ab ea cessare oportuit, dictis artistis sic nimis temere [ad solemp]nitatem veniendo, et sententias excommunicationum, quas in illacione dictorum ictuum et verberum incurrissent, cum omnes predicti magistri [titulo clericali] et essent tunc sacerdocio insigniti, vilipendendo, et ipsos magistros theologos in possessione et quasi dicti usus [impro]vide spoliare nitendo.

[XXXV. Item licet inter]dum in missis Universitatis et processionibus generalibus ejusdem dictus rector nitatur de facto contra Deum et justiciam [primam sedem ante] theologos occupare, ut sepe dictum est : hiis tamen non contentus, in missis privatis et particular[ibus ... celebrand]is, quamvis in eis alias dicti rector et artiste consueverint minime convenire, eundem locum de novo nititur usurpare. [Imo, cum nuper ma]gistri theologi secundum eorundem laudabilem consuetudinem missam pro magistro Christiano Guis[23] particularem [et privatam] facerent apud Sanctum[24] (?) et sederent gradatim, prout antiquitas uniuscujusque hoc habet, dictus rector et magistri artiste jactarunt, quod si ad dictam missam idem rector supervenisset, primum locum occupasset et inde magistrum theologum violenter ejexissent (*sic*).

[XXXVI]. Item ut dicti magistri theologice facultatis[25] ....

[XXXVII]. Item licet domini mei et sua facultas theologica causam justissimam foverint in hac parte et fovere noscantur, quia tamen pacem et transquilitatem cum rectore, procuratoribus et magistris dicte artium facultatis ac etiam cum omnibus aliis optabant habere, ideo, non renunciando appellationibus suis, eisdem rectori, procuratoribus et magistris facultatis artium in plena congregatione generali Universitatis liberaliter et benigniter obtulerunt quod facta et jura dictarum theologie et artium facultatum fideliter redigerentur in scriptis hinc et inde per magistrorum eorum propria juramenta, et in magistrorum facultatis decretorum manibus et judicio ponerentur. Et si rector, procuratores et magistri predicti ita [fieri] recusarent, ponerentur in judicio dominorum cardinalium de Anglia tunc revertentium[26], vel domino nostro pape mitterentur de consensu cujuslibet facultatis, ut terminarentur hujusmodi questiones amicabiliter ac summarie et de plano, si ita placeret artium facultati. Premissas tamen obligationes et earum quamlibet audire et admittere nolluerunt.

Arch. nat. Paris. M. 65ª, nº 158. *Minuta* chartacea pro magna parte lectu difficillima, cum humiditate margines, quandoque et principium et medium folium non parum laboraverint. Quod instrumentum quidem Bulaeus (IV, 359) exstare noverat, saltem memoria articulorum ad eum permanante, sed a theologis obtinere non potuerat. Quo tempore composita sit ea minuta non dicitur, at edocti sumus e *Libro procuratorum nat. Anglicanae* (vid. *Auctar. Chart. Univers.*) anni 1359, mensibus Januar. 16 ac Febr. 14, theologos tunc dictos articulos praesentasse. Hoc evenisse post Octob. an. 1358, ex ipsa charta ediscimus. Similia evenerunt an. 1347 (vid. *Chartul.*, II, nº 1143), et an. 1354 (vid. *Auctarium*, l. c., ad an. 1354, Januar. 18). Scimus cancellarium Paris. se esse caput Universitatis putasse (vid. *Chartul.*, I, nº 515) et profecto, etiam an. 1378, Sept. 7, quandoque designatus est « caput omnium Parisius studentium » (vid. infra), quamvis altera parte negari nequeat, huic insinuationi plerosque adversos fuisse. E. g. cum Johannes rex Aragon. an. 1394 scripsisset « cancellario et rectori, magistris.... Univers. Paris. », in ms. 14643, fol. 26 sq. (Bibl. nat. Paris.) inter lineas ponitur : « deficit, cancellarium preponendo, ymmo nec consuevit apponi, quando scribitur Universitati ».

1. Quae sequuntur, leguntur a tergo, sed eodem charactere. In ms. primo scriptum erat (postea deletum) : « Item et

quod licet idem rector sit ita creatus, non ob hoc aliquod majus suffragium habet in Universitate predicta [seu vocem] po[cior]em quam ante creationem hujusmodi habebat, quinimo habet obedire et subici procuratori sue nationis in natione eadem. ». — 2. Inter lineas alio atramento aliaque manu : « soli quatuor procuratores nat[ionum.. .] » et « cum quatuor.... arcium » deleta sunt. — 3. Inter lineas alio atramento · « absque quod vox rectoris habeat. . » — 4. Alio atramento aliaque manu sequitur · « nec duo procuratores.... unius vocis, ymo requiruntur ad minus tres procuratores trium nacionum, ex quo patet quod vox rectoris nichil facit et.... ». Loco « quinque » scribitur « quatuor ». — 5. Primo : « appellare ». — 6. Deinde sequitur : « Item et quando contingit ipsum rectorem in suo officio delinquere, verte rotulum et invenies XII articulum ». Revera art. XII a tergo scriptus est. — 7. Inter lineas alio atramento aliaque manu · « tanquam honorabiliores ». — 8. « licet.... careat » alio atramento aliaque manu. — 9. « quod. .. obedire » alio atramento. — 10. Primo « inter quos ». — 11. « a nonnullis. .. delatum est » inter lineas alio atramento; primo « sepe visum est ». — 12. Ms. . « sededebat ». — 13. De hoc facto an. 1347, cf. epistolam Clement. VI, Novemb. 13, ejusd. an. in *Chartul* , II, n° 1145. — 14. Fuit Ord. Vallisscholarium. Vid. infra n° 1279. — 15. « quamvis ... prefata » deleta sunt. — 16. « in hiis factam » inter lineas alio atramento; primo · « impulsam » — 17. « fuerat.... appellatum » alio atramento aliaque manu. — 18. Hic articulus deletus est, et in margine legitur, eodem charactere : « vacat ». — 19. Sequentes articuli alia manu sed coaeva et sine numeris scripta sunt. — 20. An. 1358, Junii 23, in rectorem electus. Vid. *Lib. proc. nat. Angl.* in *Auct. Chartul.* — 21. Articuli sequentes leguntur parte aversa. — 22. Vid. de eo *Chartul.*, II, *Indicem.* — 23. Vid. *Chartul.*, II, p. 655, not. 16. — 24. Inter lineas. Ecclesia non exprimitur. — 25. Sententia sic manca in charta. — 26. An. 1357, Junii 24, tres cardinales « de Pierregort », i. e. Taleyrand de Perigord, tunc episc. Alban., « de Urgel » (Nicolaus Capocci, tunc card. S. Vitalis) « et de Rouen » (Petrus de la Forest, card. XII Apost.) cum aliis in Angliam, Londinium, profecti sunt ad tractandum inter regem Angliae et regem Franciae Johannem, captivum in Anglia abductum (vid. *Les grandes chron. de France*, ed. P. Paris, VI, 53; Rayn., *Ann. eccl.* ad an. 1357, n° 1. Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 778). In Franciam iterum an. 1358, mense Octobri, reversi sunt, cum juxta Matthaeum Villani, *Cronica*, VIII, cap. 101 (Firenze, 1825, IV, p. 138) mensi Octobri ex Anglia excessissent, eodemque mense ad sed. apost. advenirent (Rayn., 1358, n° 3). Mensis Decembris 13, duo cardinales Petragoricensis et Urgellensis Parisios venerunt (*Les grand. chron.*, l. c., p. 146).

1247. *Carolus, regnum regens, renovat privilegium Philippi IV regis Francorum de sexaginta libris annui redditus ad usum trium capellaniarum Universitatis, in Castelleto Paris. assignandis, et mandat hunc redditum singulis annis in festo S. Remigii a geolario dicti Castelleti sine dilatione solvendum esse.* Actum apud Luparam juxta Parisius anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo, mense Martio.

1359, mense Martii, Parisiis.

Mém. hist. sur les bénéfices, p. 21. — Litteras Philippi IV, an. 1302, Martii, vid. *Chartul.*, II, n° 625.

1248. *Innocentius VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi, ut Radolpho de Civitate Castelli Ord. Eremit. S. August., qui Parisiis uno anno bibliam, ac in Romana curia et pluribus aliis generalibus studiis Sententias legit et ad legendas in dicto Parisiensi studio Sententias per dictum Ordinem electus, propter consuetudines et statuta studii Paris. et Ordinis debet longis temporibus etiam post completam lecturam Sententiarum exspectare, antequam in facultate ipsa ad magisterium assumatur, Sententiis per ipsum Parisiis lectis, et continuatis disputationibus ceterisque actibus magistralibus magistrorum dicti studii in eadem facultate per totam hyemem post finem dictae lecturae usque ad festum Resurrectionis Domini tunc immediate sequens debite frequentatis, si per suam et aliorum magistrorum dicti studii diligentem examinationem sufficiens repertus exstiterit, magisterii honorem concedat*[1]. Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. xij kal. Augusti, anno septimo. « Viri sacre lectionis ».

1359, Julii 21, apud Villamnovam.

Reg. Vat Aven. Innocentii VI, vol. XXI, fol. 572.

1. An 1361, Sept. 25, jam magister et regens Parisiis fuit (vid. infra n° 1256). An. 1363, eum regentem Avenione reperimus, et April. 17 ab Urbano V mandatum recipit, ut Nicolao de Senis ejusd. Ord., qui Florentiae, Senis et in Rom. curia lector exstitit (Reg. Aven. Urb. V, vol. VI, fol. 385[b]), magisterium in theologia conferat, et Octob. 18, ut Petro de Aretio, ejusd. Ord., qui Sententias Florentiae legit, et nunc Avenione lector, et ad legendas Sententias Parisiis est deputatus (ibid., fol. 487), eamdem licentiam tribuat. Vid. de Radolpho n[um] sequentem.

1248[a]. *Matthaeus Asculanus*[1], *prior generalis Ord. Eremit. S. Aug., Radulphum de Castello seu de Civitate Castelli mittit Parisios ad Sententias legendas.*

1359, Augusti 28, Paduae.

Fratri Rodulfo de Castello. Cum ad aures nostras pervenerit quod frater Johannes de Petra de provincia Yspanie non velit legere Sententias Parisius in y[e]me immediate futura, sicut in Capitulo generali preterito in Montepessulano celebrato de eo extitit diffinitum, et tu deberes legere immediate post ipsum .... ideoque tenore presentium mandamus tibi in meritum obedientie salutaris quatenus ad dictum conventum de Parisius statim accedas et procures legere Sententias loco dicti Johannis de Petra, si ita est quod ipse legere nolit, non obstante quod rector Ordinis qui fuit locum predictum jam alteri assignaverit....

Reg. Greg. Arimin. et Mathei Ascul., ad Augustin. pertinens (Dd. 1), p. 157. Ibid. aliae litterae scriptae eodem tempore in Capitulo generali Paduae celebrato inveniuntur, ad conventum Paris. directae, in quibus fratribus conventus praecipitur Radulphum de Castello admittere. Hoc mandatum legebatur in Capitulo « presentibus reverendis viris fr. Hugolino de Urbeveteri[2] et Egidio de Medonta[3], sacre pagine professoribus, Francisco de Nerlis[4], s. theol. bachal., et Thoma de Aquila, priore Avinionensi ».

Radulphus, de quo supra nº 1248, 23 Julii an 1366, cum Guillelmo Noeleti, cantore Bajoc., utr. j. doctore, Urbani V legatus electus est ad imperatorem Graec. Constantinopol. (Reg. Vat. nº 244[f], epp. 181, 182; 244[g], ep. 540, inter epp. Innocentii VI). Vid. Torelli, *Sec. Agost.*, VI, 81. An. 1370, Aug 19, episc. Senogaliens. (Reg. Aven. Urbani V, vol. XXII, fol. 95[b]).

1. Ipse, mag. in theologia, hoc anno 1359, Aug. 28, in Capitulo gen. Paduae celebrato (non 4 Sept, ut alii dicunt) in priorem generalem electus est (*Reg.* cit., p. 162). — 2. Vid. *Chartul.*, II, 536, not. 6. — 3. Vid. supra nº 1207. — 4. Ipse fuit baccalareus Paris., annoque 1358, Martii 2, Gregorius Arimin., prior generalis, eidem scripsit, ipsum ad studium Paris. redire debere, cum Guido de Belregardo (qui ab an. 1371, Maii 25, fuit prior generalis) sit jam expeditus, et alter baccalareus, scil. fr. Benenatus, prior provincialis Aragonie, similiter absens sit, ibique solus Nicolaus de Machelina baccal. praesens existat « tam pro se presentando, quam aliis actibus scolasticis exercendo ». *Reg.* cit., p. 408.

1249. *Innocentius VI (Johanni de Aciaco) cancellario Parisiensi, ut Paulo de Bononia, fratri Servorum Beatae Mariae, Ord. S. Augustini, baccalareo in theologia, qui jam quinque annis elapsis Sententias in studio Parisiensi legit et inibi in ejusdem theologiae facultate pluribus magistris dicti studii de diversis quaestionibus respondit, timenti ne pro magisterio recipiendo ex eo diu in eodem studio exspectare oporteat, quod post Sententiarum lecturam in studio non perseveraverit, si sufficiens repertus exstiterit, magisterii honorem et docendi licentiam in facultate predicta largiatur.* Dat. Avenione ij non. Novembris, anno septimo. « Viri sacre lectionis ».

1359, Novemb. 4, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Innocentii VI, vol. XX, fol. 674.

1250. *Carolus, dux Normanniae, regnum regens, in favorem confraternitatis chirurgorum sub invocatione SS. Cosmae et Damiani.*

1360, mense Junii, Parisiis.

Charles, *etc.* A touz presenz et à venir, salut. Comme nous ramenanz à memoire les grans vertus et innumerables merites dont les glorieux martirs saint Cosme et Damien furent et sont plains et recommandez envers notre Seigneur Jesus-Christ, et les très grans vertus et miracles que le Sauveur de tout le monde par leur intercession a faiz ou temps passé et fait encore chascun jour à plusieurs personnes opprimées de griefs maladies en plusieurs parties de leurs corps, et pour la très vraie et parfaite devocion et affection que

nous avions et avons encores es merites d'iceulx martirs, nous soions ja pieça entrez en leur confrerie en l'eglise Sains Cosme et Damien à Paris : savoir faisons que nous en l'onneur et remambrance desdiz glorieux martirs, ladite confrarie et touz les poins d'icelle en la maniere que contenu est en l'ordenance sur ce faite, avons ratiffié, approuvé et confermé comme confrere d'icelle avec les cirurgiens de Paris et autres, et de certaine science, plaine puissance, auctorité et liberalité royal dont nous usons, ratifions, approuvons et confermons de grace especial : et pour ce que en certains privileges, ja pieça octroyés ausdiz maistres cirurgiens licentiez oudit art et à leurs predecesseurs, entre les autres choses est contenu, que aucun sur paine d'amende volentaire à estre appliquiée à Monsieur et nous, ne s'entremette en aucune maniere de pratiquer en ladite science de cirurgie, se il n'est licentiez oudit art, examinez et approuvez par les jurez du Chastellet de Paris et prevost de ladite confrairie, appellez avec eulx les autres cirurgiens licentiez à Paris, si comme esdis privileges puet plainement apparoir, nous de l'auctorité que dessus et en ampliant nostredite grace, desirans de tout nostre cuer proceder à l'augmentation et accroissement du service divin en emsuivans les traces des predecesseurs de Monsieur et de nous roys de France, et affin que Monsieur, ses predecesseurs et nous soions participans ès biens, prieres, messes et devotes oraisons qui seront faites et celebrées en ladite confrarie, ausdiz confreres ou nom de ladite confrarie, avons donné et octroié perpetuelement et à touzjours, donnons et octroions par la teneur de ces presentes, la moittié entierement desdites amendes pour tourner et convertir au proufit de ladite confrarie et non autre part. Si donnons en mandement par ces mesmes lettres au prevost de Paris ou à son lieutenant, qui à present est et qui pour le temps avenir sera, que lesdites amendes toutes et quantes foiz que elles escheront, il lieve, execute ou exploicte, ou face lever, executer et exploictier selon la teneur desdiz privileges dont il lui apperra, desquelles il face baillier la moitié au receveur de Paris, present ou à venir, et l'autre moitié aus prevost et confreres de ladite confrarie, et à nos amez et feauls les gens des comptes de Monsieur et nous à Paris, que lesdiz prevost et confreres ou nom de ladite confrarie facent, seuffrent et laissent joir et user plainement et paisiblement de nostre presente grace, et contre la teneur d'icelle ne les empeschent ou seuffrent estre empeschiez en aucune maniere, non obstant quelconques ordenances, inhibitions, mandemens ou defenses faites ou à faire, et lettres empetrées ou ou à empetrer au contraire. Et que ce soit ferme chose et estable à touzjours, nous avons fait mettre nostre seel à ces presentes : sauf en autres choses le droit de Monsieur et le nostre, et l'autrui en toutes. Fait et donné à Paris, l'an de grace mil CCC LX, ou mois de Juing.

Par Monsieur le Regent, presens Messieurs Adam de Meleun et J. de la Riviere,

OGIER.

Arch. nat. Paris. JJ. 90, n° 584, fol. 287[b]. — *Ordonn. des rois de France*, III, 420. *Statuts, priviléges et réglemens du Collége de chirurgie de la Ville de Paris*, p. 62.

1251. *Johannes, rex Francorum, consiliariis suis scribens, renovat privilegium exemptionis Parisiis studentium a subsidiis et impositionibus quibuscunque.* Donné à Paris le 12[e] jour de Février l'an de grace 1360.

1361, Februarii 12, Parisiis.

Mus. Britann. ms. addit. 17304, fol. 137. — Bulaeus, IV, 361; *Recueil des privilèges de l'Université*, p. 81. *Ordonn. des rois de France*, III, 458.

1252. *Johannes Blanchart, art. et medic. magister, testatur se recepisse a decano facultatis medicinae viginti duos regales ratione sui itineris ad curiam Rom.*

1360, Martii 7-1361, Febr. 27, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis, officialis Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis propter hoc personaliter constitutus venerabilis et discretus vir magister Johannes Blanchardi[1], mag. in artibus et in medicina, recognovit se habuisse et recepisse a venerabili et discreto viro Guiberto de Celseto[2], decano facultatis medicorum Parisius, viginti duos regales auri de cuno nostri domini Johannis regis Francie, ratione et causa itineris faciendi ad curiam Romanam cum rotulo Universitatis Parisiensis pro communi et pro utilitate et profectu omnium magistrorum predicte Universitatis et tanquam nuncius facultatis medicine specialiter deputatus, de quibus viginti duobus regalibus dictus magister Johannes Blancardi se tenuit coram nobis pro contento, et quitavit dictum magistrum Guibertum et omnes alios, quorum interest, penitus et expresse. Datum anno Domini millesimo CCC LX, die sabbati post *Reminiscere*.

Arch. nat. Paris. MM. 266, fol. 166[b]. — Verisimiliter documentum pertinet ad an. 1361: an. enim 1360, Novemb. 3, rector Universitatis proposuit, rotulum fieri ad papam propter jucundum regis adventum, qui 13 Decemb., libertate donatus, Parisios intravit. Vid. *Lib. procur. nat. Anglic.* in *Auctar. Chartul. Univers Paris.* De rotulo praecedente agitur ibid. ad. an. 1359, Septemb. 30.

1. Fuerunt plures diversi Johannes Blanchart tunc temporis Parisiis studentes (vid. infra ad an. 1362, Novemb. 27.) Qui supra non idem ac cancellarius an. 1381; nescimus, uter fuerit duorum an. 1362 notatorum. — 2. Ms. : « Salceto ». Corruptio hujus nominis causa fuit, cur in *Commentar. facultatis medic.* (et postea a Jourdain, not. p. 112) ad an. 1360 « Gilbertus de Salceto » nominaretur decanus facultatis. Sic et in Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXIX, f. 396[b] : « de Saliceto »

1253. *Johannes, rex Francorum, monasterium religiosorum prioris et scholarium collegii S. Bernardi Paris., existentium jamdudum in gardia regis ratione studii et Universitatis Paris., cujus membrum unum existunt, in sua et successorum suorum perpetua protectione suscipit et ponit, et praepositum Paris., qui est pro tempore, specialem gardiatorem eisdem deputat.* Dat. Parisius anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo, mense Februarii. « Celsitudo regia ».

1361, mense Februarii, Parisiis.

Livre rouge vieux du Chastelet in Arch. nat. Paris., Y. 2, fol. 27[b] (antea 17[b]). *Chartul. Convent. S. Bernardi*, ibid , MM. 366, fol. 32[b].

1254. *Universitas Paris. explicat privilegium quinquennale scholaribus in theologia studentibus Parisiis concessum quantum ad perceptionem beneficiorum suorum redditus.*

1361, Aprilis 6, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Noverint universi hoc presens publicum instrumentum inspecturi, eisque pateat evidenter, quod anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo sexagesimo primo, die sexta mensis Aprilis, indictione quarta decima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Innocentii divina providentia pape sexti anno nono, in plena congregatione generali magistrorum quatuor facultatum Universitatis Parisiensis, apud Sanctum Mathurinum Parisius vocatorum et congregatorum, ut moris est, in pleno capitulo dicti loci, in nostrum notariorum publicorum infrascriptorum presentia personaliter constituti, discreti viri, frater Franssicus de Alft, canonicus[1] Sancti Victoris Parisiensis, ac magister Petrus de Lupi-Saltu, cantor ecclesie Sicliniensis, Tornacensis diocesis, qui ibidem venerant ad excusandum dominum abbatem Sancti Victoris Parisiensis[2] ad dictam congregationem evocati; et magister Petrus de Alvernia, decanus Sancti Marcelli, juxta Parisius, executores una cum domino cancellario ecclesie Parisiensis, cum clausula, « quatenus vos vel duo, *etc.* », privilegii quinquennalis[3] magistris et scolaribus, Parisius in facultate theologie studentibus, a sede apostolica concessi; qui quidem abbas et decanus ad dictam congregationem fuerant evocati ad audiendum correctionem et emendationem processuum ac litterarum, a dicto privilegio emanandarum, et alias per dictam Universitatem super hoc ordinatum ad abusus evitandum. Quibus eis expositis per dictum rectorem, petitaque responsione super eisdem, responderunt in hunc modum, et primo dictus frater Franssicus ac magister Petrus de Lupi-Saltu, quod sciebant et credebant dictam Universitatem tam sancte ac juste deliberasse, quod deliberata et ordinata per dictam Universitatem eis placebant, et illa parati erant custodire pro posse; et quod dictus abbas omnes abusus et abusores vellet extirpare et evitare, quantum posset. Postea vero dictus magister Petrus, decanus Sancti Marcelli, super istis eodem modo respondit, sicut alii predicti; et quod bonum assessorem habebat et justum, ut sibi videbatur, videlicet magistrum Guidonem Fabri, qui pro bona persona ab omnibus reputabatur. Ordinatio vero Universitatis est ista, quod illa clausula que ponitur in processibus : « Citetis omnes illos et illas, » tollatur et ponatur certus numerus personarum, qui non transcendat numerum octo personarum, et nominentur[4] persone. — Item, quod volentes uti privilegio quinquennali compareant cum cedula magistri sui, in presentia facultatis theologie seu deputatorum ab eadem, ad ipsos informandum de scolaritate sua; qui jurabunt, se non uti dicto privilegio, nisi per quinque annos duntaxat, in studio residendo et in dicta facultate studendo, et solum in debitis beneficiorum suorum, secundum formam dicti privilegii. — Item, quod comparebit actor prima die, coram judice, contra reum citatum, et non per caventem. Et decetero utentur forma citationis de novo ordinate; et quod omnes processus, secundum

quos non fuerit aliqua causa coram judicibus incoata, revocentur[5] et nullius sint decetero efficacie vel momenti; et processus alii secundum quos est causa incoata, durent[6] et habeant roboris firmitatem usque ad finem causarum incoatarum. — Item, quod tribus judicibus dicti privilegii sit una sedes communis, in qua ipsi tres sedeant simul, et non unus sine alio, vel deputati seu deputatus ab eisdem, coram quibus conjunctim terminentur[7] cause incepte et incoande. Super quibus omnibus et singulis sic responsis et dictis, voluit et petiit magister Dyonisius Flatonis, rector dicte Universitatis Parisiensis, sibi nomine dicte Universitatis per nos, notarios publicos infrascriptos, fieri publicum instrumentum, astantes[8] et presentes ibidem in horum testimonium invocando. Acta fuerunt hec anno, mense, die, indictione, pontificatu et loco predictis, presentibus ad hoc discretis viris dominis et magistris Odardo Billeti, Jacobo Juvenis, Johanne de Aciaco, Jacobo de Paveillione, et multis aliis testibus, ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Symon dictus Quinimo, clericus Tullensis dyocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, curieque Parisiensis juratus, *etc.*

Et ego Petrus Tuepain de Gressio, clericus Senonensis diocesis, publicus auctoritate apostolica et imperiali notarius, *etc.*

Originale in Arch. Univers. Paris., thec. III, A. 12. a. — Jourdain, n° 680.

1. Orig. « canticus ». — 2. Bernardum de Mezo, ab an. 1360, Novemb. 24 (non Aug., ut in *Gall. christ.*), abbatem (Reg. Aven. Innoc. VI, vol. XXIII, fol. 102b), post resignationem Johannis de Bruyeres. Aug. 25 — 3. Vid. bullam Clem. VI., an. 1343, in *Chartul.*, II, n° 1068. — 4. Orig. · « nominantur ». — 5. Orig. · « revocantur » — 6. Orig. · « durant » — 7. Orig. . « coniutim terminantur ». — 8. Orig. « astentes ».

1255. *Rector Universitatis Dionysius Flatonis; juramentum praepositi Paris.*

1361, Martii 19; Junii 13, Parisiis.

Anno Domini 1361[1], 19 Martii, fuit electus in rectorem magister Dyonisius Flatonis de Varedis, Meldensis dyocesis, in cujus rectoria licet plura acta fuerint, tamen ob memoriam futurorum hoc factum in ejusdem rectoria est hic insertum : videlicet, quod quamvis prepositus novus Parisiensis vocatus fuisset pluries ad congregationem generalem[2] causa juramenti soliti faciendi, tandem finaliter anno quo supra et xiij mensis Junii dictus prepositus juravit punctualiter sigillatim et dearticulate omnes articulos et quidquid in nostro privilegio regio[3] continetur, quamvis pluries recusasset, presentibus ad hoc in capitulo Fratrum Predicatorum post sermonem, quoad theologos mag. Ro[berto] de Corb[eya][4]....

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 142b. — Bulaeus, IV, 364.

1. Minime secundum stilum Gallicanum, sed sec. usum communem, cum Dionysius an. 1361, Martii-Junii, rector fuisset (vid. supra ad April. 6), et « novus » praepositus, scil. Johannes Bernier, a 18 Maii an. 1361 (usque 1367, Sept. 3) officio suo functus sit. — 2. Ms. addit « convocatus » — 3. Philippi Augusti in *Chart.*, I, n° 1. Ad haec vid. infra ad an. 1367, Octob. 10. — 4. Vid. de ipso *Chartul.*, II, *Indicem*, et in hoc vol. Aliorum testium nomina desunt.

1256. « *Fr. Radulphe de Castello*[1], *regent de ce convent (des Ermites) le 25 Septembre 1361 obtient du recteur et docteurs de toute l'Université assemblée à Saınct Mathurın que toutes les années on feroit une procession à l'honneur de sainct Augustın, qui viendroit ceans et entendroit le sermon le dernier jour de Février, feste de la seconde Translation du dict sainct Augustin. Notaire* Petrus Petri. »

1361, Septembris 25, Parisiis.

Arch. nat. Paris. S. 3640 (Livre II de contracts du grand convent de Paris de l'Ordre des Frères Herm. de S. Aug.), fol 5^{b}, nº 36. — Nº 37 notatum est instrumentum rectoris et Universitatis ejusdem temporis notae de eadem re. De hoc facto agitur in *Libro proc. nat. Anglic.* in *Auctar. Chartul.* ante 23 Septemb.

1. Seu potius de Civitate Castelli Vid. supra nº 1248 et 1248^{a}.

1257. *Gobertus de Monteberaudi electus in rectorem Universitatis.*

1361, Decemb. 16, Parisiis.

Anno Domini 1361[1], die jovis[2] post festum beate Lucie virginis, Gobertus de Monteberaudi electus fuit in rectorem Universitatis, et habuit multa agere pro impositionibus[3]; et super eo quod in sua rectoria papa concessit ville Tholosane unam facultatem theologie, cum tot et consimilibus privilegiis, quot et que habet Universitas Parisiensis, quod nec Tholose nec alibi nisi Parisius aliquis papa voluit concedere pro quocunque mundi.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 143 — Bulaeus, IV, 364.

1. In ms. . « 1361 », sed potius legendum videtur · « 1360 », quo anno, Octob. 1, concessa fuit ab Innocentio VI facultas theologica Universitati Tolosanae, verisimiliter primus hujus concessionis nuntius Parisios evenit sub rectore supra citato. Sed in contrarium afferri debet, an. 1360 rectorem 16 Decemb. electum esse, ut apparet e *Lib. procur. nat. Anglic.* in *Auctar. Chartul. Univers.*, diem jovis post festum Luciae vero in 17 Decembris cecidisse. Cum tamen infra ad an. 1362, Novemb. 27 (nat. Picard.) dicatur, Gobertum *bis* rectorem fuisse, fortasse ipse primum an. 1360 rector fuit, et in ms. ei attribuuntur, quae in primo ejus rectoratu evenerunt, nam et decretum regium de impositionibus ad principium an. 1361 referri debet — 2. Vid. ad hoc notam ad 16 Decemb. in kalendario nat. Anglic., *Auctarium Chartul. Univers. Paris.*, I, p. 11. — 3. Vid. privil. a Johanne concessum supra nº 1251.

1258. *Statutum Universıtatis Paris. de habitu magistrorum in congregationibus.*

1362, Februarii 3, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis rector et universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium, salutem in Domino sempiternam. Justum esse censetur hos qui aliis president velut deputati ad eorum erudicionis officium, maxime eorum officium exercendo, seu quid commune pertractando, aliquali decentia habitus insigniri. Cum igitur ex rei evidentia nobis appareat, quod nonnulli magistri congregationes generales et speciales nostre Universitatis antedicte, facultatumque et nationum suarum deputationes ac disputaciones et alios actus communes in suis mantellis foderatis aut duplicibus ingredi non abhorrent, et ad sedes deliberando nobiscum in actibus communibus presumunt accedere,

quod est contra honorem nostre Universitatis antedicte, maxime cum ipsi deberent esse speculum aliorum et ipsis bonum dare exemplum, ex quibus possit grave contra nos oriri scandalum in futurum : hinc est quod nos super hiis providere cupientes, statuimus et per modum statuti volumus perpetuis temporibus ab omnibus observari[1], quod decetero magistri, cujuscunque facultatis aut nacionis existant, ad congregationes tam generales quam speciales, deputationes ac disputationes ac alios actus communes accedant in habitu decenti, videlicet capa vel epitogio longo vel brevi foderato aut pallio, non in mantello qualitercunque foderato. Et si in alio habitu accesserint, voces eorum in dictis congregationibus [genera]libus vel specialibus, deputationibus aut aliis actibus communibus pro nullo habeantur, et requisiti in predictis congregationibus, deputationibus aut aliis actibus communibus per rectorem nostre dicte Universitatis exire teneantur. Qui rector per quemcunque magistrum in dictis congregationibus et aliis actibus communibus existentem requisitus per suum juramentum eos inquirere teneatur, nisi sit tale factum propter quod oporteat totam Universitatem magistrorum regentium et non regentium, ac scolarium juratorum congregari, et pro defensione aut tuitione nostrorum privilegiorum deliberare. In quo casu modum antiquum volumus observari. Si quis vero magister cujuscunque facultatis existat, contra premissa vel aliquid premissorum quidquam attemptare presumpserit, a nostra societate se noverit repellendum, donec satisfactione premissa tota Universitas ipsum duxerit revocandum. In cujus rei testimonium sigillum nostre Universitatis prefate presentibus litteris duximus apponendum. — Dat. in nostra congregatione generali apud Predicatores Parisius celebrata die tertia mensis Februarii, anno Domini MCCC sexagesimo secundo[2].

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 113. — Bibl. nat. Paris. ms. lat. 12847 (apograph. rec.), fol. 377. Bulaeus, IV, 374.

1. Ms. add. « et ». — 2. Secundum stilum Gallicanum? Tunc esset an. 1363.

1259. *Innocentius VI magistrum Grimerium Bonifacii in cancellarium Paris. confirmat.*

1360, Septemb. 30-1362, Aug. 15.

Dilecto filio Grimerio Bonifacii[1] cancellario eccles. Parisiensis, in sacra theologia magistro, salutem, *etc.* Litterarum scientia .... Exhibita siquidem nobis pro parte tua petitio continebat quod dudum simplici et non curato officio cancellarie ecclesie Parisiensis, quod quondam Johannes d'Assy, ultimus ipsius ecclesie cancellarius, dum viveret obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, venerabilis frater noster Johannes episcopus Parisiensis officium predictum sic vacans et ad ejus collationem pertinens nulli de jure debitum ordinaria tibi auctoritate contulit et providit etiam de illo canonice, nisi apostolice reservationes obstarent, tuque vigore collationis et provisionis predictarum officium ipsum ex tunc per annum et decem menses

tenuisti et possedisti[2], prout tenes et possides pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, tu dubites officium predictum, cujus fructus redditus et proventus vigintiquinque librarum parisiens. secundum taxam decime valorem annuum, prout asseritur, non excedunt, fuisse tempore collationis et provisionis predictarum dispositioni sedis apostolice reservatum, teque posse super eo propterea imposterum molestari : nos volentes te (in predictis Parisiensi et Rothomagensi ecclesiis canonicatus et prebendas ac in civitate Parisiensi quandam perpetuam capellaniam, que Universitatis Parisiens. nuncupatur, obtinentem, et beneficium ecclesiasticum .... ad archiepiscopi Rothomag. collationem .... expectantem), meritorum tuorum intuitu necnon consideratione carissimi in Christo filii nostri Johannis regis Francorum illustris pro te .... supplicantis .... favore prosequi .... apostolica tibi auctoritate concedimus, quod collatio et provisio predicte per eundem episcopum .... et quecunque inde secuta a data presentium valeant et plenam roboris firmitatem obtineant .... Nulli ergo, *etc.* Dat. Avinione xviij kal. Septembris, anno decimo.

Reg. Vat. Aven. Innocentii VI, vol. XXIX, fol. 590[b].

1. Vid. de eo *Chartul.*, II, *Indicem.* — 2. Ab anno 1360, Septemb. 30. Sic enim legitur in Reg. capit., Arch. nat. Paris. LL. 106[a], p. 285, ad crastinum S. Michaelis (30 Septemb.) an. 1360 : « Hodie ad cancellariam vacantem per mortem magistri Johannis de Aciaco fuit receptus per litteras episcopi Paris. mag. Grimerius Bonifacii, et prestitit [juramentum....] ». Johannes de Aciaco inter Septemb. 11 et 30 diem supremum obiit (ibid., p. 283).

1260. « *F. Jaques[1] d'Arenceyo, docteur regent de ce convent (des Ermites), le 20 Novembre 1362, obtient de l'Université qu'on fera la feste de Sainct Paul premier Hermite le xj Janvier, et qu'on fera deux sermons dans nostre eglise, l'un le matin, et l'autre l'après disné.* »

1362, Novembris 20, Parisiis.

Arch. nat. Paris. S. 3640, fol. 6, n° 38. — In Kalendario Univers. (*Chartul.*, II, 709) hoc festum notatur et *sermo in Augustinensibus.* In kalendario ad usum nat. Angl. (Bibl. nat. Paris., lat. nouv. acq., 535, fol. 7) ad 11 Januarii manu recentiori tantum inscribitur : « Pauli primi heremite, cui corvus panem tulit dimidium. Non legitur ».

1. In ms. scribitur perperam : « Jean ». Vid. infra n° 1262. Originale verisimiliter praebuit « J. ».

1261. « *Articuli communes Universitatis Parisiensis, pro quibus supplicat sanctitati vestre (Urbano V) devotissima filia vestra Universitas Parisiensis.* »

1362, Novembris 23-Decemb. 5.

Primus, cum Gregorius papa nonus fe. re. eidem studio inter cetera indulserit[1] quod nullus magister aut scolaris pro quacumque suspitione eciam probabili debeat capi, nec in carcere retineri, sed cautione ydonea prestita cessantibus incarcerentium[2] exactionibus restitui debeat, quibus contraire officiales Parisienses hodie non verentur, eo quod non est qui auctoritate vestra eos valeat cohercere, propter quod cessationes aliquando ac alia dispendia in prefato studio sepissime suscitantur : supplicat vestra filia supradicta eidem

sanctitati vestre quatinus ob transquilitatem prefati studii et favorem studentium super privilegio prelibato certos conservatores sanctitas vestra concedere dignetur. — Sit conservator Silvane[c]tensis[3] usque ad quinquennium.

Item, cum magistris cujuscumque facultatis Parisius magistratis liceat virtute eorum licentie ac privilegiorum cancellario dicti studii concessorum ubicumque terrarum legere, regere, praticare, et quoscumque actus scolasticos exercere[4], predicta possint facere ac eciam exercere non obstantibus quibuscumque privilegiis, statutis seu consuetudinibus in oppositum habitis, impetratis seu etiam imposterum impetrandis. — Fiat. B.

Item, cum ad collationem Universitatis predicte pauca pertineant beneficia et ipsa habeat infinita supposita in moribus et scientia sufficientia, placeat sanctitati vestre ut nullus ad ejus collacionem valeat impetrare, sed talis impetracio sit nulla ipso jure, nisi de indulto hujusmodi expressam faciat mencionem. — Fiat. B. — Datum Avinione non.[5] Decembris, anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 74.

1. In sua bulla *Parens scientiarum*, *Chartul.*, I, nº 79. — 2. In bulla : « carcerariorum ». — 3. Episcopus, tunc temporis Adam de Nemours, Ord. Praed., mag. in theol., episc. ab an. 1356, Junii 6 (Reg. Aven. Innoc. VI, vol. XII, fol. 48b), defunctus an. 1377, Nov. 21 (vid. infra ad an. 1379, Octob. 28). — 4. Vid. *Chartul.*, II, nº 578. — 5. Sic in ms. Sed in Rotulis sequentibus nota temporis ubique per vicecancellarium mutata est; in prioribus e. g., theologorum et decretistarum, antea, ut supra, scriptum erat « non. Decemb. », quae nota mutata est in « viiij kal. Decemb. ».

1262. *« Rotulus magistrorum theologie Parisius regentium » ad Urbanum V missus.*

1362, Novembris 23.

Apostolice sanctitati vestre, que posita divinitus velut in montibus Syon sanctam matrem ecclesiam interius ab excelso prospicit et personas ecclesiasticas prompto paterne clementie intuitu circumcernit, supplicant humiliter et devote vestri devoti et supplices oratores magistri in theologia vestre Universitatis Parisiensis nunc regentes, quatinus de solita vestre benignitatis affluencia benivola eisdem magistris inferius in nostro presenti rotulo nominatis, specialem gratiam facientes, de beneficiis infrascriptis prout in eorundem supplicationibus continetur vel aliis, prout vestre sanctitati placuerit, dignemini misericorditer providere, cum acceptatione .... Et quod transeant sine alia lectione ac etiam examine qualicunque ut in forma.

Et primo Guillermo de Lumbris, ejusdem facultatis decano, qui alias pro studio Parisiensi multipliciter et cum magnis expensis laborando gratiam obtinuit, de canonicatu et prebenda in ecclesia Carnotensi [de canon. Ambianensi, non obstante prebenda Parisiensi litigiosa a xviij annis].

Item Nicolao de Danvilla[1], de canonicatu et prebenda ecclesie Paris.

Item Ingerrano de Frenellis Belvacens. dyoc., de can. et preb. eccl. Belvac.

Item Roberto de Corbeya, de can. et preb. eccl. Carnot[2].

Item Johanni Ogeri de Sancto Medardo supra Montem, de can. et preb. eccl. Remens.

Item Guillermo de Sancto Remigio, de can. et preb. eccl. collegiate Sancte Walburgis Furnensis Morinens. dyoc.

Item Johanni Vavassoris, de decanatu et prebenda Aurelianens.

Item Hugoni de Duno, de can. et preb. eccl. Cathalan.

Item Symoni Freron[3], de can. et preb. Cameracens.

Item Stephano de Nemosio, de can. et preb. Senonens.

Item Johanni de Bonnella, de can. et preb. eccl. Morinens.

Item Laurencio Yvonis, de can. et preb. eccl. Bajocens.

Item Nicolao Oresme, de can. et preb. eccl. Rothomag.[4].

Item Petro Vetule, de can. et preb. Atrabat.

Item Ricardo Grancherii, de can. et preb. Lexoviens.

Item Petro de Sihervilla, de can. et preb. Tornacens.

Item Morardo de Martiniaco Laudunens. dyoc., de can. et preb. Laudunens.

Item Ricardo Piel, de can. et preb. Ebroycens.

Item Girardo dicto de Bussy Laudunens. dioc., de can. et preb. Noviomens.[5].

Item Johanni Brassatoris, de can. et preb. Meldens.

Item magistris de Ordinibus, fratribus Amando[6] de Ordine Minorum, Guillermo de Freavilla Ord. Predicatorum, Jacobo de Arenceyo Ord. fratrum Heremit. sancti Augustini, Guidoni de Nivella[7] Ord. Cisterciens. monacho Sancti Andree de Gouferno, Johanni Goulain[8], Ord. fratrum beate Marie de Monte Carmeli, de plena remissione peccatorum suorum.

Pro bedellis vestre facultatis predicte.

Et primo Johanni de Acyaco, cler. Remens. dyoc., principali bedello facultatis prefate, de officio in ecclesia Remensi, matricularia seu custodia vulgariter nuncupato.

Item Johanni subbedello ejusdem facultatis, cler. de patronatu seu officio.

Item Nicolao Thine, presbytero Paris. dyoc., servienti facultatis antedicte, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura. [28]

Sine lectione. — Fiat. — Et suppleatur in omnibus et singulis supplicationibus ubi est necessarie, ut petitur. — B.

Datum Avinione viiij kal. Decembris[9], anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 77[b]. Unicuique adjungitur « Fiat. B. » Plurimi magistrorum jam in tom. II *Chartul.* nominantur, ubi vid. in *Indice*. — Fol. 22[b] ad an. 1362, Nov. 21, invenitur rotulus separatus magistrorum in theol. et in art. Hellini de Duriaco, Johannis Bobe de Marvilla, gallice terre Treveren. dioec., Johannis de Pontecrucis[10], alias le Boles (soc. Sorbonae, vid. Delisle, *Cab. des mss.*, II, 160) et Petri de Sihervilla, de quibus partim supra, partim in *Chartul.* II.

1. Vid. supra nº 1213, not. 3, et II, 626, not. 7. An. 1364, Martii 18, receptus in can. Paris.; April. 1, Elia de Corsone defuncto, auctoritate apostol. recepit poenitentiariam Paris.; April. 5 visitator factus est et provisor domus Dei (Arch. nat. Paris. LL. 186[b], p. 481; 485; 487). Cf. infra ad an. 1365, Junii 14. — 2. Vid. supra nº 1213. — 3. Vid. *Chart.*, II, 636, n. 14. An. 1382, Mart. 12, succentor Paris. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXV, f. 511). — 4. De eo in tom. II, p. 641, not. 3. — 5. Est idem atque Gerardus de Vervino, ut legitur in Reg. Suppl. Urb. V, an. 4, p. 1, f. 10, 85 : « Gerardus de Buissy, alias de Vervino ». Quanquam jam an. 1365 canon. Paris. obtinere voluit, tamen solum an. 1371, Januar. 5, in can. receptus est (Arch. nat. Paris. LL. 107, p. 577), et post Nicolaum de Danvilla ante 1369, Oct. 18, in poenitentiarium. — 6. De Arcesio, de quo infra nº 1279. — 7. Ms. potius « Nuvella ». Guido de Nivella an. 1367, April. 21, factus est abbas S. Andreae de Gouferno, Olivario defuncto (Reg. Aven. Urb. V, vol. XV, f. 97[b]). — 8. Ipsum etiam an. 1385 in Univers. Paris. videbimus; postea pro Clemente VII pluribus legationibus functus est contra Bonifacium IX. Vid. Villiers, *Bibl. Carmel.*, I, 854. An. 1354 « lecturus erat Sententias Parisiis pro quarto anno », i. e. ut legat an. 1357-1358 (Lezana, *Ann. Ord. Carm.*, IV, 611). An. 1361-1362 licentiatus est. Postea provincialis (definitor?) Ord. in Francia, plures libros an. 1370 pro Carolo V in ling. Gall. traduxit. Cf. Delisle, *Cab. des mss.*, I, 41; III, 329 sqq. Ejusdem nomen in mss. Mazar. 176, 178, 1309, inscribitur. — 9. Primo scriptum erat : « non. Decemb. », sed postea deletum et in margine scriptum : « cassat. non. et loco ipsius positum in or[iginali] viiij kal. per dom. vicecancellarium et hic per me Jo[hannem] de mandato suo ». — 10. An. 1364, Octob. 11, receptus est in can. eccl. Paris. (Arch. nat. Paris. LL. 106[b], p. 546).

1263. « *Rotulus facultatis decretorum Parisiensis* » *ad Urbanum V missus.*

1362, Novembris 23.

Sanctitati vestre supplicant vestri humiles et devoti filii universi magistri vestri studii Parisiensis, quatinus doctoribus facultatis decretorum Parisiensis infrascriptis de beneficiis et gratiis inferius annotatis, prout in eorum supplicationibus singulis continetur, dignemini misericorditer providere cum acceptationibus ....

Magistro Heberto de Sarcellis doctori decretorum, licentiato in legibus ac magistro in art., decano facultatis decretorum predicte, de can. et preb. dignitate, personatu vel officio cum cura vel sine cura ecclesie Carnot.

Magistro Stephano de Parisius, decano Parisiensi, doctori decretorum, concedere dignetur sanctitas vestra, beatissime pater, vestram et apostolice sedis benedictionem et gratiam. — Benedicat tibi Deus et noveris gratiam sedis apostolice habere[1].

Magistro Johanni de Fresneyo actu regenti Parisius in decretis ac licentiato in legibus, de canonicatu et prebenda, dignitate, personatu, officio vel beneficio cum cura vel sine cura vacante vel vacaturo in ecclesia Bajocensi.

Magistro Johanni Galli[2], utriusque juris professori, actu regenti Parisius in decretis, can. prebendato eccl. Bajocens., de dignitate, personatu vel officio ejusdem ecclesie.

Magistro Stephano Lebistant doctori decretorum, in jure civili licentiato, de dignitate thesaurarie sive can. et preb. in ecclesia Ebroic.

Magistro Nicolao de Perayo doctori in decretis, licentiato in legibus, de can. et preb. in eccl. Rothomag.

Magistro Roberto Fabri de Granciis decretorum doctori, licentiato in legibus et art., actu regenti Parisius, qui dudum etiam a tempore xxx annorum et amplius primo auctoritate fe. re. domini Johannis pape XXII canonicatum ecclesie Noviomensis habuit sub expectatione preb. [de can. ejusdem ecclesie Noviomens.].

Magistro Hamoni Ruffi, Leonens. dioc., doctori decretorum actu regenti Parisius ac licentiato in legibus, ecclesiam parrochialem de Limolio Parisiensis diocesis obtinenti, de can. et preb. eccl. Andegav.

Magistro Rogero Mustelli, Rothomag. dioc., doctori decretorum, licenciato in legibus, de can. et preb. vacantibus in eccl. Rothomag.

Magistro Durando de Fontibus, utriusque juris professori, de can. et preb. in ecclesia Parisiens., Carnot., Bajocens., Rothomag., Laudunens., vel Camerac.[3].

Magistro Philippo Wallevant doctori decretorum[4].

Supplicat sanctitati vestre devotus filius vester Alanus Nuzi, bedellus generalis Universitatis Parisiensis in facultate decretorum, quatinus sibi gratiam facientes de matricularia eccl. Parisiens. laicis conferri consueta.

Supplicat sanctitati vestre Guillermus Gollo clericus Leonens. dyoc., subbedellus generalis facultatis decretorum Parisiens. [13]

Sine lectione. — Fiat. B. — Dat. Avinione viiij kal. Decembris[5], anno primo.

Reg. Vat Suppl. Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 76. — Unicuique additur « Fiat. B. ».

1. In margine « talis est intentio pape. Jo[hannes] ». Stephanus, ab eod. an., Maii 3, per resignat. Petri de Monte Revello, dec. Paris. (Reg. Aven. Innocent. VI, vol. XXVIII, f. 154), an. sequenti, Decemb. 11, fit episc. Paris. (Reg. Aven. Urb. V, vol. VIII, fol. 138[b]), predecessore ejus Johanne defuncto, et an. 1364, Martii 3, consecratus est (LL. 106[b], p. 476, in Arch. nat.). An. 1368, Septemb 22, Stephanus creatur card. tit. S. Eusebii, qui an. 1369, Februarii 13, primo intravit curiam (Contelori). Minime idem est ac Stephanus de Parisius an. 1314 in *Chartul.*, II, n° 712, quibus confundendis Bulaeus, IV, 991, ansam praebet. — 2. Ipse erat nuntius Univers. pro facult. decret. (Suppl. Urb. V, an. 1, p. 3, fol. 83). An. 1363, Febr. 10, suppl. ut ei detur can. et praeb. Senonens (Suppl. Urb. V, an. 1. p. 3, fol. 77). Late de eo in Arch. nat. Paris., X[1a], 21, fol. 321, ad an. 1368. — 3. An. 1363, Febr. 10, suppl. de can. et praeb. eccl. Bajocens. (Suppl. Urb. V, l. c.). — 4. In margine: « Cassata ista per me Jo[hannem] quia in or[iginali] fuit cassata per dom Pampilonensem vicecancellarium, et ego feci de mandato suo ». — 5. Primo « non. Decemb. », postea deletum et in margine sicut in rotulo theologorum.

1264. « *Rotulus magistrorum facultatis medicine Parisiens.*[1] » *ad Urbanum V missus.*

1362, Novembris 26.

Sanctitati vestre supplicant devoti et humiles filii vestri omnes et singuli magistri Universitatis Parisiensis quatinus magistris facultatis medicine Paris. infrascriptis, qui etiam omnes magistri in artibus existunt, de beneficiis inferius annotatis .... dignemini misericorditer providere cum acceptatione ....

Magistro Venturino de Castello subdyac., de can. sub expectatione preb. eccl. Beate Marie de Balna Eduens. dioc.

Magistro Petro Lupi dyac. Cameracens. dioc.

Magistro Gervasio Christiani[2] dyac. Bajocens. dioc., de can. sub expectatione preb. Sancti Leofardi de Magduno supra Ligerim, Aurelianens. dioc., non obstante can. eccl. S. Sepulcri Cadomens.

Magistro Guiberto de Celceto[3] dyac. Lingonens. dioc., de can. sub expectatione preb. S. Martini Turonens.

Magistro Ricardo Mignoti dyac. Bajocens. dioc.

Magistro Johanni de Lovanio, dyac. Trajectens. dioc. [de can. sub expectatione preb. S. Gaugerici Cameracens.].

Magistro Nicolao Saingnerue cler. Paris. dioc.

Magistro Johanni Gortenbeke subdyac. Cameracens. dioc.

Magistro Roberto Heberti[4], alias dicto de Alamannia, cler. Bajoc. dioc., decano facultat. medicine Paris.

Magistro Henrico de Septemvannis cler. de Bajocis oriundo, de can. sub expectatione preb. S. Petri Gerborredens. Belvacens. dioc.

Magistro Johanni Inventi dyac. Rothomagens. dioc.

Magistro Johanni Froingnardi, alias dicto de Sissiaco, cler. Laudunens. dioc., de can. sub expectatione preb. S. Audomari in S. Audomaro Morinens. dioc.

Magistro Guillermo de Landis dyac. Constantiens. dioc., de can. sub expectatione preb. S. Hilarii Pictav.

Magistro Johanni Medici cler. de Rothomago.

Magistro Guillermo Touse cler. Cenomanens. dioc.

Magistro Richardo Viardi dyac. Ebroicens. dioc., de can. sub expectatione preb. S. Amati de Duaco Attrebatens. dioc.

Magistro Ponsardo Johannis de Douzi subdyac. Remens. dioc.

Magistro Johanni de Poilliaco, alias dicto de Ursello, dyac. Laudunens. diocesis, de can. sub expectatione preb. Sancti Donatiani Brugensis Tornacens. dioc.

Magistro Evrardo de Conti[5] subdyacono de Ambianis, de can. sub expectatione preb. Sancte Walburgis Furnensis Morinens. dioc.

Magistro Johanni Berar subdyacono de Leodio.

Magistro Arnoldo de Capella, alias dicto de Broctial, de can. sub expectatione preb. eccl. Sancti Servatii Traject. Leodiens. dioc.

Magistro Henrico Pourreti de Tornaco acolite (*sic*).

Magistro Johanni de Attenhoven, cler. Leodiens. dioc.

Magistro Theobaldo de Annella, alias dicto de Thunereyo, cler. Remens. dioc.

Magistro Godefrido de Dormale subdyacono Leodiens. dioc., de can. sub expectatione preb. eccl. Sancti Dyonisii Leodiens.

Magistro Johanni Meltere clerico Leodiens. dioc,, de can. sub expectatione preb. eccl. Sancti Martini Leodiens.

Jacobo Fourrarii accolito de Parisius, bedello dicte facultatis, qui suum officium in eadem facultate per viginti duos annos et amplius laudabiliter exercuit et honeste [de beneficio. — Fiat et dimitte bedellariam. B.] [27]

Datum Avinione vj kal. Decembris[6], anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 189. — Ad singulos additur . Fiat. B.

1. Plures sequentium an. 1349 jam magistri artium erant, eorumque mentio fit in *Chartul.*, II. — 2. Inter omnes

celeberrimo, de quo jam supra. Cf. Delisle, *Cab. des mss.*, III, 445. — 3. Gilberto de Celseto, de quo supra. — 4. In Arch. nat. Paris. X1a-20 (*Jugés*), fol. 77b, ad an. 1364 (1365), Martii 15, affertur ut scholaris in fac. theol., et curatus par. eccl. S. Germani de Varavilla, dioec. Bajocens. — 5. De quo supra. — 6 Primo scriptum erat « vj id. Decemb. », i. e. Decemb. 8.

1265. « *Rotulus facultatis artium Parisiensium* » *ad Urbanum V missus.*

1362, Novembris 27.

Supplicat sanctitati vestre devota filia vestra universitas magistrorum Parisius studentium, quatenus de solita benignitate vestre clemencia in personis magistrorum in artium facultate actu regentium gratiam specialem faciendo eisdem magistris inferius nominatis de beneficiis infrascriptis, officiis vel aliis graciis seu alias sicut petunt .... misericorditer dignemini providere .... cum acceptacione ....

Item quod illa clausula, *eciamsi in ecclesia cathedrali existat,* in dictis supplicationibus, in quibus petitur, in cancellaria transeat et pro concessa a sanctitate vestra habeatur ....

Item cum dicta facultas arcium in hoc rotulo sit divisa in quatuor naciones, quarum prima est nacio Gallicana, secunda Picardorum, tertia Normannorum, et quarta Anglicorum, et in nacione Gallicorum sint quinque provincie, quarum prima est provincia Parisiensis, secunda Senonensis, tertia Remensis, quarta Turonensis, et quinta Bituricensis, dignemini pietatis intuitu quamlibet dictarum nacionum visitare et eisdem vestram largifluam graciam impertiri.

Item si sanctitas vestra duxerit ordinandum ut illi quibus per eandem sanctitatem gratia fiet examen subire teneantur, dignemini hoc committere Parisius, ne ipsi a studio distrahantur ac etiam propter viarum pericula et discrimen. Et quod transeat sine aliqua alia lectione.

NACIO GALLICANA.

Magistro Johanni de Marchia presb. dioc. Tullens., procuratori nacionis Gallicane ac quondam Universitatis Parisiensis rectori [1].

Nomina magistrorum provincie Parisiensis.

Magistro Andree de Sancto Clodoaldo, presb. Paris. dioc. [de canon. ecclesie collegiate S. Audomari in Sancto Audomaro Morin. dioc.].

Magistro Petro Cosson de Comminyaco, presb. Rothomag. dioc.

Item Egidio de Meriaco, Carnot. dioc. [de canon. eccl. S. Mederici Paris.].

Magistro Nicolao Davidis, Parisiensi...

Magistro Nicholao de Laniis, Paris. dyacono...

Magistro Gaufrido Bernerii, presbitero Paris. dioc...

Magistro Dyonisio Flatonis [2], presbitero, quondam bis rectori Universitatis Paris., Meldens. dioc...

Magistro Guillermo Pagesii, alias de Narbona, Parisiensi.

Magistro Adde Marescalli, presb. Paris. dioc...

Magistro Symoni de Insula, presb. Paris. dioc...

Magistro Johanni Britonis, Paris. dioc.

Magistro Johanni Ance [3], Paris. clerico.

Magistro Petro Valentis de Corona, Parisiensi [de canon. eccl. collegiate S. Germani Autissiod. Paris.].

Magistro Petro Tirelli, presb. Paris. dioc. [de can. eccles. collegiate S. Martini de Campellis in Bria, Paris. dioc.].

11.

Magistro Guillermo Arrodi, Senonens. dyoc. presb. [de can. eccl. colleg. S. Marcelli prope Parisius].
Magistro Roberto de Sancto Nicholao, presb. Meldens. dyoc.
Magistro Reginaldo de Aurelianis, Paris. subdiacono [de canon. eccl. collegiate S. Liphardi de Magduno, Aurel. dioc.].
Magistro Girardo Houdri, Aurelian. dioc. subdiacono.
Magistro Petro Piqueti.
Magistro Egidio Albisupercilii, Parisiensi clerico [de can. eccles. collegiate S. Honorati juxta Parisius].
Magistro Stephano Arnulphi Parisiensi [4].
Magistro Petro Sagarii, Parisiensi...
Magistro Jacobo de Valle, Paris. clerico.
Magistro Johanni de Bello Rovro, cler. Paris. dioc. [de can. eccl. collegiate S. Johannis Laudunens.].
Magistro Johanni de Cantumerule, Paris. cler.
Magistro Guillermo Carnificis [5], clerico Paris. dyoc. [de canon. eccl. colleg. S. Bartholomei Belvac.].

Nomina magistrorum provincie Senonensis.

Magistro Petro de Vallepartis, presb. Trecens. dioc. [de can. eccl. Trecens.].
Magistro Johanni de Calore [de can. eccl. B Mariae Belnens. Eduens. dioc., vel de can. eccl. S. Gaugerici Cameracens.].
Magistro Petro Melmete de Seillegnayo, Autissiodor. dioc.
Magistro Johanni Laurencii de Chavengiis, Trecen. dioc.
Magistro Johanni de Subtuscalce, Eduens. dioc.
Magistro Henrico Canis de Bisontio [de can. eccl. Bisuntinens.].
Magistro Gerardo Macardi de Insulis, Trecensis dyoc.
Magistro Stephano Raverie de Calvomonte, Lingon. cler...
Magistro Guillelmo Oliverii de Marchia, clerico Tullens. dioc...
Magistro Guillelmo Gouhier de Stampis, Senon. dioc. [de can. eccl. colleg. S. Gaugerici Camerac. dioc.].
Magistro Andree Jaquierii, Senon. dioc...
Magistro Johanni Tuepain de Senonis [de can. eccl. colleg. S. Petri Virorum Aurel.].
Magistro Thome Blandini, clerico Autissiod. dioc...
Magistro Johanni Blanchardi [6] de Interamn[i]s, cler. Autissiod. dioc...
Magistro Theobaldo de Albapetra [7], presb. Lingon. dioc...
Magistro Johanni Rachon, Autissiod. dioc...
Magistro Philiberto Choleti, Cabilon. dioc...

Nomina magistrorum provincie Remensis.

Magistro Oudardo Billeti, presb. Suession. dioc. [de can. eccl. Suession.].
Magistro Johanni dicto Quarriet, presb. Remens. dioc...
Magistro Job Courre, Remens. dioc. [de can. eccl. Cathalaun.].
Magistro Nicolao de Suessione, presb. [de can. eccl. Noviom.].
Magistro Roberto Billeti, presb. Suession. dioc. [de can. S. Simphoriani Rem.].
Magistro Nicolao de Hamo, Remens. dioc...
Magistro Egidio de Ventelayo, cler. Remensi...
Magistro Johanni de Semivilla, subdiacono Suession. dioc. [de can. S. Trinitatis Cathalaun.].
Magistro Stephano de Vincellis, presb. Suession. dioc. [de can. S. Aniani Aurelian.].
Magistro Johanni Magni de Milliaco, cler. Suession. dioc. [de can. b. Petri in foro Laudunens.].
Magistro Johanni Guillereti de Quercu, Remens. dioc. [de can. S. Petri Braquis Rem. dioc.].
Magistro Nicolao Mionculi de Mosonio, subdiac. Remens. dioc. [de can. eccl. B. Marie Hoyen., Leodiens. dioc.].
Magistro Garnerio de Mauvagiis, cler. Tullens. dioc. [de can. eccl. colleg. B. Marie Magdal. de Verduno].
Magistro Nicholao Ruffi de Turna, presb. Remens. dioc...
Magistro Girardo de Maynillis, presb. Cathalaun. dioc. [de can. eccl. Trec.].

Magistro Johanni Alberici de Novo Castro, cler. Tullens. dioc. [de can. eccl. colleg. S. Gengulphi de Crillo].

Magistro Andree Hugonis Denisoti de Novo Castro, clerico Tullensis dioc. [de can. eccl. S. Deodati in Vosago Tull. dioc.].

Magistro Johanni Poree de Metis, cler...

Magistro Johanni Caillaudi de Quercu[8], Remens. dyoc...

Magistro Girardo de Conancia, Cathalaun. dyoc...

Magistro Henrico de Marvilla, Treverens. dyoc...

Magistro Johanni Alberici de Vitriaco castro, Cathalaun. dyoc...

Magistro Johanni de Montemadeo, alias dicto de Summathona, cler. Treverens. dyoc...

Nomina magistrorum provincie Turonensis.

Magistro Nicholao de Rodiaco, Leonens. dioc. [de can. eccl. Leonens. in Britannia].

Magistro Yvoni Kaeseffredour[9], Corisopitens. dyoc...

Magistro Johanni de Villaleoret, Leonens. dyoc...

Magistro Alano de Fossaclei, Trecorens. dioc...

Magistro Herveo Quemmaroti. Corisopitens. dioc...

Magistro Danieli Fezoret, Leonens. dioc...

Magistro Oliverio Malore, Briocens. dyoc...

Magistro Ricardo Hervoti, Briocensi...

Magistro Guillermo Languidi, Trecorens. dyoc.

Magistro Galerano de Pendref[10], Corisopitens. dioc. [de can. eccl. Corisopitens. in Britann.].

Magistro Roberto Roualz, Corisopitens. dyoc...

Magistro Yvoni Pape, Corisopitens. dyoc...

Magistro Oliverio Carpentatoris, Macloviens. dyoc...

Magistro Johanni Durandi, presb. Briocens. dyoc., quondam rectori Universitatis Paris. [de can. eccl. colleg. S. Hilarii Pictav.].

Nomina magistrorum provincie Bituricensis.

Magistro Stephano Galdeti[11], presb. dyoc. Sancti Flori [de can. eccl. colleg. S. Petri Insul. Tornac. dioc.].

Magistro Johanni Chatardi, cler. Lemovic. dyoc...

Magistro Johanni Textoris[12], Lemovic. dyoc...

Magistro Petro Petri de Luca, dyac. Lucens. dyoc., alias dicte Universitatis rectori [de can. eccl. Pisan.][13].

Magistro Francisco Christophori[14], can. regulari expresse professo in ecclesia Dertusensi, Ord. S. Augustini...

Magistro Martino Dominici, cler. de Leinena, Colimbriens. dioc. [de can. eccl. Ulixbon.].

Magistro Johanni de Platea, cler. Taurinens. dyoc. [de can. eccl. colleg. S. Donatiani Brug. Tornac. dioc.].

Magistro Aymerico Eschevelerii...

Magistro Radulpho Hasardi, Rothomagens. dioc. [de can. eccl. colleg. S. Joh. Laudun.].

Magistro Guidoni Corderii de Poloigniaco...

Magistro Guidoni Marescalli de Parriciaco, Eduens. dioc. presb...

Magistro Guidoni Grolerii de Corbigniaco, Eduens. dioc...

Magistro Johanni de Sancto Amando[15], Cathalaunens. dyoc...

Magistro Reginaldo de Fonte, alias de Villanis, dyac. Suessionens. dyoc...

Magistro Hugoni Renvorsie[16], Suessionens. dyoc...

Magistro Symoni de Bourich, Suessionens. dyoc...

Magistro Francisco Chauveti de Stanno [de can. eccl. colleg. de Montefalcon. Remens.].

Magistro Johanni Lambilomii de Anioth, Treverens. dyoc...

Magistro Johanni de Olivis, Remens. dyoc...

Magistro Nicolao Marescalli de Turna, Remens. dyoc. [de can. eccl. colleg. B. Marie de Namurco Leod. dioc.].

Magistro Johanni de Guinicurte[17], Remens. dyoc. [de can. eccl. colleg. b. Bartholomei Leodiens.].

Magistro Guillermo de Kaeseffredour [de can. eccl. S. Maximini de Kaynone Turon. dioc.].

Magistro Petro Blandini, Macloviens. dyoc. [de can. eccl. Nannetens.].

Magistro Roberto Perardi de Douzis, cler. Remens. dyoc...
Magistro Ponsardo Guynardi, presb. Remensi [de can. eccl. colleg. S. Simphoriani Remens.]. [106]

ROTULUS NACIONIS PICARDORUM.

Clementissime sanctitati vestre supplicat humiliter filia vestra devota universitas magistrorum et scolarum Parisius studencium, quatenus eidem gratiam dignemini facere specialem providendo magistris in artibus de nacione Picardorum inferius subscriptorum de beneficiis, officiis, personatibus aut eciam dignitatibus vel alias prout infra in eorum peticionibus continetur cum clausulis . ..

Magistro Jacobo Juvenis, Morinens. dyoc., alias rectori dicte Universitatis...
Item magistro Nicolao de Ansame, Morinens. dyoc. [de can. S. Petri Insulens. Tornac. dioc].
Item magistro Johanni de Trelon[18], Cameracens. dyoc ..
Item magistro Guillermo d'Alekines, Morinens. dyoc., alias rectori dicte Universitatis [de can. eccl. S. Petri Casletens. ejusd. dioc.].
Item magistro Goberto de Monteberaudi, Laudunens. dyoc., alias bis rectori dicte Universitatis...
Item magistro Nicolao Salamonis, alias Buridan, Attrebatens. dyoc. [de can. eccl. S. Amati Duacens. ejusd. dioc.]
Magistro Philippo Sapientis[19], alias Strabonis, Attrebatens. dioc...
Magistro Johanni de Dyodona[20], Belvacens. dyoc. [de can. eccl. S. Crucis Camerac.].
Item magistro Waltero de Oudenarde, Morinens. dyoc...
Item magistro Johanni Bardoul, Morinens. dyoc..
Magistro Egidio de Pomerio, Tornacens. dyoc .
Item magistro Johanni Cauvin, Ambianens. dioc. [de can. eccl. B. Marie Anthoniens. Camerac. dioc.].
Item magistro Johanni Jarbe de Marla, Laudunens. dyoc...
Item magistro Johanni Carlarii, Tornacens. dyoc. [de can. S. Piati Siclinien. ejusd. dioc.].
Item magistro Girardo de Lapide de Buscoducis, Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Martini, Leod. dioc.].
Item magistro Egidio de Corbeia, Ambianens. dioc. [de can. eccl. S. Odomari de S. Odomaro, Morinens. dioc.].
Item magistro Lamberto Fabri de Rode Sancte Ode, Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Dionysii Leodiens.].
Item magistro Andree de Camberon, Ambianens. dioc...
Item magistro Petro de Rely, Tornacens. dyoc. [de can. S. Petri Rothnacens., Cameracens. dioc.].
Item magistro Johanni de Falista[21], Tornacens. dioc. [de can. S. Donatiani Brugens., ejusd. dioc.].
Item magistro Johanni Cassel, Morinens. dioc. [de can. S. Petri Ariens., ejusd. dioc].
Item magistro Johanni Richardi de Belloramo, Laudunens. dioc...
Item magistro Balduino Longuin, Attrebatens. dioc. .
Item magistro Petro Brevis, Tornacens. dioc. [de can. B. Marie Brugens.].
Item magistro Theodorico Florencii, Tornacens. dioc. [de can. B. Marie Antwerpiens., Cameracens. dioc.].
Item magistro Laurencio Selarii, alias Tirel, Ambianens. dioc. [de can. S. Petri de Gerborredo, Belvacens. dioc.].
Item magistro Johanni Mercerii[22], alias Rua, Ambianens. dioc...
Item magistro Nicholao Rales, Leodiens. dioc. [de can. S. Servatii Trajectens.].
Item magistro Liberto de Vierme, Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Bartholomei Leod.].
Item magistro Quintino de Curchiaco, Noviomens. dioc...
Item magistro Matheo de Hersino, Noviomens. dioc. [de can. S. Gaugerici in Cameraco].
Item magistro Philippo Blandurelli, Ambianens. dioc...
Item magistro Philippo de Wambeke[23], Tornacens. dioc...
Item magistro Michaeli de Stoet, Tornacens. dioc....
Item magistro Ricario de Pratis, Ambianens. dioc. [de can. eccl. S. Martini Turon.].
Item magistro Rasoni de Busco, Cameracens. dioc. [de can. S. Gaugerici Alterens. (*leg* Camerac.) ejusd. dioc.].
Item magistro Johanni de Monasteriis, Ambianens. dioc...
Item magistro Geraldo de Borchoenen (*leg.* Borchloen), Leodiens. dioc...

Item magistro Johanni de Chempieng, Noviomens. dioc. [de can. B. Marie de Nigella, ejusd. dioc.].
Item magistro Johanni de Brueriis, Cameracens. dioc. [de can. S. Petri Lobiens. Camerac. dioc.].
Item magistro Johanni de Custodia, Noviomens. dioc. [de can. eccl. Ambianens.].
Item magistro Symoni de Hersino, Noviomens. dioc., alias rectori dicte Universitatis [de can. eccl. Noviom.].
Item magistro Gerardo Doliarii, alias de Sancto Vincencio, Laudunens. dioc...
Item magistro Girardo Cati de Cella, Laudunens. dioc...
Item magistro Adde Blanque, Laudunens. dioc. [de can. S Laurentii de Roseto ejusd. dioc.]
Item magistro Arnouldo de Skendremale (*i. e* Xhendremael), Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Joh. Leod.].
Item magistro Jacobo Oneal, Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Pauli Leod.].
Item magistro Guidoni Have, Attrebatens. dioc...
Item magistro Johanni Braecman de Buscoducis, Leodiens. dioc...
Item magistro Alardo de Clotinge, Trajectens. dioc. [de can. S. Salvatoris ejusd. dioc.].
Item magistro Guidoni Danes, Morinens. dioc. .
Item magistro Johanni Sapientis, Cameracens. dioc. [de can. eccl. S. Crucis Leodiens.].
Item magistro Johanni Trocon de Creciaco, Laudunens. dioc...
Item magistro Henrico de Sancto Trudone, Leodiens. dioc. [de can. B. Marie Trajectens. ejusd. dioc.].
Item magistro Balduino de Remamont, Ambianens. dioc...
Item magistro Jacobo Rode, Tornacens. dioc.[4].
Item magistro Johanni Magni, Leodiens. dioc. [de can. eccl. B. Marie oppidi Tongheren. ejusd. dioc.].
Item magistro Henrico Mate, Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Gertrudis oppidi Nivelens. ejusd. dioc.].
Item magistro Nicolao Clabaut, Morinens. dioc. [de can. eccl. S. Walburgis Furnens. ejusd. dioc.].
Item magistro Gilberto Lupi, Tornacens. dioc. et nunc per dictam Universitatem vestre sanctitatis nuncio cum aliis destinato [de can. eccl. S. Salvatoris Arlebeccens. ejusd. dioc.].
Item magistro Paulo de Ponte, Cameracens. dioc. [de can. S. Quintini in eccl. S. Aldegundis Melbodiens. ejusd. dioc.].
Item magistro Jacobo Vulpis, Tornacens. dioc. [de can. S. Petri Arien. Morinens. dioc.].
Item magistro Johanni de Disiaco, Laudunens. dioc. [de can. S. Laurentii de Roseto ejusd. dioc.].
Item magistro Balduyno de Welsdarme, Tornacens. dioc...
Item magistro Johanni de Serainviler, Cameracens. dioc. [de can. S. Gaugerici Cameracens.].
Item magistro Johanni Boutevillain[24], Cameracens. dioc. [de can. Tornac.].
Item magistro Henrico de Hulst, Cameracens. dioc. [de can. eccl. S. Rumoldi Machliniens. ejusd. dioc.].
Item magistro Johanni Dullart, Tornacens. dioc.[4].
Item magistro Symoni Martini, Tornacens. dioc...
Item magistro Jacobo Aquiau, Cameracensi [de can. S. Quintini Melbod. Camerac. dioc.].
Item magistro Johanni But, Tornacens. dioc. [de can. eccl. B. Marie Aquens. Leod. dioc.].
Magistro Johanni Parent, Tornacens. dioc...
Item magistro Hugoni de Lapide, Tornacens. dioc. [de can. B. Marie Hoyen. Leod. dioc.].
Item magistro Symoni de Clastris, Leodiens. dioc...
Magistro Egidio de Fovea, Trajectens. dioc...
Magistro Roberto Lupi, alias Maiart, Attrebatens. dioc...
Magistro Jacobo de Haluwin, Tornacens. dioc. [de can. S. Martini de Campellis in Bria Paris. dioc.].
Magistro Willermo, nato Johannis filii Willermi, Tornacens. dioc...
Item magistro Philippo de Parisius, Attrebatensi [de can. eccl. Laudunensi].
Item magistro Galtero de Ecclesia, Tornacens. dioc...
Item magistro Guillermo de Lovendeghem, Tornacens. dioc. [de can. eccl. S. Simeonis Treverens.].
Item magistro Johanni Laufaer, Cameracens. dioc. [de can. eccl. S. Germani Monten. ejusd. dioc.].
Item magistro Johanni Baers, Tornacens. dioc. [de can. S. Hermetis Rothnacens. Camerac. dioc.].
Item magistro Symoni de Condeta, Morinens. dioc. [de can. eccl. S. Audomari in S. Audomaro ejusd. dioc.].
Item magistro Henrico de Olmen, Leodiens. dioc...
Item magistro Johanni de Biarch, Noviomens. dioc. [de can. eccl. S. Petri Duacens. Attrebat. dioc]
Item magistro Hugoni Caulin, Tornacens. dyoc...

Item magistro Hugoni Cochon, Cameracens. dioc. [de can. eccl. Leod.].
Item magistro Johanni Mast[25], Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Crucis Camerac.].
Item magistro Willermo de Gavre, Tornacens. dioc. [de can. S. Hermetis Rothnacens. Camerac. dioc.].
Item magistro Petro Galli, Cameracens. dioc. [de can. S. Johannis Leod.].
Item magistro Johanni Falconis, Tornacens. dioc...
Item magistro Godefrido de Alosto, Cameracens. dioc. [de can. eccl. S. Vincentii Senogiens. ejusd. dioc.].
Item magistro Johanni dicto Nacus, quondam Balduini de Yma, Leodiens. dioc...
Item magistro Johanni Hoeninc, Cameracens. dioc...
Item magistro Johanni Soissone, Tornacens. dioc.[1].
Item magistro Roberto de Racourt, Leodiens. dioc...
Item magistro Gregorio de Pers, Leodiens. dioc ..
Item magistro Poponi Crapel, Trajectens. dioc. [de can. eccl. S. Donatiani Brugens. Tornac. dioc].
Item magistro Johanni Fauqueti, Ambianens. dioc. [de can. eccl. Morinens.].
Item magistro Petro Judoci, Morinens. dioc ..
Item magistro Bartholomeo de Novaterra, Trajectens. dioc. [de can. S. Petri Leod.].
Item magistro Johanni Rotsart, Tornacens. dioc...
Item magistro Godefrido Ludo, Cameracens. dioc. [de can. B. Marie Antwerpiens. ejusd. dioc.].
Item magistro Nicolao Roede, Leodiens. dioc. [de can. S. Rumoldi Machliniens. Cameracens. dioc.].
Item magistro Petro de Hersino, Noviomens. dioc ..
Item magistro Petro de Rake, Tornacens. dioc...
Item magistro Jacobo Domiciani de Dyonanto, Leodiens. dioc...
Item magistro Johanni Mercerii, Cameracensi...
Item magistro Jacobo Stribont, Tornacens. dioc...
Item magistro Petro de Calstris, Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Petri Leodiens.].
Item magistro Johanni dicto Hert, Tornacens. dioc...
Item magistro Antonio Vavassoris, Morinens. dioc. [de can. eccl. S. Walburgis Furnens. ejusd. dioc.].
Item magistro Guillermo de Berteghem, Tornacens. dioc ..
Item magistro Jacobo de Builly, Attrebatens. dioc...
Item magistro Radulpho de Marisco, Ambianens. dioc...
Item magistro Nicolao de Crezeques, Attrebatensi [de can. eccl. Noviom.].
Item magistro Galtero de Essen, Tornacens. dioc...
Item magistro Everardo de Tudenkeem, Leodiens. dioc...
Item magistro Adde Pice, Attrebatens. dioc...
Item magistro Bauderico Bauderici, Leodiens. dioc...
Item magistro Johanni Zuwaluwe, Tornacens. dioc...
Item magistro Johanni Platelli, Attrebatens. dioc...
Item magistro Jacobo Cochon, Cameracens. dioc .
Item magistro Egidio Keynoghe, Leodiens. dioc...
Item magistro Johanni de Ront, Tornacens. dioc. [de can. eccl. Morinens.].
Item magistro Johanni de Predio, Tornacens. dioc. [de can. eccl. B. Marie Anthoniens. Cameracens. dioc.].
Item magistro Henrico de Odeur, alias de Bossuto, Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Crucis Leod.].
Item magistro Henrico de Hulst, Tornacens. dioc...
Item magistro Johanni de Kerram, Tornacens. dioc. [de can. eccl. S. Piati Sicliniens. ejusd. dioc.].
Item magistro Matheo de Berona, Belvacens. dioc...
Item magistro Johanni Dienat, Morinens. dioc .
Item magistro Petro de Taberna, Attrebatens. dioc...
Item magistro Johanni dicto Pape, alias de Oesterzele, Tornacens. dioc. [de can. eccl. Silvanectens.].
Item magistro Nicholao Tanne, Attrebatens. dioc...
Item magistro Radulpho Hers, Leodiens. dioc...
Item magistro Petro Carterot, Belvacens. dioc ..
Item magistro Johanni de Wo, Leodiens. dioc. [de can. S. Pauli Leod.].

Item magistro Petro Joseph, Cameracens. dioc...

Item magistro Johanni de Zinghem, alias dicto Augustini, Tornacens. dioc [de can. eccl. S. Gertrudis Nivellens, Leodiens. dioc.].

Item magistro Johanni Bauchant[26], Noviomens. dioc...

Item magistro Johanni de Rubo, Tornacens. dioc...

Item magistro Wynando de Johanniscuria (Incuria?), Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Martini Leod.].

Item magistro Gerardo Stripen, Leodiens. dioc. [de can. eccl. S. Cuniberti Coloniens.].

Item magistro Christiano Paiere, Morinens. dioc.[4]...

Item magistro Gerardo Mathie de Osterwiic, Leodiens. dioc...

Item magistro Johanni Vromont, alias dicto de Borra, Morinens. dyoc. [de can. eccl. Suessionens.].

Item magistro Johanni Blanckart[27], Leodiens. dyoc. [de can. eccl. Sancti Foillani Fossens. dicte dioc.].

Item magistro Henrico, dicto Supra pontem de Arscot, Leodiens. dioc...

Item magistro Johanni de Herzele, Tornacens. dyoc...

Item magistro Galtero Meelman de Buscoducis, Leodiens. dyoc...

Item magistro Huberto Corbelli de Streles, Leodiens. dioc. [de can. S. Dionysii Leod.].

Item magistro Franconi de Busco de Lewis, Leodiens. dioc...

Item Livinus dictus Paresiis, Tornacens. dioc.[4] .

Item magistro Johanni Wedart, Tornacens. dyoc...

Item magistro Johanni Pully de Hamo, Noviomens. dioc...

Item magistro Johanni Gastelli, Laudunens. dioc...

Item magistro Willermo Marant de Lovvanio, Leodiens. dyoc. [de can. S. Bartholomei Leod.].

Item magistro Johanni Fabri, Cameracens. dyoc...

Item magistro Alexandro de Duaco, Morinens. dioc.

Item magistro Petro Cabilhars, alias de Quercu, Leodiens. dyoc...

Item magistro Jacobo de Damme, Tornacens. dioc. [de can. B. Marie Casletens. Morin. dioc.].

Item magistro Johanni Rousselli de Waloy, Ambianens. dioc...

Item magistro Nicolao de Patella, Trajectens. dioc...

Item magistro Johanni Putefin, Ambianens. dioc...

Item magistro Johanni de Fleruco, Leodiens. dioc...

Item magistro Bernardo Putefin, Ambianens. dioc.

Item magistro Bernardo de Ruio, Leodiens. dioc...

Item magistro Guillermo de Guistella, Morinens. dioc...

Item magistro Jacobo Foeillet, alias Hotri, Cameracens. dioc...

Item magistro Galtero Hugonis de Linsemial, Leodiens. dioc...

Item magistro Lamberto Blanclaer (*leg* Blanckaer), Leodiens. dioc...

Item magistro Nicolao de Magnoponte, Cameracensi...

Item magistro Petro de Fonte, Tornacens. dioc. [de can. B. Marie Hoyens. Leod. dioc.].

Item magistro Gerardo de Faing de Dyonanto, Leodiens. dioc...

Item magistro Gerardo de Bechaya, alias rectori dicte Universitatis, Attrebatens. dioc. [de can. eccl. Attrebat.].

Item magistro Michaeli Veys, Morinens. dioc. [de can. S. Petri in Toralto, Tornac. dioc.].

Item magistro Guillermo de Ansame, Morinens. dioc...

Item magistro Johanni Bournelli, Ambianens. dioc...

Item magistro Johanni Loecman, Leodiens. dioc...

Item magistro Johanni de Lichtervelde, alias Diederic, Tornacens. dioc...

Item magistro Johanni Cazier, Morinens. dyoc...

Item magistro Lamberto de Provenda, Morinens. dioc...

Item magistro Henrico Martini, Tornacens. dyoc...

Item magistro Johanni Bunt, Trajectens. dioc...

Item magistro Johanni Maugart, Attrebatens. dioc. [de can. eccl. Carnot.].

Item magistro Johanni Esponssars, Cameracens. dioc. [de can. eccl. Belvacens.].

Item magistro Johanni Stavere, Tornacens. dioc. [de can. eccl. S. Donatiani Brugens. ejusd. dioc.]. [188]

NACIO NORMANNORUM.

Clementissime sanctitati vestre supplicat humiliter filia vestra devota universitas magistrorum et scolarium Parisius studencium, quatenus eidem gratiam dignemini facere specialem providendo magistris in artibus de nacione Normannorum inferius subscriptis de beneficiis ....

Magistro Thome Durandi, Constantiens. dioc...
Magistro Guillermo Lamberti, presbitero Rothomagens. dioc...
Magistro Johanni de Brayo, Rothomagens. dioc...
Magistro Johanni Boutini, Constantiens. dioc...
Magistro Johanni Carpentatoris, Rothomagens. dioc...
Magistro Johanni Ascelini, Bajocens. dioc...
Magistro Michaeli Cornubiensi, presb. Ebroycens. dioc...
Magistro Rogero de Montibus, presb. Rothomagens. dioc. [de can. S. Martini Turonens].
Magistro Jacobo Posteli, Rothomagens. dioc...
Magistro Guillermo Dami, Constantiens. dioc...
Magistro Roberto du Besier, Constantiens. dioc...
Magistro Bartholomeo Mauger, presb. Rothomagens. dioc...
Magistro Guillermo Trussebourc, Rothomagens. dioc. [de can. in eccl. S. Audomari de S° Omaro, Morin. dioc.].
Magistro Johanni de Espalone, Bajocens. dioc.
Magistro Roberto Moysson, presb., magistro in artibus et in medicina, Bajocens. dioc...
Magistro Roberto Clerici, Constantiens. dioc...
Magistro Guillermo Agni, Ebroycens. dioc...
Magistro Richardo dicto Agoulant, Bajocens. dioc...
Magistro Nicolao de Bosco, Rothomagensi...
Magistro Reginaldo de Villaribus, Rothomagens. dioc...
Magistro Philippo de Aneseyo, Bajocens. dioc...
Magistro Guillermo Tranchant, Rothomagens. dyoc. [de can. in eccl. colleg. B. Marie de Andeliaco, ejusd. dioc.].
Magistro Guillermo de Hermis, Rothomagens. dioc...
Magistro Roberto Vavassoris, Sagiens. dyoc...
Magistro Johanni Baril, presb. Rothomagens. dioc...
Magistro Radulpho Vintdehague, presb. Bajocens. dioc...
Magistro Johanni de Clinicampo, presb. Bajocens. dioc...
Magistro Raulando Bonifacii, Rothomagensi...
Magistro Roberto Hyrci, presb. Lexoviens. dioc...
Magistro Richardo Juliane, Lexoviens. dioc...
Magistro Guillermo le Sesne, Rothomagens. dioc...
Magistro Johanni Tavelli de Rothomago...
Magistro Petro Giliberti, Ebroycens. dioc...
Magistro Michaeli de Valle, presb. Rothomagens. dioc. [de can. eccl. colleg. S. Germani Autissiod. Paris.].
Magistro Johanni le Masuyer, presb. Rothomagens. dioc...
Magistro Ricardo Fabri, Lexoviens. dioc...
Magistro Johanni Doubleti, Bajocens. dioc...
Magistro Ricardo Maquerelli, Bajocens. dioc...
Magistro Symoni de Cantulupi, Rothomagens. dioc...
Magistro Ricardo d'Orgebruil, Rothomagens. dioc...
Magistro Roberto Redempti, Rothomagens. dioc...
Magistro Figuli Johanni Figuli (*sic*), Ebroycens. dioc...
Magistro Roberto Lescuere, Bajocens dyoc ..

Magistro Roberto Gouluti, Sagiens. dyoc ..
Magistro Gauffrido Prepositi, Sagiens. dioc .
Magistro Matheo Bonifacii, Rothomagensi ..
Magistro Rogero de Vistrebecco, Lexoviens. dioc...
Magistro Johanni Senescalis, Rothomagens. dioc...
Magistro Johanni de Valle Mellani, Rothomagens. dioc...
Magistro Petro de Puteo, presb. Rothomagens. dyoc ..
Magistro Thome de Vallemonte, presb. Bajocens. dioc...
Magistro Johanni Patris, presb. Rothomagens. dioc. [de can. in eccl. colleg. S. Honorati juxta Parisius].
Magistro Johanni Hamelini, presb. Ebroycens. dioc. [de can. in eccl. Constant.].
Magistro Johanni de Montegaudii, alias Guyaume, Abrincens. dioc...
Magistro Johanni Melleve, Bajocens. dioc ..
Magistro Petro Petrine, Bajocens. dioc...
Magistro Johanni de Blarreyo, presb. Bajocens. dioc...
Magistro Petro Duues, Rothomagens. dioc. [de can. in eccl. Rothomag.].
Magistro Roberto Touron, presb. Bajocens. dioc...
Magistro Laurentio Veritatis, Rothomagens. dioc...
Magistro Johanni Rousselli, alias de Sancto Lamberto, Lexoviens. dyoc...
Magistro Georgio Heudebout, Ebroicens. dioc...
Magistro Nigello de Anorsia, Sagiens. dioc ..
Magistro Roberto Vastinelli, Rothomagens. dioc...
Magistro Guillermo de Esneval, Rothomagens. dioc. [de can. eccl. colleg. S. Walburgis Furnens. Morinens. dioc.].
Magistro Johanni Salenerii, Lexoviens. dioc...
Magistro Petro Manchon, Bajocens. dioc...
Magistro Guillermo Muris, presb. Rothomagens. dioc...
Magistro Ricardo Papelore, Rothomagens. dioc...
Magistro Roberto Brumani, Rothomagens. dioc...
Magistro Dyonisio Villani, Rothomagens. dioc...
Magistro Johanni Doillet de Rothomago [de can. eccl. colleg. S. Mederici Paris.].
Magistro Symoni Maquereli, Rothomagens. dyoc. [de can. in eccl. Ebroic.].
Magistro Roberto Fabri, Rothomagens. dyoc...
Magistro Roberto Bosquerii, Rothomagens. dyoc...
Magistro Johanni Vavassoris, Rothomagens. dioc...
Magistro Reginaldo Clerici, Rothomagens. dyoc...
Magistro Philippo Coturnicis, presb. Rothomagens. dioc...
Magistro Johanni Borelli, Rothomagens. dioc. [de can. eccl. colleg. S. Sepulcri de Cadomo Bajocen. dioc.].
Magistro Michaeli Floconarii, Rothomagens. dioc...
Magistro Petro Caruel, presb. Rothomagens. dioc...
Magistro Mathie de Bruieria, presb. Rothomagensi [de can. S. Marcelli juxta Parisius].
Magistro Johanni Nigre, Lexoviens. dioc. [de can. in eccl. Lexoviensi].
Magistro Roberto de Haya, Rothomagens. dioc...
Magistro Gauffrido Vavassoris, Rothomagens. dioc...
Magistro Matheo Aubourc, Rothomagens. dioc...
Magistro Ricardo Malisocii, Lexoviens. dioc...
Magistro Nicolao Domicelli, Rothomag. dioc. [de can. eccl. collegiate S. Benedicti Beneversi Paris.].
Magistro Radulpho Valcelli, alias Caussati, Sagiens. dioc...
Magistro Martino Bertini, Bajocens. dioc...
Magistro Stephano de Aquosis, Lexoviens. dioc...
Magistro Symoni Coudray, presb. Rothomagens. dioc...
Magistro Radulpho Muloti, Ebroicens. dioc...

Magistro Petro Morelli, presb. Bajocens. dioc. [de can. in eccl. Abrincens.].
Magistro Guillermo Tavelli de Rothomago...
Magistro Johanni Roris, Lexoviens. dioc...
Magistro Michaeli Pellipparii, Lexoviens. dioc... [97]

ROTULUS NACIONIS ANGLICANAE.

Sanctitati vestre supplicat insuper devota filia vestra Universitas Parisiensis pro omnibus et singulis magistris actu regentibus in arcium facultate Anglicane nacionis, sub qua nacione continentur et reducuntur omnes ad studium Parisius venientes de Imperio fere omnes Alamanni et alii de aliis que in circuitu sunt regnis, videlicet Ungarie, Bohemie, Polonie, Svecie, Dacie, Norwegie, Scocie, Anglie, Ybernie, *etc.*, quorum, inquam, magistrorum fructus non modicus ipsos reddit commendatos toti mundo, nempe quidam ex ipsis decennio, quidam septennio, alii quinquennio et sic deinceps propriis laboribus et patrimoniis labores maximos in studiis hiis gravissimis temporibus portaverunt, nec limina vestre sanctitatis poterant visitare, carentes sumptibus et expensis, nec aliis rotulis ab Universitate missis quicquam gracie fuerant consecuti, cum tamen digni mercede laborum suorum notabilium estimentur, quos ob hoc premiare dignetur sanctitas vestra misericordia plena eisdem juxta peticionum suarum infrascriptarum continencias de beneficiis ecclesiasticis seu aliis graciis specialibus misericorditer providendo, cum acceptacione .. .

Procuratori nacionis.

Magistro Theodorico[28] dicto Distel de Unna, Coloniens. dioc., bacallario in medicina, examinatori in propriis licenciandorum in artibus in examine vestro Beate Marie Parisiensis [de can. eccl. S. Andree Colon.].

Magistro Macolino de Dunbrec, presbitero Aberdonens. dioc., ejusdem ecclesie cancellario...
Magistro Henrico de Holte de Kempen, Coloniens. dioc., licentiato in medicina, alias temptatori licenciandorum in examine Sancte Genovefe Parisiens. [de can. eccl. S. Patrocli Sosaciens. dicte dioc.].
Magistro Johanni dicto Bernardi Divitis de Ricmestorp, Halberstadens. dioc. [de can. major. eccl. Bremens.].
Magistro Henrico Johannis de Ligno de Kempen, Coloniens. dioc. [de can. eccl. S. Victoris Xantens. dicte dioc.].
Magistro Henrico Yde de Beest, Trajectens. dioc., qui per biennium et amplius in medicina Parisius studuit.
Magistro Bricio Kerre, presb. Gresguens. [*i. e.* Glasguens.] dioc. in Scocia [de can. eccl. Gresguens.].
Magistro Willelmo dicto Buzer, Trajectens. dioc. [de can. eccl. Traject.].
Magistro Alberto dicto Bernardi Divitis, Halberstadens. dioc., alias rectori dicte Universitatis et examinatori licentiandorum in artibus in examine vestro Beate Marie Paris.[29] [de can. eccl. Magunt.].
Magistro Godefrido dicto Cayphe, Warmiens. dioc. [de can. eccl. Warmiens.].
Magistro Johanni Uterspiic, Trajectens. dioc...
Magistro Volkero, dicto Yseren, Trajectens. dioc...
Magistro Nicolao Calis de Thorun, Colmens. [Culmen.] dioc. [de can. eccl. colleg. Colberg, Camin. dioc.].
Magistro Marcilio de Inghen[30] de Novimagio, Coloniens. dioc. [de can. eccl. S. Severini Colon.]
Magistro Theodorico de Oy, Trajectens dioc. [de can. eccl. S. Petri Trajecten.].
Magistro Guillelmo dicto Wiic de Dordraco, Trajectens. dioc. [de can. eccl. S. Johannis Traject.].
Magistro Johanni Hontman, Trajectens. dioc. [de can. eccl. S. Martini in Emrica, ejusd. dioc.].
Magistro Symoni dicto Pinghe de Beverwiic, Trajectens. dioc...
Magistro Johanni Thorscani, presb. Strengniens. dioc. in Regno Swecie [de can. eccl. Upsalens.].
Magistro Johanni Scalpi Scoto, Sancti Andree dyoc...

Magistro Gerardo Wilde, Leodiens. dioc...
Magistro Hermanno Consul, Caminens. dioc. [de can. eccl. colleg. S. Marie in Stettin ejusd. dioc.].
Magistro Cornelio de Breydelo, Leodiens. dioc...
Magistro Johanni de Pavone, Coloniensi [de can. SS. Apost. Colon.].
Magistro Gerardo de Marsen, subdiacono Trajectensi [de can. eccl. S. Gervasii].
Magistro Johanni Walteri de Arnhem, Trajectens. dioc...
Magistro Symoni de Ketenis, Sancti Andree dyoc. in Scocia [de can. eccl. Dunkeldens.].
Magistro Henrico Nanexem de Embeke, Magontinens. dioc. [de can. B. Marie in Erfordia ejusd. dioc.].
Magistro Johanni de Maguncia, Coloniensi [de can. eccl. S. Cassii Bunnen. (*i. e.* Bonn) ejusd. dioc.].
Magistro Gerardo Grote de Davantria[31], Trajectens. Dioc. [de can. eccl. B. Marie Aquens. Leodiens. dioc.].
Magistro Theodorico de Hasselt de Campis, Trajectens. dioc. [de can. eccl. Monasteriens.].
Magistro Henrico de Egher de Calcar, Coloniens. dioc. [de can. eccl. Werdens. ejusd. dioc.].
Magistro Henrico dicto Loye de Wouderichem, Trajectens. dioc...
Magistro Johanni Wepferman, Argentinens. dioc...
Magistro Henrico Meys de Goch, Coloniens. dioc. [de can. eccl. S. Victoris Magunt. extra muros].
Magistro Conrardo Hoklem de Goch, Coloniens. dioc. [de can. eccl. S. Marie ad Gradus Magunt.].
Magistro Arnoldo Beverem de Embeke, Maguntinens. dioc. [de can. eccl. Wormacens.].
Magistro Jacobo de Calcar de Goch, Coloniens. dioc. [de can. eccl. S. Petri Maguntin. extra muros].
Magistro Arnoldo de Aldendorpe, Coloniens. dioc. [de can. eccl. S. Marie ad Gradus Colon.],
Magistro Nicolao Quinsoc de Gorichem, Trajectens. dyoc. [de can. S. Severini Colon.].
Magistro Bertoldo de Ruwenhove, Trajectens. dioc., canonico prebendato S. Salvatoris Trajectens.
Magistro Tilmanno de Oyke, Leodiens. dioc...
Magistro Ricoldo Smoncriem de Haeften, Trajectens. dioc...
Magistro Johanni de Waspiic, presb. Leodiens. dioc...
Magistro Johanni de Laydenbroich, Leodiens. dioc. [de can. eccl. b. Pauli Leodiens.].
Magistro Baldewino de Tila, Trajectens. dioc...
Magistro Giselberto Wenchen[32] de Ghornichem, Trajectens. dioc...
Magistro Johanni Proys, Trajectens. dioc...
Magistro Theoderico de Heswiic, Trajectens. dioc. [de can. eccl. S. Petri Trajectens.].
Magistro Nicholao Olsonis Fabri, Trajectens. dioc...
Magistro Petro Hollant, Trajectens. dioc...
Magistro Hermano Gobelini, presb. Trajectens. dioc.
Magistro Willelmo dicto Loderpaep, Trajectens. dioc...
Magistro Theoderico Nicolai filii Nelleu, Trajectens. dioc. [de can. S. Johannis Trajectens.].
Magistro Florencio de Alcmade, Trajectens. dioc. [55]

Sine lectione. — Fiat. B. — Dat. Avenione v kal. Decembris[33], anno primo.

Reg. Vat. suppl Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 135 — Ad singulos additur · Fiat. B. — De pluribus vid. *Chartul.*, II; quorumdam infra etiam pluries mentio fit. Non pauci (vid. *Indicem*) post sexdecim annos etiam, in Rotulo an. 1379, ut magistri actu regentes in art afferuntur, qui quandoque 30 annis post 1362 ad mag. in theol. pervenerunt.

1 Et quidem an. 1358, Jun 23, electo Vid. *Lib procur. nat. Angl.* in *Auct. Chartul. Univers. Paris.*, I. Eodem tempore universitas magistrorum pro illo supplicavit ut reciperet can. eccl. Tullens. (Suppl. Innocent VI, an. 6, fol. 252, ad an. 1358, Septemb. 5). Cf. etiam Bul., IV, 959, 964. — 2. Scribitur in ms. « Flaconis », ejusdemque in *Chart.*, II, 632, mentio fit. Fuit rector electus 1361, Martii 19. — 3. Illius saepe mentio fit in *Lib. procurat. nat. Angl.* Cf. et Bul., IV, 995. — 4. Deleta est supplicatio. — 5 Postea in facultate med studenti et uxorato. Vid ad an. 1375, Maii 24. — 6. Ne confundas eum cum celebri Johanne Blanchart, dioc. Tornac., postea cancellario (*Chartul.*, II, p. 646, not. 23), nec cum altero infra notato. — 7. An. 1364 proc. nat , an. 1368, 24 Junii, rector Univers. (Bul IV, 991). — 8. Omnino eodem, qui an. 1381 licent. est in theol. e *Catal. licent.* An. 1359, 26 Aug., electus procur. nat. Gallic. Ipsi (« Johanni Culardi ») et Marsilio de Inghen Urbanus V an. 1369, Julii 13, scripsit ut eos induceret in Montepessulano artes docere (vid. Guiraud, *Collége de S. Benoit à Montpellier*, p. 216 sqq.). Johannes Culardi solus iter arripuit, ut ediscimus ex *Introit. et exit.* Arch. Vat., nº 327, ad Aug. 3 et 17, fol. 100ᵇ; 101ᵇ. Marsilius Parisiis eodem tempore docebat, ut apparet e *Libro proc. nat. Angl.* ad an. 1370, Martii 20, in *Auctar. Chartul. Univ.*, I. — 9. An. 1360, Aug. 25, proc. nat. Gall. Cf. Bulaeum, IV, 993. — 10. An. 1374, post Pascha, fuit licen-

tiatus in theol., ut liquet e mss. lat. 5657[a], fol. 1, et 12850, fol. 79 (Bibl. nat. Paris.), qui continent *Catal. licentiatorum in theol. ab an. 1373*. Fuit studens in collegio Navarrae Vid. Launoium, l. c., p. 94. An. 1396 et postea cantor Paris. — 11. Stephanus Gaudet, ante 1373 mag. in theol., can. Insul., fuit socius Sorbonae Vid. Delisle, *Cab. des mss.*, II, 175. — 12. An. 1373 (1374 ante Pascha) licent. in theol. e *Catal. licent.*, ibid. Fuit Navarricus. Sed in collegio Sorbonae invenitur ejus nomen. — 13. An. 1361, Octob. 11, in rectorem electo. Vid. *Lib. proc. nat. Angl.* in *Auctar. Chartul* Vid. etiam Bul., IV, 984. — 14 An. 1373 (1374 ante Pascha) licent. in theol. e *Catal. licent.* Erat Navarricus. — 15. Sorbonico. Vid. Franklin, *La Sorbonne*, p. 225. — 16. Renvoisie vel Lenvoisie. An. 1374 licent. in theol. Studens coll. Navarrae. — 17. Qui an. 1386 cancell. Paris. fuit. Affertur in collegio Sorbonae (vid. Franklin, l. c.) et in colleg. Navarrae. (V Launoium, l. c.) In Suppl. Clem. VII, an. 1, p. 2, fol. 126, dicitur eum fuisse bacc. in theol. ab an. primo Greg. XI (an. 1371). Petit can. eccl. Camerac. In art. licent. an. 1361 (Bul., IV, 999). — 18. An. 1379 licent. in theol. e *Catal. licent.* De eo pluries infra. — 19. Sorbonico. — 20. Seu potius « Deodona » (in *Gall. christ.*, X, 1430 « Dodieu », Deodatus). Fuit studens colleg Choleti. et an. 1374 licent. in theol. e *Catal. licent.* Plura infra n° 1310, ubi invenies eum verisimiliter fuisse eumdem qui factus est episc. Silvanectens. — 21. Sorbonico. Franklin, l. c., ubi « Falisca ». — 22. « Johanni Mercerius de Avenis », qui an. 1374-1375 licentiatus fuit in theol. e *Catal. licent.* Alius est ac qui infra dioec. Camerac. notatur. — 23. Sorbonico. Vid. Franklin, l. c., ubi « Waubeke ». — 24. Sorbonico. Ibid. Fuit miles, et postea magister in medicina. Vid. Bibl. nat., ms. lat. 16574, fol. 39[b]. An. 1362, fuit prior Sorbonae (ibid., fol. 11, 12, 17). — 25. Propter ipsum, qui an. 1355 determinavit, an. 1356 lis exorta est inter nationes Picardicam et Anglicanam. Vid. *Lib. procur. nat. Anglic.* in *Auct. Chartul.* — 26. Jacobus Bauchant, ejusd. temporis et dioec., traductor librorum in ling. Gall. (vid. Delisle, l. c., I, 40), fortasse frater ejusdem fuit. — 27. Alio ac cancellario et supra nominato. — 28. De sequentibus vid. *Lib. procur. nat. Anglic.* in *Auctario Chartul. Univers. Paris.* — 29 Vocatur Albertus de Ricmestorp seu de Halberstade, frater Johannis supra nominati (vid. Denifle, *Die Universitäten*, I, 608). An. 1365 jam nuntius ducis Austriae fuit ad Urban. V (Suppl. an. 3, p. 2, f. 178, 182[b]). « Diu studuit in theologia », sed minime ad magisterium in theol. pervenit, ut Budinszky contendit in *Die Universität Paris.*, p. 118. An. 1366, Oct. 21, nominatus est, cum esset canon. Hildesemens., episc. Halberstadens. (Reg. Aven. Urb. V, vol. XIII, f. 82). Vid. de ipso *Lib. proc. nat. Angl.* in *Auctar. Chart.*, I, ubi sub nomine Alberti de Saxonia. — 30. Sorbonico. Fuit celeber philosophus, qui an. 1362, Septemb., mag. in artibus recepit, de quo pluries infra et in *Lib. procur. nat. Angl.* An. 1386, Octob. 19, primus rector Universit. Heidelbergens. Vid. Thorbecke, *Gesch. der Univers. Heidelberg*, I, 9. — 31. Sorbonico, inter omnes in nat. Angl. allatos mag. celeberrimo. An. 1357 determinavit Parisiis in fac. artium (vid. *Lib. procur. nat. Angl.*). An. 1366, Febr. 7, ipse, mag. in art. et studens in legibus, « qui plus quam per septem annos post suum magisterium in naturalibus, moralibus et aliis diversis speculativis scientiis multum laboravit », supplicat Urbano V, ut par. eccl. in Oelderkerken non obstante can. in eccl. Aquensi recipiat (Suppl. Urb. V, an. 4, p. 1, fol. 77). Versus finem suae vitae institutor « fratrum communis vitae » fuit. — 32. Potius « Wiichen » scribendum. — 33. Prius « viij id. Decemb. » (Decemb. 6), et in margine scriptum : « Cassat. viij id. in orig. per dom. vicecancell. (dom. Pampilunens.), et addit. v kal. de mandato ipsius domini ad preceptum domini nostri pape ».

1266. *Universitas magistrorum et scholarium Parisiis studentium petit ab Urbano V, ut magister Stephanus Reginaldi, Meldens. dioec. subdiac., mag. actu regens Parisiis in artium facultate, « ad presens predicte vestre filie (Universitatis), rector, qui immensos labores et vigilias sustinuit et sustinet, dicte rectorie onera supportando », can. Meldens. accipiat.* — Fiat. B. — Datum Avinione, v kal. Decemb., anno primo.

1362, Novembris 27.

Reg. Vat. Supplic. Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 171[b] — Stephanus an. eodem, April., procurator nat. Gallic. (cf. Bul., IV, 991), et verisimiliter rector ab Octob. 10 fuit, cum nuntii post Novemb. 12 tantum ad curiam Rom. cum rotulis profecti sint. Vid. *Lib. procur. nat. Anglic.* in *Auct. Chartul.* Eo rectore Rotulus compositus fuit.

1267. *Johannes de Sparnaco, Ord. Min., ad legendas Sententias Parisiis tempore aestivali admittatur.*

1362, Novembris 29.

Supplicat sanctitati vestre devota creatura vestra Johannes episcopus Belvacensis[1], cancellarius Francie, quod dilectus ejus consanguineus frater Johannes de Sparnaco, Ordinis fratrum Minorum, custos conventus Remensis ejusdem Ordinis, ubi post Parisien-

sem viget studium theologie solenne, et in quo lector principalis Sententiarum et Biblie per vj continuos annos fuit, per provinciam suam ad legendum Sententias Parisius in hyeme proxime futura electus et presentatus extitit, et per superiores suos et generale Capitulum ejusdem Ordinis approbatus et etiam confirmatus. Verum cum ad ejus noticiam noviter sit deductum quod quidam frater Dyonisius Fourchat[2] ejûsdem Ordinis a sede apostolica gratiam obtinuit specialem, quod ipse frater Dyonisius possit et valeat hujusmodi Sententias Parisius legere in dicta hyeme proxime secutura, et ob hoc dubitat ipse frater Johannes in hujusmodi ..... suo cursu posse turbari : eapropter humiliter eidem vestre sanctitati supplicat quatinus sibi in personam dicti sui consanguinei specialem gratiam facientes, eidem ut pariter tempore estivali seu vacationis immediate sequentis Parisius hujusmodi Sententias legere, ac libertatibus et gratiis omnibus dictas Sententias Parisius legentibus in hyeme concessis libere gaudere, ac eodem cursu et ordine ac si tempore hyemali ibidem legisset, ad magisterium in facultate theologie immediate post lecturam hujusmodi promoveri, dignemini de benignitate apostolica concedere gratiose, et mandare gardiano ceterisque presidentibus in dicto conventu Parisiensi, ut ipsum fratrem Johannem post finitam lecturam ipsam cancellario ecclesie Parisiensis vel ejus locumtenenti ad magistrandum presentent, et dictis cancellario vel locumtenenti ut ipsum recipiant et magistrent[3].... — Fiat. B. — Sine alia lectione. — Fiat. B. — Datum Avinione iij kal. Decembris, anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 69b. — In Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. V, fol 549, exstat ad (Grimerium Bonifacii) cancell. Paris. mandatum apostol. « xvij kal. Januarii » (Decemb. 16). « Viri sacre lectionis ». Cf. Wadding, *Ann. Min.*, VIII, 492, nº 7, e quo Bulaeus, IV, 373.

1. Johannes de Dormans, an. 1358, Novemb. 19, cum esset archidiac. de Pruvino in eccl. Senon., fit episc. Lexoviens. (Reg. Vat. Innoc. VI, nº 233, f. 43b), an. 1359, Jul. 12, transl. ad Belvac. (Reg. Aven. Innoc., vol. XXI, f. 66b). Erratur in *Gall. christ.*, XI, 787. An. 1368, Sept. 22, creatus card.; sed tit. Quatuor coronatorum nonnisi post duos fere annos, cum curiam primo intrasset, accepit. Vid. infra nº 1349. — 2. I. e. Foullechat, de quo infra. — 3. Infra, ad an. 1365, Junii 14, jam ut mag. theol. affertur

---

1268. *Urbano V supplicat frater Johannes Trisse, baccalareus in theologia et procurator generalis Ord. fratrum Beatae Mariae de Carmelo, quod, cum ipse habeat ante se plures baccalareos dicti Ordinis in eadem facultate ad gradum magisterii juxta dicti Ordinis statuta et studii Parisiensis consuetudinem promovendos, cancellario Parisiensi mandare dignetur ut se ipsum infra unum mensem cancellarius licentiare debeat et ad magisterii gradum admittat.* — Fiat. B. — Et quod transeat sine alia lectione. — Fiat. B. — Datum Avinione vij id. Decembris, anno primo.

1362, Decembris 7.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 82b. — In Reg. Vat Comm. Urbani V, nº 252, ep. 235, fol. 70b. exstat sub eadem temporis nota mandatum apost. ad (Grimerium Bon.) cancellarium Paris. « Sicut debetur ». Cf. *Archiv fur Litteratur- u. Kirchengesch.*, V, 385. Vid. ibid , p. 365 sqq., de Johanne Trisse, scriptore Ord. Carmel.

1269. *Universitas studii Parisiensis, Johannes abbas monasterii Praemonstratensis*[1], *totumque capitulum abbatum Praemonstratensis Ord. generale supplicant pro fratre Everardo de Brugghenoye, canonico regulari monasterii Capenbergensis dicti Ord. dioecesis Monasteriensis, baccalareo in sacra theologia, qui dudum Parisiis studuit atque legit, ut beneficium in dioec. Leodiens. ab Urbano V recipiat.* Dat. Avinione xvj kal. Januarii, anno primo.

1362, Decembris 17.

Reg. Vat. Supplic. Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 134.

1. In *Gall. christ.*, IX, 654, ab an. 1352-1365 perperam notatur Petrus de Saint-Froi. Secundum Reg. Vat. Innocent. VI, n° 219, f. 60[b], an. 1353, Januar. 9, post obitum Johannis alter Johannes fit abbas Praemonstrat , qui camerae apost. eod. an., Decembr. 11, 562 flor. auri solvit (Reg. Aven. Innoc., vol. II, f. 352[b]); et an. 1368, Martii 20, post obitum Johannis, Stephanus, prius abbas Parcens., fit abbas Praem. (Reg. Aven. Urb. V, vol. XVII, f. 153[b]).

1270. *Articuli a Ludovico de Padua, Ord. Minor., Parisiis revocati.*

An. 1362, Parisiis.

Aliqua dixi in meis vesperis propter que dominus cancellarius et magistri nostri reverendi facultatis theologice ordinarunt quod dicerem ea que sequuntur :

Primo, probando primam partem prime supposicionis mee sic argui : Ad quodlibet novum velle vel nolle respectu cujuslibet producibilis ad extra sequitur necessario mutacio in voluntate perfecta. — Debui arguisse ypothetice sic : Si Deus de novo aliquid vellet vel nollet ad extra, seu si in Deo esset novum velle vel nolle ad extra, ipse intrinsece mutaretur. Igitur velle et nolle dicunt denominacionem intrinsecam. Et hec fuit mens mea.

2° Per hoc quod dixi in 2ª probacione hujus quod tam velle quam nolle ad extra est actus vitalis perfecte voluntatis ipsam immutans vitaliter, non intellexi quod per velle et nolle Deus mutaretur intrinsece, sed quod sunt operaciones ab ipso emanantes. Sed quia apud multos ille modus loquendi, velle divinum immutat voluntatem divinam, significat quod ipse intellectus immutat[ur] : ideo non placet domino cancellario neque facultati, quod decetero tali modo quis utatur in divinis.

3° Dixi in 2° correlario 1ᵉ supposicionis, quod licet perfecte voluntatis seu essencie divine quodlibet intrinsecum sit necessarium absolute secundum suum esse reale, tamen aliquod intrinsecum est contingens et non sic necessarium secundum suum esse formale, patet de velle et nolle divino ad extra. Istud sic explano et dico quod[1] nichil intrinsecum Deo est contingens, licet aliquod intrinsecum Deo sit liberum libertate contingencie causalitatis. Unde dominus cancellarius et facultas hanc proposicionem « aliquid intrinsecum Deo est contingens » secundum intellectum quem facit tanquam fidei katholice dissonam [dampnant].

Quarto. Similiter illud quod dixi in correlario 3°, quod stat Deum esse intrinsece aliqualem, et ipsum posse non esse talem, et tamen ipsum esse talem immutabiliter, intelligo vel debet sic intelligi : Stat Deum velle aliquid ad extra, et ipsum posse hoc nunquam velle, et tamen immutabiliter.

Quinto, quod dixi in probacione hujus : Et non est inconveniens, quod aliquid sit Deus secundum esse suum reale, et tamen non sit Deus secundum esse suum formale, debet intelligi sic, quod aliquid sit Deus realiter, et tamen aliqua formali denominacione denominatur que sibi non competit precise quia Deus, sed racione alicujus effectus vel alterius. Unde supradicti dampnant hanc proposicionem tanquam fidei dissonam secundum intellectum quem facit, scilicet quod aliquid est Deus secundum[2] suum esse reale, et illud non est Deus secundum suum esse formale.

Sexto, dixi in nono correlario, quod non stat intellectum perfectum cognoscere aliqua vera contingentia, et illorum ad extra non esse productivam[3] perfectam voluntatem.

(7) Item dixi in x° correlario, quod perfectus intellectus ad esse peccati ut peccatum est, non potest immediate applicari cognoscitive, et quod ex isto sequitur finaliter quod peccatum esse vel deformitatem anime non est propria aliqua veritate verum. Primum est male dictum et falsum, quia ad hoc sequitur intellectum divinum non cognoscere aliqua peccata aut voluntatem divinam esse eorum productivam, quorum utrumque est falsum; 2m fuit alias condempnatum. Et alia correlaria pro quanto cum primo conveniunt falsa sunt et male sonant.

(8) Item in 2° correlario 2e supposicionis dixi, quod stat aliquid esse immensum actum, et tamen in illo, quod sic actuat, nullam ponere perfectionem simpliciter. Magistri nostri illum modum loquendi non approbant, scilicet quod Deus actuetur, sicut nec illum[4] quod Deus immutetur.

(9) Item in 4 et 5[5] correlariis 2e supposicionis dixi quod perfecta voluntas non intensius diligit predestinatum, quam diligat prescitum, et quod non plus intensive diligit se[6], quam diligat dyabolum[7] in esse naturali. Non debui ita dicere, quia in auribus audientium male sonant et falsa sunt, cum secundum Augustinum diligere aliquid sit ei velle bonum, et ideo intensius diligere aliquid sit ei majus velle bonum, et ita communiter intelligunt homines.

(10)[8] Item octavum correlarium fuit tale : Quelibet volicio qua[9] Deus vult *a* esse, non minus formaliter distinguitur a volicione qua Deus vult *b* esse, [quam Deus] realiter distinguatur a materia prima. Probavi per hoc, quod quelibet volicio qua Deus vult *a* esse, immense distinguitur formaliter a volicione qua Deus vult *b* esse. Correlarium est falsum, et probacio est erronea, quia non est admittendum qualitercumque, quod in Deo si[n]t plura immensa aut plura esse immensa distincta.

(11) Correlarium nonum fuit : Nullum velle immensum[10] perfecte voluntatis continet aliquid ad extra producibile. Hec est falsa sicut sonat, quia velle Dei est causa rerum.

Item in probacione xi correlarii scripsi, « quod si potentie volitive angeli divina volicio, que est immensa, esset actualis volicio, quod non reputo impossibile : tunc per hujusmodi volicionem, *etc.* ». Predictum correlarium nunquam reputabam possibile, neque credo

me dixisse possibile esse; et est erroneum, quia alias fuit reprobatum ac etiam revocatum. Quidquid etiam ex hoc sequitur, in quantum ex illo sequitur, illud est impossibile.

(12)[11] Item dixi in tercio correlario tercie supposicionis, quod peccatum esse, perfecta voluntas non potest immediate nolle. Et in alio : quod peccatum non est immediate odibile a perfecta voluntate. Ista male sonant et discordant dictis Scripture et doctorum. Hoc autem intuli ex duobus correlariis, quorum unum fuit : quod perfecta voluntas quidquid extrinsecum potest immediate nolle, potest immediate velle, et e converso; aliud fuit : quidquid perfecta voluntas potest immediate nolle, potest immediate efficere. Que applicata ad peccatum formaliter sumptum, falsa sunt et male sonant.

(13)[12] Item 6m correlarium fuit, quod quodlibet extrinsecum perfecte voluntati eque ab ipsa est odibile, sicut diligibile, et e contra. Ista proposicio est erronea et repugnare videtur bonitati divine.

(14) Item 2a conclusio mea fuit : evidencie ad contradictoria in intellectu divino formaliter immense distinguntur, et immense formaliter repugnant. Dixi in probacione, quod quelibet earum est immensa. Nunc dico quod conclusio ista cum sua probacione et suis correlariis male sonant quantum ad hoc, quod designant in Deo esse plura esse et immense distincta, quod jam fuit hic et superius reprobatum. Quantum ad hoc quod dixi « immense formaliter repugnant », male sonat, quia per hoc datur intelligi quod repugnantia sit intrinsece in Deo.

Bibl. conventus Ord. Praed. Vindobon., ms. in-4°, saec. XIV-XV, fol. 126, sub rubrica · « Revocaciones magistri Hugolini ». Ab isto ms non multum abludit ms. 243 (antea 206) Bibl. Autissiod., fol. 84b, sub rubrica « Articuli Ludovici revocati anno MCCC 62 », et incipit in 2da linea · « Primo probando », concordatque cum ms Amplon. (Erfurtens.) F. 179, fol. 115. Sed Ampl. Q. 151, f. 11, continet solum errores, sine expositione, v. g. : « Prima propositio Ad quodlibet novum velle vel nolle reale cujuslibet producibilis ad extra sequitur necessario mutatio in voluntate perfecta, i. e. in Deo ». Offert tamen titulum et cognomen Ludovici, hucusque desideratum, in inscriptione : « Iste propositiones fuerunt revocate per mag. *Ludovicum de Padua, Ord. frat. Minorum,* quarum alique sunt erronee, alique suspecte, alique male sonantes in fide et contra doctrinam sanam pariter approbatam ». In ed., v. g. ad calcem *Sentent.* Petri Lombardi, in *Bibl. max. pat.,* XXV, 487, e qua Bul., IV, 374, et apud D'Argentré, *Coll. jud.,* I, 381, inscriptio sicut in ms. Autissiod

Nescimus, an iste Ludovicus sit idem ac Ludovicus de S. Martino, Ord. Min., qui an. 1363 (cum esset in studio Pisano lector principalis theologiae), Martii 15, ab Urbano V obtinuit, ut per Petrum (Thomae, Ord Carm.), electum archiepisc. Cretens., in loco de Venetiis, magisterium reciperet, cum « de Venetiis et de toto ambitu domini Venetorum nullus sit magister in theol. facultate » (Reg. Suppl. Urb. V, an. 1, p. 3, fol. 66; Reg. Comm., n° 252, fol. 47b). Hoc casu Parisiis magisterium obtinere non potuisset. Ludovicus de S. Martino vocatur etiam Ludovicus de Venetiis (postea Bononiae; cf. *Chartul.,* II, p. 536, nota in fine, et Reg. Gregorii XI, n° 288, fol. 269, ad an. 1371). Fortasse noster est idem atque Ludovicus de Arboribus, Ord. Min., mag. in theol., qui an. 1364, Oct. 22. recepit mandatum, Michaeli de Sancto Vitali, Ord. Erem. S. Aug , in loco de Venetiis magisterium conferendi (Reg Comm. Urb. V, n° 251, fol. 374).

1. « quod ... dampnant » om. Autiss. — 2. « secundum .. . Deus » om. Autiss. — 3. Vindob. prosequitur . « perfectionis perfectam voluntatis ». — 4. « illum ... Deus » om. Vindob. — 5. Vindob. « in primo et 2° ». — 6. Vindob. « diabolum » loco « se ». — 7. Vindob. « diligatur in esse naturali ». — 8. Ms. Ampl. Q. 151 distinguit bene duos errores, 10 et 11, et error sequens (11) ibid. est 12. — 9. Autiss. om. « qua . .. quelibet volicio ». — 10. « Correll... fuit », et « immensum ... continet » om. Vindob. — 11. Amplon. Q. 151 errores 13-16. — 12. Amplon. 17, et sequens (14) est 18.

1271. *Archiepiscopus et capitulum Lugdun. ad Urbanum V pro Jacobo de Moreyo, Ord. Praed., ut ad Sententias legendas Parisiis aestivo tempore admittatur.*

1363, Februarii 3, 26.

Beatissime pater et domine metuendissime, humillima recommendatione premissa, ad vestre sanctitatis notitiam deducimus per presentes, quod antiquitus juxta canonicas sanctiones in vestra ecclesia Lugdunensi ab institutione Ordinis Predicatorum unus frater ydoneus dicti Ordinis ad hoc per eundem Ordinem deputatus consuevit legere sacram theologiam in loco honorabili et solenni cathe[d]ra ordinatis, ad cujus lecturam totus clerus dicte ecclesie et quasi totius civitatis vestre indifferenter[1] veniunt et consueverunt interesse. Cum autem, pater sanctissime, religiosus vir frater Jacobus de Moreyo dicti Ordinis, vir magne scientie et devotionis, propter ipsius probitatis virtutum et doctrine merita, nedum apud nos dumtaxat, sed etiam apud omnem alium clerum et populum predicte civitatis multipliciter commendatus, officium lectoratus hujusmodi per longa tempora ad salutem honoremque maximum et profectum cleri predicti duxerit exercendum et adhuc exerceat diligenter, ipseque cujus scientia vestram illuminat civitatem tam lectura quam predicationibus salubribus, multum gratus et utilis vestre ecclesie, ymo necessarius existat, totique clero et populo supradictis : eapropter ut idem frater Jacobus dicte vestre ecclesie honorabiliori titulo imposterum valeat deservire, eidem sanctitati humiliter supplicamus quatinus contemplatione dicte vestre ecclesie et personarum ejusdem, concedere dignemini dicto fratri Jacobo licentiam legendi Parisius Sententias estivales in scolis fratrum dicti Ordinis hoc anno vel alio, prout duxerit eligendum, statutis et ordinationibus magistrorum Parisiensium juramento vallatis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque, dispensando super eodem juramento de gratia speciali, nosque et ipsam ecclesiam de vestra benignitate solita si placet honorare ac vota nostra et cordium desideria quoad hoc misericorditer exaudire. Dominus per sui gratiam sanctissimam personam vestram incolumem conservare dignetur longevis temporibus regimini ecclesie sue sancte. Scriptum in dicta ecclesia vestra die tertia Februarii. — Fiat de licentia magistri generalis[2]. B. — Datum Avinione quarto kal. Martii, anno primo.

Humiles et devoti oratores vestri G[uillelmus][3] archiepiscopus, decanus et capitulum Lugdunenses.

Reg Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 3, fol. 32^{b}. — Exstat in Reg. Vat. Aven. Urb. V, vol. VI, fol. 391, sub eadem temporis nota mandatum apost. ad (Grimerium Bonifacii) cancell. Paris., in quo eidem insuper injungitur, ut Jacobo, lectis Sententiis, si eumdem idoneum repererit, magisterii honorem et docendi licentiam conferat. « Viri sacre lectionis ». — An. 1368, factus est a provinciali Franciae inquisitor regni Franciae, et an. 1379, Dec. 3, a Clemente VII confirmatus est (Reg. Vat. Clem. VII, n° 292, fol. 49). Post electionem Radulphi de Bonavilla (de quo infra) in episc. Vasionen. (an. 1386, Martii 28) factus est mag. scolarum palatii apost. Avenion., et sic an. 1387, Martii, in Arch. Vat. *Introit et Exit.* (n° 362, f. 94) occurrit. Usque ad mortem, i. e. ad annum 1394 hoc officio functus est, sed deest apud Quétif-Echard, *Script.* etc., I, p. XXI.

1. Vox in ms. obscure scripta. — 2. Simonis Lingon. — 3. Guillelmus de Thury, an. 1356, episcopus Augustodunens., cum fuisset decanus eccl. Lugdun. (Reg Aven. Innoc. VI, vol. XII, f. 31), an. 1358, Aug. 25, Raymundo Saquet defuncto, factus archiepisc. Lugd. (ibid., vol. XVIII, f. 320^{b}).

1272. *Processus ex parte inquisitoris et decani Catalaunens. contra fratres Johannem L'Eschacier et Jacobum de Bosco, Ord. Praed., qui male contra Conceptionem Beatae Virginis praedicabant.*

1362, Decemb. 31-1363, Februarii.

In nomine Domini, amen. Cum nonnulli articuli infra scripti prout (*sic*) michi publico subscripto notario fuerint in capitulo Cathalaunensis ecclesie de venerabilibus et discretis viris magistris Nicholao de Virtuto[1] et Johanne de Sancto Medardo[2] sacre pagine professoribus ac dicte ecclesie Cathalaunensis canonicis, ac pluribus aliis personis secularibus et religiosis ad hoc convocatis contra fratrem Johannem L'Eschacier Ordinis fratrum Predicatorum Cathalaunensis ex parte venerande discretionis et magne prudentie viri domini Galhardi Frozini, decani ecclesie predicte Cathalaunensis[3], vicarii in spiritualibus et temporalibus ac commissarii specialis in hac parte reverendi patris ac domini domini Dei gratia Cathalaunensis episcopi[4], ac fratris Nicholai de Vasseyo dicti Ordinis fratris, inquisitoris subdelegati in civitate et dyocesi Cathalaunensi ab inquisitore generali, informatione debita precedente propositi, ipseque frater Johannes spontaneus in dicto capitulo et coram dictis presentibus citatus ad hoc et existens, confessus fuerit dictos articulos et contenta in eis predicasse prout in articulis eisdem continetur : noverint universi hoc presens instrumentum inspecturi, quod anno a Nativitate Domini M°CCC°LXII°, ultima die mensis Decembris, indictione prima, pontificatus sanctissimi patris ac domini nostri [Urbani] divina providentia pape quinti anno primo, coram dictis dominis vicario et commissario, inquisitore subdelegato, magistris ac pluribus aliis personis, scolaribus et religiosis, in dicto capitulo presentibus et per ordinem sedentibus, et in presencia mei, publici subscripti notarii, et testium infra scriptorum propter hoc personaliter constitutis, predicto fratre Johanne L'Eschacier ex una parte, ac procuratore seu promotore officii ipsius domini vicarii et commissarii ex altera parte predictus frater Johannes contenta in dictis articulis coram dictis dominis sedentibus verbotenus spontaneus revocavit, ac dixit quod ipse firmiter credebat et tenebat, contrarium contentorum in dictis articulis fuisse et fore verum. Et hiis sic actis deliberacionem inter dictos dominos vicarium commissarium, inquisitorem subdelegatum et alios sedentes plenarie et cum deliberacione precedenti prehabita; idem dominus vicarius et commissarius ac inquisitor subdelegatus per organum dicti domini decani inscripti ad instanciam parcium ipsarum, Christi nomine primitus invocato, suam sentenciam diffinitivam super premissis in dicto capitulo sedens protulerunt, per eamdem sentenciam condempnantes dictum fratrem Johannem predictum ad faciendum ea que in quadam cedula papirea verbis galicis scripta continebantur, quam idem dictus vicarius in suis tunc tenebat manibus et quam coram eodem fratre Johanne tunc per me notarium publicum infra scriptum legi fecit, et ea lecta idem frater Johannes juravit, tactis per ipsum sacrosanctis evangeliis, contenta in dictis articulis decetero non predicare et dictam sentenciam tenere ac eidem acquiescere, quodque ipsa premissa contenta in dicta cedula papirea tribus eccle-

siis Cathalaunensibus, videlicet in ecclesia Cathalaunensi primo, ac deinde in ecclesia Beate Marie de Vallibus Cathalaunensis, et successive in ecclesia Sancti Alpini Cathalaunensis, prout tunc per dictos dominos vicarium et inquisitorem subdelegatum sibi injunctum et preceptum fuit, eidem populo ad divina congregato tribus diebus solempnibus, publice altaque voce in pulpito dictarum ecclesiarum existens dictam cedulam legendo ac post verbum Domini propositum, revocabit atque ipse se abstinebit a predicacionibus faciendis per unum annum in civitate et dyocesi Cathalaunensi; super quo eidem dicti domini vicarius et subdelegatus inquisitor suspenderunt eundem, de quibus idem dominus decanus petiit a me publico notario subscripto sibi fieri et tradi unum vel plura publicum vel publica instrumentum vel instrumenta. Acta fuerunt hec loco, anno, mense, die, indictione et pontificatu quibus supra, presentibus discretis viris dominis Johanne de Sancto Verano, semicanonico dicte ecclesie Cathalaunensis, Petro de Veritate capellanie perpetue in dicta Cathalaunensi ecclesia presbytero, Guillelmo dicto de Arzilleriis clerico Cathalaunensi, et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Tenor vero predictorum articulorum talis est : Intendunt commissarius domini episcopi Cathalaunensis et frater Nicholaus de Wasseyo Ordinis fratrum Predicatorum Cathalaunensis, inquisitor subdelegatus in civitate et dyocesi Cathalaunensi ab inquisitore generali super tangentibus hereticam pravitatem malesonancia, piis auribus perniciosa, presumptuosa blasphema probare contra fratrem Johannem dictum L'Eschacier predicatorem articulos qui secuntur :

Articulus primus. Predictus frater malino spiritu ductus dominica post festum Conceptionis beate Marie Virginis in ecclesia beati Alpini Cathalaunensis in sermone, quem faciebat ad populum, inter cetera que dixit in illo sermone, asseruit quod tenentes beatam Mariam Virginem fuisse conceptam sine peccato originali, errabant.

Articulus secundus. Quod tenentes et dicentes idem, errabant contra fidem.

Articulus tertius. Quod dicentes idem erant heretici.

Articulus quartus. Quod beata Virgo fuit concepta in peccato originali, — quod potuit dicere in hoc astando; sed discoperiendo maliciam suam ad inducendum populum ad indevocionem et ad inreverenciam beate Virginis Marie, adroganter et temerarie addidit in eodem sermone, quod fuit *ordie en pechié originel et toullie et de ce mesme pechié,* et quod si ipsa ita decessisset ante passionem Christi, descendisset ad inferos fuissetque dampnata.

Articulus quintus. In eodem sermone tenebat unam cedulam, quam declaravit, tradereque copiam promisit cuilibet petenti scriptam manu sua, in qua continebantur multa tangentia dictam concepcionem. De quibus interrogetur predictus frater, et respondeat absolute sine suspectione, si credat et teneat illa esse vera. Tenor cedule verbis galicis talis est, et cetera (*sic*). Revocat omnia in locis, in quibus predicaverat, asserendo in forma oppositum.

Fama publica multorumque insinuacione clamosa (que non a malivolis vel maledicis

sed a probis et fide dignis habuerunt et habent ortum deferentibus auresque nostras pulsantibus, non semel tantum sed sepe et sepius, ita quod clamor invicit et diffamacio manifestat, populusque testis est) ad nos, Gailhardum Frezini, prepositum Bivariensem canonicumque Cathalaunensem, et vicarium in spiritualibus reverendi in Christo patris ac domini domini Archambaudi Dei et apostolice sedis gratia Cathalaunensis episcopi, ejusque reverendi patris commissarium spiritualem in hac parte, devenit quod tu, frater Jacobe de Boscho, in predicacionibus, quibus tam in die festi Purificacionis beate Marie Virginis ultimo preteriti, in ecclesia dictorum fratrum Predicatorum Cathalaunensium quam ante et post aliis pluribus diebus et locis predicasti, ac pro firmo et firma fidei catholice veritate tenuisti, beatissimam Virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali, tanquam de fide male senciens addidisti quod credere contrarium erat peccatum et errare in fide et contra fidem et sacram Scripturam, quodque qui de conceptione dicte Domine beatissime Virginis festum faciebant, errabant peccabantque mortaliter, et quod de tali conceptione et ex tali materia, quam vilem asserebas, non erat festum in ecclesia celebrandum, dicendo etiam et predicando dictam beatissimam Virginem de vili materia conceptam, dixistique et predicasti te credere peccasse et peccare mortaliter, nisi premissa predicasses et predicares, ne fidelis ac catholicus grex dominici lupo rapiente leoneque rugiente ac cane latrante devoretur, inficiatur, rapiatur et circumveniatur, sed a predictis liberetur, et quod si ob hoc comburi et mori deberes[5]....

Minuta pergam. in Arch. nat. Paris., M. 67^b, n° 47. Pertinebat ad Arch. Univ. (B. 7 a) — Quanquam de rebus Universitatis propriis non agitur, id documentum judicavimus edendum, cum sit in intima relatione cum erroribus Johannis de Montesone et sequacium ejusdem Ordinis, ab Universitate damnatis, de quibus infra, ad an. 1387 et sqq., late disseremus.

1. De ipso vid. *Chartul.*, II, p. 637, not. 16. Fuit mag. Paris., ipsiusque atque mag. Jacobi, Ord. Eremit. S. Aug.. commentarius in Ecclesiasticum habetur in Bibl. Mazarine, ms. 80 (Catal. Molinier, n° 233). — 2. De ipso etiam infra. — 3. Deest in *Gall. Christ.*, IX, 903. — 4. Archambaldi de Lautrico, an. 1348, Novemb. 14, cum esset can. Paris., episc. Vaurens. (Reg. Comm. Clem. VI, n° 188, f. 69), an. 1357, Januar. 11, translati ad Catalaun. eccl. (Reg. Aven. Innoc. VI, vol. XVII, f. 207^b). — 5. Reliqua desunt.

1273. *Urbano V supplicat universitas civitatis Avenion. quatenus fratrem Jacobum Damiani, Ord. Eremit. S. Aug., baccalareum in sacra theologia jam formatum, qui Parisiis quatuor libros Sententiarum perfecte ordinatos legit ac postmodum ibidem magister studentium manens, more solito scholas visitavit ac ceteros suos cursus fecit, mandare dignetur cancellario Universitatis Parisiensis ut praedictum fr. Jacobum, quem adhuc per triennium exspectare oportet antequam rigorose in dicta facultate valeat magisterium adipisci, ad magisterium in praedicta facultate admittat et expediat ante festum Nativitatis Domini proxime venturum.* — Fiat. B. — Datum Avinione septimo id. Martii, anno primo.

1363, Martii 9.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 3, fol. 53. — In Reg. Vat. Aven. Urb. V, vol. V, fol. 488^b, exstat sub eadem temporis nota mandatum apostolicum ad (Grimerium Bonifacii) cancellarium Paris. « Viri sacre lectionis ».

1274. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiensi pro Dionysio Foullechat*[1], *Ord. fratrum Minorum, qui theologiam et Parisiis Bibliam ordinarie duobus annis legit, ut, cum primus cursus ad legendas Sententias in studio Parisiensi ad provinciam Francie juxta morem dicti Ordinis pertinens, secundum determinationem ministri generalis*[2] *ac magistrorum ministeriorum et omnium proborum fratrum dicti Ord. in concilio tunc existentium sibi debeatur, Sententiis per ipsum in Parisiensi studio lectis, eidem infra tres vel quatuor menses a fine dicte lecture computandos, examinationem, magisterii honorem et docendi licentiam concedat.* Datum Avinione xiiij kal. Aprilis, anno primo. « Viri sacre lectionis ».

1363, Martii 19, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. V, fol. 514.

1. De isto fratre, celebri propter suas opiniones, infra, imprimis n^is 1298-1300, etiam pluries. Delisle, *Cab. des mss.*, I, 39 sq.; III, 138, nº 501, probat eum fuisse traductorem (in ling. Gall.) *Policratici* Johannis Sarisber., et quidem an. 1372. Eum nunquam ad magisterium in theol. pervenisse infra nº 1352 videbimus. — 2. Marci de Viterbio, mag. in theol., ab an. 1359; an. 1366, Septemb. 18, card. S. Praxedis (Contelori).

1275. *Johannes*[1], *prior generalis fratrum Ord. Beatae Mariae de Monte Carmeli, Urbano V supplicat, ut Petrus Rivi*[2], *Ord. antedicti baccalareus in theologia Parisiis, qui gradum magisterii in dicta facultate longo tempore exspectavit, per cancellarium Paris. infra unum mensem a praesentatione litterarum licentietur et ad magisterii gradum admittatur.* — Fiat. B. — Sine alia lectione. — Fiat. B. — Dat. Avinione undecimo kal. Aprilis, anno primo.

1363, Martii 22.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 3, fol. 84. — In Reg. Vat. Aven. Urb. V, vol. V, fol. 554, exstat sub eadem temporis nota mandatum apost. ad (Grimerium Bonifacii) cancellar. Paris. « Viri sacre lectionis ».

1. Johannes Balistarii. — 2. An. 1358, Sept. 8, in Capit. generali Burdigalae celebrato, ut lector Paris. Sententiarum pro primo anno (i. e. ut legat an 1358-1359) designatur (Lezana, *Ann. Ord. Carmel.*, IV, 620). Apud Villiers, *Bibl. Carmel.*, II, 598, « Petrus de Riu ». Fuit natione Catalanus, patria Perpiniacens.

1276. *Bosembiante Badoaro, Eremit. S. August., Parisiis ad magisterium in theologia promoveatur.*

1363, Aprilis 6.

Supplicatur sanctitati vestre pro parte vestri devoti filii et humilis oratoris fratris Bonsimblantis[1] de Padua, bacchalarii Paris., Ord. frat. Heremit. S. Aug., quod cum ipse fuerit lector Padue, Venetiis et Trivisii, ubi sunt studia generalia Ordinis antedicti, fuitque provincialis provincie sue pluribus annis, et duabus vicibus diffinitor Capituli generalis, legitque Sententias ordinarie Parisius ...., tamen propter statuta sui Ord. et Universitatis Paris. oporteat eum adhuc amplius expectare facultatis theologice magistratum .... dignetur eadem sanctitas vestra de gratia speciali mandare cancellario Parisiensi, quod si predictum fratrem Bonsimblantem sufficientem invenerit ...., ipsum licentiare debeat ad dicte facultatis theologice doctoratum et sibi gradum magisterii conferat in eadem. Non obstanti-

bus, *etc.* — Fiat si placeat generali[2]. B. — Et transeat sine alia lectione. — Fiat. B. — Datum Avinione octavo id. Aprilis, anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 3, fol. 86. — In Reg. Vat. Avenion. Urb. V, vol. V, fol. 558, exstat sub eadem temporis nota mandatum apost. ad (Grimerium Bonifacii) cancell. Paris. « Viri sacre lectionis ».

1. Bosembiante Badoaro da Peraga di Padova, postea professor theologiae Paduae. Vid. Gloria, *Monumenti della Università di Padova,* I (Padova, 1888), p. 548, ubi perperam, uti et frater ejus Bonaventura, Ordini Praed. ascribitur. Cf. Denifle in *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, VI, 362. — 2. Matthaeo de Asculo, mag. in theol., de quo jam supra.

1277. *Johannes, Francorum rex, supplicat pro Johanne Forbitoris, Ord. Praedic., ut finita lectura Sententiarum eidem licentia tribuatur.*

1363, Aprilis 20.

Supplicat sanctitati vestre devotus filius vester rex Francorum[1] quod cum frater Johannes Forbitoris[2] Ordinis Predicatorum (dudum confessoris nostri, cum essemus dux Normannie, socius, actu nunc legens Sententias Parisius, cujus mores et litteras probavimus vice plura) finita dicta Sententiarum lectura, cuncta, que ad promotionem magisterii sunt requisita, ordinarie et ut moris est Parisius compleverit, quatinus eidem sanctitati vestre placeat mandare Beate Virginis Parisiensis cancellario, quod finita sepedicta Sententiarum lectura eundem fratrem Johannem licentiet et ad magisterii gradum promoveat absque retardatione aliqua, potissime si magistrorum regentium testimonio sufficiens judicetur. — Fiat. B. — Sine lectione. — Fiat. B. — Datum Avinione duodecimo kal. Maii, anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 3, fol. 161 b. — In Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. VI, fol. 407 b, invenitur, sub eadem temporis nota, mandatum apostolicum ad (Grimerium Bonifacii) cancellarium Paris. « Viri sacre lectionis ».

1. Johannes. — 2. Gallice le Fourbisseur. Vid. Quétif-Echard, *Script. Ord. Praed.*, I. 677. De eo infra pluries.

1278. *Ordinatio Capituli generalis Ord. Servorum B. Mariae sub priore generali Nicolao de Venetiis Florentiae celebrati de studiis in collegio Parisiensi.*

1363, Aprilis 28, Florentiae.

Nullus Parisius mittatur ad studium qui prius totam logicam et philosophiam per tres saltem annos in partibus Italie non fuerit interpretatus.

Singulis studentibus Parisius euntibus centum floreni aurei a sua provincia assignentur : octo pro itinere, octo pro reditu et reliqui pro indumentis et victu, in manu camerarii Parisiensis[1].

Quilibet studens post triennium Parisius reversus teneatur alio triennio logicam et philosophiam ac theologiam interpretari, orare, concionari et disputare quoties et ubi[cunque] per generalem fuerint requisiti, nec possint eo tempore in alia officia occupari.

Quilibet frater in sacra theologia licentiatus[2] habeat de deposito Ordinis pro expensis sui magisterii florenos aureos centum, et ubicunque legerit habeat a provinciali annuos

florenos decem pro lectura et quinque pro indumentis, et de famulo fratre provideatur qui sibi inserviat.

Ann. Ord. Serv. B. Mariae Virg, ed. Giani (ed. sec. per A. Garbii; Lucae, 1719), I, 315. — Magis hoc tempore floruit collegium studentium Ord. Serv. B. Marie Parisiis quam prius. Jam an 1347, Maii 9, Matthaeus de Castro Plebis, prior generalis Ord., ad Parisienses scripsit, missos Parisios ad studendum in communi debere vivere. Praeterea « praecipimus ... ut de pecunia pensionis nostre *domus empte Parisius* solvatur census aliarum domorum nostrarum ». Nullus discedat de studio sine licentia generalis (ibid., p. 291). An. 1350 editum est statutum de horis canonicis simul celebrandis in *Capella* dictae domus (ibid., p 299). Nondum tamen scire potuimus quo loco Parisiis tunc temporis domus scholarium Ord. Servorum sita esset. Vid. *Chartul.*, II, nº 877, not. Tempore schismatis omnia perdita fuisse quoad Servos B. Mariae in Francia, nullumque vestigium collegii Paris. (in quo semper exteri, et quidem Itali, minime Francigenae, morabantur) remansisse, infra ad an. 1387, Novemb. 21, declarabimus.

1. Simile statutum jam legimus ad an. 1350 in Comitiis Bononiae habitis Viginti floreni annuatim deserviant pro victu cujuslibet, quinque pro indumentis, duodecim pro eundo et redeundo, « et quod superest detur : studenti de debito pro lectura cursuum sex aurei, legenti autem Sententias dentur floreni decem, et quod superest dictorum florenorum expendatur pro conservatione *domus Paris.* » (ibid., p. 298 sq.). — 2. An. 1353, circa Pentecosten, Parmae sub priore gen. Vitale de Bononia, de biblicis, Sententiariis et licentiandis Parisiis sic statuebatur : « Prohibemus quod nullus presumat Bibliam seu cursum Biblie vel Sententias legere aut gradum magisterii acceptare sine prioris generalis licentia speciali, que in scriptis appareat sui sigilli munimine roboratis. Contrafacientes vero per annum carceri mancipentur et omni studio perpetuo sint privati.... » (ibid., p. 301, ubi plura statuta de studiis, sicut etiam in Capitulo generali an. 1377 Venetiis celebrato, ubi praeterea statuebatur, mittendorum Parisios aetatem 24 ann. ad minus debere esse; ibid., p. 333).

1279. « *Pro Hospitali Sancti Spiritus Parisiensis.* »

1363, Maii 19.

Significant sanctitati vestre devoti et seduli oratores vestri et subditi Johannes Culdoe, prepositus mercatorum[1], scabinique ac quamplures cives Parisienses, necnon Johannes de Pinu[2] S. Martini de Campis, Johannes de Camberone Val[l]is[s]colarium Parisiens., prioratuum priores, Egidius de Manna[3], Guillelmus de Frevilla[4] regens in conventu fratrum Predicatorum, Amandus[5] de Artesio regens ad fratres Minores, Johannes Goulain[6] regens ad fratres de Carmelo, Guido de S. Andrea[7], regens apud Sanctum Bernardum, sacre pagine professores, et quamplurimi alii[8] devoti filii clerici provecti, et nonulle alie probe et devote persone degentes et conversantes in dicta villa Parisiensi, quod ab anno sexagesimo et citra, propter guerrarum incursus et alia que in regno Francie evenerunt, tot pauperes, juvenes et senes utriusque sexus, ad civitatem Parisiensem confluxerunt quod prenominati et nonnulli alii multa de bonis suis a Deo sibi collatis pro alimento ipsorum pauperum pro majori parte consumpserunt, et de die in diem consumunt, et ad melius dictis pauperibus presentibus et futuris subveniendum, pro bono et utiliori quandam confrariam inter se ordinaverunt, in certo loco in civitate Parisiensi unum Hospitale ad honorem Sancti Spiritus sub certis modis et formis et per episcopum Parisiensem approbatis pro dictis pauperibus recuperandis et hospitandis .... fundare intendunt .... — Fiat. B. — Dat. apud Pontem Sorgie Avinion. dioc. quartodecimo kal. Junii, anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 4, fol. 50.

1. Stephano Marcelli an. 1358 interfecto « Jehan Culdoe » factus est praepositus mercantium. Vid. *Les grand. chron.*

ed. P. Paris, VI, 144. — 2. De quo *Chartul.*, II, nº 1090, not. 2, et p. 720. An. 1369, Junii 27, post obitum Simonis de Brossa, factus est abbas Cluniac. (Reg Aven. Urb. V, vol. XXI, f. 166). — 3. De Marna, Marla? Ord. Praed., de quo supra nº 1224? — 4. In epistola episcopi vocatur Guillelmus Bouquin. — 5. Utique ille Amandus de Valenticinis, cujus opinionum mentio fit in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16408, fol. 168 sqq. (vid. D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 369). In Reg. Vat. Innocentii VI, 244ᵉ, nº 426 (ep. Greg. XI, an. 1373, Jan. — vid. Secret., nº 269, fol. 3), vocatur Armandus de Francia, vicarius aquilonaris, i. e. vicarius Tartariae aquilonaris. — 6. De quo jam supra nº 1262. — 7. Qui supra nº 1262 « Guido de Nivella ». Intellige · « monachus de S. Andrea de Gouferno ». — 8. In epistola episcopi nominatur etiam Jacobus de Arenciaco Ord. Eremit., in theol. mag. — 9. Sequuntur Rotulus petitionum plurium et epistola seu potius instrumentum, quo Johannes episc. Paris. « confratriam » fundare permittit an. 1362 (1363), Febr. 17, quae ad Universitatem tantummodo propter magistros Parisienses ibi nuncupatos pertinent. In Arch. nat. Paris. JJ. 92, fol. 45ᵇ, nº 191, exstat regis confirmatio licentiae constituendi istam confratriam « pluribus magistris in theol. et burgensibus dicte ville (Paris.) facta, an. 1362 (1363), Martii ».

1280. *Ordinatio Capituli generalis Ord. Praed. sub mag. gen. Simone de Lingonis celebrati de studentibus Paris.; assignationes baccalareorum ad convent. Paris.*

1363, Maii 21 circiter, Magdeburgi.

Denunciamus provinciis universis nostri Ordinis quod intendimus, quod studentes mittantur Parysius pro studio more solito, quos volumus ibidem ad minus per annum integrum permanere[1] duntaxat, ac quod sint ibi a principio studii, sc. mensis Septembris, usque ad finem lectionum. Adicientes quod propter necessitatem dicti conventus ipsi secum ferant pecuniam sufficientem pro necessariis in victu pro anno illo, quam quidem pecuniam volumus tradi magistro minori regenti, qui magister eam tradat duobus studentibus, uni intraneo[2], alteri extraneo, quos predicti studentes elegerint, et procuratori conventus, qui tres simul de necessariis pro victu tempore ydoneo providebunt et dispensabunt.

Assignamus ad legendum Sententias Parysius pro anno presenti fratrem Symonem de Puteo[3] de conventu Parlomentano[4] provincie regni Cicilie, pro anno vero sequenti, quantum nostra interest, frat. Nicolaum de S. Saturnino[5] de conventu Parysiensi provincie regni Francie.

Bibl. Univers. Bonon. ms. 1535, Capitul. general. Ord. Praed. ad an. 1365 contin. — Non repetimus ordinationem Cap. general. an. 1365, ne fratres Paris. studio deputati per annum ante accessum ad ipsum studium in priores confirmentur, *etc.*, et ne postea subito in priores eligantur. Vid. *Chartul.*, II, nº 795.

1. Similis ordinatio an. 1357 in Cap. gener. promulgata est. — 2. I. e. provinciae Franciae; extraneo, i. e. de aliis provinciis. — 3 An. 1362, Decemb. 17, ab Urbano V obtinuit, ut, cum ipse, lector Neapolit., per generale Capit. ad legendas Sententias Parisiis fuisset ordinatus, gravi infirmitate detentus Parisios accedere non potuisset, ab aliquibus magistris examinaretur et postea magistraretur (Suppl. Urbani V, an. 1, p. 1, fol. 133). Comes Mileti, senescallus provinciae, eum ad Rom. curiam secum duxit. Sed postquam Avenione a mag. generali Ord. cum novem magistris examinatus et sufficiens repertus fuisset, mag. generalis ei consuluit et mandavit ut Parisios accederet ad legendas Sententias, quod et an. 1363 fecit; Hugo vero de S. Martiali, card. S. Mariae in Porticu (v. nº 1350), Urbano V supplicavit, ut cancellario Paris. injungeret Simoni lectis Sententiis magisterium conferre (Reg. Suppl. Urb. V, an. 1, p. 3, fol. 162ᵇ, ad an. 1363, April. 20. Mandatum apost. ad cancell. Paris. eadem die in Reg. Aven. Urb. V, vol. V, f. 637). Sic Parisiis anno circiter 1364 licentiatus est. Cf. etiam Quétif-Echard, I, 707. An. 1378, Decemb. 17, ab Urbano VI nominatus est episc. Cataniens. in Sicilia, ubi ab an. 1376 Elias residebat, qui tamen an. 1378 partes Clementis VII secutus est. — 4. I. e. Panormitano. — 5. Ab an. 1375 fuit mag. s. palatii apostol. (sub Clemente VII etiam), an. 1378, Decemb. 16 (Arch. Vat. Oblig. nº 43, f. 52ᵇ, sed in *Vita I* Clem. VII: Dec. 18, die veneris, quae tamen 17 Dec. fuit; Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 491), creatus card., an. 1379, Junii 10, accepit tit. S. Martini in Mont. (Arch. Vat. Oblig., nº 43, f. 56). Eum postea cancellariam Paris. per breve tempus tenuisse, inferius videbimus. An. 1382, Jan. 23, obiit (Contelori).

1281. *Prior*[1] *et fratres Ordinis Servorum Sanctae Mariae Florentin. Urbano V supplicant pro fratre Antonio Mannucii de Florentia dicti Ordinis, qui per sedecim annos et ultra in Parisiensi studio studuit et legit in theol., ibique Sententias legit, et in octavo anno post dictarum Sententiarum lecturam existens baccalareus formatus et ad magisterium praesentatus est; sed quia duo alii fratres de dicto Ordine*[2] *eum praecesserunt in ordine susceptionis dicti magisterii, ad illud adhuc promoveri non potest. Quare, cum plurimum egeant in eorum conventu Florent. ubi viget studium generale, uno idoneo magistro in facultate praedicta,.... cancellario Paris. mandet ut dictum fratrem infra duos menses.... ad magisterium promoveat*[3]. — Fiat. B. — Sine alia lectione. — Fiat. B. — Datum Avinione tertio non. Julii, anno primo.

1363, Julii 5.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 4, fol. 164. — In Reg. Vat. Aven. Urb. V, vol. V, fol. 573, exstat de hoc mandatum apost. ad (Grimerium Bonifacii) cancell. Paris. sub eadem temporis nota : « Viri sacre lectionis ».

1. Nicolaus Venetus, ab Urbano V an. 1363, Febr. 20, electus (Giani-Garbio, *Ann.*, I, 317, not.), praedecessore Vitale, mag. in theol., an. 1362, Dec. 19, in episc. Asculan., an. 1363, Julii 2, in episc. Theatin. promoto (Reg. Aven. Urb. V, vol. V, f. 25, 76). — 2. Circa idem tempus vel postea alter Florentinus, frater Gregorius de Florentia ejusd. Ord. in studio Paris. « gradum bachalariatus » obtinere meruit, et an. 1376 ut in Universitate Florent. magisterium reciperet petiit (Gherardi, *Statuti della Università e studio Fiorentino*, p. 346). Alios Servos B. M. tunc temporis Parisiis studentes cognoscimus, Laurentium de Bononia, qui an. 1374, Franciscum de Mediolano, qui an. 1377 licent. est (*Catal. licent.* in Bibl. nat. Paris. mss. lat. 5657[a]; 12850). — 3. Antonius « Manmucey » an. 1371, Febr. 17, Nicolao Veneto an. 1370, et Matthaeo de Bononia successore an. 1371, defunctis, a Gregorio XI in priorem generalem Ord. Serv. praefectus est (Reg. Aven. Greg., vol. I, f. 157).

1282. *Supplicant Urbano V (Carolus) dux Normanniae et cives Parisienses, quod, cum a maximis temporibus nullus frater Ord. Praed. de civitate vel dioecesi Parisiensi oriundus lecturam aliquam in conventu Praedicat. Parisiens. obtinuerit, et frater Hervaeus de Cauda sit Ordinis et dioecesis praedictorum, olim lector in pluribus conventibus provinciae Franciae, postmodum prior Parisiensis, numerusque baccalareorum conventus praedicti sit propter mortalitatem adeo diminutus ut non remanserint nisi duo baccalarei formati, qui sunt in proximo magistrandi, mandet cancellario Parisiensi, ut Hervaeum assignet ad legendas Sententias in schola dicti conventus, quae anno lxiiij vacabit (non obstante quod in alia schola legat alius frater per Ordinem deputatus), vel ad legendas Sententias post lectionem ordinariam baccalareorum.* — Fiat. B. — Sine alia lectione. — Fiat, B. — Datum Avinione quartodecimo kal. Augusti, anno primo.

1363, Julii 19.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p 4, fol. 210[b]. — In Reg. Vat. Aven. Urb. V, vol. VI, fol. 519[b], invenitur sub eadem temporis nota mandatum apost. ad (Grimerium Bonifacii) cancell. Paris. : « Religionis zelus ». — An. 1366, Octob. 4, Urbanus V « Grimerio cancellario eccl. Paris » scribit, ut Hervaeo, qui Sententias jam legit, magisterii honorem et docendi licentiam conferat, si eum idoneum repererit « et ex eo honor tuus et Paris. studii non ledantur » (Reg. Aven. Urb. V, an. 4, vol. XIII, fol. 523). In *Catal. magist Ord.* e Cod. Lingon apud Quétif-Echard, *Script. Ord. Praed.*, I, 663, scribitur, hoc an. 1368, in crastino S. Mauri (Januarii 16) evenisse.

1283. *Johannes, rex Francorum, postulantibus Universitate Parisiensi, collegiis Navarrensi et Laudunensi, fratribus Beatae Mariae de Monte Carmeli, aliisque privatis viam S. Genovefae habitantibus, confirmat octo articulos carnifices regulantes, qui carnifices sanguine bestiarum et sordibus dictam viam die nocteque polluebant; jubetur immunditiis talibus ante domos projiciendis abstinere et purgamenta omnia quotidie extra muros fossasque urbis deferre.* « Savoir faisons .... Donné à Paris, l'an de grace mil CCC soixante et troys, ou mois d'Aoust. »

1363, Augusti, Parisiis.

Arch. nat. Paris. JJ. 95, fol. 1[b], n° 3. Ibid., Livre rouge vieux du Chastelet, Y. 2, fol. 37[b] (antea 27[b]). Sauval, *Anti-*
14.

quités de Paris, III, 92. Ex ipso Felibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 481, ubi ascribitur « mercredi, seizième jour d'Aoust ». *Ordonn. des rois de France*, III, 639. De hoc etiam infra ad an. 1366, Septemb. 7, late agitur (ubi videas), quod et in Y. 2, fol. 38, in fine documenti an. 1363 annotatur.

1284. *Urbano V supplicat prior generalis Ord. Eremit S. Aug.*[1] *pro Radulpho Bloch, ejusd. Ord., provinciae Saxoniae, baccalar. Parisiens., quod cum ille fuerit lector in pluribus studiis generalibus Alemanniae ejusdem Ordinis, legeritque Sententias ordinarie Parisiis, tamen propter statuta Ordinis et Universitatis Paris. oporteat eum amplius exspectare theologiae magistratum (necnon et propter periculum propriae personae causa mortalitatis pestiferae, quae Parisiis actu viget*[2]*), mandet cancellario Parisiens. ut eum licentiet eique gradum magisterii conferat*[3]. — Fiat. B. — Et quod transeat sine alia lectione. — Fiat. B. — Datum Avinione octavo id. Septembris, anno primo.

1363, Septembris 6.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 5, fol. 116^{b}. — In Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. VI, fol. 484^{b}, exstat mandatum apostolicum cancellario Paris. eadem die missum « Sicut debetur ».

1. Matthaeus de Asculo. — 2. De hac mortalitate vid. *Cont. Chron. Guill. de Nangiaco* in *Chronique latine* ed. Géraud, II, 325 sq. — 3. An. 1364, Nov., jam. magister fuit. Vid. n^{um} 1299.

1285. *Prior generalis*[1] *Ordinis fratrum beatae Mariae de Monte Carmeli supplicat Urbano V quod, cum infra annum perdiderit dictus Ordo in diversis mundi partibus propter mortalitates quamplures magistros in theologia, unde in pluribus studiis generalibus non potest de magistris commode providere, fratri Bernardo Ollerii*[2]*, biblico Parisiensi ejusdem Ordinis, in curia Romana examen, licentia et magisterium sub aliquo magistro concedatur.* — Fiat. B. — Et quod transeat sine alia lectione. — Fiat. B. — Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. decimo octavo kal. Octobris, anno primo.

1363, Septembris 24.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 1, p. 5, fol. 201^{b}. — In Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. VI, fol 240^{b}, exstat mandatum apostolicum ad priorem generalem sub eadem temporis nota . « Sicut debetur ».

1. Johannes Balistarii. — 2. An. 1366 magistro regente in Rom. curia constituto (Lezana, *Ann. Ord. Carm.*, IV, 661), an. 1375 in Capit. generali Podiensi, Johanne Balistarii defuncto, fit prior generalis Ordinis; sed an. 1380, quia partes Clementis VII sequebatur, depositus ab officio per Urbanum VI, remansit prior generalis illius partis Ordinis quae Clementi VII adhaesit (sicut in Ord. Praed. Elias Raimundi et in Ord. Min. Leonardus de Giffone) usque ad an. 1383, ubi suo cessit officio. Vid. Lezana, l. c., p. 685; 700; 714. Villiers, *Bibl. Carmel.*, I, 278 Jam an. 1380, Maii 29, ei, ut priori generali, Clemens VII mandat, ut (ejus nepoti?) Francisco Olerii, ejusd. Ord. in studio Tolos. licentiato, in civitate Barcinon., theol. magisterium tribuat (Aven., vol. XVIII, f. 478^{b}), et Aug. 8, ut Bernardo Poyol, ejusd. Ord., idem impertiat (ibid., f. 515).

1286. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiensi, ut Hugoni de Monteforti*[1]*, priori domus fratrum Ord. Praedicat. Paris. in millesimo trecentesimo sexagesimo quarto vel sexagesimo quinto anno Domini, tempore aestivo, quo magistri in eadem facultate non legunt, vel in hieme in secundis scholis ejusdem domus, aut alibi in studio Parisiensi, legendi Sententias licentiam concedat et ipsum postea ad honorem magisterii promoveat.* Dat. Avinione xvj kal. Novembris, anno primo. « Viri sacre lectionis ».

1363, Octobris 17, Avenione.

Reg. Vat Aven. Urbani V, vol. VI, fol. 518.

1. Vid. infra n° 1299.

1287. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiensi, ut Guillelmum de Prato*[1], *Ord. Min., in theologia magistrum, qui de civitate Paris. traxit originem, et in Universitate studii Oxoniensis*[2] *multis annis studuit et legit in theologica facultate, et demum ibidem in ipsa facultate docendi licentiam et magisterii suscepit honorem, ad legendum, determinandum, disputandum et ceteros actus magistrales exercendum in facultate et Universitate Paris. studii libere admittat et ab aliis admitti faciat, ac si in ipsa Universitate Paris. studii magistratus fuisset.* Dat. Avinione xv kal. Decembris, anno secundo. « Religionis zelus ».

1363, Novembris 17, Avenione.

Reg. Aven. Urbani V, vol. VII, fol. 511. — Wadding, *Ann. Min.*, VIII, 500, e quo Bul., IV, 378.

Haec privilegii concessio in Universitate dubium movit, ut apparet e deliberatione ejusdem, an. 1364, Februarii 2, in *Libro procurat. nat. Angl.* (vid. *Auctarium Chartul. Univers.*, I).

1. In Francia. An. 1370, Martii 11, factus est archiepisc. Camballiens. (Reg. Aven. Urb. V, vol. XXIII, f. 28^b). Cf. Wadding, l. c., p. 221, 231. Eodem an. ad imperium Cathai cum 60 fere fratribus missus est (*Chron. XXIV general.*, Cod. Assis., fol. 173^b; *Analecta Francisc.*, II, 204). Guillelmi frater, Adam de Domno-Martino, fuit etiam mag. theol. Paris. (vid. ad an. 1375, Sept. 1-Dec. 31), an. 1384, Jul. 20, factus episc. Eugubinus (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXIII, f. 443). Parisiis in domo Min. ut episcopus eamdem cameram habitavit atque ejus frater (vid. Wadding, *Ann. Min.*, IX, 410). — 2. Additur « Cantuariens. dioc. », loco « Lincolniens. ».

1288. *Johannes de Calore quasdam propositiones a se enuntiatas explicat.*

1363, Parisiis.

Antequam descendam ad conclusiones, habeo aliqua dicere. Quia in primo articulo mearum vesperiarum posui duas propositiones, unam scilicet, quod summus legislator Deus ipse dignus est infinitis perfectionibus, quas nec habet, nec habuit, nec habere potest : nunc dico quod ista propositio male sonat; ymmo reputo eam esse falsam in sensu cathegorico quem facit; nec in isto sensu intellexi eam, sed in sensu hypothetico, scilicet quod si essent infinite perfectiones imaginabiles, quas Deus non habet, adhuc esset dignus illis perfectionibus.

Eodem modo de secunda propositione, scilicet quod infinite perfectiones simul in legislatoris essentia sunt dignitas[1] ad infinitas alias.

Item quia ex predicta prima propositione intuli istud corellarium, videlicet quod dictus[2] legislator dignificavit se in carne ad suam assumptionem hypostaticam, intellexi « dignificavit », id est « manifestavit ».

Illud autem quod ultra addidi, videlicet quod si alias non fuisset assumptus secundum hominem, dignus esset qui[3] assumeretur, quod[4] intellexi et protuli tanquam disputabile : nunc vero dico, quod est falsum, et non est disputabile.

Item quia posui in [m]ea conclusione tercii articuli, quod subducta prerogativa disparis acceptionis veritatis sub falsitate staret, ut verus cultor non amplius, quam falsus mereretur, et istam pluries iteravi : dico quod male sonat, quia procedit ex una suppositione impossibili, que aliquibus posset apparere possibilis esse.

Bibl. Amplon., in Quarto, n° 151, fol. 9^b, sub rubrica « Revocatio mag. Johannis de Calore Parisius an. Domini milles. trecent. sexagesimo [tertio] ». — Ad calcem *Sentent.* Petri Lombardi, v. e. an. 1516, in *Bibl. max. pat.*, XXVI, 448,

e qua, seu potius e *Bibl. mag. patr.*, IV, Bulaeus, IV, 377; D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 387. Ubique sub rubrica ut in ms. Amplon., anno expresso « 1363 ».

1. I. e. dignae sunt. — 2. Amplon. : « datus ». — 3. Edd. : « quia frueretur, et illud pluries reiteravi, dico quod, » *etc.* — 4. Amplon. potius : « quando ».

1289. *Urbanus (Grimerio Bonifacii) cancellario Paris., ut Johannem abbatem*[1] *monasterii Claraevallis, Cisterc. Ord., Lingonens. dioec., qui in studio Parisiensi Bibliam cursorie et libros Sententiarum legit et plures alios actus scholasticos in eodem studio exercuit, ad gradum magisterii recipiat.* Dat. Avinione iij non. Januarii, anno secundo. « Viri sacre lectionis ».

1364, Januarii 3, Avinione.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. VII, fol. 524^{b}.

1. Johannem (de Dulemonte), abbatem ab an. 1363, Junii 22 (in *Gall. christ.*, IV, 809, perperam ab an. 1360; vid. etiam infra n° 1303), dum esset prior claustralis monast. Claraevall. (Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. VI, fol. 74^{b}).

1290. « *Instrumentum qualiter sacerdotes licentiati (in medicina) possunt incipere legere et disputare et omnia tangentia actum inceptionis pro illa die inceptionis facere* ».

1364, Januarii 9, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Per hoc presens instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno a Nativitate ejusdem millesimo trecentesimo sexagesimo tertio, secundum morem Gallicanum, indictione secunda, die nono mensis Januarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Urbani divina providentia pape quinti anno secundo, facultate decretorum ex precepto et mandato magne circumspectionis viri magistri Heberti de Sarcellis, doctoris in decretis, decani dicte facultatis, per magnum bidellum juratum dicte facultatis, ut moris est, sufficienter vocata et congregata in parqueto curie officialis Parisiensis juxta gradus qui ascendunt ad cameram dicti officialis, super questione mota per venerabilem et discretum virum, magistrum Petrum de Montibus, decanum medicine, nomine facultatis medicine et pro ipsa, videlicet utrum licentiatus in medicina, postea factus sacerdos, possit in eadem facultate medicine incipere et doctorari, cum secundum statuta et consuetudines dicte facultatis medicine in inceptione magistrorum ejusdem oporteat legere unam lectionem et disputare unam questionem in capa nova de bono panno novo, etc., prout plenius continetur in statutis dicte facultatis medicine : deliberatum fuit concorditer ab omnibus doctoribus in dicta congregatione presentibus, nullo reclamante, et conclusum per predictum decanum facultatis decretorum, inducentem et petentem vota et deliberationem magistrorum per ordinem, videlicet quod sacerdos poterat et potest incipere, legere et disputare, et omnia facere tangentia actum inceptionis pro illa die, non obstantibus statutis predictis, quia illa lectio et disputatio non sunt nisi sequela gradus et honoris prehabiti et acquisiti, nec talis lectio seu disputatio est ad docendum, cum in hujusmodi principiis veniant et sint sacerdotes et religiosi ad honorandum magistrum, amicum suum, quia pari ratione vel majori tales audientes hujusmodi lectionem

essent excommunicati, cum par vel major prohibitio sit audiendo medicinam sicut legendo; quod nullus diceret. Insuper dixerunt, quod alias tota facultas eorum unanimiter hoc decreverat. In hac autem congregatione et deliberatione fuerunt magne discretionis et circumspectionis viri, magistri Hebertus, decanus supradictus, Johannes de Fresneyo, Johannes Galli, Thomas de Mallo[1], cantor Parisiensis, Thomas de Chesa, magistri et doctores dicte facultatis, presentibus ad hec venerabilibus et discretis viris, magistris Petro de Montibus, supradicto decano in medicina, Roberto de Almagnia, magistro in medicina, Guillelmo Anglici, licentiato in medicina, quorum dictus magister Petrus, nomine facultatis medicine et pro ea, petiit a me, notario publico infrascripto et presenti ibidem, unum instrumentum fieri.

Postmodum predictis magistris et doctoribus levatis et exeuntibus dictum parquetum, predictus magister Hebertus decanus dicte facultatis decretorum ad requestam predictorum decani in medicina et magistri Roberti predicti protulit et dixit deliberationem predictam, videlicet quod licentiatus in medicina, postea factus sacerdos, potest incipere in medicina et doctorari ac facere omnia que ad illum actum pertinent pro illa die, non obstantibus statutis, prout superius est expressum. Super quo predicti magistri in medicina petierunt a me notario subscripto publ. instrumentum fieri. Acta fuerunt hec Parisius sub anno, die, loco, mense, indictione et pontificatu predictis, presentibus quoad deliberationem et prolationem servandam predicti magistri Heberti decani facultatis decretorum proferentis iterato deliberationem predicte facultatis modo et forma, quibus immediate est expressum, venerabilibus et discretis viris mag. Johanne Gastelli, mag. in artibus, Johanne de Dulleyo, scolare Paris., Laudun. et Ambian. dioc., testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Guillelmus Lamberti, clericus Rothomag. dioc., publicus imperiali auctoritate notarius, *etc.*

Arch. nat. Paris. MM. 266, p. 166. — Jourdain, nº 693, sed mancum.

1. I. e. de Maalou.

1291. *Urbano V supplicat Amedeus, comes Sabaudiae, pro fratre Johanne Romani, Ord. Eremit. S. Aug., ad Oxoniam destinato, ut contra prohibitionem generalis in vacationibus Parisius Sententias legere possit.*

1364, Februarii 17.

Supplicat sanctitati vestre devotus filius vester Amedeus comes Sabaudie, quatinus sibi in personam dilecti sui, fratris Johannis Romani Ord. frat. Heremit. S. Aug., provincie Francie et conventus Rothomag., specialem gratiam facientes, cum ex diffinitione ultimi Capituli generalis dicti Ord.[1] deputatus fuerit idem frater ad legendum Sententias in Anglia in Universitate Exoniensi (*sic*), et idem frater nequiverit cum sanitate sui corporis in dicta terra commorari, ymmo de consilio medicorum, pro dicti sui corporis sanitate ab infirmitate quam ibidem patiebatur recuperanda et servanda, oportuerit eum ad partes Franci-

genas remeare : dignetur eadem sanctitas eidem fratri concedere quod Sententias ipsas in proximis vacationibus valeat in Universitate Parisiensi legere, ac ex tunc magisterii honorem consequi valeat infra duos annos in predicta Parisiensi Universitate, constitutionibus apostolicis ac consuetudinibus .... studii et Ordinis predictorum .... ac etiam quacunque ordinatione et inhibicione per generalem dicti Ordinis edita[2] contra fratres ejusdem Ord. procurantes Sententias in vacationibus legere et faventes eisdem ac etiam ipsos promoventes, cancellario Parisiensi presentantes, in scolasticis actibus associantes, et eos tanquam bacallarios acceptantes, et universaliter contra omnes eis in tali promotione prebentes auxilium, consilium vel favorem contrariis non obstantibus .... — Fiat. B. — Sine alia lectione. — Fiat. B. — Dat. Avinione tertiodecimo kal. Martii, anno secundo.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an 2, p. 2, fol. 57. — Exstat in Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. VII, fol. 537, mandatum apost. ad cancell. Paris. sub eadem temporis nota : « Viri sacre lectionis ».

1. Viennae in Austria an. 1362 sub Matthaeo de Asculo celebrati. V. Torelli, *Sec. Agost.*, VI, 62, nº 2. — 2. Notatu digna, cum ubique de hujusmodi statuto Eremit S August. quoad baccalareos Paris. altum silentium sit, deficientibus Collectione Capit. general. et Reg. priorum generalium hujus temporis.

1292. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Paris., ut Johanni de Grosis, monacho monasterii Grandissilvae Cisterc. Ord., Tolos. dioec., qui in studio Parisiensi librum Sententiarum legit et alios actus scholasticos fieri consuetos ibidem, diu est, complevit, et qui pro regimine monasterii praedicti dicitur esse necessarius praesertim in studio Tolosano in theologica facultate, cujus studii cura ad ipsum monasterium pertinet, magisterii honorem et docendi licentiam in facultate praedicta concedat.* Dat. Avinione xj kal. Aprilis, anno secundo. « Viri sacre lectionis ».

1364, Martii 22, Avenione.

Reg. Vat. Comm. Urbani V, nº 251, fol. 325.

1293. *In obsequiis Johannis, regis Francorum, locus assignatur cancellario et Universitati Paris.*

1364, Maii 3, Parisiis.

In processione que fiet die dominica in receptione corporis, ad partem dextram defuncti bone memorie domini Johannis regis, infra villam Paris. de porta ville usque ad ecclesiam Paris., concessum est, audita relacione domini archidiaconi, dicentis quod dominus rex Karolus filius dicti defuncti rogabat quod hac vice, absque prejudicio pro tempore futuro, ad evitandum tumultum, quod .. thesaurarius capelle ibit cum domino cancellario Paris. in absentia penitenciarii[1], et canonici dicte capelle regie ibunt cum junioribus canonicis ecclesie Paris.[2], et super hoc fiet determinacio etiam Parlamenti pro futuro, et illi de Universitate ibunt ad partem sinistram corporis scilicet predicti.

Arch. nat. Paris. LL 106ᵇ, p. 498, ad diem « veneris in festo Invencionis S. Crucis, anº LXIIII ». — An. 1350, in funere regis Philippi VI, lis exorta erat de prioritate Universitatis et capituli. Vid. in *Lib. proc. nat. Anglic.* ad ill. an., mense Novemb., in *Auctar. Chartul. Univers.*, I, p. 145, 3; 146, 1.

1. Qui tunc erat Nicolaus de Danvilla, de quo supra nº 1262, not. 1. — 2. I. e., omnes illi ibunt ad partem dextram.

1294. *Urbano V supplicat Amedeus pro Francisco de Melduno, Ord. Praed., ut ei lectura Sententiarum tempore vacationum et postea magisterium in theologia concedatur.*

1364, Maii 25.

Supplicat sanctitati vestre devotus filius vester Amedeus, comes Sabaudie, in personam fratris Francisci de Melduno, Ord. frat. Pred., Lausanens. dioc., atque de terra dicti domini comitis oriundi, ut cum dictus frater F[ranciscus] diu in studio Parisiensi et aliis diversis studiis laudabiliter insudaverit, lector existens in diversis conventibus Ordinis sui, scilicet Aurelianensi, in quo Sententias et philosophiam moralem legit, Bisuntinensi et Lugdunensi, in quibus officium lectoratus solemniter exercuit, prout plenius littere dicti domini comitis sanctitatem vestram informare possunt, placeat sanctitati vestre beatissime dicto fratri F. concedere lecturam Sententiarum Parisius tempore vacationum anno sequenti millesimo CCC LXVI, in scolis conventus Ordinis sui vel aliis scolis Parisius, et in fine lecture sue ipsum fratrem F. ad magisterium theologie ibidem per preceptum sanctitatis vestre promovere clementer dignetur, cum privilegiis .... — Fiat si placeat generali Ordinis. B. — Sine alia lectione. — Fiat. B. — Dat. Avinione octavo kal. Junii, anno secundo.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 2, p. 2, fol. 194. — Praeterea adsunt tria mandata apostolica de eodem Francisco ad cancellarium Paris. directa · 1° datum Avinione ij id. April., an. v (1367, Apr. 12), ut eidem concedatur « licentia legendi libros Sententiarum in domo fratrum Pred. Parisiensi, in proximo futuro anno tempore estivali » (Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. XVI, fol. 451[b] et 455 : « Viri sacre »); — 2° datum apud Montemflasconem, non. Augusti, an. vi (1368, Aug. 5). Cum Franciscus, quamvis legendi Sententias licentiam obtinuerit, certis ex causis dictum librum aestivali tempore non legerit, ei conceditur licentia legendi ordinarie in studio Paris. fratrum Praed. librum Sententiarum, *in scolis exterioribus dicte domus*, in hieme proxime subsequenti, ac postquam lecturam compleverit, ei magisterii honor ac docendi licentia concedatur (Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. XIX, fol. 388[b] · « Viri sacre »); — 3° datum Avinione, v id. Octob., an. i (1371, Octob. 11), quo Gregorius XI, certior factus Franciscum Sententias legisse Parisiis et alios actus scholasticos tam in disputationibus quam in responsionibus fecisse quas ibidem baccalareus in theol. facere consuevit, mandat cancellario Paris. ut magisterii honorem et docendi licentiam eidem largiatur (Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. II, fol. 350[b]: « Viri sacre »).

1295. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiensi, cum Michael Perdigacii, Ord. fratr. Praed. (qui inter baccalareos Parisienses incorporatus per mag. generalem dicti Ord.*[1] *examinatus, per testimonium magistrorum et baccalareorum Parisiens. ad legendas Sententias in facultate theol. fuit idoneus reputatus et ad haec dicti magistri et omnium diffinitorum Capituli generalis dicti Ord. consensus accessit, ipseque jam multum in aetate processit), propter assignationem aliorum baccalareorum usque ad magnum tempus locum habere non possit, cancellarius eum ad legendum in aestate proxime futura praedictum librum assignet et postea ei magisterii honorem et docendi licentiam largiatur.* Dat. Avinione vj id. Junii, anno secundo. « Viri sacre lectionis ».

1364, Junii 8, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. VII, fol. 563[b]. — Sed an. 1366 nondum pervenit ad lecturam, ut apparet ex ejus supplicatione (sign. iij non. Maii an. iv, i. e. an. 1366, Maii 5; Reg. Vat. Suppl. an. 4, p. 1, fol. 162[b]) et e mandato Urbani V ad cancell. Paris. sub eadem temporis nota (Reg. Aven., vol. XIII, « Illorum desideriis »). Cancellarius eum admittere non potuit, alio per sedem apost. ad legendum assignato. Hinc petit ut in hieme proxime veniente « in secundis scolis » admittatur, quamvis alius legat ordinarie eodem tempore. Ipse est verisimiliter ille « Michael, Predicator, qui dudum ante

licentiatus fuit, et tunc (an. 1374) rediit et absolvit cum infrascriptis », ut legitur in *Catal. licent.* (Bibl. nat. Paris. mss. lat. 5657[a]; 12850), ita ut an. 1374 (1375) licentiatus esse videatur.

1. Simonem de Lingonis.

1296. *Carolus V de illicite practicantibus vel Parisiis vel in vicecomitatu; de confraternitate SS. Cosmae et Damiani.*

1364, Octobris 19, Parisiis.

Karolus, *etc.* Ex fidedignorum[1].... Statuimus, ut in villa et vicecomitatu predictis (Parisiens.) nullus cirurgicus nullave cirurgica artem cirurgie seu opus quomodolibet exercere presumat, seu se immiscere eidem publice vel occulte in quacunque jurisdiccione seu terra, nisi per magistros cirurgicos juratos, morantes Parisius, vocatos per dilectos et fideles magistros juratos nostros Castelleti nostri Parisius, suo tempore, et prepositum[2] dictorum cirurgicorum aut per eorum successores in officio, et per alios licenciatos in arte predicta morantes Parisius prius examinati fuerint diligenter et approbati in ipsa arte, ac ab ipsis vel eorum successoribus in officio, ut est dictum, juxta approbationem aliorum cirurgicorum....[3].

Nos[4] itaque singulari ducti devocione ad gloriosos Christi martires Cosmam et Damianum confraternitatem in honorem dictorum martirum Parisius ordinatam ingressi, medietatem integram emendarum quarumcunque prestandarum per non approbatos juratos practicantes in arte predicta post publicacionem hujusmodi statuti non obtenta licencia, ut premittitur, operandi, quociens evenerint, in commodum et utilitatem dicte confraternitatis et non alibi convertandam (*sic*) ex nunc imperpetuum preposito cirurgicorum et confratribus confraternitatis ejusdem presentibus et futuris ex nostris auctoritate regia, certa sciencia et speciali gracia, tenore presentium concedimus et donamus, mandantes dilectis et fidelibus gentibus compotorum nostrorum Parisius ac preposito et receptori Parisiensibus, presentibus et futuris, quatenus dictos prepositum cirurgicorum et confratres, modernos et futuros, nostro presenti dono et gracia uti faciant et gaudere perpetuo, pacifice et quiete, emendas predictas levando diligenter vel colligi faciendo, prout ad quemlibet ipsorum pertinuerit, et medietatem ipsarum preposito dicte confraternitatis moderno, et qui pro tempore fuerit, liberando, convertandam in usum predictum, non obstantibus inhibicionibus aut mandatis seu litteris contrariis quibuscumque. Quod ut firmum et stabile sit et perpetuo perseveret, nostrum presentibus litteris fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro et in omnibus quolibet alieno. Datum Parisius, die xix[a] Octobris, anno Domini millesimo CCC LXIIII.

Per regem, Yvo.

Arch. nat. Paris. JJ. 98, n° 219, fol. 69. Livre rouge vieux du Châtelet, ibid., Y. 2, fol. 44[b] (ant. 34[b]); livre vert, Y. 4, fol. 150[b]. — *Ordonn. des rois de France*, IV, 499. *Statuts, privil. et règlements du collège de Chirurgie de Paris*, p. 64.

Has litteras confirmaverunt Carolus VI an. 1381, Octob. (*Ord.*, VI, 626; XIX, 396; *Statuts*, p. 73); Carolus VII an. 1441, Octob. (*Ord.*, XIII, 337; *Statuts*, p. 74); Ludovicus XI an. 1470-1471, Martii (*Ord.*, XVII, 403; *Statuts*, p. 76); Carolus VIII an. 1484, Julii (*Ord.*, XIX, 396; *Stat.*, p. 77).

1. Omnino eadem verba et eadem compositio atque in ordinationibus an. 1311 et 1352, *Chartul.*, II, n° 692, et supra n° 1205.

V. *Ordonn. des rois*, l c , *Recueil gén. des anciennes lois françaises.*, III, p. 16, et *Statuts*, etc., l. c. — 2. Vid. supra nº 1231. — 3. Quae sequuntur usque in finem « previa ratione puniri », ut in ordinationibus an. 1311 et 1352, omissis nominibus. — 4. Ad sequentia vid. supra litteras Caroli filii primogeniti an. 1360, mense Junii, nº 1250.

1297. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiens., ut Guillelmo de Pomeriis*[1], *priori majori monasterii Cluniac., Matiscon. dioec., qui libros Sententiarum in studio Parisiensi ordinarie legit et cursus suos in theologica facultate complevit, magisterii honorem et docendi licentiam in facultate praefata largiatur.* Dat. Avinione vj kal. Novembris, anno secundo. « Viri sacre lectionis ».

1364, Octobris 27, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. VII, fol. 497 b.

1. Post obitum Petri de Renello abbatis, Aug. 8, an. 1369, in abbatem monasterii Arremarensis nominatus est (Reg. Aven. Urbani V, vol. XX, fol. 165, ubi tamen minime exprimitur, ipsum mag. in theol. fuisse), sed obiit ante Novemb. 7 ejusd. an., ut e nominatione successoris Guillelmi (de Vaudrey), qui de abbatia de Besua an. 1367, Nov. 7, translatus est ad Arremarens. (quod in *Gall. christ.*, XII, 559, non refertur, et IV, 710, Guillelmus omittitur). apparet (ibid., vol. XXIII, f. 15 b).

1297a. *Urbanus V (Grim. Bonifacii) cancellario Paris., ut Matthaeum Soloe de Rotomago, Ord. Min. (asserentem « quod de antiqua et approbata consuetudine in studio Paris. extitit observatum quod in quolibet loco Ordinum fratrum mendicantium civit. Paris. unus solus frater libros Sentent. legit ordinaria lectura »), in duabus sequentibus vacationibus, in quarum priore duos, et in posteriore alios duos libros legat, ad legendas Sententias admittat.* Dat. Avinione vij id. Novembris, anno tercio. « Libenter illos ».

1364, Novembris 7, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. X, fol. 425.

1298. *Appellatio fratris Foullechat, Ord. Minorum, ad sedem apostolicam super quibusdam articulis qui ipsi imputati erant a magistris facultatis theologicae. Cedula revocationis.*

1364, Novembris 21, 22, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Tenore presentis publici instrumenti universis pateat evidenter quod anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, die vicesima prima mensis Novembris, indictione tertia, pontificatus sanctissimi patris ac domini nostri domini Urbani divina providentia pape quinti anno tertio, in scolis fratrum Predicatorum Parisius, coram venerabili et circonspecto viro, domino et magistro Grimerio Bonifacii cancellario eccl. Paris., doctore in facultate theologie, pluribusque bacalariis dicte facultatis ibidem existentibus et congregatis ad disputandas questiones dicte facultatis, ut moris est in studio Parisiensi, et, ut prima facie videbatur, etiam pluribus scolaribus Universitatis Parisiensis aliisque clericis et personis ibidem congregatis pro predictis questionibus disputandis audiendis; inmediate post prandium illius diei, in mei notarii publici et testium infrascriptorum presentia personaliter constitutus religiosus ac honestus vir, frater Dionisius dictus Foullechat, Ord. fratr. Min., Parisius in predicta

facultate bacalarius, ut dicebatur, tenens in suis manibus duas cedulas in papiru (*sic*) scriptas, unam videlicet per magistros predicte facultatis theologie, ut dicebatur, eidem fratri Dionisio ordinatam, ut in predictis scolis eam legeret, et per dictum dominum cancellarium, ut dicebatur, sibi traditam, cujus tenor de verbo ad verbum inferius est insertus; alteram vero quamdam appellacionem seu provocacionem continentem; supplicans ibidem cum humilitate et magna instantia predicto domino cancellario, quatenus sibi placeret hoc dicere, sicut idem dominus cancellarius sibi promiserat, ut dicebat dictus frater Dionisius, et qualiter in hoc facto erga dictum dominum cancellarium se habuerat, ut dicebat. Tunc dictus dominus cancellarius dicto fratri Dionisio dixit et respondit : « Legatis cedulam, per magistros predicte facultatis vobis ordinatam, si vultis, et si non vultis, disputemus. » Quam siquidem cedulam, ut premittitur, sic ordinatam, in predictis scolis idem frater Dyonisius legere non voluit preterea. Hiis vero hinc inde sic actis, agitatis et auditis, tunc prefatus frater Dionisius predictam cedulam, appellacionem seu provocacionem continentem incepit legere, et eam in predictis scolis publice et alta voce de verbo ad verbum perlegit : cujus tenor de verbo ad verbum noscitur esse talis :

« Reverendissimi patres, domini ac magistri, quia ego, frater Dionisius Foullechat, Ord. frat. Min. Parisius, semper fui voluntarius, sum et ero usque ad mortem, obedire sancte matri Romane ecclesie et manere in catholice fidei unitate, cum fuerim delatus domino meo cancellario eccl. Paris., aliqua dixisse in meo principio Sententiarum[1] que minus bene sonare dicebantur in auribus aliquorum verba mea et intentum minus favorabiliter recipientium, quorum verborum meorum murmur audiens, percipiensque nonnullos super hiis dubitare, dominum meum cancellarium adivi, submittens me correctioni sue, et aliorum magistrorum meorum in omnibus in quibus delinquissem (*sic*), humiliter supplicando, quatinus michi audiencia preberetur, ut possem declarare intellectum dictorum; item, in die sancti Martini[2], presentibus pluribus, idem repplicans, requisivi quatinus michi conclusiones dubias traderet, et (*leg.* ut) ego manu mea propria intellectum meum, quem legendo protuleram plenius quam in scripto meo erat, planius declararem, — super quibus fui minime exauditus. Sicque michi data hec cedula, in qua michi plura sunt ad revocandum injuncta, quorum aliqua non dixi, alia revocanda sub forma sine meis demeritis nimis gravi, ad quod nunquam credidi dominum cancellarium tendere nec magistros : ea propter, predicta cedula reservata examini sacrosancte Romane ecclesie super hoc, contra reverendos magistros Grimerium Bonifacii, Symonem Freron, Nicolaum Oresme, eorumque super hoc consiliarios vel fautores, ad sanctam sedem apostolicam provoco et appello instanter, instantius, instantissime, nec non a sententia in me lata ab ipsis et eorum quolibet, conjunctim vel divisim, de revocacione predicta et aggravaminibus super hoc michi factis, illatis vel ferendis, dicte sancte sedis correctioni me submittens, et dictorum meorum exposicionem referre, ac, si que retractacione indigent, obedire proponens. Quaternum vero meum, quem, domine cancellarie, tenuistis usque nunc, repeto quod reha-

beam; aliter, protestor quod si quid aliud adderetur, vel ab hac hora amplius reservetur, actionem ex illo contra me verissimiliter proponam suspectam. Super qua provocacione et appellacione apostolos peto, tales quales petere possum et debeo, saltem testimoniales, supponens me, statum meum et Ordinis mei, tuicioni, defensioni et protectioni predicte sancte sedis apostolice, omnesque michi adherentes et adhere[re] volentes in hac parte; protestans insuper de hujusmodi appellacione seu provocacione corrigenda, mutanda et in melius reformanda, ac etiam insinuanda, intimanda et notificanda illi vel illis cujus vel quorum interest vel intererit, loco et tempore oportunis; et a te, tabellione publico, hic presente, peto super premissis michi fieri publicum instrumentum, unum, duo vel plura; et super hoc vos omnes generaliter, hic assistentes, in testes et testimonium premissorum invocando. »

Qua cedula papiracea, appellacionem seu provocacionem continente, per dictum fratrem Dionisium, ut premittitur, sic perlecta, tunc idem frater Dionisius illico et incontinenti, sub modo, tenore et forma in predicta cedula papiracea contentis, specificatis et declaratis, ad predictam sanctam sedem apostolicam provocavit et appellavit.... Tunc idem dominus cancellarius, super predictis appellacione seu provocacione sic interposita et emissa, et petitione apostolorum, ut prefertur, eidem fratri Dionisio respondit per hunc modum : « Habita prius copia appellacionis seu provocacionis vestre, vobis respondebo super apostolis infra tempus juris; » et postmodum idem dominus cancellarius, dirigendo verba sua michi notario publico infrascripto dixit sic : « Magister Petre, qui estis hic presens, peto a vobis michi fieri copiam de premissis et infra scriptis. » De et super quibus omnibus et singulis suprascriptis prefatus frater Dionisius voluit peciitque et requisivit a me, notario publico infrascripto, sibi fieri, confici atque tradi publicum instrumentum, seu publica instrumenta, unum, duo vel plura, hic assistentes in testes et testimonium premissorum invocando.

Acta fuerunt hec in predictis scolis fratrum Predicatorum predictorum, sub anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu predictis, presentibus venerabilibus et discretis viris dominis et magistris, Adam de Francovilla, magistro in medicina, Johanne Daudin[3], canonico sacre capelle palatii regalis Paris., Roberto de S. Nicolao, bacalario in predicta facultate theologie, Yvone de Trevery, notario publico, Corisopitens. dioc. cler., necnon religiosis viris, fratribus Petro dicto Ponfichet, et Johanne Scabini, monachis monasterii S. Dionisii in Francia, et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Tenor vero predicte cedule papiracee, per dictos magistros predicte facultatis theologie, ut dicitur, ordinate et per ipsum dominum cancellarium dicto fratri Dionisio, ut dicitur, ad legendum tradite et michi, notario publico infrascripto, per dictum fratrem Dionisium in scolis predictis palam et publice tradite, de quo supra fit mentio, de verbo ad verbum noscitur esse talis[4] :

« Reverendi magistri mei et domini, quia aliqua dixi in principio meo Sententiarum, que in auribus nonnullorum male sonaverunt, et ex causa; ego, veritate coactus et ex ordinatione reverendi patris domini cancellarii, ac facultatis theologie magistrorum, tanquam ecclesie et dicte facultatis theologie humilis filius, ipsa dicta in prefato principio meo male posita corrigo sub hac forma :

« Quia tercia conclusio quarti articuli mei fuit, quod hec benedicta, ymo[5] superbenedicta lex et dulcissima, videlicet lex amoris, de qua loquebar, omnem aufert proprietatem et dominium; probavi, quia non querit vindictam, quia « patiens est », *prime Corinth.*, XIII° [v. 4]; non grossiciem cordis, quia paciens est dolore proximi; item, non est ambitiosa quantum ad honores; non querit que sua sunt, quantum ad temporalia; unde glosa : « Non emulatur, id est, non invidet, quia non eam aliena contristat felicitas; sed alterius « bonum diligit ut suum » : predictam questionem revoco tanquam falsam, erroneam et hereticam, quia Christus et Apostoli illam legem perfectissime tenuerunt, et multi alii statuum diversorum legem hanc amoris benedictissimam etiam perfecte tenuerunt, et adhuc multi tenent, et per Dei gratiam tenebunt, qui proprietatem et dominium habuerunt, habent etiam et habebunt. Dico etiam, quod auctoritas apostoli et glosa, per quas probabam, non probant predictam conclusionem, neque sunt ad propositum, ut apparet intuenti textum et glosas auctenticas super illo.

« Ex dicta conclusione intuli correlarium primum, quod hec lex desponsat duo pronomina possessiva, videlicet meum et tuum. Probavi, quia ista duo unum facit, imo[6] etiam omnia in unum congregat, sicut Dionisius *de Celesti Ierarchia,* capitulo primo, in principio : « Omne datum bonum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre lumi- « num[7]. Sed et cunctus a Patre moti luminis apparitionis processus ad nos bonitatis dono « veniens, rursus sicut unum faciens virtus suscitatione nos adimplet et convertit ad con- « gregantis Patris unitatem et deificam simplicitatem. Amor enim omnia unum et unius « facit, scilicet Dei, quia non querit que sua sunt, sed que Jhesu Christi. »

« Item, intuli secundum correlarium, quod non minus facit omnia communia perfecta caritas, quam extrema necessitas. Probavi, quia unum fit ex amore sui, et alterum ex amore Dei; sed affectio justi est intentior et eligibilior quam commodi, per bacalarium de Sancto Bernardo[8], in secundo correlario quarte conclusionis primi articuli : igitur [*etc.*]. Confirmavique per Augustinum, in prologo *Contra quinque hereses* dicentem, quod plus obligat caritas quam necessitas. — Dico nunc quod ista duo correlaria, ut secuntur ex predicta conclusione, sunt falsa. Etiam dico quod auctoritates ille, quas adduxi, non sunt ad propositum.

« Item, ex eadem predicta conclusione intuli aliud correlarium, quod fuit quartum, quod hanc legem dedit Christus discipulis suis principaliter ad actualiter exequendam, non solum habitualiter. Probavi, quia dixit : « Hoc mando vobis, ut diligatis invicem; hoc « est preceptum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » *Joan.*, XV° [v. 9]. Istud correlarium,

intelligendo hanc legem amoris ut auferentem omnem proprietatem et dominium, sicut conclusio dicit, sic intellectum reputo falsum, erroneum et hereticum, et contra determinacionem ecclesie. Dico etiam, quod auctoritas quam allegavi non est ad propositum.

« Quarta conclusio mea et finalis fuit, quod actualis abdicacio cordialis voluntatis et temporalis potestatis, dominii seu auctoritatis, statum perfectissimum ostendit et efficit. Probavi, quia hoc pro regula perfectionis a Christo datum est, *Matth.*, XIX° [v. 21] : « Si vis « perfectus esse, vade et vende omnia que habes et da pauperibus, *etc.* » Idem *Luc.*, XVIII°[9] [v. 22]; idem *Marc.*, X° [v. 21]. Unde non dixit : Pone in archa aut in scrinio, et : Si videas pauperes, da; quia, ut dixit Christus, *Matth.*, XXVI° [v. 11] : « Pauperes semper « habebitis vobiscum, me autem non semper. » Et dicebam, quod « ideo non dicat homo « hanc regulam esse a Deo datam, secundum animi preparationem, scilicet, si opus sit, « quia semper opus est; ergo semper debet fieri. Sed quia revera parvus color sufficit ad « excusationem agere nolenti, isti volunt dare intelligere, quod auricalcum est aurum, et « fel mel; sed si ex ignorantia crederem, tamen est qui querat et judicet. » Quia probationes dicunt hanc conclusionem esse universaliter positam, ideo istam universaliter intellectam reputo falsam, erroneam et hereticam, quia nec Christus nec apostoli statum perfectissimum habuissent; et auctoritates inducte ad eam probandam non sunt ad propositum, ut patet per glosas ordinarias et doctores solempnes, in hoc studio et alibi approbatos. Alias probationes, ut probant dictam conclusionem, dico esse falsas et erroneas; et ultimam dico falsam, injuriosam et scandalosam.

« Ex predicta conclusione quarta inferebam primum correlarium, quod Christum non abdicasse hujusmodi possessionem et jus in temporalibus, non habetur ex nova lege, ymo potius oppositum, quia *Matth.*, VIII° [v. 20] : « Filius hominis non habet ubi caput suum « reclinet. » Item, secundum correlarium fuit, quod hanc legem pro regula perfectionis Christus docuit et exemplo firmavit. Probavi per regulam antedictam, « Vade et vende, *etc.* » Etiam, quia vocati omnia dimiserunt, Mattheus theloneum, Petrus et alii rethia; *Matth.*, XIX° [v. 27] : « Ecce nos relinquimus omnia. »

« Ista duo correlaria revoco tanquam falsa, erronea et heretica, et contra determinationem decretalis domini Johannis pape vicesimi secundi, que incipit : *Quia quorumdam*[10], inter cetera dicentis : « Que quidem assertio continet multa falsa, cum neque Christum « expropriationem predictam omnis juris in cujuscumque rei proprietate et in ejus usu in « se servasse, nec eam imposuisse apostolis, neque sub voto ab eis fuisse assumptam, « evangelica seu apostolica doceat hystoria; sed contrarium evidentius manifestet ». Hec decretalis. Dico etiam quod auctoritates non sunt ad propositum, ut liquide apparet intuenti textum et glosas ordinarias et approbatas.

« Preterea fuit quartum correlarium quod intuli, quod, abdicacio rerum temporalium secundum animi preparationem, nullam aut valde imperfectam et fragilem ostendit et efficit perfectionem. Probavi primo, quia semper habent pauperes; secundo, quia non valet nisi

ratione actus : igitur actualis est perfectior. Istud correlarium revoco tanquam falsum et scandalosum; nec probationes sunt ad propositum.

« Item, respondendo ad quamdam racionem bacalarii de domo Sancti Bernardi, cum ipse dixisset quod Christus talia non abdicavit, illud negavi, et dixi quod Christus nichil sibi retinuit. Ista duo dicta revoco tamquam falsa et heretica, quia Christus loculos habuit propter infirmos, a fidelibus oblata conservans, que et suorum necessitatibus et aliis indigentibus tribuebat; ut et Christi Evangelium, et beatus Augustinus, ac etiam determinatio Romanorum pontificum hoc testantur.

« Ultimum correlarium quod posui fuit, quod non plus curavit Christus de temporalibus quam faciunt divites de pauperibus. Probavi, quod sitivit et non habuit potum; et pro nobis nudus in cruce pependit. Nunc dico, quod Christus de temporalibus curavit, quia non omnia abdicavit, ut superius est predictum. Quod autem innui de divitibus, quod non curant de pauperibus, hoc retracto [11] tanquam injuriosum illis divitibus, quorum elemosinis pauperes sustentantur.

« Hec igitur omnia, sic prius expressa, male sonantia, in meo dicto Sententiarum principio male posita, retracto et revoco, ut est dictum, promittens bona fide quod illa decetero non tenebo nec dogmatizabo; et ita juro, veniam implorans humiliter de commissis [12]. »

Item, anno, indictione, mense et pontificatu quibus supra, videlicet die vicesima secunda predicti mensis Novembris, in scolis fratrum Minorum Parisius, in medio lectionis dicti fratris Dionisii, dum legebat ibidem de mane, idem frater Dionisius dixit, exposuit et recitavit palam et publice in predictis scolis, coram omnibus scolaribus, tunc ibidem existentibus et congregatis pro ipsorum lectione audienda et legenda ab eodem fratre Dionisio, quomodo die vicesima prima precedenti ejusdem mensis Novembris in domo fratrum Predicatorum predictorum, in medio disputationis predicte, petierat et humiliter cum magna instancia requisierat a domino cancellario predicto quaternum suum, secundum formam et tenorem cedule supradicte; protestans quod, si quid aliud adderetur, vel ab hac hora amplius reservetur, actionem ex illo contra se verisimiliter proponeret suspectam, dicens quod predictum suum quaternum a predicto domino cancellario habere nec recuperare potuerat, ut dicebat, quovismodo. Ea propter protestatus fuit, quod decetero de contentis in dicto quaterno non teneretur respondere, nec dicta amplius approbare, quia ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc, factum suspectum habebat, tenebat, ut dicebat. De et super quibus omnibus et singulis supra scriptis, in predictis scolis predictorum fratrum Minorum Paris. per predictum fratrem Dionisium, ut premittitur, sic actis, idem frater Dionisius voluit petiitque et requisivit, suo et predicti sui Ordinis nomine, a me notario publico infrascripto sibi fieri, confici atque tradi publicum instrumentum.... Acta fuerunt hec in predictis scolis predictorum frat. Min. Parisius, hora

lectionis de mane ipsius fratris Dionisii, sub anno, indictione, mense, die et pontificatu quibus supra, presentibus venerandis et discretis viris magistris Adam de Francovilla, magistro in medicina, Guillelmo dicto Gerval, Yvone de Treveri, clerico notario publico, Corisopitens. dioc., necnon religiosis ac honestis viris fratribus Petro Ponficheti, Johanne Scabini, monachis predicti monasterii Sancti Dionisii in Francia, pluribusque aliis testibus, ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego, Petrus dictus Gouin de Rosariis, Parisiensis diocesis clericus, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, *etc.*

Originale in Arch. nat. Paris. M. 75 (inter chartas Collegium Sorbonae spectantes), nº 125 (antea M. 257c, nº 8). In aversa membrana, antiquo charactere legitur : « Reddatur Gaufrido notario domini Boloniensis [card. Guidonis de Bolonia] et non alteri, et ex causa. » Aliud, omnino simile, datum per copiam, M. 75, nº 126 (antea M. 257c, nº 9). — Jourdain, nº 698.

1. Vid supra nº 1274. — 2. Novemb. 11. — 3. Traductore librorum in ling. Gall. Vid. Delisle, *Cab. des mss.*, I, 41; III, 329. Deest in « Rotulo capellanorum et cler. capelle reg. Paris. » an. 1362, Dec. 6 (Suppl. Urb. V, an. 1, p. 1, fol. 80). — 4. Haec cedula revocationis exstat etiam in Bibl. Autissiod., ms. 243 (antea 206), fol. 86; ad calcem edd. Sentent. Lombardi; *Bibl. max. patr.*, XXVI; Bul. IV, 382; D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 384. — 5. « primo » membranae duae. — 6. « primo » duae membranae. — 7. *Jac.*, I, 17. — 8. I. e., ut probavit baccalareus S. Bernardi. — 9. Membr. : « decimo nono ». — 10. Vid. *Chartul.*, II, 833. — 11. Membr. : « retroacto ». — 12. Hucusque ms. et edd. in nota 4 allatae, cum additione · « Hec omnia .... anno 3 », ut in edd. Ibi dicitur, Dionysium haec omnia Avenione an. 1365 (Autiss. « 1310 ») Januarii 31, revocasse. Apparet tamen e documentis sequentibus Dionysium noluisse tunc Parisiis *publice* revocare, quod solum an. 1369 evenit (infra nº 1352), quamvis cedulam Novemb. 16 legisset.

1299. *Processus factus contra Dionysium Foullechat per viginti unum magistros in theologia.*

1364, Novembris 15, 16, 23, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis, Grimerius Bonifacii, cancellarius eccl. Paris., et facultas theologie Universitatis studii Parisiensis, salutem in Domino sempiternam. Quoniam sacre scripture doctores sunt in ecclesia Dei ad hoc specialiter ordinati ut, tanquam boni cultores vinee Domini, sint cura pervigili solliciti ne in ea fructices prave doctrine pululare permittant; unde et eisdem incombit ex officio falsi dogmatis moribunda sarmenta prescindere, errorum evellere spinas, ac heresim, adulterinas plantationes, seu spuria vitulamina funditus exstirpare, quatenus, infructuosis palmitibus amputatis, nocivis plantulis eradicatis et ex toto vinea Domini potissime in Parisiensi studio uvas proferre valeat dulcedine doctrine celestis uberes et refertas.... : ea propter predecessores nostri theologi Parisienses olim salubriter inter cetera statuerunt, fuit et est hactenus Parisius observatum, quod lectores Sententiarum, videlicet quilibet bachalarius, antequam ad lecturam Sententiarum admittatur, jurat quod in suis principiis et lecturis, necnon et in aliis actibus quibuscumque, non dicet, tenebit aut dogmatizabit aliquid quod sit contra fidem catholicam, aut contra determinationem sancte matris ecclesie, vel contra bonos mores, seu in favorem articulorum in Romana curia vel Parisius condampnatorum, aut quod male sonet in auribus auditorum, sed sanam doctrinam tenebit et dogmatizabit;

insuper, et quod si audiverit aut sciverit aliquem contrarium facientem bachellarium, vel alium, infra septem dies a tempore notitie, domino episcopo aut cancellario Parisiensi, qui pro tempore fuerit, revelabit. Que omnia frater Dyonisius Foulechat, bachalarius de Ord. Minorum, deputatus pro legendis Sententiis anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, antequam Sententias inciperet, expresse juravit in manu prefati cancellarii modo et forma superius annotatis. Nichilominus idem frater Dyonisius, fama publica referente, in suo principio Sententiarum, in scolis Minorum Parisius, dixit plura erronea atque falsa, super quibus per nonnullos, etiam graves personas, conscientia atque juramento premisso cogentibus, apud nos delatus extitit, et querulosis clamoribus accusatus. Nos autem in talibus volentes mature procedere, prout decet, informationem fecimus de predictis per multos bachalarios et scolares, qui in dicto principio fuerunt presentes, et per proprium quaternum dicti fratris, in quo suum dictum principium continetur, quem nobis sponte tradidit, offerens se, tanquam filium obedientie, ut dicebat, quecumque male per eum posita revocare, retractare et omnia facere que sibi per nos imponerentur; et hoc idem pluries obtulit coram nobis. Postmodum dictum quaternum seu principium diligenter et pluries examinavimus, et insimul et ad partem; et post diuturnam discussionem et multas congregationes, propter multa alia suspecta que in dicto principio continentur, quedam decrevimus fore per eum revocanda, et modum sive formam revocacionis seu retractacionis die quinta decima mensis Novembris anni predicti in quadam cedula, per nos omnes infra scriptos correcta et unanimiter concordata; deinde die sabbathi, sexta decima dicti mensis Novembris, in nostra congregacione apud Sanctum Maturinum, dicta cedula prius relecta et iterum concorditer approbata, dictus frater Dyonisius vocatus et presens, dictam cedulam palam omnibus legit clare, intelligibiliter et distincte. Tenor vero dicte cedule talis erat : « Reverendi magistri mei et domini, quia aliqua dixi in principio meo Sententiarum, » *etc.*[1].

Hoc facto, petitum fuit ab eodem fratre Dyonisio, si hoc approbabat, et si ex corde dicta sua, ut in dicta cedula per eum lecta continebatur, revocabat; respondit quod sic. — Iterum, utrum secundum quod facultas predicta ordinaverat, ipse vellet die jovis sequente, scilicet vicesima prima dicti mensis Novembris, in ple[na] disputatione[2] cedulam illam sic legere, et illa dicta publice revocare, ac etiam non legere lectionem, donec istud penitus implevisset. Respondit humiliter et benigne quod libenter ista faceret, etiam et majora, si ob hoc facultas or[dinaret]. Postea, die jovis statuta, in disputatione predicta, in scolis Predicatorum Parisius, hora qua debuit dictam cedulam legere, me, cancellario predicto, disputante, et ipsum fratrem Dyonisium super hoc requiren[te, h]ec facere denegavit, sed de sinu suo quamdam cedulam appellacionis extraxit ac legit, in qua, a me, cancellario presente, et duobus aliis magistris absentibus appellavit, et cedulam, per nos ordinatam, se[cundum] cujus formam revocare promiserat, non legit, sed sic revocare recusavit, et totam scolam clamore replevit, dicens insuper fratri Hugoni[3], bachalario Predicatorum, qui

contra eum, istos errores reprobando, arguerat, quod ipse bene responderet ad rationes suas. Et adhuc in majorem contemptum contra prohibitionem nostram et promissum suum veniens, in crastinum legit, et in presentia scolarium assistentium dictam appellacionem roboravit, et in quantum potuit approbavit, petito per eum a tabellione presente super hoc publico instrumento.

Que omnia significavimus domino episcopo Parisiensi[4] et inquisitori heretice pravitatis[5], ut super hiis providerent de remedio opportuno. Ne igitur aliquis forsitan nos putaret in hujusmodi negocio fidei fuisse vel esse remissos, premissa volumus omnibus esse nota, et ea decrevimus redigi in hiis scriptis, et nostrorum sigillorum, scilicet predicti cancellarii et ipsius theologie facultatis, appensione muniri.

Nomina vero magistrorum qui correctioni dictorum antedicti fratris Dyonisii et ordinationi predicte cedule presentes fuerunt, sunt hec : Grimerius Bonifacii, eccl. B. Marie Paris. cancellarius, Johannes de Hesdynio[6], Nicolaus de Danvilla, Guillelmus, abbas monasterii de Casa Dei[7], Ord. S. Benedicti, Robertus de Corbeya, Egidius de Medonta, de Ord. frat. Heremit. S. Augustini, Johannes de S. Medardo, Guillelmus de S. Remigio, Johannes Va[v]assoris, Symon Freron, Stephanus de Nemosyo, Nicolaus Oresme, Johannes de Pontecrucis, Guydo de S. Andrea[8], de domo S. Bernardi, Ord. Cysterc., Johannes Golain, de Ord. frat. B. Marie de Carmelo, Johannes Fourbitoris, de Ord. frat. Predicat., Johannes de Calore, Johannes de Cystercio[9], de domo S. Bernardi predicta, prior ejusdem domus, Johannes de Falista, Johannes de Corbolio, de dicto Ord. frat. B. Marie de Carmelo, Rodulphus Bloc[10], de Ord. frat. Heremit. Ord. S. Augustini prius dicto.

Datum Parisius, in congregatione nostra, in claustro ecclesie Beate Marie Parisiensis celebrata, die vicesima tercia mensis Novembris supradicti.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 75, n° 127[1] (antea M. 257[c], n° 10). — Jourdain, n° 699.

1. Vid. supra p. 117. Ex hoc et sequentibus apparet, Dionysium Novemb. 16 legisse cedulam revocationis in congregatione facultatis tantum, non tamen publice. — 2. Membr. : « disputationem ». — 3. De Monteforti, de quo supra n° 1286. — 4. Stephano Paris. — 5. Guillelmo Rochini, Ord. Praed , inquisitori in dioec. Paris. — 6. De ipso vid. infra n° 1306. Sic et de plerisque aliis in hoc *Chartul.* — 7. Cum esset prior prioratus de Columberiis et mag. theol. an. 1348, Febr. 11, post obitum abbatis Ingueranni, factus est abbas Resbacen. Melden. dioec. (Reg. Clem. VI, n° 181, f. 66); an 1361, Sept. 1, translatus ad abbatiam Casae Dei (Reg. Aven. Innoc. VI, vol. XXVI, f. 64), an. 1365, Martii 10, ad S. Medardum (Reg. Aven. Urb. V, vol. X, fol 583). Ipse est ille Guillelmus Gauterii, de quo in *Chartul.*, II, n° 1144. Notitia manca in *Gall. christ.*, VIII, 1685. — 8. Idem ac Guido de Nivella, supra n° 1262. Vid. etiam n° 1279. — 9. I. e. de monast. Cistercii. — 10. I. e Bloch, de quo supra n° 1284.

1300. *Instrumentum revocationis factae Avenione per fratrem Dionysium Foullechat.*

1365, Januarii 31, Avenione.

In nomine Domini, amen. Noverint universi presens instrumentum publicum inspecturi, quod anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, die ultima mensis Januarii, indictione tertia, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini

nostri domini Urbani divina providentia pape quinti anno tercio, in presencia nostrum, notariorum et testium subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, coram venerabilibus et discretis viris dominis et magistris, Guillelmo Romani lectore sacri palatii apostolici, Ord. frat. Predicat., Guillelmo de Lumbris, Nicolao de Brohon[1] penitentiario domini nostri pape, Ord. frat. Heremit. S. Augustini, Petro de Turribus, Ord. B. Marie de Carmelo, Roberto de Bretevilla, Ord. frat. Heremit. S. Augustini, Johanne Vavassoris, Francisco de Cardelliaco, Ord. frat. Min., Guillelmo de Salvarvilla, Richardo Pielli, Gerardo de Vervino, et Nicolao Soloe canonico regulari S. Victoris prope Parisius, in sacra theologia magistris Parisiens., tunc in hospicio dicti magistri Guillelmi Romani, quod apud fratres Predicatores Avinioni inhabitat, pro negocio infra scripto et nomine facultatis theologie Parisiensis specialiter congregatis, constitutus personaliter religiosus vir, frater Dyonisius dictus Foulechat, Ord. frat. Min., bacallarius in theologia et lector Sententiarum in conventu frat. Min. Parisiens., dixit, asseruit et etiam ibidem publice recognovit, quod cum in suo principio lecture sue Sententiarum fecisset et tenuisset nonnullas conclusiones erroneas, falsas et hereticas, et eas ex ordinacione cancellarii Parisiensis et magistrorum dicte facultatis Parisiensis revocasset, ac ipsas in scolis publicis et in disputationibus solennibus, in presencia omnium qui propter hoc ad dictas disputaciones convenerant, revocare debuisset, tamen ipse non bono sed minus sano fretus consilio, dictam revocacionem publicam facere noluerat, sed in vim appellacionis prorumpens, contra tres ex magistris dicte facultatis, videlicet magistros Grimerium Bonifacii cancellarium, Symonem Freron et Nicolaum Oresme, et contra omnes alios qui eidem se vellent opponere, appellaverat ad apostolicam sanctam sedem; pro cujus appellacionis prosecucione ad istam curiam Romanam venerat, ut dicebat. Adiciens ulterius idem frater Dyonisius, quod ipse super dicto negocio locutus fuerat, et deliberacionem ac salubre consilium habuerat cum dominis et magistris predictis, qui nunc presentes erant ibidem; et idcirco ipse frater Dyonisius, nunc tanquam bene consultus, avisatus et salubriter informatus, volens tam predictis dominis et magistris quam dicto cancellario Parisiensi et aliis magistris Parisiensis facultatis ejusdem in omnibus obedire, predicte appellacioni sue, quam ibidem tenebat, et omni ejus effectui et prosecucioni renunciabat, ut dixit, ac etiam expresse renunciavit ibidem penitus et omnino, et juravit ad sancta Dei evangelia, quod decetero dictam appellacionem minime prosequeretur, per se vel alium seu alios quoquo modo, et predictas conclusiones erroneas, hereticas, falsas, et male per eum dictas, revocavit ibidem in presencia dictorum magistrorum et nostrum, notariorum ac testium subscriptorum, prout et per modum contentum in cedula revocacionis alias facte per eum Parisius, ex ordinacione cancellarii et magistrorum; cujus quidem cedule revocacionis copia de verbo ad verbum in sua predicta appellacione erat inserta, et cujus tenor sequitur sub hiis verbis :

« Reverendi magistri mei et domini, quia aliqua dixi.... »[2].

Et insuper prefatus frater Dyonisius, coram dictis magistris et in presentia nostrum, notariorum et testium subscriptorum, promisit quod dictas conclusiones erroneas, hereticas, falsas et male positas, decetero non tenebit nec defendet, nec adherebit eisdem, et quod ipsas in publicis disputacionibus Parisius ad omnimodam ordinacionem et voluntatem dominorum cancellarii et magistrorum dicte facultatis revocabit. Quorum quidem cancellarii et magistrorum voluntati, correctioni et ordinacioni, tam facte quam faciende, stare voluit et promisit, et eis ex nunc totaliter se summisit, ac obtulit se paratum et etiam promisit emendari dictis magistris contra quos appellaverat, ut prefertur, ad omnimodam voluntatem eorum, ac tenere et complere penam et correctionem quam sibi duxerint imponendam. De et super quibus omnibus et singulis prefati magistri Guillelmus Romani, Robertus de Bretevilla, nomine dicti cancellarii ac omnium magistrorum ac facultatis predicte Parisiensis, petierunt dictusque frater Dyonisius fieri voluit et etiam petiit, per nos infrascriptos notarios publicos fieri et confici unum vel plura publica instrumenta.

Acta fuerunt hec Avinione, in dicto hospicio predicti magistri Guillelmi Romani, anno, mense, die, indictione et pontificatu quibus supra, presentibus religioso viro fratre Guillelmo Laurentii, dicti Ord. frat. Predicat., socio dicti magistri sacri palatii, et discreto viro Gerardo de Bessem, cler. Leodien. dioc., testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Gaufridus Fullonis de Mitriaco, cler. Meldens. dioc., publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, predictis assercioni, *etc.*

Et ego Johannes de Sancto Luciano, presb. Rothomagen. dioc., publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, predictis assercioni, *etc.*

Et ego Johannes Plantegenest de Aquila, Ebroicen. dioc. presb., apostolica et imperiali auctoritate notarius juratus, quia facta per me collatione diligenti de presenti transsumpto seu copia ad verum originale quod vidi, tenui et palpavi, ea insimul concordare inveni, signum meum consuetum hic apposui rogatus, me hic subscribendo[3].

Arch. nat. M. 75, nº 127 2 (antea M. 257c, nº 11). — Jourdain, nº 700. — Instrumentum est « copia » notariorum Gaufridi Fullonis et Johannis de S. Luciano an 1365, Septemb. 1, ut in principio dicitur.

1. Seu « Le Brohon ». Vid. *Chartul.*, II, nº 1108, et p. 720. — 2. Vid. supra p. 117. — 3. Minime tamen putandum, Dionysium nunc acquievisse. Effugia quaerens et mala malis accumulans iterum condemnatus est. Vid. infra an. 1368, Novemb. 9, Decemb. 23 et sqq

---

1301. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiens., ut Bonifacio de Ast, Ord. frat. Erem. S. August., baccalareo in theologia, qui libros Sententiarum Parisiis legit et scholas in facultate theologiae per plures annos visitavit, ibidem actus scholasticos exercendo, quique dudum per magistros dicti Ord. ad magisterii gradum in facultate praedicta exstitit praesentatus ac gradum ipsum in studio Bononiensi, in quo etiam dictos libros Sententiarum legit, si voluisset, potuisset adipisci,... magisterii honorem et docendi licentiam. . in hieme proxime futura* (sic) *infra mensem post receptionem praesentium, largiatur.* Dat. Avinione v non. Martii, anno tertio. « Viri sacre ».

1365, Martii 3, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. X, fol. 213.

1302. *Urbanus V religiosis Ord. Eremit. S. August., qui sicut et alii religiosi facultatem theol. Tolosan. in favorem stud. Paris. postponebant, jubet Tolosae de triennio in triennium magistros in theologia fieri.*

1365, Maii 8, Avenione,

Dilectis filiis .. priori[1] ac fratribus Ord. Heremit. S. Augustini convenientibus in Capitulo generali in conventu Senensi ejusdem Ord. de proximo celebrando, salutem, *etc.* In claritate vestri Ordinis[2]..... Cum non intendimus quod privilegia apostolice sedis ludibrio habeantur, et prout nostis civitati Tholosane . privilegium studii generalis in sacra pagina per sedem apostolicam sit concessum, cui per vos et quosdam alios religiosos in favorem Parisiens. studii certis adinventis cautelis, prout audivimus, derogatur : volumus et mandamus quod in dicto studio fiant magistri in sacra pagina de triennio in triennium, et quod ad dictum studium viros ydoneos ad legendum Sententias, qui possint postmodum esse ydonei ad suscipiendum honorem magisterii, transmittatis, quodque hii qui in ipso studio fuerint magistrati, honoribus et privilegiis studio prefato Paris. concessis plene gaudeant tam in dicto Ordine, quam etiam extra illum. Datum Avinione viij id. Maii, anno tercio.

Reg. Vat. Secret. Urbani V, nº 247, fol. 95ᵇ. — Vid. *Chart.*, II, *Introduct.*, p. x. — Sic eodem etiam anno in Capitulo generali Ord. Minor. Florentiae celebrato « de mandato Urbani papae » baccalarei fuerunt assignati ad legendas Sententias Tolosae, ibidem postea magistrandi juxta modum magistrorum Parisiens (*Chron. XXIV general.*, ms. Assis., fol. 169; *Analecta Francisc.*, II, 199). In ep. tamen ab Urbano V ad Capitulum gener. Florent. missa, Maii 11, nihil de hoc (Secret. nº 247, fol. 96ᵇ), sicut nec in epist. Maii 17, ad Capit. gen. Ord. Praed. Januae directa (ibid., f. 99).

1. Matthaeo de Asculo (de quo supra ad an. 1359, Aug. 28), qui in hoc Capitulo 10 Maii Senis celebrato in priorem generalem confirmatus est. — 2. Urbanus V in sequentibus de aliis rebus agit

---

1303. *Urbano V supplicat Philippus, dux Burgundiae, ut Johannes de Buxeriis, abbas Cisterciensis, ad lecturam Sententiarum in Universitate Parisiensi admittatur.*

1365, Junii 6.

Supplicat sanctitati vestre devotus filius vester Philippus, regis Francie filius, dux Burgundie, quatinus (cum venerabilis pater Johannes[1] abbas Cisterciensis abbatiali occupatione et regimine sui Ordinis prepeditus, ordinatum tempus studendi et lecturas complendi pro gradu magisterii in theologica facultate nequiverit adimplere, aliasque Parisius in dicta facultate pluribus annis studuerit et legendo cursum in eadem facultate ac alios actus scolasticos exercendo, ita quod[2] profecerit fructuose, quod ejus luminosa scientia ad supradictum gradum sufficere deberet) mandare dignemini cancellario Parisiensi quod ipsum abbatem ad lecturam Sententiarum tempore vacationum aut alias, prout eidem abbati plus convenit, admittat, et quod ea completa, si sufficiens et ydoneus repertus fuerit,

magistris evocatis ipsum ad dictum gradum magisterii promoveat, statutis studii Parisiensis, *etc.* — Fiat. B. — Dat. Avinione octavo id. Junii, anno tertio.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 3, p. 2, fol. 77. — In Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. X, fol. 432b, exstat mandatum apostolicum ad (Grimerium Bonifacii) cancell. Paris. sub eadem temporis nota. « Viri sacre lectionis ». — Eod. an., Novemb. 6 (octav. id. Nov., an. quarto), Urb. V Johannem statuto legendi Sententias solvit, scribens cancellario, ut eum statim licentiet quamvis Sententias non legerit (ibid , vol. XIV, f. 170).

1. Quoad abbates monasteriorum Cistercii et Claraevallis hujus temporis gravis error in *Gall. christ.*, IV, 809, 1000, reperitur. Ibi refertur, an. 1359, Julii 9, Johannem de Buxeriis, qui postea cardinalis creatus est, translatum esse de monasterio Claraevall. ad monasterium Cisterc. Utique an. 1359, Julii 8, Johannes de Rougemont, qui omittitur in *Gall. christ.*, factus est abbas Cisterciens., antea abbas Pontiniacens. (vid. Reg. Vat. Aven. Innocentii VI, vol. XXI, fol. 58); sed iste an. 1363, ante Junii 21, jam diem supremum clauserat (Reg. Aven. Urbani V, vol. VI, fol. 84). Tunc solum capitulares monasterii Cisterc., reservationis per Urbanum V factae nescii, Johannem (de Buxeriis), qui defuncto abbate Bernardo ab an. 1359, Januar. 16 (non 1358, ut in *Gall. christ.*, IV, 809), abbas Claraevall. fuit (Reg. Comm. Innocentii VI, an. 7, nº 234, fol. 20b), in abbatem Cisterciens. elegerunt, et Urbanus V an. 1363, Junii 21, eumdem confirmavit (Reg Aven. Urbani V, vol. VI, fol. 84), eodemque anno, Julii 22, Johannem (de Dullemonte) monasterio Claraevall praefecit (vid. supra nº 1289). Error corrigitur in *Gall. christ.*, XII, 449. Johannes de Buxeriis an. 1375, Decemb. 12, creatus est presb. card., an. 1376, Martii 6, primo intravit curiam, sed jam Septemb. 4 obiit (Contelori). Cf. etiam Baluze, *Vit. pap Aven.*, I, 1181. — 2 Ms. potius « que »

1304. *« Rotulus doctorum Parisiens. » in decretorum facultate.*

1365, Maii 19.

Sanctissimo ac beatissimo patri domino Urbano divina providentia sacros. Rom. ac totius universalis ecclesie summo pontifici vestri humiles et devoti filii omnes et singuli doctores vestri studii Parisiensis in decretorum facultate regentes cum humillima recommendatione se ipsos devotius inclinantes ad pedum oscula beatorum. Pater beatissime .. . ad fontem misericordie sanctitatis ejusdem fiducialiter recurrentes supplicationes quorumdam doctorum licentiatorum et aliorum bachalariorum dicte facultatis infrascriptorum vestre beatitudini commendamus.....

Supplicat igitur sanctitati vestre vestra devota et humilis creatura[1] Hebertus de Sarcellis doctor decret., Parisius actu regens decanusque facultatis ipsorum, magister in art. et licent. in leg., previis in omnibus examinibus rigorosis.

Johannes Galli utriusque juris professor, actu regens Parisius in decret.

Johannes Coqui[2] presb., doctor decret., Lemovic. dioc. oriundus [de can. in eccl. Carnot.].

Martinus Seneschalli cler. Atrebat., licent. in utroque jure, actu legens Parisius in facultate prefata [de can. eccl. Atrebat.].

Johannes Hermani de Hoynsberg presb. Leodien. dioc., bacall. in decret., actu legens Parisius in tertio anno sue lecture [de dispensatione propter defectum natalium].

Gauffridus de Kaermoysan presb., in utroque jure licent. Aurelianis, bachal. in facultate decret. Parisius [de can. eccl. Baiocen.].

Phylippus de Leyden subdiac. Trajectens. dioc., qui studuit ultra triennium in legibus et per plures annos in theologia, licent. in canonibus Aurelianis in rigore examinis, et jamdiu ad lecturam admissus Parisius, legens decretales [de can. in eccl. Trajectens.].

Petrus Surrelli de Parisius licent. in art. et bachalarius in utroque, in legibus videlicet pro tertio volumine, in jure autem canonico pro presenti.

Petrus de Lupimonte presb., bachal. in decret. legens Parisius.

Nicolaus de Bosco[3] de Rothomago, mag. in art., licent. in leg. sunt decem anni et amplius, bachal. legens

Parisius in jure canonico, cler. et consiliarius regis Francie in sua magna camera Parlamenti [de can. in eccl. Rothomag.].

Frater Johannes Percini canonicus regularis Beate Marie de Virtuto Ord S. Aug , Cathalan. dioc., bachal. in decret. actu legens Parisius.

Guillermus Grignon, licent. in leg et bachal. in decret. legens Parisius [de can. in eccl. Camerac.].

Petrus de Capella Lassonis, licent in leg. et bachal. in decret., cler. Trecen. dioc. [de can. in eccl. Cathalanen]

Petrus Aveline de Fourmies, presb. Camerac. dioc., bachal. in decret , actu legens Parisius.

Nicholaus Miée[4] presb., licent. in leg. et bachal. in decret. [de can. in eccl. Ebroyc.]. [15]

Premisse gratie intelligantur, si cum rigore examinis habuerint licentiam. B. — Et quod transeant sine alia lectione. — Fiat. B. — Datum Avinione quartodecimo kal. Junii, anno tertio.

Reg. Suppl. Vat. Urbani V, an. 3, p. 2, fol. 58. — In fine cujuslibet additur . « Fiat».

1. Haec vel similis formula ante quemlibet sequentium repetitur, quam consulto supprimimus. Aliqui magistrorum jam in rotulo supra nº 1263 — 2. Suppl., l. c., fol. 91, scribitur « Quoqui » — 3. An. 1375, Januar. 31, cum esset can. Rotomag. et decret. doctor, episc. Bajocens. (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXV, fol. 427). De ipso vid. *Gall. christ.*, XI, 375 sqq., et infra ad an. 1388, Maii 9. — 4. Ad an. 1366 mentio fit Guillelmi Miée, licent. in leg. Aurelianis in rigore examinis, olim scholaris Urbani V in jure can., unius judicum curiae Paris. et officialis Ebroic. (Suppl. Urb. V, an 4, p. 1, fol. 180 b).

1305. « *Rotulus theologorum Parisiens.* »

1365, Junii 14.

Apostolice sanctitati vestre[1].... supplicant humiliter devoti vestri oratores, magistri in theologia Parisius actu regentes, quatenus eadem sanctitas dignetur eos habere excusatos de et super presenti iteratione petitionum, ad quam nimia necessitas et singularis vestre benignitatis confidentia hos compellit, solita dicte benignitatis affluentia eisdem magistris inferius in presenti rotulo nominatis gratiam specialem faciendo de beneficiis ecclesiasticis ....

Primo fratri Johanni de Hesdinio, Ord. S. Johannis Jherosolimit., decano ad presens theologice facultatis Parisius, qui per xxv annos fuit quasi continue Parisius actu regens, excepto tempore quo in Avinione cum domino cardinale Boloniensi peregit lecturam supra Job, quam Parisius inceperat, et postea Parisius fecit lecturam supra epistolam Pauli ad Titum, cum pluribus sermonibus et aliis operibus, que per copiam habentur Parisius[2] [de remiss. peccat.].

Item Nicolao de Danvilla presb., mag. in art. Parisius, in sacra theolog. ibidem actu regenti a xxiiij annis, Paris., Abrinc. et S. Gaugerici Camerac. eccles. can. prebend. ac penitentiario eccl. Paris. [idem].

Item Roberto de Corbeya, mag. in art. Paris et in s theol. qui tam legendo philosophiam quam theologiam Parisius rexit per spacium xxiiij annorum, bisque fuit interim rector Universitatis Paris. et ter nuntius ejusdem ad sedem apost. destinatus, ac pluries mandata dicte sedis apost. regem Francie, tunc ducem Normannie, et villam Paris. tangentia non sine timore, licet cum labore, diligenter exposuit ac propter infortunia et adversitates multas et malas magnam partem suorum reddituum temporalium alienavit [de can. Paris., non obstante canonicatu et prebenda ecclesie Carnot., et can. et preb. B. Mathei Folliac. Ambian. dioc.].

Item Guillelmo de S. Remigio, mag. in art. Paris. et in s. theolog. [de can. eccl. Cathalan]

Item Symoni Freron, presb. Suessionens. dioc., mag. in art. Paris. a xxiiij annis, ac regenti Parisius in s. theolog. a x annis citra [de can. eccl. Tornac., non obstante can. et preb. eccl. Camerac.].

Item Laurentio Yvonis, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. Paris. et in s. theolog. [de can. eccl. Ambian., non obstante can. eccl. Baioc. in patria desolata per guerras].

Item Monrardo de Martingny, Laudunen. dioc , mag. in art Paris. et in s. theolog. [de dignitate in eccl. Laudun.].

Item Johanni Brassatoris, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. Paris. et in s theolog. [de dignitate in eccl. Melden.].

Item Johanni de Calore, mag. in art. Paris , quondam per spacium xj annorum ibidem examinatori pro natione Francie omnium bachalariorum in artibus per cancellarium Paris. eccl. licenciandorum, ad presens mag. s. theolog. Parisius actu regenti [de can. eccl. Leodiens. non obstante paroch. eccl. de Ansnevilla Rothom. dioc. per duas mortalitates duasque guerras Anglicorum et Navarricorum contra Francos multipliciter devastata].

Item Johanni dicto le Borgne, monacho professo Majoris Monasterii Turon., priori prioratus de Belloramo Morin. dioc., actu regenti Parisius in s. theol..

Item Johanni de Falista, presb. Tornacen. dioc., mag. in art. Parisius a xxiiij annis, et ad presens in s. theolog. ibidem actu regenti in collegio de Sorbona.

Item fratri Johanni de Sparnaco, Ord. frat. Min., actu regenti Parisius in conventu fratrum ipsorum.

[12]

Sine alia lectione. — Fiat. B. — Datum Avinione decimo octavo kal. Julii, anno tertio.

Reg. Suppl. Vat. Urbani V, an. 3, p. 2, fol. 90. – In fine cujuslibet « Fiat ». – Fol. 100 nominatur etiam Radulphus Glachardi, in s. theol. a xiiij an. professor, presb. Ambian. dioec. (1365, Jun. 14). De ipso aliisque in *Chartul.*, II.

1. Initium sicut in *Chartul.*, II, nº 1175, et supra nº 1162. — 2 Revera expositio super Job exstat in Bibl. Mazarine. ms. nº 69 (*Cat.* 200), inscripta Guidoni de Bononia (i. e. cardinali Boloniensi de quo Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, in *Indice*). episcopo Portuensi, completa an. 1357 (sic etiam in Bibl. Tolos., ms. I, 8); expositio super Titum, Mazar., mss. 203, 204 (*Cat.* 271, 272), ordinata an. 1362, completa 1364 (sic et Tolos. I, 111). Johannis exstat etiam in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14582, fol. 303-310, epistola contra epistolam Petrarchae (ibid., fol. 286b), qui Urbano V ait, recedens e Francia, Italiam cum Roma Franciae se praeferre. Ibid., ms. lat. 17287 : « Lectura fratris Joh. de Hisdino Ord. Hosp. S. Joh. Jherosol., doctoris in theol. super Marchum » completa an. 1367. Cf. etiam P. de Nolhac. *Romania*, XXI, 598-606.

1306. « *Rotulus facultatis medicorum Parisiens.* »

1365, Junii 15.

Illius portus aditus[1]. ... Hinc est quod sanctitati vestre supplicat humillime filia vestra universitas magistrorum facultatis medicine Paris., quatenus infrascriptis magistris regentibus in ipsa facultate medicine de beneficiis in vestre sanctitatis curia vacantibus . . dignemini misericorditer providere ......

Item quod eorum examen, ne a studio distrahantur propter viarum distantiam, remittatur, vel si non remissum fuerit, Parisius committatur.

Primo Johanni de Lovanio, diac. Trajecten. dioc., in art. Paris. et in medicina mag., qui ibidem sex annis et amplius studuit et adhuc studet in theolog. facultate, ac paratus legere cursus suos in eadem,. .. nec patrimonium nec beneficium habet aliquod pro presenti, excepta bursa Collegii de Sorbona valoris septimanatim v solid. et sex denar. paris. [de can. eccl. Leod].

Item Richardo Viardi, diac. Ebroicen. dioc., mag. in art. et in facultate medic. actu regenti ipsiusque facultatis nuncio ad sanctitatem vestram misso per filiam vestram Universitat. Parisiens., alias eciam rectori dicte Universitatis ac scolari in theologia per sex annos, et in eadem intendit gradum acquirere, nisi inopia eum impediat [de can. eccl. Ebroicen.][2].

Item Richardo dicto Agoulant diac , mag. in art. actuque regenti Parisius in facultate medic. [de can. eccl. Constantiens.].

Item Droconi de Mosonio, cler. Remens dioc., mag. in art. et in medicina [de can. eccl. Senonens.].

Item Jacobo Fourrarii, nato de villa Paris., bedello facultatis medicine [de beneficio ad collat. abbatis S. Ebrul-

phi Lexoviens. dioc . examen abbati S. Genovefe in monte Paris. vel abbati S. Germani de Pratis per sanctit. v. committatur — « Fiat, sed omnino applica te ad divinum servitium, et dimitte bedelli officium »] [5]

Dat. Avinione decimo septimo kal. Julii, anno tertio.

Reg. Suppl. Vat. Urbani V, an. 3, p. 2, fol. 92. — In fine cujuslibet magistri additur « Fiat » et « B » — Fol 94 exstat parvus rotulus magistrorum in medic., « qui ad s. presbyt. ordinem sunt promoti et scolares in decret. vel in theol. fac. » sunt. Nominantur Adam de Francovilla, Hugo de Tenolleti de Castro Girardi Lingon dioec., Guillelmus Anglici, Rotomag. dioec., an. 1365, Junii 15.

1. Initium ut in Rotulo *Chartul.*, II, n° 1164. — 2. Ricardus Viardi infra etiam in *Reformaciones rotuli Univers. Paris.* secundo loco affertur, ubi eum supprimemus. Ibid. similiter de can Ebroic.

1307. « *Rotulus artistarum Parisiens.* » *ad Urbanum V missus.*

1365, Junii 16.

Supplicat sanctitati vestre devota filia vestra universitas magistrorum Parisius studencium, quatenus de solita benignitate vestre clemencie in personis magistrorum in artium facultate graciam specialem facientes eisdem magistris inferius nominatis de beneficiis vacantibus vel infrascriptis officiis . .. misericorditer dignemini providere cum acceptacione, *etc.*

NACIO GALLICANA.

[*Provincia Parisiensis.*]

Guillermo Arrondi, Senon. dioc. presb., mag. in art. [de can. S. Martini de Campellis Paris. dioc]
Jacobo de Valle, cler. de Parisius, mag. in art..
Johanni de Cantumerule, cler. de Parisius, mag. in art. .
Johanni Filiastri, Carnotens. dioc., subdiacono, mag. in art. [de can. S. Johannis in Burgo Laudunens.]
Johanni Munerii de Noysiacosicco, cler. Paris. dioc., mag. in art.

Provincia Senonensis.

Johanni de Campo Guidonis presb , mag. in art , Trecens dioc
Symoni de S. Florentino civit. Trecens oriundo, mag in art. [de can. eccl. Trecens].
Johanni Perelli, alias Aysey, de S. Johanne juxta Landonam, Lingonens. dioc , presb., mag in art. [de can. eccl. B Marie de Belna].
Stephano de Magasone subdiac., mag. in art. [de can. S Martini de Campellis in Bria Paris. dioc.].
Guillermo Loyer, cler. Trecen. dioc., mag. in art..

Provincia Remensis.

Johanni Grisii de Verberia, Suessionens dioc. presb , mag in art , scol. in theolog. [de can eccl. Silvanect].
Johanni Auberici de Vitriaco Castro, presb. Cathalan. dioc , mag in art. [de can. eccl. Trecens.].
Guillermo Ade de Trecis[1]
Symoni de Bonryth, cler. Suessionens dioc., cujus parentes a Tornaco et locis vicinis ab antiquo traxerunt originem, mag. in art. [de can. eccl. Tornac]
Hugoni Lenvoisie[2], cler. Suessionens dioc., mag in art [de can. eccl. Suess.].
Petro Heymoneti de Clarejo, diac. Tullens. dioc , mag in art [de can. eccl. Metens].
Jacobo Fessalz de Metis cler., mag. in art [de can. eccl. B. Marie Magdal. Virdunens].
Johanni de Acyaco, cler. Suessionens. dioc., mag in art. [de can. B. Marie Nigellens. Noviomens. dioc]

Provincia Turonensis.

Guydomaro Senis[3], Corisopitens. dioc., mag. in art .

Johanni Cillardi[4], presb Dolens. dioc , can reg. monasterii B. Marie Belliportus, Briocens. dioc , Premonstrat. Ord., mag. in art., scol. in theolog.

Guillermo de Languidi[c], Trecorens. dioc , mag. in art .

Johanni le Fruglois, Briocens. dioc., mag. in art

Johanni le Dos, Briocens. dioc., mag. in art

Provincia Bituricensis.

Johanni de Platea, Taurinens. dioc., mag. in art. [de can. eccl Januens].

Petro Melherie, Claromontens. dioc., mag in art [de can. eccl. Claromont]

Rogero de Theramo, Aprutinens. dioc., mag. in art

Anthonio Forini de Crema, presb. Cremonens. dioc., mag in art. [de can eccl. Veronens]

Guillermo de Chesellis, Claromontens. dioc., mag. in art. [de can. eccl. Noviom].

[28]

ROTULUS MAGISTRORUM NACIONIS PICARDORUM.

Clementissime sanctitati vestre supplicat humiliter filia devota vestra universitas magistrorum et scolarium Parisiens., quatenus eisdem gratiam facere dignemini specialem providendo magistris in artibus de nacione Picardorum inferius subscriptorum de beneficiis....

Primo Johanni de Predio, presb. Tornacens dioc , procuratori nac Picardorum.

Johanni de Guisia[5], presb. Cameracens dioc [de can eccl S. Vincentii de Senogiis ejusd dioc.]

Johanni de Trelon[6], cler. Cameracens. dioc., alias rectori Universitatis Paris.

Johanni Boutevillain, cler. Cameracens. dioc., alias rectori Universit. Paris.

Guillelmo Fourarii, alias de Rosa, presb. Atrebatens

Johanni Richardi de Belloramo, presb. Laudunens. dioc.

Nicholao Jongleti, presb. Ambianens. dioc...

Eustacio de Porta, alias de Entra, presb Ambianens dioc

Petro de Hersino, presb Noviomens. dioc. .

Matheo de Hersino, presb. Noviomens dioc. [de can. eccl. Remens.]

Guillelmo de Moreto, cler. Cameracens dioc., alias bis rectori Univers Paris [de can. eccl. Noviom.]

Waltero de Meybruech, presb. Cameracens dioc. [de can eccl. Noviom.]

Gregorio de Pero, presb. Leodiens dioc [de can S Pauli Leodiens.].

Item Johanni de Monasteriis, subdiac Ambianens. civit. [de can. eccl. Ambian.]

Nicholao le Falourderes, cler. Cameracens dioc

Nicholao Tannes, cler. Attrebatens dioc

Johanni Trocon de Chreciaco, cler Laudunens. dioc

Bernardo Putefin, Ambianens. dioc. cler.

Egidio de Pomerio, diac. Tornacens dioc [de can. eccl. Laudun.].

Roberto Martini, cler. Attrebatens. dioc

Johanni de Porres, cler. Cameracens. dioc [de can. eccl. B Walburgis Furnens. Morin dioc.]

Egidio Moysi presb., alias dicto Pluma, Tornacens. dioc [de can. eccl S. Piati Siclin.]

Egidio de Couvino, cler. Cameracens dioc

Guido Danes, cler. Morinens. dioc.

Balduino Agni[7], presb. Tornacens. dioc. [de can. eccl S Petri Insulens. dicte dioc.]

Petro Rerselare, cler. Morinens dioc [de can B Marie Brugens. Tornac. dioc]

Johanni Hert, presb. Tornacens. dioc. [de can eccl. S Gaugerici Cameracens.].

Petro Zelisone, cler. Morinens. dioc.

Johanni de Monte, Cameracens dioc.
Emundo dicto Boest, cler. Leodiens. dioc...
Nicholao Meltere, cler. Cameracens dioc [de can. eccl. S. Servatii Traject Leodiens. dioc.]
Jacobo Flamigii, cler. Ambianens dioc [de can. in eccl. Rothomag].
Johanni Vesiarii, alias de Dorlendio, cler. Ambianens dioc...
Johanni Segni, presb. Attrebat. [de can S. Quintini in eccl. S. Aldegundis Melbodiens. Camerac. dioc.]
Thome Gambardi de Attrebato, subdiac [de can. S. Petri Duacens. dicte dioc.].
Michaeli de Waus, presb. de Attrebato .
Jacobo de Hoestburch, cler. Tornacens dioc [de can. S Audomari in S Audomaro].
Johanni de Waghenwerkers, cler. Morinens. dioc. [de can S. Petri Thoralthens. Tornac. dioc.].
Petro Cabilhars, alias de Quercu, Leodiens. dioc...
Willelmo Kesel, Tornacens. dioc.
Matheo Curificis, cler. Cameracens dioc [de can. eccl Noviom].
Johanni dicto Brassatoris, Trajectens. dioc. [de can. eccl. Traject]
Item Christiano Lam, Morinens. dioc.
Johanni de Artesio, cler. Noviomens. dioc
Heberto de Jugniaco, cler. Laudunens. dioc.
Radulpho dicto Mol, cler Cameracens dioc. [de can. eccl. S. Rumoldi Machliniens. dicte dioc.].
Almarico Rapaple, Atrebatens. dioc. presb. [de can. S. Amati Duacens. Atrebatens. dioc.]. [47]

NACIO NORMANNORUM

Apostolice sanctitati vestre que posita[8].... supplicat humilis et devota filia vestra Universitas Parisiens., quatenus eidem sanctitati placeat magistris in artibus de nacione Normannorum inferius inscriptis graciam specialem facientes de beneficiis ecclesiast.... dictis magistris concedentes ut in collacionibus provincie Rothomagens. primum locum obtineant, attento quod ultimus et minimus duarum nacionum antecedencium precederet procuratorem dicte nacionis Normannorum et alios magistros nacionis, — cum acceptione....

Primo mag. Thome Durandi, cler. Constanc. dioc., procuratori nacionis Normannorum.
Iterum mag. Johanni Boutini[9], subdiac. de dioc. Constanc. oriundo [de can. in eccl. Abrincens.].
Iterum mag. Johanni Ascelini, presb. qui bis fuit rector Universitatis Paris.
Iterum mag. Henrico Herout[10], subdiac. de dioc. Bajocens. oriundo...
Iterum mag. Guillelmo Dami, presb...
Iterum mag. Roberto de Valle, presb. Rothomag. dioc.
Iterum mag. Roberto Burnelli, presb. Sagiens. dioc.
Iterum mag. Nicolao de Logia. presb.
Iterum mag. Johanni Belini, presb. Rothomag. dioc. [de can. eccl. Bajoc.].
Iterum mag. Guillelmo Bernardi, subdiac. Bajocens. dioc
Iterum mag. Roberto Floriani, presb...
Iterum mag. Johanni Johanneti, presb. Ebroicens. dioc.
Iterum mag Dyonisio de Farcellis, presb. Rothomag. dioc. [de can. eccl. colleg. S. Martini de Campellis in Bria Paris. dioc.].
Item mag. Georgio Heudebouc, presb. Ebroicens. dioc. [de can. eccl. colleg. B. Marie de Andeliaco Rothomag. dioc.].
Iterum mag. Nicolao de Logiis, alias le Boursier, presb. Bajocens. dioc.
Iterum mag Dyonisio Baudri, presb. Rothomag dioc [de can. eccl. colleg. S. Mederici Paris.].
Iterum mag. Johanni Baufes...
Iterum mag. Thome de S. Petro, dyac. Constanc. dioc. [de can. in eccl. Constant.].
Iterum mag. Johanni de Corulo, cler. Sagiens. dioc.

Iterum mag. Roberto Burnete, cler. Rothomag dioc.
Iterum mag. Petro Gastinesii, presb. Rothomag. dioc
Iterum mag. Gaufrido Helie, Rothomag. dioc.
Iterum mag. Jacobo Hervei, presb. Sagiens dioc.
Iterum mag. Ysembardo le Machetrier, Rothomag. dioc
Iterum mag. Johanni Rousselli, alias de S Lamberto, cler Lexoviens. dioc.
Iterum mag. Petro Carnelli, presb Rothomag. dioc.
Iterum mag. Johanni de Furno, diac Constanciens dioc.
Iterum mag. Johanni Nigre, cler Lexoviens. dioc [de can. in eccl. Dolens.]
Iterum mag. Johanni Carpentatoris, alias de Gomberto, diac. Ebroicens. dioc.
Iterum mag. Radulpho Baudri, cler. Rothomag. dioc
Iterum mag. Johanni Tabletarii, cler de Rothomago.
Iterum mag. Hugoni de Piro, presb. Rothomag. dioc. [de can. eccl. colleg. S. Johannis Laudun.] [32]

Sine lectione. — Fiat. B.

ROTULUS NACIONIS ANGLICANE.

Supplicat sanctitati vestre devota vestra filia universitas magistrorum Parisius studencium, quatenus de solita benignitate vestre clementie in personis magistrorum in artibus nacionis Anglicane xj regna[11] continentis gratiam specialem facientes eisdem magistris inferius nominatis de beneficiis....

In primis[12] mag. Arnoldo de Celario[13], cler. Trajectens. dioc., provincie Coloniens , procuratori nacionis predicte [de can. eccl. Colon.].
Mag. Gherardo Grote, cler. Trajectens. dioc. [nullum beneficium eccles. assecuto, de can eccl. Trajectens].
Mag. Henrico Heynbuch[14], cler. Magunt. dioc. [de can. eccl. Wormac.]
Mag. Gerardo Swechten[15], cler. Caminens. dioc. [de can. in eccl. Lubicens.].
Mag. Liphardo de Datlen, cler. Culmens dioc. [de can in eccl Tarbatens.].
Mag. Thome Zeghenandi[16] de Clivis, pauperi cler Colon. dioc. [de can. in eccl. Osnaburgens.].
Mag. Waltero Trayl[17], cler. Aberdonens. dioc.
Mag. Roberto Boyl, cler. Glasguens. dioc. in Scocia [de can. in eccl. Rossens]
Mag. Jacobo Lupi, cler. Leodiens. dioc. [de can eccl S. Servacii Trajectens Leod. dioc]
Mag. Galtero Ghiselberti Venidans, cler Trajectens. dioc.
Mag. Wilhelmo de Balbin, Aberdonens dioc. in Scocia, subdiac. [de can. eccl. Dunkeldens].
Mag. Johanni de Waspiic, presb. Leodiens. dioc.
Johanni Haubusch, Treverens. dioc , principali bedello nacionis Anglicane
Johanni Rose, subbedello nacionis Anglicane, sexagintaduos vel circiter annos habens [14]

Dat. Avinione sextodecimo kal. Julii, anno tercio.

Reg. Suppl. Vat. Urbani V, an. 3, p. 2, fol. 101. — In fine cujuslibet magistri additur : « Fiat. B. ».

1. Infra etiam in *Reformationes rot.*, ubi nomen suppressimus. — 2. Eidem atque Hugone Renvoisie, qui supra p. 84 in provinc. Bituricens. affertur. Vid. p. 93, not. 16. Bul. IV, 963, scribit « Hugo Renvoisye vel Lenvoisie ». In *Gall. christ.*, XI, 118, « Hugo le Renvoisie » ut decanus Rotomag. ab an. 1378 notatur. Sic et in *Catal. licent.* theol. « Renvoisie » legimus. Sed Launoius, *Nav. gymn. hist.*, p. 900, « Hugo Lenvosia ». Eodem modo in Reg. Vat , v. g ad an. 1375, Januar. 2, in Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXVI, f. 347, cum receperit canon. Rotomag.; Clem. VII, vol. XXVI, f. 258 (can. Laudun.). In indice veteri Reg. Suppl. Clem. VII, an. 4, mentio fit rotuli « Hugonis Lenvoisie », mag. in theol., decani Rotomag. (deest volumen Suppl.). — 3. Ipse fuit etiam librarius juratus Univers. — 4. Ipse inter licentiatos in theol. an. 1377 affertur (*Catal. licent.* in Bibl. nat. Paris., mss. lat. 5657[a] et 12850); an. 1385, Novemb. 27, post obitum Jacobi, fit abbas B. Mariae Belliportus, Ord. Praemonstr. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XLI, f. 80). Mancum in *Gall. christ.*, XIV, 1111. — 5. Licent. in theol. an. 1375 (*Catal. licent*). — 6. Licent. in theol. an. 1379, vid. nº 1265, not. 18. — 7. Licent. in theol. an. 1377 (*Catal. licent.*).

— 8. Ut in *Chartul.*, II, nº 1175. — 9. Mag. med., an. 1380-1383 provisor collegii Harcurian. V. Bouquet, *L'ancien Collège d'Harcourt,* p 99. — 10. Theologiae studuit, et inter licentiatos an. 1377 affertur. — 11. Vid. supra nº 1265. — 12. De sequentibus vid. *Auctar. Chartul.*, I. — 13. Arnoldus de Celario de Lochem an. 1389 inter inscriptos Univ. Coloniens. invenitur (Keussen, *Die Matrikel der Univ. Köln*, I, 1). — 14. Ipse est celeber Henricus de Hassia, seu de Langenstein. « Heynbuch » nomen familiae Henrici designat (vid. *Auct. Chart.*, I, ad an. 1363, Aug. 24), quod Hartwig, *Leben und Schriften Heinrichs v. Langenstein,* Marburg, 1858, fugit. Ex quo apparet, Henricum non fuisse de nobili familia « de Langenstein », sed Langenstein fuisse tantum solum natale Henrici, qui licent. est in art. an. 1363, Maii 20, in theol. an. 1375 (e *Catal. licent.*), Sorbonicus. — 15. Ipse postea studuit juri can, in eoque licentiatus est an. 1387, Martii 22, doctoratus April. 21 (Gloria, *Monumenti della Univ. di Padova*, 1888, I, 339 sq., II, 196). — 16. Mag. Thomas Zegenandi de Clivis invenitur inter inscriptos Univers. Colon. an. 1391 (Keussen, l. c., p. 51). — 17. An. 1365 ineunte determinavit in art. (*Auctar. Chart.*, I), an. 1375, Septemb., can. Rossen., mag. art., lic. in leg., bacc. in decret, nuntius Univ Aurelian. (Reg. Av. Greg. XI, vol. XXVI, f. 244). Sub Clemente VII jur. utr. doctor, thesaur. eccl. Glasguens., caus. palatii apost. audit., qui ab an. 1382 ut referendarius plures rotulos composuit. An. 1385, Nov. 29, episc. S. Andreae (Reg. Av. Clem. VII, vol. XLI, f. 56 b).

1308. « *Reformationes rotuli Universitatis Parisiensis.* »

1365, Julii 22.

Beatissime pater, absque alia prefatione dignemini misericorditer advertere quod in rotulo devotissime vestre filie Universitatis Paris., quem nuper vestra sanctitas in quatuor facultatibus visitavit et pro parte signavit, una cum articulo communi et supplicatione rectoris, sunt supplicationes plurimum reformande, tum ex eo quod cum aliqui magistri et maxime facultatum medicine et artium eisdem peterent provideri de canonicatibus, etc., eccl. cathedralium, in eorum supplicationibus scripsit ead. sanctitas : *Pete alibi*, vel : *pete in collegiata;* tum ex eo quod aliqui et maxime facultatis artium habentes parroch. ecclesias earum valorem nullatenus expresserunt, in quorum supplicationibus scripsit v. sanctitas sepedicta : *Exprime valorem*, etc.; tum ex eo quod aliqui magistri in artibus nullum beneficium vel aliam gratiam assecuti de canonicatibus ecclesiarum cathedralium, etc., petebant ut supra, quorum supplicationes eadem v. sanctitas penitus cancellavit; tum etiam quia aliqui fere inutiliter et aliqui dubie sunt signati. Quare vestre exuberantissime sanctitati supplicant devoti vestri nuntii vestre devotissime filie supradicte, quatinus hunc parvulum rotulum .... dignemini misericorditer visitare, infrascriptis facientes gratiam specialem, .. . et eos de data dicti rotuli, ut petitur, reformare...

Supplicant igitur devoti vestri oratores et filii nuncii Universitatis predicte quatinus Philippo Sapientis presb Attrebat. dioc., mag. in art., rectori ejusdem Universitatis, qui in jam dicto rotulo petebat sibi fieri gratiam specialem ad collationem, etc., episcopi Tornacensis, in cujus supplicatione scripsit sanctitas v. : *Pernimis est onerata, pete alibi*[1] [de can. sub expectatione prebend. eccl. Attrebatens.].

Item Theobaldo de Avella, mag. in art. et in medic. [de can. eccl. Petri Insulensis Tornacens. dioc.].

Guillelmo Carnificis, mag. in art. Paris dioc. [de can. eccl. S. Germani Autis. Paris.].

Item[2] Bertrando Donneti, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. [S. Aniati de Duaco Atrebatens. dioc.].

Item Petro Rencuseti de Trinodoio, Lingon. dioc., mag. in art [de can. S. Martini Turon].

Item Thoma Blandini Autisiodor. dioc , mag in art. [de can S. Joh. in Burgo Laudun.].

Item Johanni de Chosello, pauperi cler. Suessionens. dioc. [S. Audomari].

Item Stephano de Vincellis, presb. Suessionens. dioc., mag. in art.

Item Girardo de Tonansia, pauperi cler., mag. in art., Cathalaun. dioc

Item Petro Hussoni, presb. Cathalaun. dioc., mag. in art.

Item Giraudo Dominici de Alneto, subdiac. Tullens. dioc., mag. in art [de can. B. Marie Magd. in Virduno],

Item Richardo Hervoti, Briocens dioc., mag. in art., rectori parroch eccl de Plebenova in Quintin, Corisopitens. dioc.

Item Johanni Halet, presb. Macloviens. dioc., mag. in art.

Item Petro Beliardi, Cenomanens. dioc., mag. in art., rectori parroch eccl de Canehan, Rothomagens dioc.

Item Thoma Coleti, presb. Bajocens. dioc., mag. in art , rectori parroch. eccl. de Burgonovo de Foresta, Cenomanens. dioc.

Item Judoco de Beka, subdiac. Tornacens. dioc , qui omnia bona patrimonialia in studio expendit [can. in eccl. S. Piati Sicliniens. Tornac. dioc].

Item Egidio Hanequin, Noviomens. dioc. [recipit can in eccl S. Quintini in Viromandia]

Item Petro de Taberna, presb. Attrebat. dioc. [recipit can. in S. Petro Duacens.].

Item Johanni Tuike, subdiac Tornacens. dioc. [de can. sub expect. preb. eccl. S. Petri Ariens. Morinens. dioc.].

Item Galtero de Aldenardo, presb. Morinens. dioc.

Item Jacobo Mindavaine, presb.

Item Petro Oberti, cler. Morinens. dioc.

Item magistro Guillelmo Anglici, presb. Rothomag. dioc.

Item mag. Roberto Bailleul, presb. Lexoviens. dioc.

Item mag. Rogero de Vistrebecco, cler. Lexoviens. dioc.

Item mag. Nicolao de Cherentiis, presb. Rothomag. dioc. [de can. sub expect preb. eccl. coll. S. Petri de Gerboredo, Belvacens. dioc.].

Item mag. Radulpho de Bosco Hulini, presb. Rothomag. dioc.

Item mag. Guillelmo Bosquier, Rothomag. dioc.

Item mag. Nicolao Oresnovel, cler. Rothomag. dioc.

Item mag. Johanni de Grandevilla, presb [de can. eccl. coll. S Sepulcri de Cadomo Bajocens. dioc.].

Item mag. Michaeli Bertrandi, cler Ebroicens dioc.

Item mag. Arnesto de Wluen [Vulven], cler. Trajectens. dioc. [de can. sub expect. preb. eccl. coll. S Johannis in Leodio].

Item mag. Adam Hobonis de Catwic, presb. Trajectens. dioc. [de can. eccl. S. Gereonis Colon].

Item mag. Hermanno Buttenbroech, cler. Colon. dioc [de can. eccl. S. Patrocliti Zosacien. predicte dioc.].

Item mag. Johanni Arnoldi, cler. Coloniens. dioc. [recipit can sub expect. preb eccl. Paderburnens]

Item mag. Willelmo Meynardi, cler Trajectens. dioc [recipit can. in eccl. S Salvatoris Trajectens].

Item mag. Mauritio Danielis, presb. Trajectens. dioc. [de can eccl. S. Martini in Leodio].

Item ut prefati magistri juxta diversas facultates signati felicius vacent studio litterarum, dignemini examen eorum committere cui vel quibus vestre placuerit sanctitati. [37]

Fiat. B. — Et quod premissa transeant sine alia lectione. — Fiat. B. — Dat. Avinione undecimo kal. Augusti, anno tercio.

Reg. Vat Suppl. Urbani V, an. 3, p. 2, fol. 151.

1. Similes formulae in sequentibus etiam supplicationibus inveniuntur, quas tamen supprimimus. Occurrit insuper : « Cum manus vestra benedicta signaverat », etc. Philippus Sapientis fuit Collegii Sorbonae, et rector tempore rotuli, i e. 1365, Martii 24-Jun 23. An 1371 paratus ad legendas Sententias (Reg. Aven. Greg. XI, vol. V, f. 368). Philippus « Vanbelze » licent. an. 1375 e *Catal. licent.* — 2. Constructio in sequentibus cum « pro. »

1309. « *Rotulus nunciorum studii Parisiensis.* »

1365, Augusti 8.

Pater beatissime, sanctitati vestre supplicant filii vestri humiles et devoti oratores nuncii vestre Universitatis Paris., qui in rotulo predicte Universitatis nichil obtinuerunt ....

Et primo magistro Ricardo Viardi, diac. mag. in art. et in medic., paratoque in brevi legere cursus in facultate theologie.

Item mag Job Coure, subdiac licent. in jure can , mag in art. et bacallario in jure civili, nuncio dicte vestre filie Univers. Paris , can. Cathalaunensi

Item Symoni Martini, mag. in art., scolari studenti in theologia Parisius in Sarbona

Item mag. Johanni Ricmestorp[1], mag in art., nuper rectori Universitatis Paris [2], ad presens nuncio Universitatis ejusdem, scolari in theologia in Sarbona, can expectanti prebendam majorem ecclesie Bremens , cler. Halberstad. dioc [de archidiaconatu in Goslaria in eccl Hildesemensi, qui est dignitas curata].

Item Johanni de Leonibus, presb. Ebroicens dioc [3] [5]

Sine alia lectione. — Fiat. B. — Dat. Avinione sexto id. Augusti, anno tercio.

1. Frater ejus fuit Albertus de Ricmestorp seu de Saxonia, de quo supra n° 1265. — 2. Octob 1363-Decemb. 16. Vid. *Lib. proc. nat. Anglic.* in *Auct. Chart. Univers. Paris.*, I. — 3. Suppl. an 3, p. 2, fol. 154^b, sexti nuntii Universit. mentio fit; scil. Guillelmi Lamberti, presb. Rotomag. dioec., mag. in art., olim rectoris Univers., ab octo annis scol. theol., ad an. 1365, Julii 26.

1310. *Praesentibus rectore multisque magistris quoddam bladum, seminatum in Prato Clericorum a quodam laico, exstirpatur.*

1365, Julii 3, Parisiis.

Anno Domini 1365, die tertia mensis Julii, magistro Johanne de Dyodona[1], Belvac. dyoc., tunc temporis rectore Universitatis existente, fuit deliberatum in congregatione generali magistrorum regentium et non regentium ad hoc specialiter et per juramentum vocatorum apud Sanctum Maturinum celebrata, quod quoddam bladum, quod fuerat a quodam laico in villa Sancti Germani commorante seminatum, penitus colligeretur seu extirparetur, quod eodem die fuit executum, scilicet in quadam portione prati clericorum, presentibus venerabilibus et discretis viris dominis et magistris, predicto rectore, magistro Roberto de Corbeia, magistro Johanne de Sancto Medardo[2], magistro Johanne de Corbolio carmelita, [Johanne de Cystercio][3], priore Sancti Bernardi, magistro Amando fratrum Minorum[4] cum multis aliis tam secularibus quam religiosis doctoribus in theologia; item in decretis magistro Johanne de Fresneio cum multis aliis; item in medicina magistro Petro Lupi, magistro Johanne de Lovanio et magistro Walrando cum multis aliis; item in artibus quatuor procuratoribus, magistro Dyonisio Flatonis, magistro Odardo Billeti[5], magistro Nicolao de Suessione, magistro Johanne de Crello[6], magistro Nicolao le Faulurdier[7], magistro Nicolao Jonglet, magistro Johanne Bouchim, magistro Thoma Durandi, magistro Thoma Mielle[8], magistro Michaele Wistomi, magistro Marsillio [de Inghen] et magistro Guillelmo Buserii cum valde multis magistris omnium nationum et scolaribus omnium facultatum.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol 143^b. — Bulaeus, IV, 382.

1. Ms. « Diodena », rectore a Junii 23, de quo jam supra n° 1265. An. 1371 jam baccal. formatus erat (Reg. Aven. Greg. XI, vol. III, f. 444), qui cum esset can. Cathalaun (ab an. 1376, April. 3, e Reg. Vat. Gregor. XI, n° 290, f. 285^b) a Clem. VII confirmatus est an. 1379, Febr. 11, in episc. Silvanect. (Reg. Aven. Clem. VII, vol XXIX, epp. an 5 cont., fol. 148) In *Cat. lic.* additur recte « qui fuit episcopus ». – 2. Ms. et Bul. « Marco ». Sed vid. supra n° 1299. Ipse est idem atque Johannes Ogeri de S. Medardo, supra n° 1214, et *Chartul.*, II, p. 654. — 3 Vid. supra n° 1299 — 4. Vid. supra n° 1279. — 5. Ms. « Villeti ». — 6. In *Reg. proc. nat. Anglic.* (vid. *Auctar.*) vocatur Johannes de Cornell Scotus, et factus est mag. an. 1364 — 7. Ms. potius « Faulurdur ». Supra n° 1307 recte « Falourderes ». In Reg. Av. Greg. XI, vol. III, f 446^b, « Nic. le Falourdere, lic. in dec. ». — 8. Ms. : « Meille ».

1311. *Plures scholares Paris. armati servientes regis male mulcant, a quibus unus scholarium interficitur. Carolus rex suos servientes absolvit.*

1365, Augusti 2, Silvanecti.

Charles par la grace de Dieu roy de France. Savoir faisons a tous presens et advenir nous avoir receue l'umble supplicacion de Jehan Prevost, Jaquet Maubué et Jehan de Poiz, noz sergens de nostre Chastellet de Paris, contenant que le vendredi xxv[e] jour de Juillet derrain passez il feussent alez oultre Petit-Pont a Paris à la requeste de Adam le Flamenc, bourgois de Paris, fermier de l'imposicion des chevaux vendus en nostre dite ville de Paris par vertu de certaine commission de noz amez et feaulz les generaulx esleuz sur le dit fait, et en certains lieux eussent fait excecucion sur plusieurs personnes hostelliers et bourgois de Paris de ce qu'il devoient a nostre dit fermier pour cause de l'imposicion de plusieurs chevaux qu'il avoient venduz en nostre dite ville de Paris, a fin que icellui fermier nous peust paier ce que il nous puet devoir a cause de sa ferme, et il soit ainsi que apres ladite excecucion faite noz diz sergens s'en retournaissent tout courtoisement et en paix sans meffaire ne mesdire a autruy a tout les gaiges qu'il avoient prins pour iceulx a porter au lieu ou l'en recoit ladite imposicion, si comme il est acoustumé a faire. Neantmoins Gilbert de Vast né de Dourdrait en Holande, escollier à Paris, acompaigné de plusieurs autres escoliers et autres bien jusques au nombre de douze ou environ, saichans et certifiez lesdiz supplians estre noz sergens aians la verge a fleur de liz en leur main en signe de justice, et saichans que il estoient en nostre sauve et especial garde a cause de leurs offices, yceulx escolliers qui estoient embuschiez et mussez en plusieurs maisons et rues prez de la place Maubert, armez les aucuns de cotez de fer et d'espées, et les autres de bastons, de pierres, coiffetez en leurs testez et d'autres armeures, vindrent et acoururent hastivement a tout leurs espées, grans bastons et grossez pierres, et saichèrent sur noz diz sergens et les assaillèrent et batirent, navrèrent et ferirent de si grant roideur et par telle manière qu'il couchèrent sur les quarreaux ledit Jehan Prevost nostre sergent, le navrèrent et firent plusieurs plaiez en plusieurs parties de son corps, et le batirent de coups orbez, tant qu'il le cuidèrent laissier comme pour mort. Et ce fait coururent iceulx escoliers sus ausdiz Jehan de Poiz et Jaquet Maubué et les batirent et navrèrent tant et par telle manière qu'il les firent reculer jusques en ladite place Maubert ou il getèrent tant de pierres et de bastons ausdiz sergens, que il getèrent par terre ledit Jehan de Pois, telement que les bonnes gens qui la estoient presens cuidèrent qu'il fu mort, et aussi faisoient il dudit Jehan Prevost, et aussi navrèrent et firent plusieurs plaies au dit Jaquet Maubué. Ja soit ce que tousjours les diz sergens deissent et criassent a haute voix qu'il estoient noz sergens, et en criant aide au roy tant comme il povoient et tout pour doubte de mort yceulx sergens après ce que ils orent esté assailliz et batuz plusieurs coups par les dessus diz escolliers pour doubte de mort et pour ce qu'il ne povoient eschapper

d'entre lesdiz escolliers, sachèrent leurs espées dont il se mistrent a deffense, et se deffendirent le mieux qu'il porent et tant que ledit Jehan Prevost fu abatu a terre par lesdiz escolliers d'estoz, d'espées et de bastons que il lui donnèrent, lequel tenoit s'espée toute nue en sa main, lequel Gilbert et un autre de ses complices coururent sus audit Jehan Prevost, c'est assavoir ledit Gilbert a tout un grant baston dont il le batoit, et son dit complice a tout une espée dont il batoient ledit Jehan qui estoit tout envers a terre s'espée nue en sa main, comme dit est, de laquelle espée en soy deffendant le dit Jehan, qui gesoit a terre tout envers et bleciez, comme dit est, pour eschever le peril de mort, donna un coup d'estog audit Gilbert, dont il lui fist une plaie en l'ayne de laquelle le dit Gilbert mourut assez tost après. Pour lequel fait les diz suplians qui nous ont longuement et loialment servy en leurs offices, et qui ne furent omques reprins ne accusez de aucun villain cas et ont tousjours esté de bonne vie et conversacion, se sont absentez et renduz fuitifz, par quoy eulz, leurs femmes et petiz enffens sont en peril d'estre desers et mis a povreté, se par nous ne leur est pourveu de nostre grace et misericorde sur ce.

Nous, consideré ce que dit est, avons ausdiz suppliants, et a chascun d'eulx en ce cas, de nostre plenière puissance, auttorité roial et de grace especial quitté, remis et pardonné, remettons, quittons et pardonnons le fait dessus dit avecques toute paine, amende et offense corporele, criminelle et civile que il pouroient avoir encouruz envers nous pour occasion des choses dessus dites, et les restituons aplain a leurs offices, a leurs paiz et bonne renommée et a leurs biens par ces presentes, sauf le droit de partie civilement tant seulement. Si donnons en mandement au prevost de Paris et a tous les autres justiciers et officiers de nostre royaume, leurs lieux tenans et a chascun d'eulx presens et advenir, que lesdiz suplians et chascun d'eulx laissent joir et user paisiblement de nostre presente grace et contre la teneur d'icelle ne les empeschent ou molestent ou seuffrent estre molestez ou empeschiez aucunement en corps ne en biens, et voulons et leur octroions qu'il puissent exercer leurs diz offices et en joir aussi comme il faisoient paravant et de leurs corps ou biens ou d'aucun d'eulx estoient pour ce presens saisiz ou arrestez, si les leur delivrent, rendent et restituent, ou facent rendre, restituer et delivrer aplain tantost et sans delay, et que ce soit ferme chose et estable a touzjours nous avons fait mettre nostre scel a ces lettres, sauf nostre droit en autres choses et l'autruy en toutes[1]. Donné a Senlis le second jour d'Aoust l'an de grace mil CCC soixante cinq, et de nostre règne le second.

Vidimus praepositi Paris., Johannes Bernier, ejusdem an., Aug. 23, in Arch. nat. Paris. M. 67[a], n° 3. Pertinebat ad Arch. Univ. (A. 24. a).

1. Opinamur regem scholares malefactores postea capi jussisse, et quidem in territorio S. Thomae de Lupara, ubi fugerant, de quo infra n[is] 1312 et 1316.

1312. *Urbanus V ad Carolum V, regem Francorum, eidem benignitatem erga Universitatem Paris., quae partes quorumdam scholarium malefactorum et captorum tenebat, commendando.*

1365, Novembris 12, Avenione.

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Francie illustri, salutem, *etc.* Solita benignitate literas regalis excellencie nuper recepimus contentaque in eis de tribulatione Universitatis studii Parisiens. occasione captionis quorundam malefactorum per regiam curiam facte in pertinenciis seu territorio Sancti Thome de Lupera prope muros Parisiens.[1] perlegimus displicenter. Super quibus habita deliberatione matura, considerantes, fili carissime, quod turbata multitudo diversarum precipue nationum melius mansuetudine ducitur, quam asperitate vincatur, et quod tui progenitores incliti, quorum virtutum grandium gloriosus emulator existis, in similibus turbationibus exercuerunt clementiam, non rigorem, quodque ex Universitate ipsa in toto orbe famosa non solum tuo regno, sed universali ecclesie viri producuntur eminentes scientia, vita preclari et moribus adornati, et quod ex ipsius dispersione, quod absit, generale christianitatis fieret detrimentum, quodque temporis malicia edocet : ut noxiis novitatibus aditus precludatur, commissionem cause per te petitam[2] non duximus concedendam, extimantes quod erit fructuozior via pacis, ad quam clemenciam regiam paterne inducimus et hortamur. Et super tali via Universitati prefate ac ven. fr. nostro .. episcopo Parisiens., ut hujusmodi sit concordie mediator, scribimus secundum tenores quos inclusos presentibus destinamus. Dat. Avinione ij id. Novembris, anno quarto.

Reg. Vat. Secret. Urbani V, nº 248, fol. 5. — Ibid. exstat epistola sub eadem temporis nota ad « Stephanum episc Paris. », in qua eum hortatur, « quatenus pro ipsa concordia ex parte nostra interponas solicite partes tuas, nobis quicquid inde feceris et si aliud remedium per nos adhibendum fuerit rescripturus ». « Turbatione. »

1. Utique agitur hic de istis scholaribus malefactoribus, de quibus supra nº 1311 — 2. Ms. : « petitum ».

1313. *Urbanus V ad Universitatem Paris. de eodem argumento.*

1365, Novembris 12, Avenione.

Dilectis filiis Universitati studii Parisiensis, salutem, *etc.* Sicut in vestre quietis tranquillitate quiescimus et letamur, sic ex vestrorum animorum alteracione, cum absque illorum quiete nequeatis adipisci sciencie margaritam, non indigne turbati molesta solicitudine reddimur inquieti. Dolenter siquidem nuper audivimus turbationem quandam non levem inter vos et regiam curiam occasione captionis quorundam malefactorum per curiam ipsam facte in pertinenciis seu territorio Sancti Thome de Lupera prope muros Parisiens. fore subortam, ob quam vestrum studium est interruptum non modicum, et interrumpi amplius, nisi festinum adhibeatur remedium, formidatur. Nos igitur cupientes quod hujusmodi negocium per viam amicabilem, qua pro vobis non potest esse utilior, celeriter

sopiatur, scribimus venerabili fratri nostro .. episcopo Parisiensi, qui est de corpore vestro, quod pro concordia ejusdem negotii interponat solicite partes suas. Rogamus vos igitur et hortamur attencius mandantes quatinus super hujusmodi amicabili via dicto episcopo efficaciter pareatis, et interim a solitis lectionibus et studio non cessetis. Dat. Avinione ij id. Novembris, anno quarto.

Reg. Vat. Secret. Urbani V, nº 248, fol. 5.

1314. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiensi injungit ut Alanum Tardi, Ord. fratr. Min., qui in multis locis dicti Ordinis lector fuit, et propter concursum aliorum lectorum in studio Paris. per longi temporis spatium exspectare deberet, ad legendas Sententias in vacationibus deputet et assignet, et concedat quod tempus lecturae hujusmodi ad honorem magisterii recipiendum perinde eidem Alano debeat computari, ac si ipse statutis temporibus dictos libros in eodem studio legisset*[1]. Dat. Avinione iij id. Decembris, anno quarto. « Religionis zelus ».

1365, Decembris 11, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. XIV, fol. 251 b.

1. Sed ex *Catalogo licent. in s. theol. facultate* (Bibl. nat. Paris. mss. lat. 5657 a, 12850) scimus Alanum Tardi anno 1383 tantum licentiam obtinuisse, id est per 18 annos illius gradus honorem exspectando. De ipso infra ad an. 1385.

1315. *Urbanus V Geraldo Aymerici, Ord. fratr. Eremit. S. Aug., s. theologiae professori, priori provinciali Provinciae, cum quidam frater provinciae Tolosanae, per diffinitores Capituli generalis ultimo celebrati*[1] *ad legendum Parisius anno proximo futuro librum Sententiarum deputatus, debitum naturae persolverit, in absentia prioris generalis*[2]*, ad quem hujusmodi surrogatio pertinere dignoscitur, personam idoneam in locum ejusdem defuncti hac vice dumtaxat surrogandi, et ad lecturam hujusmodi deputandi, concedit facultatem.* Dat. Avinione ij id. Januarii, anno quarto. « Ad audienciam ».

1366, Januarii 12, Avenione.

Reg. Vat. Secret. Urbani V, nº 248, fol. 92.

1. Senis an. 1365. — 2. Matthaei de Asculo.

1316. *Electio rectoris. Signetum rectoris, sine signeto cancellarii, sufficiat ad deliberandum vinum missum scholaribus; de emenda praestita ex parte regis pro violentia facta in territorio collegii de Lupara; Arnoldus de Chaustiavilla condemnatur.*

1365, Decemb. 15-1366, Martii 24, Parisiis.

Anno Domini 1365, 15 die Decembris, magister Tylmannus de Eyke, canonicus eccl. S. Pauli Leodiens. et investitus ecclesie de Kessel, fuit electus rector Universitatis Parisiensis. In cujus rectoria terminata fuerunt tria, que multum fuerunt ad honorem Universitatis, profectum et utilitatem.

Quorum *primum* ex jussu deputatorum debet scribi in libro hoc et in aliis libris, quia si iterum questio oriretur, quod possit reperiri. Et est de impositionibus vinorum. Nam cum post innumerabiles vexationes Universitati illatas —, tamen per diligentem et

frequentem requisitionem, etiam quod nos vellemus cessare, aut nos non vexaremur plus de impositionibus, rex taliter fuit informatus, quod eodem anno ante rectoriam Tilmanni antedicti lis fuit orta inter Universitatem et impositores : ita quod rex volebat quod super signetum rectoris cancellarius Parisiensis deberet cedulas studentium signare et sic vina ipsis deliberarentur, et aliter non. Et in congregatione generali super hoc facta tres facultates, videlicet theologorum, decretistarum et medicorum, deliberabant sic debere fieri, sola facultate artium hoc non consentiente sed reclamante. Tandem alia congregatione generali facta per juramentum apud Sanctum Bernardum, propositis per rectorem antedictum rationibus et declaratis motivis magistrorum in artibus et illis positis in deliberatione, omnes quatuor facultates concorditer in hoc consenserunt, quod super signetum rectoris nullum aliud signetum alicujus alterius apponeretur cedulis studentium pro vinis habendis : et sic tribus aliis facultatibus ad nostram revertentibus in deliberando, petito publico super hoc instrumento aditus fuit rex frequentissime : ita quod rex eodem 29[1] die Januarii, scilicet feria 5 post Conversionem sancti Pauli apostoli, sedens in camera sua apud Sanctum Paulum pro tribunali solempnissime cum principibus suis archiepiscopis Remensi[2] et Senonensi[3], episcopis Parisiensi[4], Belvacensi[5] et Sagiensi[6], comite de Stampis[7] et ejus fratre et connestabulario[8] Francie et quampluribus venerabilibus viris et militibus —, igitur rex Francie, seu cancellarius ejus verbum gerens, concessit liberaliter Universitati Parisiensi, quod ad simplex signetum rectoris Universitatis Parisiensis firmarii seu impositores vinorum deinceps deberent magistris et scolaribus studii Parisiensis absque impositione vel aliquali vexatione vina deliberare. Et ad hoc vocatis personaliter impositoribus coram rege et Universitate precepit rex per os cancellarii Francie districte impositoribus, quod decetero absque dilatione viso signeto rectoris studentibus vina deliberarent, mandans et precipiens acriter, ne cupiditate pecunie ab aliis recipiende studentes aliquo modo retardarent, aut in expediendo protraherent, sed simpliciter magistros et scolares in ordine eorum venientes quemlibet expedirent, commendando[9] expresse predictis impositoribus quod si secus facerent, ipsi taliter deberent puniri, quod ceteris transirent in exemplum. Et de hiis premissis sic concessis rector nomine Universitatis sibi publicum fieri petiit instrumentum. Et hec per deputatorum consilium hic sunt scripta. Nam gratia, quam rex coram tot et tantis principibus filie sue Universitati Parisiensi tam publice et solemniter cum deliberatione diu prehabita[10] duxit concedendam, tanquam privilegium regium potest haberi et debet merito reputari.

Secundum est quod pro violentia facta et immunitate collegii scolarium de Lupara rex dedit mille francos pro hereditatibus emendis et centum francos pro damnis dictorum scolarium[11]. Et prepositus Parisiensis[12] genibus flexis coram rege et Universitate [se] excusavit, nec non quatuor clientes principales genibus flexis in manu rectoris nomine Universitatis coram rege et principibus prescriptis de violentia facta Universitati emendabant[13].

Tertium est quomodo et propter quam causam dominus Arnoldus miles, dominus de

Chaustiavilla, se submisit sententie Universitatis. Et hic dicitur communiter archipresbyter, sed plus merito vocaretur archidyabolus ex eo quod mundum mirabiliter spoliaverit depredando. Hic per sententiam Universitatis fuit condempnatus eodem anno viij die Februarii ad restituendum 286 francos magistris spoliatis inter Com. et Bam. Cause et motiva invenientur in nova papiro rectoris per Tilmannum tunc rectorem antedictum facta[14].

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 140ᵇ-141ᵇ — Bulaeus, IV, 385, 387. — Documentum imprimis p. 139-140 male constructum.

1. Ms. « 20 ». Agitur de anno 1366. — 2. Johanne de Craon, qui an. 1347, Oct. 24, cum esset archidiac. de Passeio in eccl. Cenoman., factus est episc. Cenomanens. (Reg. Vat. Clem. VI, nº 178, f. 12ᵇ), an. 1355, Julii 31, archiep. Remens. (Reg. Vat. Innoc. VI, nº 230, f 48ᵇ), et habuit in sede Cenomanensi successorem Michaelem de Brachia, mag. in theol., de quo *Chartul.*, II, 597, not. 22, archidiac. Dunen. in eccl. Carnot. (ibid., f. 48). — 3. Guillelmo de Meleduno, de quo in *Chartul.*, II, nº 961, not. 1. — 4. Stephano. -- 5. Johanne de Dormans, cancellario Franciae. Vid. supra nº 1267, not. 1. — 6. Guillelmo de Rancia (Rancé), Ord. Praed., episc. ab an. 1363, Maii 5 (Reg. Aven. Urb. V, vol. VI, f. 162). Fuit Johannis regis testamenti an. 1364, April. 6, conditi exsecutor, cum Carolo, cum Johanne Dormans episc. Belvacensi, cum comite Tancarvillae, et confessore (Arch nat. Paris. J. 404, nº 36). — 7. Ludovico II. — 8. Roberto de Fiennes. — 9. Ms. « commidando ». — 10. Ms. « prehabitata ». — 11 Vid. supra nis 1311, 1312. — 12. Jean Bernier. — 13 Vid. litteras reg. an. 1366, Januarii 22, ap. Bul., IV, 386; pertinent ad volumen *Chartul.* Collegia continens. — 14. Ms : « facto ».

1317. *Urbano V supplicat Petrus de Paciaco, licentiatus in jure canonico ut, non obstante juramento suo, ad doctoratus insignia recipienda in fac. decretorum retardetur.*

1366, Aprilis 9.

Supplicat sanctitati vestre devotus vester P. de Paciaco[1], canonicus Parisiensis, quod cum nuper ipse Parisius licentiatus fuerit in jure canonico, et in obtinenda licentia hujusmodi, una cum pluribus aliis tale prestiterit juramentum, quod si quis eorum haberet centum libras in redditibus, monitus a magistro vel licentiatore suo, infra sex menses a die monitionis computandos, in predicta facultate inciperet et gradum reciperet doctoratus; et dicto P., licet habeat redditus supradictos et ultra, propter tamen multas expensas in recipiendo gradum predictum fieri consuetas, et alias multimodas rationes, recipiendi gradum predictum oportunitatem de presenti sibi commode non videat imminere : dignetur eadem sanctitas ipsum a vinculo juramenti predicti absolvere vel cum eo misericorditer dispensare, ita ut virtute prefati juramenti compelli nequeat ad recipiendum, ut predictum est, insignia doctoratus, nisi dum sibi placuerit vel alias eidem videbitur oportunum, statutis, consuetudinibus predicti studii vel aliis in contrarium non obstantibus quibuscunque. Cum aliis clausulis oportunis. — Prorogamus ad biennium, si placeat magistro suo. B. — Dat. Avinione quinto idus Aprilis, anno quarto.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 4, p. 1, fol. 134ᵇ.

1 Fuit factus canon. Paris. 1361-1362. Vid. supra nº 1213, not. in fine. An. 1386, Januarii 11, defuncto Jacobo Divitis, decanus eccl. Paris. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XLI, f. 185ᵇ), fuit tunc in utroque jure licentiatus.

1318. *Urbanus V duobus cardinalibus injungit ut Universitatem Paris. in suis statutis et observationibus reforment.*

1366, Maii 2, Avenione.

Dilectis filiis Johanni[1] tituli Sancti Marci ac Egidio[2] tituli Sancti Martini in Montibus presbyteris cardinalibus, salutem, *etc.* Cum ad preclarum Parisiense studium, tanquam paradisi flumen salutarium dogmatum per climata orbis terre pre ceteris copiosius diffusivum, aciem considerationis intente reflectimus et oculis interioris hominis ipsum prefulgere in domo Domini tanquam stellas in firmamenti medio delectabiliter intuemur, dignum arbitramur et congruum illa studiis solicitis prosequi, per que studium ipsum ejusque Universitas valeant in suo statu vigere ac preservari a noxiis et continuis incrementorum successibus feliciter adaugeri. Cum itaque nuper ad audientiam nostram relatione fide digna pervenerit quod in dicto studio nonnulli sunt defectus, super quibus et alias pro honestate, ordine et observantia magistrorum, doctorum et scolarium ejusdem studii et ipsius statu auctore Domino conservando feliciter et etiam augmentando per apostolice sedis solertiam expedit provideri : nos multorum et arduorum agendorum varietate distracti ad hec per nos ipsos intendere nequeuntes circumspectioni vestre, de qua in magnis et arduis per jugem experientiam laudabiliter comprobata plenam in Domino fiduciam obtinentes, tenore presentium committimus et mandamus quatinus quecunque pro honestate, ordine, observantia statuque predictis aut circa ea vel eorum aliquid secundum Deum reformanda, statuenda et ordinanda utiliter videbitis reformare, statuere et ordinare, eaque penarum pro modo culpe hujusmodi reformationum, statutorum vel ordinationum neglectoribus, contemptoribus vel transgressoribus debitarum adjeccione vallare curetis, facientes illa seu illas in dicto studio ubi, quando et quotiens vobis videbitur, solenniter publicari. Contradictores .... Non obstantibus quibuscunque aliis statutis et consuetudinibus ejusdem studii contrariis .... Nos enim que circa hec ordinanda et statuenda duxeritis quomodolibet in premissis aut aliquo premissorum, perinde perpetue firmitatis robur inviolabiliter volumus et decernimus obtinere, ac si et prout immediate cum expressione hujusmodi voluntatis atque decreti a nostre apostolice sanctionis oraculo manavissent, ac irritum decernimus et inane, quicquid contra ea vel eorum aliquid a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Avinione vj non. Maii, anno quarto.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. XIV, fol. 207 b. — Reg. nat. Anglic. in Bibl. nat. Paris., nouv. acq. l. 535, fol. 32. Arch. Vat. Aven. Collect. nº 440, fol. 153. Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 115. Cod. Harcur., fol. 52. — Bul., IV, 388.

1. Johanni de Blandiaco, ab an. 1348, Sept. 17 (cum esset can. Aquens. et capell. papae), episc. Nemausensi (Reg. Clem. VI, nº 188, fol. 37), an. 1361, Sept. 17, card. (Arch. Vat. Obl. nº 35, f. 6). Vocatur Nemausensis. — 2. Aycelin seu de Monteacuto, cardinali ab an. 1361, Sept. 17 (ibid.), vocato card. Morinensi, cum antea, ab an. 1356, Martii 2, fuisset episc. Morinensis (Reg. Aven. Innoc. VI, vol. XII, fol. 34), tunc can. Paris. et legum doctore. Ab an 1361 etiam provisor Collegii Sorbonae (v. Franklin, *La Sorbonne*, p. 225), Petro de Croso (de quo *Chartul.*, II, 556, not. 2) an. 1361, Sept. 23, defuncto. Hinc mandatum papae ad Aegidium directum.

1319. *Statuta pro omnibus facultatibus Universitatis Parisiens., edita a duobus cardinalibus consilio cancellarii et aliquorum magistrorum.*

1366, Junii 5, Avenione.

Miseratione divina Johannes tituli Sancti Marci et Egidius tituli Sancti Martini in Montibus presbyteri cardinales, commissarii ad infrascripta a sanctissimo in Christo patre et[1] domino nostro domino Urbano divina providentia papa quinto specialiter deputati, dilectis nobis in Christo cancellario ecclesie Parisiensis, ac magistris, doctoribus et scolaribus universis et singulis studii Parisiensis, salutem et sinceram in Domino caritatem. Noveritis nos literas apostolicas, vera bulla plumbea dicti domini nostri pape more Romane curie in cordula canabis bullatas, omni suspicione carentes, ut decuit, reverenter recepisse, quarum tenor sequitur sub hiis verbis :

« Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Johanni », *etc. ut n°* 1318.

Quibus receptis nos volentes consulte procedere, multos vocavimus[2] magistros ac peritos studii Parisiensis alumpnos, boni status et incrementi ejusdem studii totiusque reipublice zelatores, cum eisque repetitas, maturas et bene discussas super[3] contentis in dictis apostolicis litteris habuimus deliberationes, et tandem discussis singulariter singulis pro prelibati studii et utilitatis publice augmento, de predictorum concordi consilio statuta et ordinationes ad honorem Dei fecimus infrascripta :

Imprimis circa facultatem[4] THEOLOGIE auctoritate predicta statuimus, quod quicunque incipientes, et ex quo inceperint legere Sententias, etiam cursores in dicto studio, incedant per villam in habitu, suo statui, gradui, et honori dicte facultatis condecenti, maxime eundo[5] ad scolas, ecclesias et sermones.

Item quod nullus ad lecturam Sententiarum in vacationibus admittatur.

Item ut studentes non per saltum, sed secundum merita promoveantur ad honores in facultate predicta, statuimus quod cursores theologie suos cursus legant ordinate, textum exponendo et glosas notabiles declarando secundum modum antiquitus in dicto studio approbatum.

Item quod nullus cursor Biblie legere presumat ultra unum capitulum in una lectione de libro quem leget, exceptis biblicis[6] ordinarie legentibus.

Item quod nullus ad lecturam cursuum in theologia admittatur, nisi attigerit xxv annum sue etatis.

Item quod quilibet cursor in theologia tempore intermedio inter primum cursum et Sententias respondere in theologia ad minus semel teneatur, nisi fuerit legitime excusatus arbitrio cancellarii et facultatis predicte.

Item quod scolares qui noviter incipiunt audire theologiam, primis quatuor annis portent vel portari[7] faciant ad scolas biblici Bibliam, in qua lectiones Biblie audiant diligenter.

Item quod scolares librum Sententiarum audientes noviter primis quatuor annis textum

Sententiarum portent vel portari faciant ad scolas bachelarii, a quo Sententias audient, ut textum Sententiarum audiant diligenter.

Item quod legentes Sententias faciant[8] honeste et sine verbis offensivis quibuscunque aut elatis sive scandalosis suas collationes et principia, omni injuria cessante servatoque sibi invicem congruo honore.

Item quod legentes Sententias non tractent questiones aut[9] materias logicas vel philosophicas, nisi quantum textus Sententiarum requiret, aut solutiones argumentorum exigent, sed moveant et tractent questiones theologicas, speculativas vel morales, ad distinctiones pertinentes.

Item quod legentes Sententias legant textum ipsarum ordinate et exponant[10] ad utilitatem auditorum.

Item quod nullus legens Sententias legat questionem suam aut suum principium per quaternum aut alias in scriptis. Non tamen propter hoc inhibemus, quin bachelarius possit portare ad cathedram aliquid ex quo possit, si necesse fuerit, sibi reducere ad memoriam aliquas difficultates tangentes questionem suam, aut argumenta seu auctoritates aut[11] ad ipsam questionem aut aliquam expositionem pertinentes.

Item statuimus quod nullus magister aut bachelarius qui Sententias legerit, suam lecturam Sententiarum communicet[12] tradendo stationariis directe vel indirecte, quousque sua lectura fuerit per cancellarium et magistros predicte facultatis examinata.

Item quod nullus possit licentiari in theologia, aut incipere, legere Sententias aut aliquem cursum in theologia sub aliquo magistro a Parisius absente, nisi ille per facultatem regens fuerit reputatus, nec bedellus magistri absentis ab incipientibus antedictis aliquid recipiat quoquo modo.

Item ordinamus quod illi bachelarii, qui Sententias legerunt[13], si gradum magisterii desiderant obtinere, stare in studio tempore solito inter lecturam et magisterium intermedio teneantur, ut eorum scientia, mores et vita certius comprobentur.

Circa vero reformationem facultatis Decretorum, auctoritate predicta statuimus quod non dispensetur cum aliquo super lecturis et libris, quos secundum ordinationem sedis apostolice aut statuta facultatis debent audivisse et legisse, antequam ad licentiam admittantur.

Circa vero facultatem Medicorum statuimus quod medici libros suos audiant, lecturas compleant, disputationes frequentent, ut in statutis facultatis medicine continetur, omni dispensatione[14] in contrarium interdicta.

Circa vero statum facultatis Artium, que quasi aliarum est fundamentum, statuimus quod determinantes et licentiandi teneantur cappas vel epytogium portare ad scolas, quando vadunt ad lectiones suas audiendas, et[15] in sermonibus, maxime a festo Omnium Sanctorum usque ad finem magni Ordinarii, ut honoretur in eis facultas et gradus eorum cognoscatur.

Item quod dicti scolares audientes suas lectiones in dicta facultate sedeant in terra coram magistris[16], non in scampnis vel sedibus levatis a terra, sicut hactenus tempore quo dicte facultatis studium magis florebat, servabatur, ut occasio superbie a juvenibus secludatur.

Item statuimus auctoritate predicta quod scolares antequam ad determinandum in artibus admittantur, congrue sint in gramatica edocti, et Doctrinale et Grecismum audiverint; dummodo in studiis aut aliis locis, ubi grammaticalia didicerint, dicti libri legantur.

Item quod audiverint veterem artem totam, librum Thopicorum, potissime quoad quatuor libros, et libros Elenchorum, Priorum et Posteriorum complete; etiam librum de Anima in toto vel in parte.

Item quod nullus admittatur ad determinandum in artibus, nisi ad minus fuerit studens Parisius per duos annos, omni dispensatione interdicta.

Item quod nullus admittatur ad licentiam in dicta facultate, nec in examine Beate Marie, nec in examine Sancte Genovefe, nisi ultra predictos libros audiverit Parisius vel in alio studio generali librum Physicorum, de Generatione et Corruptione, de Celo et Mundo, Parva naturalia, videlicet libros de Sensu et Sensato, de Sompno et Vigilia, de Memoria et Reminiscentia, de Longitudine et Brevitate vite, librum Metaphisice, vel quod actu audiat eundem, et quod aliquos libros mathematicos audiverit.

Item quod nullus decetero admittatur ad magisterium in artibus, nisi predictos libros audiverit, nec non libros morales, specialiter librum Ethicorum pro majori parte, et librum Metheororum, saltem tres primos libros, omni dispensatione interdicta.

Item quod nullus ad licenciam in aliquo examine dicte facultatis admittatur, nisi frequentaverit disputationes magistrorum ejusdem facultatis per annum vel per majorem partem unius anni tempore Ordinarii magni, et saltem responderit in duabus disputationibus, presentibus aliquibus magistris, de quibus per cedulas disputantium magistrorum tenebitur illum cancellarium informare, in cujus examine licentiam voluerit obtinere.

Item quod in temptationibus examinis Sancte Genovefe quatuor magistri quatuor nationum intersint cum cancellario, vel subcancellario, jurati in presentia facultatis sepe dicte, quod fideliter temptabunt, dignos admittendo, et indignos repellendo, sicut sunt quatuor magistri per cancellarium Beate Marie ad temptandum jurati et electi.

Item statuimus quod cancellarius Sancte Genovefe sit et esse debeat canonicus ejusdem monasterii, magister in artibus, si ibi sit, et coram facultate jurare debeat quod secundum merita personarum et depositionem magistrorum examinatorum licentiam largietur. Si vero talis, scilicet magister, non sit in monasterio canonicus, quod tunc cancellarius, qui semper debeat esse de monasterio predicto, teneatur eligere unum magistrum in theologia, qui juret in manibus suis et in presentia facultatis licentias modo elargiri proxime dicto.

Item quod bachellarii in artibus possint legere cursorie libros quos voluerint ad

eandem facultatem pertinentes, sicut antiquitus faciebant, non obstante statuto ejusdem facultatis in contrarium facto, quo inhibetur, ne aliquis bachellarius librum cursorie illa hora legat, qua aliquis magister illum librum cursorie legit.

Item ad tollendum excessus, et ut justicia magis servetur, et paupertati scolarium succurratur, auctoritate predicta statuimus quod licentiandi in artibus nichil dent, vel se daturos promittant per se vel alium, directe vel indirecte, cancellario vel subcancellario, in cujus examine licentiari voluerint, nec magistris examinatoribus seu magistro, sub quo licentiabuntur; nec alicui de familia eorum vel alicujus predictorum causa laboris, lectionis[17] assignande aut quacunque causa vel occasione examen tangente, quodque eis non faciant prandium, omni fraude et interpretatione semotis. Et quod dicti licentiandi hoc jurare in ingressu sui examinis teneantur. Si quis autem aliquid contra premissa directe vel indirecte receperit aut extorserit, precipimus in virtute obedientie, quod duplum infra duos menses Domui Dei Parisius dare, tradere, solvere et restituere realiter cum effectu teneatur, nulla datione, liberalitate aut remissione ei aliquatenus profutura.

Item ad tollendum excessus et abusus qui committi possent[18] occasione jurisdictionis privilegiorum Universitati Parisiensi et facultati theologie concessorum, statuimus auctoritate predicta, quod nullus admittatur ad utendum et gaudendum privilegio quinquennali, fundato super executoria decreti *Super specula*[19], nisi venerit coram facultate predicta aut deputatis ab eadem, dicturus causam suam verbis latinis ut dicta facultas seu deputati videat seu videant, si causa ejusdem contineatur sub privilegio quinquennali antedicto.

Item talis coram dicta facultate aut deputatis jurabit quod non fuit usus per quinque annos privilegio antedicto, nec[20] in posterum ultra quinque annos utetur, omni fraude penitus semota, computando totum tempus quo usus fuit cum tempore quo utetur.

Item jurabit quod virtute privilegii antedicti non petet nisi fructus sibi debitos ratione sui beneficii aut beneficiorum suorum, si plura obtineat, transportu omni et quacunque cessione cessante. Quibus juratis factisque interrogationibus, de quibus videbitur, et responsionibus subsecutis, dicta facultas aut deputati testificabuntur de hiis que repererint executori seu executoribus privilegii predicti, ut, prout sibi faciendum videbitur, petita citatio concedatur. Die vero assignata in ipsa citatione idem etiam personaliter, nisi legitime arbitrio executoris fuerit impeditus, tenebitur comparere, alioquin in expensis parti alteri condempnetur.

Item quod nullus presumat citationem[21] dare nec aliquam jurisdictionem virtute dicti privilegii exercere, nisi solum ille executor, qui fuerit per facultatem theologie de exequendo dictum privilegium requisitus, et penes quem illud privilegium de voluntate dicte facultatis fuerit et assensu, et cui fuerit dictum privilegium traditum per facultatem memoratam.

Item ad tollendum excessus et abusus, qui committi possent in jurisdictione privilegii septennalis[22] super fructibus beneficiorum in absentia percipiendis Universitati Parisiensi

concessi, statuimus quod nullus admittatur ad utendum et gaudendum privilegio septennali antedicto, nisi venerit coram Universitate predicta aut deputatis de quatuor facultatibus ab eadem, dicturus verbis latinis causam suam, ut dicta Universitas seu deputati videat seu videant, si causa ejusdem contineatur sub ipso[23] privilegio septennali.

Item quod dictis[24] volens uti coram dicta Universitate aut predicto modo deputatis jurabit, quod non fuit per septem annos usus privilegio antedicto, nec in posterum ultra septem annos utetur, omni fraude cessante, computando totum tempus quo usus fuit cum tempore quo utetur.

Item jurabit quod virtute privilegii antedicti non petet nisi fructus sibi debitos ratione sui beneficii aut beneficiorum suorum, si plura obtineat[25], transportu omni et quacunque cessione cessante. Quibus juratis factisque interrogationibus, de quibus videbitur, et responsionibus subsecutis, rector dicte Universitatis testificabitur executori dicti privilegii eundem esse talem quod sit sibi citatio concedenda. Die vero assignata in ipsa citatione idem etiam personaliter, nisi legitime impeditus arbitrio executoris fuerit, tenebitur precise comparere, alioquin in expensis parti alteri condempnetur.

Statuta autem alia et consuetudines predicti studii[26], nisi in quantum premissis obviant, in suo volumus robore remanere. Predicta autem omnia et singula auctoritate predicta mandamus per cancellarios, rectores, magistros, doctores et scolares predictorum studii et Universitatis presentes et futuros, cujuscunque fuerint dignitatis, nobilitatis, preeminentie, ordinis, gradus, status vel conditionis, inviolabiliter observari, non obstantibus, etc., ut in prescriptis litteris apostolicis continetur, et cuicunque habere volenti per vos cancellarium antedictum, penes quem hoc presens publicum instrumentum hasque nostras litteras volumus remanere, et per vos publicari, earum[27], cum petierint, copiam dari, suis tamen sumptibus et expensis.

In quorum omnium testimonium presentes litteras seu presens publicum instrumentum per Arnoldum notarium publicum infrascriptum fieri, signari et publicari mandavimus, ac appensionibus nostrorum sigillorum muniri. Datum et actum Avenione in hospicio habitationis prefati domini Johannis cardinalis anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, indictione quarta, die quinta mensis Junii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Urbani divina providentia pape quinti predicti anno quarto, presentibus venerabili in Christo patre domino Gaucelino episcopo Nemausensi ac venerabilibus et circonspectis viris dominis Grimerio[28] Bonifacii cancellario Parisiensi, Guillelmo Romani, Ordinis Predicatorum, magistro palatii apostolici, Gerardo de Vervino, in sacra pagina magistris, Guillermo Martelleti[29], causarum sacri palatii apostolici auditore, Aymerico Helye, archidiacono Nemausensi, et Hugone Moteti, priore de Balmis Ebredunensis diocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis[30].

Et ego Arnoldus Prel de Heppenaert, clericus Leodiensis diocesis, publicus imperiali et apostolica auctoritate notarius, predictarum literarum apostolicarum receptioni, statu-

torum et ordinationum prescriptarum factioni et editioni, ac omnibus aliis et singulis suprascriptis, dum sic per supradictos reverendissimos patres et dominos Johannem tit. Sancti Marci et Egidium tituli Sancti Martini in Montibus presbyteros cardinales fierent et agerentur, una cum suprascriptis testibus interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, *etc.* Addicionem harum dictionum « super contentis in dictis litteris apostolicis habuimus deliberaciones[31], et tandem discussis » in fine hujus instrumenti et ante[32] presentem subscriptionem positam, que cadit superius in decima octava linea a capite inferius computando, non vitio sed errore factam, approbo. Datum ut supra.

Reg. nat. Angl. in Bibl. nat. Paris., nouv. acq. lat., 535, fol. 31ᵇ-35 (prius 19ᵇ-23). Arch. Vat. Aven. collect. nº 440, fol. 152ᵇ. In fine : « Scriptum fuit hoc transcriptum sub sigillo cancellarie predicte. Collacio quoque facta de eodem ad originales literas anno Dom. milles. trecentesimo sexagesimo sexto, die xvij mensis Julii. COUSTELLI ». — Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 114ᵇ. Cod. Harcur., fol. 52. — Bulaeus, IV, 388.

Natio Gallicana, ut videtur, his litteris minime contenta erat, nam in *Libro procur.* ejusd. nat. olim legebatur : « An. 1368, Junii 28, fuit positum in arca communi instrumentum super declaratione a cardinali Nemausensi facta Parisius coram natione Gallicana, quod non intenderunt ipse nec cardinalis Morinensis in bulla novissime missa Universitati aliquid statuere contra libertates et consuetudines laudabiles predicte nationis, sed eas illesas inviolabiliter observari » (Bul., IV, 991).

Jam in tom. II *Chartul.*, p. 697 (ad nᵘᵐ 1189), observavimus, omnes ordinationes supra exscriptas quae facultatem theologiae respiciunt, Statutis theologiae facultatis, ordine inverso, insertas fuisse, plerasque earum in Statutis theologiae Universitatis Tolosanae an. 1366, Decemb. 19, inveniri. Vid. *Chartul.*, l. c.

1. Arch. : « ac ». — 2. Arch. : « vocamus ». Jure vocaverunt quosdam magistros, cum Johannes nullum gradum obtinuisset (fortasse magister artium fuit), et alter tantum titulo legum doctoris gauderet. — 3. « super .... discussis » in mss. exstat in fine documenti. Bulaeus haec verba omnino omisit. — 4. Arch. add. : « sacre ». — 5. Arch. om. — 6. Arch. : « nisi fuerit biblicus ». — 7. Arch. : « fieri ». — 8. Om. Reg. nat. Angl. — 9. Arch. : « et ». — 10. Reg. nat. Angl. : « ipsarum et exponant ordinate ad ». Omnes alii ut supra. — 11. Arch. om. — 12. Arch. : « committat ». — 13. Brit. Mus. Arch. : « legerint ». — 14. Arch. : « disputatione ». — 15. Brit. Mus. et Arch. : « eciam ». — 16. Scholares in scholis artistarum in terra sedisse, apparet etiam e relatione ad an. 1370, Sept. 27, in *Lib. proc. nat. Anglic.* — 17. Arch. om. — 18. Reg. : « possunt ». — 19. Privil. quinquennale v. in *Chartul.*, I, nº 32, et II, nº 1068. — 20. Arch. : « ne ». — 21. Arch. om. — 22. Privil. septennale, datum omnibus magistris et schol., vid. in tom. II *Chartul.*, nº 1120. — 23. Arch. : « illo ». — 24. Arch. : « dictus ». — 25. Reg. et Brit. Mus. : « obtinerat » — 26. Reg. nat. Angl. om. — 27. Brit. Mus. et Arch. : « eorum ». — 28. Reg. nat. Angl. : « Grimmerio ». — 29. Arch. : « Macelleti ». — 30. Hoc loco verba supra relata in mss. exscripta sunt : « super .... discussis ». — 31. Arch. : « declaraciones ». — 32. Arch. : « autem ».

1320. *Cum magister Dionysius, curatus ecclesiae de Flavacuria, monasterio S. Germerii Flaviacensis dare annuatim tres modios bladi ac tres modios avenae quos debebat recusaret, contempto Parlamenti arresto, abbasque dicti monasterii[1] manum in temporalitatem dictae curae pro exsecutione accordi obtinenda poni fecisset; Petrus abbas monasterii Gaudiivallis[2], Carnotens. dioec., vicesgerens episcopi Silvanectensis, conservatoris privilegiorum Univ. Paris., « cum Dyonisius esset studens et actu regens Parisius in artium facultate », virtute privilegiorum dictorum, citari coram se fecerat religiosos Flaviacenses ac litterarum regiarum exsecutorem, petebatque per arrestum curiae pronuntiari curiam ipsam de causa hujusmodi cognoscere non posse nec debere. Pronuntiavit curia Dyonisium exsecutionem litterarum tortionarie et indebite impedivisse, atque vicemgerentem et Dionysium in emenda lx libr. par. condemnavit.* « Pronunciatum vjᵃ die Junii, anno LXVI. BUCY. »

1366, Junii 6, Parisiis.

Arch. nat. Paris. X¹ᵃ (*Jugés*), 20, fol. 341ᵇ.

1. Arnulphus (de Rivo), cum esset prior prioratus S. Johannis de Vivariis, an. 1351, Martii 18, factus est abbas S. Geremari de Flaviaco, Belvac. dioec. (Reg. Vat. Clem. VI, nº 204, f. 55). — 2. Ord. Praemonstrat. Iste Petrus an. 1368, Novemb. 7, Stephano ante possessionem defuncto (vid. supra nᵘᵐ 1269, not. 1), translatus est ad monasterium Praemonstrat.

Laudun. dioec. (Reg. Aven. Urb. V, vol. XX, f. 137 b), et loco illius Johannes Davidis, abbas Hermeriarum (ubi abbas ab an. 1363, Octob. 27; Urb. V Aven. vol. VI, f. 219b), an. 1369, April. 27, translatus est ad monasterium Gaudiivallis (Urb., l. c., f. 170b). et loco ipsius, Johannes Condoe (Coldoe) an. 1370, Maii 29, fit abbas Hermeriarum (Urb. V Aven., vol. XXIII, f. 54). Mancum vel erronee in *Gall. christ.*, IX, 654; VII, 942; VIII, 1336 (ubi praeterea Johannes David perperam asseritur simul abbas Hermeriarum et Gaudiivallis, et quidem ab an. 1347. Sed an. 1352-1363 alius Johannes abbas. — Reg. Vat. Innoc. VI, nº 219, f. 61).

1321. *Urbano V supplicat Ludovicus, dux Andegavensis*[1], *ut frater Thomas Loney, Ord. S. Mariae de Monte Carmeli, ad lecturam Sententiarum Parisiis admittatur, cum timeat Oxonienses.*

1366, Junii 12.

Supplicat sanctitati vestre devotus filius vester L. dux Andegavensis, quatinus eadem sanctitas concedere dignetur devoto oratori vestro fratri Thome Loneye[2], Ordinis beate Marie de Montecarmeli, cum ipse jam annis multis et sufficienter studuerit ordinatus per Ordinem suum in philosophia et theologica facultate, ac actus scolasticos fecerit, que studenti ordinato transire ad *gradum bacalariatus* theologie pertinent, Sententias extra Universitates (in concursu tamen communi) legerit, doctoribus sacre pagine responderit, in duobusque conventibus sui Ordinis in superiori cathedra in dicta facultate rexerit, quod possit promoveri in dicta facultate Parisius, ita quod estate proxima legere ibidem Sententias valeat, secundum quod ibidem de bacallariis estivalibus fieri est consuetum, non obstante quod per Ordinem suum sit dispositus ad transeundum ad magistratum theologie in Universitate Oxoniensi in Anglia, quod facere nimis timet propter morem gentium dicte Universitatis et statuta in gravamen religiosorum mendicantium ibidem facta[3], propter que qui illic promoveri deberent nimium retardantur, ac non obstantibus quibuscunque statutis, consuetudinibus, privilegiis dicte Universitatis Parisiensis.... — Fiat, si placet cancellario et magistrorum collegio Parisiens. B. — Sine alia lectione. — Fiat. B. — Dat. Avinione pridie non. Junii, anno quarto.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 4, pars unica, fol. 187.

1. Franciae regis germanus et ipsius locum tenens in partibus Occitaniae. — 2. Sitne Thomas Lombe seu Lumbaeus, de quo Villiers, *Bibl. Carmel.*, II, 821 sq.; Fabricius, *Bibl.* (2 ed.), IV, 279; VI, 256; Tanner, *Bibl. Brit.*, p. 485? — 3. An. 1362 exarsit litigium inter Carmelitas et Universitatem. Vid. Wood, *Hist. Univers. Oxon.*, I, 182; *The Hist. and Antiquities of the University of Oxford*, I, 478. Vid. insuper infra nº 1329, not. 1.

1322. *Rectore Macario Magni electo, Johannes Tonsoris, decanus facultatis decretorum, in quadam congregatione excessit in verbis contra rectorem.*

1366, Martii 24-Junii 23, Parisiis.

Anno Domini 1365[1], 24 die mensis Martii, videlicet vigilia Annunciationis beate Virginis, more solito super electione rectoris ad Sanctum Julianum Pauperem, electus fuit in rectorem magister Macharius Magni, Lundensis et Roskildensis ecclesiarum canonicus in regno Dacie. In cujus rectoria licet plura acta sunt, tamen ob memoriam futurorum reno-

vandam istud precipue est insertum registro Universitatis, scilicet quod congregatis deputatis ab Universitate in capitulo Sancti Maturini super quadam appellatione interjectaque sententia sui predecessoris ad dictam Universitatem per quendam nobilem, nomine Guilhelmum Maleti, cum magister Johannes Tonsoris[2], decanus facultatis decretorum, unus illorum deputatorum recedere volebat, ipse Macharius rector eum, ut sederet et de meritis dicte appellationis una cum aliis deputatis cognosceret, requisivit, primo simpliciter, secundario sub juramento, cui rectori idem magister Johannes Tonsoris respondit in hec verba : « Non curo de preceptis vestris plus quam de uno obilo ». Que quidem verba ipse rector ad animum revocans, eum super ipsis coram Universitate convenit, proponens quod non esset dignus vocari magister propter inobedientiam, et petens ut tanquam membrum putridum ab Universitate resecaretur, et usquequo obedire vellet, mortuus civiliter quoad Universitatem reputaretur. Ad quam petitionem ipse magister Johannes Tonsoris, ymmo verius ipsa facultas decretorum deliberando respondit, ipsum excusando quod non excessit in dicto, sed in modo dicendi. Primum probabat ex eo quod rector et procuratores interesse cum deputatis ab ipsa Universitate non deberent in cognoscendo de causa appellationis interposite a sententia eorundem; et dato quod deberent interesse, adhuc rector[3] non possit precipere deputatis. Cujus oppositum prenominatus rector replicando probabat ex statutis et consuetudine Universitatis observata. Et breviter dicendo, contra ipsum prosequebatur in pluribus congregationibus, quousque ipse magister Johannes Tonsoris in congregatione generali publice dicebat, quod ea que dixerat, non dixit animo inobediendi vel in despectum officii vel persone rectoris antedicti.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 143ᵇ — Bulaeus, IV, 387.

1. Secundum stilum Gallic., nam an. 1365, Martii 24-Junii 23, Philippus Sapientis rector fuit Vid. supra nº 1308. — 2. An. 1371, Januar. 28, in jure can. et civ. cum rigore examinis licentiatus, Parisius in jure can. actu legens, fit can. Ebroicens. (Reg. Av. Gregor XI, vol. III, f. 549ᵇ). — 3 Ms. : « rectori ».

1323. *Urbano V supplicat Gerardus abbas*[1] *monasterii Trium-Fontium, Cisterc. Ord., Cathalaunens. dioec., qui Parisius multis annis studuit ac unum cursum legit in theologica facultate, nunc vacaturus circa administrationem sui monasterii Sententias ordinario tempore legere nequeat, ut mandet cancellario Parisiensi quod ipsum tempore vacationum instantium proximarum vel aliarum, prout idem abbas elegerit, ad lecturam Sententiarum admittat, et postea ad magisterium promoveat.* — Fiat, si placet cancellario Parisiensi. B. — Datum Avinione septimo id. Augusti, anno quarto.

1366, Augusti 7.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, an. 4, pars unica, fol. 277ᵇ

1. Hic abbas in serie abbatum Trium-Fontium, catal omnino manco hujus monast. in *Gall. christ.*, IX, 961, deest. « Gerardus de Buxeriis », monachus monasterii Claraevall. an 1364, Decemb. 11, ab Urbano nominatus est abbas Trium-Fontium, Petro de Malorino (in *Gall. christ.* etiam omisso), predecessore, suis exigentibus meritis ab abbatibus Cisterc. et Claraevall. deposito. (Reg. Vat. Aven. Urb. V, vol. XI, fol. 69ᵇ).

1324. *Articuli Universitatis Parisiensis ad Carolum, regem Franciae, contra praepositum Paris. (Jean Bernier).*

1364-1366, Augusti 20, Parisiis.

A tres noble et tres excellant prince nostre seigneur le roy de France, supplient humblement tous et singuliés les maistres et escoliers de l'Université de son estude de Paris.

Premierement, comme de tres nobles et puissans roys ses predecesseurs il aient privilege que pour nul forfait le prevost de Paris ou autre justice du roy en escolier ne mectra la main, ne ne mectra en sa prison, se le forfait n'appert tel que il doie estre arresté, et adonc sera il arresté en ce mesme lieu sans lui ferir, se il ne se deffant et sera baillié encontinent à la justice de l'eglize qui le gardera pour faire satisfacion de l'injure que il ara faite, et se il arrive que il soit arresté a telle heure que l'en ne puisse pas avoir prestement la justice de l'eglize, ledit prevost le fera garder sans injure en aucune maison d'escoliers, tant que il soit baillié à la justice de l'eglize. Si supplient que audit prevost qui, contre ledit privilege et son propre serement, par ses sergens a fait navrer un maistre es ars, et un escolier mener et detenir en vostre Chastellet sans eulz trouver en forfait, et deux foys requis ait recusé a rendre ledit escolier en respondant hautement et injurieusement, disant au recteur que il faisoit mieux a croire que ledit recteur et qu'il l'envoiera en prison, soit mandé et commandé par votre Majesté royal que il restitue sans aucun delay, se il n'a restitué ledit escolier, et que dore en avant ne presume faire mener escolier aucun en vostre prison et que il garde ledit privilege de point en point, selon sa teneur, sans lui enfraindre en aucune manière.

Item, comme il aient de privilege royal que votre justice pour nul forfait d'escolier ne mecte main es biens de l'escolier, mes seulement soient arrestés et gardés par la justice de l'eglise, qui en fera ce que par droit en sera ordené; il supplient que au prevost de Paris qui ledit escolier a taxé a amende de peccune, soit estroitement commandé que il se cesse de telles amendes taxer, quant aus escoliers, et de leurs biens arrester se aucuns en a arrestés, et soit mise du tout au néant l'arrestation que il a faite.

Item, que comme parcheminiers, libraires, escrivains de livres, enlumineurs et lieurs et autres, soient clercs ou lays, qui usent de mestier propres especiaulz et neccessaires pour l'estude, soient par raison du mestier frans et quittes de toute exaction, comme les escoliers, et de privilege royal ledit prevost ne doie mettre main aus sergens lays des escoliers, ne eulz arrester, comme il est devant dit des escoliers; si supplient que audit prevost qui un des diz enlumineurs a longuement detenu en prison, et plusieurs foys mis a question et souffisamment requis ne l'a volu rendre, soit mandé que il le restitue à l'official de Paris comme autres foys a esté fait en cas semblable, et que dore en avant telz sergens et ouvriers especiaulx et neccessaires pour l'Université ne mecte ne detiengne en sa prison.

Item, comme de privilege royal ledit prevost, bientost après que il est institué en son office, soit tenus jurer devant l'Université que il gardera les privilèges royaulz octroiés ausdiz suppliants que on list adonc devant lui, et doie renouveler de deux ans en deux ans ledit serement devant les deputés de l'Université en une des eglises de Paris, et souffisamment requis, ait ce refusé a faire, il supplient que jouxte la teneur dudit privilege, ledit prevost soit compellé à son serement renouveler.

Item, comme de privilege royal ledit prevost soit tenu faire justice de debtes et de injures aus maistres et escoliers qui par le signet du recteur de l'Université li sont tesmongniez, et leurs lettres citatoires quant a ce il delaye et aucune foys refuse a seeler, en donnant excusacions faintes et derisoires et en disant hautes paroles injurieuses et desraisonnables aus maistres ou escoliers, de quelque estat que il soient, quant il li portent les dictes citacions pour seeler, en faisant deshonneur à toute l'Université. Si supplient que par la majesté royale li soit estroitement commandé que sans dilacion desore en avant il seele les dictes citacions et puis face justice prestement et condempne ceulz qui seront a condempner, et que il se abstiene de telles laides paroles et que il en soit puni et chastié, et deue correction faite de lui, et contraint a faire amende a ladicte Université, si comme ladicte majesté royal et son noble conseil verront que il sera a faire et saront bien ordener.

Item, supplient que il ne vous plaise donner foy ne audience a aucuns qui ont envie ou mautalant sur lesdiz suppliants, en disant et en eulz diffamant, quar il en y a pluseurs de male condicion et qui vont par nuit et commettent pluseurs malefices, car, nostre tres redoubté seigneur, vous savés que tout le monde et toute sainte eglise est parée et enluminée des clercs de ladicte Université, et se par aventure en y a aucuns joynes(?)[1] et mal ordenés, pour ce n'est mie que ledict prevost les doie emprisonner ou detenir; quar pour ceulz qui sont fos et desordenez font mestier les privileges, et pour cause de ceulz furent octroys, si comme il appert par le contenu d'iceulz en faveur de la noblesse dudict estude, et du bien qui s'en ensuit; quar ceulz qui sont sages et se gardent de faillir n'ont mestier desdiz privilèges quant a prison et detencion de leurs corps.

Arch. nat. Paris. M 66[a], n° 22. Pertinebat ad Arch. Univ. (A. 6. c). A tergo pagina repleta est articulis seu expositione cujusdam suppositi Universitatis, in latino; sed scriptura tam evanida est, ut hinc inde tantum quaedam verba legi possint. — Instrumentum, sine temporis nota, manu recentiori « vers 1364 » inscribitur. Revera ad an. 1364, Januar. 14-Martii 9, legitur in *Lib. procur. nat. Anglic.*, praepositum quosdam clericos et magistros Universitatis ad Castelletum duxisse. Hoc tamen saepissime evenit (vid. et infra ad an. 1371, Maii 9) Sed ibid. legitur praeterea praepositum noluisse renovare suum juramentum. Et procurator in fine scribit : « Quid super sepedictis fiet, Deus scit; sed ego pro presenti ignoro penitus » Vid. *Auctarium Chartul. Univers.* Universitas tunc magnos labores sustinuit, praepositusque post tres tantum annos iterum juravit. Vid infra ad an 1366, n° 1327. Sic instrumentum verisimiliter ad tempus praepositi Johannis Bernier pertinet, et quidem ad an. 1364-1366 Augusti 20, cum rex sub hac tempestate praeposito injunxisset renovare juramentum. Vid. documentum sequens. De articulis Universitatis contra praepositum (Hugonem Aubriot) infra etiam ad an. 1368, Dec. 16, agitur. Sed tunc temporis agi non potuit de renovando juramento, cum Hugo Aubriot annum secundum praepositurae nondum attigisset.

1. Tres priores litterae, vetustate vel deletae, incertae sunt.

1325. *Carolus V, Francorum rex, praecipit ut praepositus Paris. juramentum Universitati Paris. debitum in eccles. S. Eligii praestet.*

1366, Augusti 20, Parisiis.

Charles, par la grace de Dieu roy de France, à nostre prevost de Paris salut. Nous voulons et vous mandons que le serement, que vous et nos seregens en nostre Chastellet de Paris devez fère ou renouveler aus recteur et autres mestres et escoliers de l'Université de Paris, vous faites et renouveles et faites faire renouveler par lesdis seregens ceste foys en la manière en tels cas acoustumée, au priouré de Sainct Eloy de Paris, sans prejudice toutevoys au temps à venir de nous ne ainsin dudit recteur, et autres mestres et escoliers de ladicte Université. Donné à Paris le xx[e] jour d'Aoust, l'an de grace mil CCC soixante six, et le tiers de nostre règne. *Par le roy en son conseil,*

J. Blanchet.

Vidimus praepositi Paris. Johannis Bernier an. 1366, Septemb. 7, in Arch. nat. Paris. M. 66[a], n° 25 (quondam Arch. Univ. A. 6. q). Appendet taeniolum membran. cum fragm. sigil. cer. virid. — Vid. infra n° 1327.

1326. *Carnifices carnificeriae S. Genovefae, qui contra ordinationes regias plurima incommoda afferebant collegiis privatisque vicum S. Genovefae et plateam Mauberti habitantibus, a Parlamento condemnantur.*

1366, Sept. 7, Parisiis.

Cum dilecti nostri rector et collegium filie nostre universitatis scolarium Parisius studentium et collegium scolarium domorum Navarre, Suessie, Laudunensis ac religiosi fratres et conventus Carmelistarum nonnullique alii singulorum in vico S. Genovefe ac in platea Mauberti Parisius habitantium, nuper certam nobis porrexissent supplicationem contra carnifices carnificerie seu marcelli[1] (*sic*) Sancte Genovefe Paris., supplicassentque per nos eisdem super contentis in dicta requesta seu supplicatione de competenti et gratioso remedio provideri; nos vero pro celeriori expeditione premissorum dictam supplicationem seu requestam dilectis ac fidelibus gentibus nostris nostrum presens Paris. parlamentum tenentibus remisissemus, qui ad instanciam universitatis scolarium, religiosorum et habitancium predictorum coram ipsis ad certam diem nuper elapsam fecerant dictos carnifices adjornari, constitutis ob hoc in dicta curia supplicantibus antedictis ac procuratore nostro pro nobis, quatinus quemlibet ipsorum tangebat, actoribus ex una parte; et religiosis viris abbate[2] et conventu monasterii Sancte Genovefe Paris. ac Petro Adelme, Roberto Galtheri, Guilloto Rigaudi, Johanne Blondelli, Theobaldo de Arvernia, Oudino le Besgue, Johanne Valaise, Symone de la Fere, Reginaldo de Brueuil, Matheo Fabri, Bertheloto de Capella, Thoma du Friche, Johanne Perier, Laurencio le Chagre[3], Reginaldo Evrardi, Adam de Caprosia, Jacquemardo Veron[4], Simone le Chagre, Ricardo Guerini, Johanne de Paloisel, Guillermo Alorge, Roberto Laurileux et Guillermo Chastellet, dicte carnificerie carnificibus, quatenus quemlibet ipsorum tangebat, defensoribus ex altera; ex

parte dictorum actorum extitit propositum, quod, licet ab antiquo in dicta carnificeria essent et esse deberent numero octo carnifices dumtaxat vel circa, licet etiam per certas ordinationes regias nuper editas[5] carnifices dicte carnificerie fossas, cloacas seu stillicidia in suis domibus vel jardinis habere non deberent ad cruorem seu sanguinem animalium, que occidebant et occidunt, recipiendum, nec dictum cruorem seu sanguinem aut alias immundicias dictorum animalium in dictis suis domibus, cloacis seu fossis retinere aut per stillicidia emittere et in vicum projicere non possent vel deberent, sub certis penis in dictis ordinationibus contentis adversus seu contra dictarum ordinationum infractores pro qualibet vice qua contraria facerent impositis et inflictis, nichilominus dicti carnifices erant et sunt ad presens in dicta carnificeria triginta quatuor vel circa, et de die in diem eorum numerum excessivum augmentare nitebantur et nituntur, animaliaque in dicta carnificeria vendita et vendenda in propriis domibus occidebant, et ipsorum cruorem seu sanguinem cum pluribus aliis eorum immundiciis per certa stillicidia ad hoc apta et preparata in dictum vicum tam de nocte quam de die assidue projecerant et projiciebant, plures vero de dictis immundiciis in suis cloacis et fossis includebant et reponebant, ex quibus seu propter que aer per totum vicum predictum et alia loca circumvicina pestilans ac fetidus reddebatur et periculosus. Que facta fuerant et erant in dictorum actorum et aliorum habitantium horrorem, grave corporum suorum periculum ac prejudicium non modicum, contra dictas ordinationes temere veniendo ac penas in eisdem contentas multipliciter incurrendo, ut dicebant. Quare petebant dictos carnifices ad numerum antiquum reduci, ipsosque condempnari et compelli ad occidendum et preparandum decetero extra villam Parisiensem in loco ad hoc apto dicta sua animalia in dicta carnificeria vendenda, necnon obstruendum seu obstrui faciendum suis propriis sumptibus et expensis dictas eorum cloacas et fossas de tali materia, quod decetero immundicias predictas aut aliquid aliud non recipiant aut recipere valeant, necnon ad demoliendum ac destruendum dicta eorum stillicidia, sibique per dictam curiam nostram sub certis magnis penis inhiberi, ne decetero premissa aut aliqua premissorum committant, sed ab inceptis penitus et perpetuo desistant, ipsosque et eorum singulos in solidum ad hoc et ad emendandum nobis pro qualibet vice, qua premissa commiserunt, de sexaginta solidis paris., aut de tali emenda quali curie nostre videbitur, necnon in expensis actorum predictorum condempnari, pluribus aliis racionibus super hoc allegatis.

Ex parte vero dictorum defensorum, quatinus ipsorum quemlibet tangebat, propositum extitit ex adverso, quod religiosi predicti soli et in solidum ad causam fundacionis dicti sui monasterii erant suique predecessores fuerant a tanto tempore, quod de contrario hominum memoria non extabat, in possessione et saisina creandi et instituendi carnifices in dicta carnificeria usque ad talem et tantum numerum, qualem sibi videbatur expedire; dicti eciam carnifices et eorum predecessores carnifices in dicto loco consueverant per dictos religiosos creari et institui in tali et tanto numero, quali eisdem religiosis expedire

videbatur, et de hoc fuerant et erant in possessione et saisina per tempus et tempora supradicta, nec erat inconveniens, ymmo rei publice, presertim totius ville Parisiensis intererat et expediebat dictos carnifices in majori numero creari et institui in dicto loco quam hactenus creati extitissent, attento plate[6] patrie statu, in qua propter impedimentum guerrarum pauciores reperiuntur carnifices quam antea consueverint reperiri, propter quod dicte patrie habitantes ad dictam carnificeriam et ad alias carnificerias Parisienses pro suis neccessitatibus affluebant. Proponebant etiam.....

Pluribus igitur hinc inde tam replicando quam dupplicando propositis, tandem auditis partibus antedictis in omnibus, que circa premissa dicere et proponere voluerunt, visis ordinacionibus et requesta predictis, consideratisque ipsarum partium racionibus et attentis omnibus que curiam nostram predictam circa hoc movere poterant et debebant, curia nostra predicta omnes et singulos carnifices predictos ad implendum et obstruendum seu impleri et obstrui faciendum suis propriis sumptibus et expensis cum calce et arena seu sabulo cloacas et fossas suas predictas, necnon ad destruendum stillicidia sua facta seu preparata ad effusionem cruorum et immundiciarum predictarum per arrestum condempnavit et condempnat; ordinavitque et ordinat dicta curia quod carnifices predicti et alii qui decetero pro tempore fuerint in dicta carnificeria animalia sua extra villam Paris. in loco ad hoc apto supra riperiam vel aquam fluentem occidant ac mundent et preparent, eaque taliter preparata et mundata ad dictam carnificeriam pro vendendo deferri faciant. Injunxitque et injungit dicta curia nostra carnificibus antedictis et eorum cuilibet quod premissa, prout per dictam curiam, ut premittitur, fuerunt ordinata, diligenter faciant et adimpleant, nec contrarium decetero faciant vel commitant sub pena decem libr. paris. mediatim nobis et mediatim dictis religiosis applicanda pro qualibet vice, qua contrarium fecisse reperientur, et sub pena privacionis dicti officii seu artificii carnificerie, ordinacionibus antedictis in ceteris nichilominus in suo vigore durantibus. Et insuper dicta curia quemlibet de dictis carnificibus superius nominatis pro perpetratis et commissis per eos hactenus contra ordinaciones predictas erga nos in emenda sex libr. paris. per idem arrestum condempnavit et condempnat, reservavitque et reservat dicta curia in nostro futuro proximo Parlamento ordinare ac facere jus de et super restriccione numeri carnificum predictorum per actores petita et per dictos deffensores contradicta, expensas in hac causa factas hinc inde compensandas et ex causa. — Pronuntiatum vij^{a} die Septembris, anno LXVI°.

BUCY.

Arch. nat. Paris. X^{1a} 20, fol. 391. — Ibid. Livre rouge 3 du Chastelet, Y. 3, fol. 96, in forma litterarum regis Caroli. « In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus litteris jussimus apponi. Datum Parisius in Parlamento nostro, die vij Septemb., an. Dom. mill. trecent. sexag. sexto, et regni nostri tercio ».

1. « seu marcelli » om. Livre rouge. — 2. Johanne de Bassemain, abbate S. Genovefae ab an. 1363 (non 1364, ut alias scribitur), Junii 9, per obitum Johannis (Reg. Aven. Urb. V, vol. VI, fol. 69), cum prius fuisset abbas monast. S. Martini in Besta (Bosco) ejusd. Ord., Belvacens. dioec., et quidem ab an. 1352, Maii 20 (Reg. Vat. Clem. VI, n° 206, f. 38, « monast. S. Martini de Ruricurte in nemore »), et primo abbas B. Mariae de Bolonia Morin. dioec. *Gall. christ.* ubique imperfecte.

— 3. Livre rouge · « tagre ». — 4. Ibid. « Beron » — 5. Vid. supra nº 1283. — 6. Notatu dignum, derivatum e voce Gallica *plat* (pays plat).

1327. *Electio rectoris. De fundando collegio octo scholarium; de renovatione juramenti praepositi Paris.; de carnificibus in vico S. Genovefae.*

1366, Junii 23-Septembris 16, Parisiis.

Anno Domini 1366 vigilia beati Johannis Baptiste electus fuit in rectorem Universitatis Parisiensis magister Johannes Petri[1], canonicus Aboensis ac curatus ecclesie [de] Sunda ejusdem dyocesis de regno Suecie. In cujus rectoria licet plura sint acta, tamen ob memoriam futurorum hic sequentia sunt inserta.

Primo, quamvis magister Moraldus[2] magister in theologia viginti annis et amplius nomine Universitatis litigaverit contra quendam Goufredum Roffleti super fundando quodam collegio ex parte episcopi Macloviensis, et ad finem debitum pervenire non potuerit, nichilominus ixª die mensis Julii per modum concordie amicabiliter inter partes taliter fuit factum, videlicet quod idem magister Goufredus daret cautionem sufficientem pro fundando collegio octo scholarium, videlicet quatuor in domo Laudunensi et quatuor in domo Macloviensi, et quod quilibet eorum septimanatim pro bursa haberet octo solidos parisiens., et inciperet dare bursas in festo Natalis Domini proxime sequenti, redditibus vero sufficientibus pro talibus bursis ordinatis, infra xx miliaria prope Parisius redibunt ad ipsum illa que loco cautionis erant data. Promisit etiam quod secundum conscientiam suam melius faceret, si posset obligatione alia non astrictus. Et super ista concordia sic facta ad requestam utriusque partis, puta Universitatis et predicti magistri G., et unanimi consensu ipsorum latum fuit arrestum in Parlamento, et condemnatus fuit predictus magister G. ad omnia supradicta.

Item prepositus Parisiensis[3] licet distulerit et cum magna cautela protraxerit ne recognosceret se jurasse vel renovaret suum juramentum, et de hoc Universitas sustinuisset[4] labores plurimos per tres annos, quia prepositus dixit se non teneri renovare[5] juramentum in aliqua ecclesiarum Parisiensium, Universitate contrarium asserente, quia sui predecessores hoc fecerunt, nec umquam visum fuit contrarium : finaliter ipse comparuit cum suis servientibus in Sancto Eligio[6] coram deputatis Universitatis, videlicet rectore et quatuor procuratoribus et sex magistris in theologia, videlicet magistro Johanne Falista et magistro Johanne[7] regente in domo Augustinensium, aliis absentibus, sed loco ipsorum aliis etiam assumptis; ex parte decretistarum decano ipsorum magistro Johanne Tonsoris, et magistro Johanne Scoti deputato ex parte absentis; ex parte medicorum magistro Petro Lupi et aliis quamplurimis magistris et scolaribus. Lecto igitur quolibet articulo privilegii per magistrum Dyonisium Flatonis verbis latinis particulariter, sigillatim et dearticulate, et exposito etiam eodem modo in Gallico per dominum prepositum satis pulchre, quamvis dixerit suis servientibus quod prius ista non juraverit tamquam sibi impossibilia, finaliter tamen post multas altercationes hinc inde factas promisit fide media se omnia servaturum

secundum posse suum, dolo et fraude exclusis, et suis servientibus idem mandavit sub juramentis ipsorum et sub omni pena quam eis infligere possit, si in contrarium venirent, protestatione semper facta ne locus in quo juramenta renovavit vel quecunque alia ibidem dicta vel facta nostris privilegiis in aliquo in posterum prejudicium generarent.

Item latum est arrestum contra macellarios in vico Sancte Genovefe per dominos de Parlamento ad requestam Universitatis[8]. Primo, quod facerent mundari fossas et latrinas expensis propriis, quas impleverant immundiciis animalium; condemnato nichilominus quolibet ipsorum ad sex libras parisiens.

Item quod nunquam mactarent in vico predicto bovem, mutonem vel porcum, adhibita super hoc certa pena et emenda pecuniaria, et sanguinem seu immundicias animalium ad vicum non projicerent; contrarium facientes emenda x[9] librarum parisiens. punirentur.

Item quod in curia conservatoris libellus super aliqua causa non reciperetur, nisi nomen formantis libellum post finem libelli inferius poneretur[10].

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 145. — Bulaeus, IV, 393.

1. An. 1368, Nov. 8, in episc. Aboens. confirmatur (Reg. Aven. Urbani V, vol. XVII, f. 124). — 2. Seu Morardus, Monrardus de Martiniaco, qui supra nº 1262 in rotulo. — 3. Scilicet Johannes Bernier In *Recueil des privilèges de l'Université de Paris*, p. 281, apud Bulaeum, IV, 393, et Jourdain, nº 709, perperam Hugo Aubriot. — 4. Ms. « sustinuasset ». — 5. Attamen praescriptum erat juramentum renovare de biennio in biennium. Vid. *Chartul.*, II, 624. — 6. Vid. supra nº 1325, e quo apparet hoc evenisse Aug. 20, vel postea — 7. Johanne Romani ? — 8. Vid. supra nº 1326. — 9. Ms « lx », Bul. · « 60 ». Sed vid. supra p. 155. — 10. Vid. infra p. 160.

1328. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiensi, ut Angelo de Urbeveteri, Ord. fratrum Eremit. S. Aug., baccalareo in theologia, qui libros Sentent. Parisius legit, in scholis per plures annos actus scholasticos ad baccalareatum pertinentes exercendo, quique de consuetudine studii Parisiens. post annum post festum Nativitatis Domini proxime venturum immediate futurum magistrari deberet, per magistros dicti Ord. ad magisterii gradum praesentatus, infra unum mensem a tempore receptionis praesentium magisterii honorem et docendi licentiam largiatur.* Dat. Avinione iiij non. Octobris, anno quarto. « Viri sacre »

1366, Octob. 4, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. XIV, fol. 263.

1329. *Supplicat Urbano V Johannes Gilberti, Ord. Praed., s. theologiae baccalareus in Universitate Oxoniensi formatus, ut (cum ipse olim quamdam quaestionem inter fratres sui Ordinis ex parte una, et cancellarium et magistros Universitatis praedictae ex parte altera, in curia Romana ac etiam in Anglia pro suo Ordine fuerat prosecutus, et exinde malas grates praedictorum cancellarii et magistrorum Universitatis incurrerit, sic quod inibi ad gradus scholasticos promoveri non valet[1]) in studio seu Universitate Parisiensi in scholis secundis fratrum vel aliis in villa legere Sententias valeat ut baccalareus, et postea anno sequenti incipere in theologica facultate ibidem.* — Placet quod secundum formam et modum, secundum quos debebas recipi in Anglia, recipiaris Parisius. B. — Sine alia lectione. — Fiat. B. — Dat. Avinione quinto id. Octobris, anno quarto.

1366, Octobris 11.

Reg. Vat. Suppl. Urbani V, pars unica (an 4), fol. 325. — Mandatum apost. ad cancell Paris. tribus annis post tantum directum est · « Dat. Rome apud S. Petrum, xviij kal. Febr , an. septimo » (1369, Januar. 15), ibique dicitur, Johannem Oxoniae « gradum bacallariatus » suscepisse, et propter quandam causam Ordinis, quam contra Universitatem Oxoniensem

prosecutus est, « extra cancellarii et Universitatis gratiam » existere. « Viri sacre lectionis ». Reg. Vat. Aven. Urb. V, vol. XX, fol. 420. — An. 1372, Martii 17, Johannes, tum baccal. in theologia, factus est episc. Bangorens. (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XIV, fol. 154), an. 1376, Jul. 2, episc. Herefordens. (Reg. Greg. XI, nº 290, fol. 141), an. 1389, ante Maii 22, ab Urbano VI, translatus ad sedem Meneven. (Oblig. in Arch. Vat., nº 48, fol. 82b). Cf. etiam Quétif-Echard, I, 653.

1. Eodem anno ab Universitatibus Oxoniensi et Cantabrigiensi supplex libellus apud regni ordines porrigebatur, in quo querela de mendicantium juris academici contemptu instituebatur. Wood, *Hist. Univers. Oxon.*, I, 182; *The Hist. and Antiquities of the University of Oxford*, I, 480.

1330. *Electio rectoris Johannis de Trelon.*

1366, Septemb. 16-Decemb. 16, Parisiis.

Anno Domini 1366, xvj die mensis Septembris, fuit electus in rectorem pro secunda vice[1] magister Johannes dictus de Trelon de Malincuria via Spiritus Sancti. Et fuerunt intrantes magistri Dyonisius Flatonis, Johannes Bardoul[2], Henricus Herout et Jacobus de Hollandia. Et habuit laborem immensum pro inhibitionibus factis conservatori, rectori et promotori ex parte regis et dominorum de Parlamento[3].

Item pro rotulo directo ad dominum papam Urbanum V[4], cujus totum onus habuit; tamen non fuit positus in eo tanquam rector.

Item pro vino arrestato in Secana per prepositum mercatorum, licet illud vinum pertineret ad collegium de Choletis.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 146b. — Bulaeus, IV, 394.

1. Prima vice ante an. 1365, Martii 24. Vid. supra nº 1307, *Picard*. — 2. Vid. infra ad an. 1379, Sept. 7. — 3. Sed vid. infra nº 1332. — 4. Iste rotulus non est conservatus.

1331. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Paris., ut Richardum de Bellomonte, can. Ebroicens., baccalareum in theol., Johannae reginae Franciae secretarium et magistrum in artibus (qui per tanta tempora Parisiis in theologica facultate studuit, quod nisi eum Carolus, rex Francorum, in hujusmodi servitio detinuisset, jam in eadem facultate in studio praedicto magisterii honorem suscepisset, eidemque idem rex, ut per annum librum Sententiarum legat, licentiam recedendi ab hujusmodi officio dare recusat), ad legendas Sententias in duabus proxime futuris vacationibus, in quibus fere tot erunt lectiones prout in ordinario, admittat, si per ejus et saltem quatuor magistrorum dicti studii in eadem facultate examinationem ad hoc idoneus repertus fuerit, quamvis secundum communem stilum praedicti studii adhuc unum cursum Bibliae, antequam ad dictam lecturam admitteretur, deberet legere.* Dat. Avinione x kal. Januarii, anno quinto. « Viri sacre ».

1366, Decembris 23, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. XV, fol. 323.

1332. *Carolus V, Francorum rex, privilegia Universitatis ante concessa confirmat, et causas quae ad eorum beneficia spectant a conservatore privilegiorum cognoscendas fore, statuit.*

1367, Martii 18, apud Luparam.

Karolus, Dei gratia Francorum rex, universis presentes literas inspecturis salutem. Gravem querimoniam dilecte filie nostre universitatis magistrorum et scolarium Parisiens.

recepimus, continentem quod cum a sancta sede apostolica eisdem indultum existat, ut universi magistri et scolares in Dei ecclesia beneficiati in studio Parisiensi actu studentes in qualibet facultate licita insistendo studio, fructus, redditus et proventus omnium beneficiorum suorum usque ad septennium integre possint percipere, cotidianis distributionibus duntaxat exceptis, ac si in ecclesiis sive locis in quibus obtinent, personaliter residerent[1]; necnon tam a dicta sancta sede, quam predecessoribus nostris Francorum regibus et nobis, veniendo ad dictum Parisiense studium, in ipso morando, actu studendo, et ab eodem ad propria redeundo, ipsi et eorum principales servitores, utpote conservator privilegiorum, sigillifer curie et quatuor facultatum principales bedelli, a pedagio et quacumque exactione sint immunes et exempti[2]; et virtute privilegiorum a dicta sancta sede eidem Universitati indultorum detentores, occupatores, impedientes, fructusque, redditus, exitus et proventus et arreragia dictorum suorum beneficiorum, juxta formam et tenorem dictorum privilegiorum, solvere recusantes, et quoscumque ab ipsis pedagia et exactiones quascumque recipientes et levantes, coram conservatore dictorum privilegiorum citare et ad judicium evocare, ac ipse conservator de premissis cognoscere, eosque ad reddendum et solvendum eisdem magistris et scolaribus fructus, redditus, exitus et proventus ac arreragia sibi debita, ratione dictorum suorum beneficiorum, necnon ad desistendum et cessandum a detentione, occupatione et impedimento per ipsos in ipsis fructibus, redditibus, exitibus, proventibus et arreragiis appositis, et ab ipsis ablata reddendum et restituendum, censura ecclesiastica cogi et compelli, a tempore concessionis dictorum privilegiorum, a quo tempore non est memoria hominum, et de eisdem cognoscere consueverint: nichilominus tamen dilecti et fideles consiliarii nostri parlamentum nostrum Parisiense tenentes, prepositus Parisiensis, nonnullique justiciarii regni nostri, de die in diem, eisdem magistris et scolaribus, ac conservatori dictorum privilegiorum, ex parte nostra, sub certis et diversis penis nobis applicandis, inhibuerunt et inhibent, ne de dictis redditibus, fructibus, exitibus, proventibus et arreragiis dictorum beneficiorum eisdem magistris et scolaribus debitis ac de receptis per dictos pedagiarios et exactores, seu exactiones recipientes et levantes, cognoscat[3], nec per dictum conservatorem cognosci procuret[ur], dicentes causas ipsas fore mere reales, et ad ipsos consiliarios et justiciarios forumque nostrum de eisdem cognoscere debere spectare. Propter quod cum instantia et humilitate nobis supplicaverunt quod, cum eisdem magistris et scolaribus esset grave et sumptuosum, pro qualibet actione seu querela, ratione premissorum coram prenominatis nostris consiliariis et judicibus comparere, ipsosque oporteret totaliter suum dimittere studium, maxime cum plures de dictis debitoribus, detentoribus, occupatoribus, levatoribus et exactoribus interdum de extra regnum nostrum fore contingat, quatenus de nostra speciali gratia eisdem consiliariis nostris, preposito et judicibus regni nostri inhibere, ne decetero tales vel consimiles inhibitiones dictis conservatori, magistris et scolaribus facerent, sed predictis immunitatibus et libertatibus ac privilegiis uti et gaudere, ac predictum conservatorem de pre-

missis cognoscere permitterent, et alias super premissis de remedio providere dignaremur opportuno. Nos vero .... tenore presentium concedimus, quod conservator dictorum privilegiorum de premissis cognoscat, dum tamen conclusio libellorum seu petitionum fuerit personalis[4]. Inhibentes eisdem nostris consiliariis, preposito Parisiensi, ceterisque justiciariis regni nostri, ne decetero eisdem conservatori, magistris et scolaribus tales vel consimiles inhibitiones de et super premissis faciant seu fieri precipiant et procurent, sed nostra presenti gratia uti et gaudere ac dictum conservatorem de premissis modo pretacto cognoscere permittant. In cujus rei testimonium nostrum presentibus literis fecimus apponi sigillum. Datum apud Luperam prope Parisius xviij die Martii, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, et regni nostri tertio.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 66[a], n° 23. Deest sigillum. Pertinebat ad Arch. Univers. (A. 6. p.). In plica « Per regem in suo consilio. COLLORS ». — Ibid. X[1a] 8602, fol. 1 (charactere an. 1552), originali collatum; et fol. 96[b], ubi tamen textu alterato et abbreviato. In margine scriptum est : « Non tenetur istud privilegium, sed alterum de novo et ad longum circa principium hujus voluminis (fol. 1) ex ordinatione curie registratum, et cum originali collationatum » — Arch. Univers. Paris., thec. V, B. 3. m. (saec. XVI) cum textu abbrev. e X[1a] 8602, fol. 1, in *Ordonn. des rois*, IV, 710, ubi et lectiones variantes e fol. 96 afferuntur. Bulaeus, IV, 394, ex orig. *Recueil des privilèges*, sicut in X[1a] 8602, fol. 96[b].

1. Vid. *Chartul.*, II, n° 1120. – 2. De his passim in *Chartul.*, II, et supra n° 1251. — 3. I. e. conservator. — 4. Supra p. 157.

1333. *Electio rectoris Johannis de Dunghen.*

1367, Martii 24, Parisiis.

Anno Domini 1366[1], die 24 mensis Martii, videlicet in profesto Annunciationis beate Virginis Marie, facta congregatione facultatis more solito apud S. Julianum Pauperem ad eligendum novum rectorem per venerabilem et discretum virum magistrum Johannem de Trelon, fuit electus in rectorem Universitatis Parisiensis magister Johannes de Dunghen de Brabantia Leodiensis dyocesis, qui valde invite onera rectorie acceptavit. Et fuerunt intrantes magister Guillelmus de Marchia, magister Clemens Calati, magister Thomas Durandi et magister Marcilius de Ynghen.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 146[b]. — Bulaeus, IV, 395.

1. Secundum stilum Gallicanum, ut etiam apparet e n° sequenti, Maii 18, ubi idem rector Johannes de Dunghen affertur.

1334. *Statutum facultatis artium, quando magistri artium mane suas lectiones legere incipiant.*

1367, Maii 18, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis, rector Universitatis Parisiensis, necnon omnes et singuli magistri facultatis artium, salutem in cunctarum rerum omnipotenti conditore. Testatur rationis equitas, quod ex temporum variatione novis insurgentibus morbis, novis studeamus remediis, priusquam morbi nimis invalescant, solerter eisdem obviare, ne mor-

bus propter ipsius diuturnitatem nimiamque invalescentiam incurabilis efficiatur. Cum igitur nonnulli magistrorum nostrorum in facultate nostra regentium intrare scolas suas ad legendum de mane nimis tarde incipiant, easdemque circa primas Beati Jacobi, aut circa pulsum Carmelitarum pro secunda missa consueverunt introire (quo tempore suas lectiones secundum antiquam consuetudinem merito pro majori parte deberent finivisse), unde ipsis magistris, eo quod lectiones suas in sacra pagina audire nequeant, generatur prejudicium, [et] scolaribus, eo quod aptiorem partem diei sompno deducunt, damnum, in nostreque facultatis nimiam infamiam (eo quod modus laudabilis predecessorum nostrorum dimittitur, et pro eodem minus bonus inducitur) cedit et gravamen : hinc est, quod nos omnes et singuli magistri per nostrum juramentum ad nostre facultatis congregationem apud S. Maturinum celebrandam ad statuendum congregati anno Domini M CCC LXVII, mensis Maii die xviii, hora prime, vocatique per venerabilem et discretum virum magistrum Johannem de Dunghen, nationis Picardie, pro tunc Universitatis Parisiensis rectorem, antiquas consuetudines laudabiles nostre facultatis tenere, novasque egritudines preservationibus utilibus precavere cupientes, prout debitum juramenti nos et unumquemque nostrum ligat et adstringit, de unanimi consensu nationum, videlicet Gallicane, Picardie, Normanie et Anglicane singulorumque magistrorum earundem statuimus, necnon ordinavimus et in perpetuum duximus observandum :

Quod decetero singuli magistri Paris. in artium facultate regentes scolas suas modo a nostris predecessoribus solito, scilicet in pulsu campane seu clinketi Carmelitarum, qua vel quo pulsant ad primam missam apud eos celebrandam, quocunque nomine nominetur, intrent, lectionesque suas legere incipiant secundum consuetudinem antiquorum memoratam, eodem tempore quo bachalarii in decretis, vel magistri in medicina legentes de mane lectiones suas incipere consueverunt, fraude tamen et dolo in statuto premisso omni modo semotis. Volumusque quemlibet magistrum regentem decetero modo prenarrato scolas suas ad intrandum virtute statuti per eum jurati fore obligatum. In cujus rei testimonium perpetuumque vigorem sigillum rectoris una cum sigillis quatuor nationum prenominatarum presentibus litteris duximus apponendum. Datum et actum in congregatione nostre facultatis tam regentium quam non regentium propter hoc specialiter vocatorum anno, mense, die, hora quibus supra.

Mus Britann. ms. add. 17304, fol. 113b. — Bulaeus, IV, 412.

1335. *Stephanus de Fontanis solitum juramentum librariorum et satisdationem praestat. Nomina librariorum simplicium.*

1367, Octobris 4, Parisiis.

Universis presentes literas inspecturis officialis Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis personaliter constitutus Stephanus de Fontanis commorans

Parisius, diu est, de novo receptus et admissus per rectorem Universitatis Parisiens. ad officium librarie in urbe Parisiensi exercendum, prius ad hoc sufficiens et ydoneus repertus ex relatione juratorum in tali officio. Quapropter dictus Stephanus, quoad predictum officium fideliter exercendum, et scolares venditores et emptores ab eodem libros, ratione dicte mercature de vicio et empcione et aliis indempnes penitus observando, spontanea voluntate obligavit coram nobis omnia bona sua mobilia et immobilia quocumque et ubicumque existencia poterunt inveniri, usque ad summam et valorem quadraginta libr. paris., se quoad hoc jurisdiccioni et cohercioni curie Parisiensis specialiter supponendo, ubicumque se duxerit transferendum, renuncians in hoc facto per ejus fidem et juramentum ad sancta Dei evangelia, ab eodem corporaliter coram nobis prestitum, omnibus excepcionibus quibuscumque, tam juris quam facti, canonici et civilis, que contra tenorem presentem dici possent modo quolibet vel opponi, juri eciam dicenti generalem renunciacionem non valere. In cujus rei testimonium sigillum curie Parisiensis presentibus literis duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo, die lune post festum beati Michaelis Archangeli.

J. DE FONTE.

Arch. nat. Paris. M. 68, nº 44. Pertinebat ad Arch. Univers., sign. D. 18. oo. — In parte aversa : « Litera obligatoria Stephani de Fontanis librarii ». — *Actes concernans le pouvoir et la direction de l'Université de Paris sur les écrivains*, etc. (Paris., 1652), p. 12. Satisdatio librariorum simplicium communiter fuit 40 vel 50 libr., quandoque plus.

An. 1372, Febr. 28, satisdationem praestiterunt Yvo de Run et Marion uxor ejus, librar. (Arch. nat., nº 47). An. eodem, Octob. 7, Jehan Garrel, dit de Chartres, cui « le recteur de l'Université de l'estude de Paris avait donné l'office et mestier de vendre livres et acheter tant en laditte ville de Paris comme ailleurs » se obligavit (ibid., nº 48), et quidem per 20 libr., quia extra Parisios ad S. Dionysium morabatur. — An. 1373, Nov. 29, Joh. Valentis de Verduno librar. se obligavit ut Stephanus de Fontanis (nº 49), eodemque modo an. 1375, Sept. 29, libr. Johannes Posteli, Constant. dioec. (nº 50, iterumque an. 1387, Octob. 4, ibid., nº 75). Ad an. 1377, Maii 26, invenimus Yvonem Kaerloquet (?), dioec. Leon., libr., satisdantem 100 libras (nº 58); ad an. 1378, Maii 29, Martinum Olearii (Luillier), libr., pro quo fidejussit ejus avunculus Henricus Olearii (Luillier), librarius principalis (nº 45), et Robertum Scutiferi, illuminatorem librorum et librarium (nº 54). — Junii 5 ejusdem anni Guillelmus Gorran, rector Univers., recipit Stephanum dictum Angevin, scriptorem, Senon. dioec. in scriptorem et librarium (nº 57; *Actes concernans*, etc., p. 16; Bul., IV, 461; Kirchhoff, *Die Handschriftenhändler des Mittelalters*, p. 175; P. Delalain, *Étude sur le Libraire Parisien*, p. 52, nº xv), sed jam Jun. 3. Stephanus recepit litt. testimon. officialis (nº 56) sicut Johannes dictus Cornete, scriptor et librarius (nº 55). — Eodem an. 1378, Aug. 31, Gauthier (non « Gaucher », ut in impressis) Beliart juramentum praestitit (ibid., nº 59; *Actes concernans*, etc., p. 16; Bul., IV, 462; Kirchhoff, p. 174; P. Delalain, l. c., p. 53, nº xvi), et pro ipso an. 1380, Febr. 27, fidejusserunt Jehan de Gauchi libr. et Philibert Langele illuminator (ibid., nº 62). — An. 1379, Decemb. 10, se obligavit Johannes le Beloys, Noviom. dioec., librar. (nº 60); an. 1380, Januar. 9, Guillelmus Guenon, cler. Corisop., librar. (nº 61), qui an. 1384 Decemb. 14, quia tunc unus quatuor principalium librariorum, satisdationem augere debuit; pro ipso fidejussit Olivier de l'Empire[1], librarius principalis (nº 67). — An. 1380, Febr. 27, se obligavit Jehan Gauchy, « libraire demeurant à Paris, à la porte S. Denys près de Filles Dieu » (nº 63), et Aug. 11, Johannes Cauchon, libr. et illuminator in vico Pergamenorum (nº 64), quem sub eadem temporis nota Dominicus Parvi, rector Univers., admisit (nº 65). — An. 1383, Septemb. 12, Thomas de Bencuria, rector Univers., Petrum Dareynes, illuminatorem, declarat (nº 66; *Actes concernans*, etc., p. 18). Sic an. 1385, Oct. 26, rector Univers., Johannes Piscis, post juramenta licentiam vendendi etc. libros dedit Johanni de S. Lupo, cler. Rem., librar. (nº 68); 1387, Febr. 23, rector Univers. (Johannes Moraine) Johanni Monachi, pergam. et libr. (nº 69; *Actes concernans*, etc., p. 18); et Octob. 4, rector Univers. (Yvo Helye) Petro de Villiers, libr. (nº 70), Stephano Baudin, libr. (nº 71), Johanni Danelios, alias Pitart, libr. (nº 72), Roberto Muet, libr. (nº 73), Jacobo Richier, libr. (nº 74) et Jacobo Postel, de quo jam supra. — An. 1387, rector Univers. (Hugo de Landau, seu, ut scribitur, Laudaw, Laudann), post juramenta admisit, Oct. 21, Jacobum de Vadis, libr. et stat. (nº 76), Nov. 29 Robertum Jaquin, libr. et stat. (nº 77; *Actes concernans*, etc., p. 19), Dec. 10 Petrum Donnedieu[2], libr. (nº 78) et Uguelmum de Campodiverso, libr. (nº 79), Dec. 14 Guillelmum Moustardier, libr. (nº 80). — An. 1388, Sept. 3, rector Univers. (Petrus de Ruella) Symonem Millon, librar. et ligatorem librorum declarat (nº 81; *Actes concernans*, etc., p. 20). An. 1389, Dec. 5, rector Univers. (Matthaeus Roeder) post juramenta admisit Johannem Fourre, libr., stat. et papi-

21.

rarium (nº 83). — An. 1391, Jul. 31, Charles Garineau, libr. (nº 84), Aug. 5, Colinus Gondran, cler., libr., satisdationem praestiterunt (nº 86); Oct. 20, rector Univers. (Ricardus Rallardi) Jacobum de Vadis, de quo supra, admisit (nº 85). — An. 1393, Januar. 4, maistre Nicole le Sourt, libr., idem (nº 87); an. 1394, Januar. 24, Jehan Pennier, licentiam accipit exercendi « l'office de librairie et la marchandise qui y appartient » (nº 88).

Caeterum vid. de istis P. Delalain, *Etude sur le Libraire Parisien du XIIIe au XVe siècle* (Paris, 1891), imprimis p. 39 sqq. De librariis principalibus, qui satisdationem 200 libr. praestare debuerunt, vid. infra nº 1407 ad an. 1376, Januar. 21, et num 1346.

1. Vid. *Bibl. de l'Ecole des chartes*, V, p. 82; Delisle, *Cab. des mss.*, I, 102, 103. — 2. Namur, *Hist. des bibliothèques publ. de Bruxelles* (1840), p. 11, eum vocat « Paul » Donnedieu, et sic etiam Kirchhoff, l. c., p. 97. Duci Philippo Burgundiae inter alia duo Antiphonaria magna et illuminata vendidit pro pretio 998 franc.

1336. *Electio rectoris. De privilegio regis pro conservatore privilegiorum; de juramento novi praepositi Paris.*

1367, Junii 23-Octobris 10, Parisiis.

Anno Domini 1367, in vigilia beati Johannis Baptiste, electus fuit in rectorem Universitatis Parisiensis magister Arnestus de Wulven[1], alias dictus de Hollandia, Trajectensis dyocesis. Et fuerunt intrantes magister Oudardus Billeti[2] nationis Francie, magister Johannes Casier nationis Picardie, magister Henricus Herout nationis Normannie, et magister Macharius de Dacia nationis Anglicane. In cujus rectoria licet plura sint acta, tamen ob memoriam futurorum hec sequentia sunt inserta.

Primo, quamvis prius plures fuerint molestationes in Universitate de causis cognoscendis a domino conservatore privilegiorum nostrorum de pedagiis et exagiis et quibuscumque aliis, et pluries Universitas pro illis labores magnos sustinuit, tamen pro ista rectoria obtinuimus unum privilegium expressum regale sigillatum sigillo regio[3], quod de omnibus causis personalibus quecunque essent ille tangentes scolares Universitatis predicte solus conservator cognosceret, et omnes alii sive de Castileto, sive quicunque alii suas subtrahant manus ab hujusmodi scolaribus Parisiensibus, ne de talibus causis cognoscant.

Item[4] novus prepositus Parisiensis, scilicet Hugues Aubriot[5], licet pluries recusaverit prestare juramentum suum et magnos habuerimus labores, antequam venerat ad Universitatem juraturus, finaliter die decima mensis Octobris, anno quo supra, dictus prepositus in congregatione generali tam regentium quam non regentium per juramentum apud Sanctum Bernardum comparuit et ibidem juravit punctualiter et sigillatim et dearticulatim omnes articulos et quidquid in nostro privilegio regio continetur[6]; et hoc absolute et simpliciter, exceptis duobus articulis, videlicet de juramento civium Parisiensium quod eos et populum Parisiensem faceret jurare, et de scolaribus reponendis in locis vel in domibus intra quas caperentur. Et istos duos articulos juravit servare pro posse suo, sic intelligendo « pro posse », id est meliori modo quo potuerit, omni dolo et fraude exemptis, presentibus ad hoc in capitulo fratrum Berna[r]di Cisterc. Ord.[7] post sermonem, quoad theologos magistro Jo[hanne] de Hisden[8], magistro Simone Freron, dominis camere Parisiensis, et pluribus

aliis, ut instrumento publico super hujusmodi juramento recepto secundum ordinem facultatum recitatur.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 147. — Bulaeus, IV, 413.

1. Vid. de ipso *Auctarium Univers. Paris.*, I. — 2. Ms. : « Bilgeti ». — 3. Vid. nº 1332. — 4. Haec rubrica in *Recueil des privilèges de l'Université de Paris*, p. 281, et apud Jourdain, nº 696, perperam ad an. 1364 refertur, quasi Hugo Aubriot jam tunc temporis praepositus Paris. fuisset, cum tamen adhuc Johannes Bernier officio praepositurae fungeretur. — 5. Ms. : « Ambriot ». — 6. Vid. nº 1337. — 7. Ms. : « Fratrum Bernadistarum ». — 8. De quo supra nº 1305, ubi « de Hesdinio ».

1337. *Novus praepositus Paris., Hugo Aubriot, solitum juramentum praestat.*

1367, Octobris 10, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Hujus tenore presentis instrumenti cunctis pateat evidenter quod anno Nativitatis ejusdem Domini millesimo CCC° sexagesimo septimo, indiccione sexta[1], mensis Octobris die decima, circa horam terciam, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Urbani divina providencia pape quinti anno quinto, in mei publici notarii et testium subscriptorum presencia, astantibus in prioratu Beati Bernardi Paris. Cisterc. Ord. (videlicet in loco quo religiosi prior et conventus ejusdem prioratus capitulum suum tenere consueverunt) reverendis dominis et magistris meis Arnesto de Hollandia rectore et pluribus aliis magistris et scolaribus Universitatis Paris. ibidem cum magna multitudine congregatis ex una parte, et nobili ac prudenti viro Hugone Aubrioti preposito Parisiensi[2], quampluribus peditibus illustrissimi principis domini Karoli Dei gracia Francorum regis, in ejus Castelleto Parisiensi servientibus, cum non modico numero sociato ex parte altera, dictus prepositus (post lecturam dictorum privilegiorum predictis rectori, magistris et scolaribus per regiam majestatem concessorum, in quibusdam registris antiquis scriptis in verbis latinis et in cera viridi cum filis cericeis sigillatis litteris scriptorum et contentorum, per venerabilem et discretam personam, dominum Johannem de Leonibus presbyterum, nacionis Normanie scollarium dicte Universitatis bedellum, publice et alta voce factam et completam, facta prius super hoc per dictum dominum rectorem pro dicta Universitate summacione dicto preposito diligenter) contenta in certis clausulis in quadam cedula pergameni per dictum prepositum michi subscripto notario tradita transcriptis (de quibus cum clausulis paribus[3] in dictis regiis litteris contentis, tenendo dictam cedulam, dum dicte littere legerentur, ut est dictum, feci collacionem dilligentem, cujus eciam cedule tenor inferius est insertus) salvis obediencia et auctoritate dicti domini nostri regis, secundum quidem[4] dicti prepositi possibilitatem, fraude et dolo cessantibus, absque tamen prefatorum dominorum rectoris, magistrorum et scolarium prejudicio, tenere et observare tacto libro solempniter juravit, super quibus idem prepositus petiit a me fieri publicum instrumentum.

Tenor vero dicte cedule sequitur, et est talis :

« De securitate autem scolarium clericorum Parisiensium imposterum consilio hominum nostrorum hec ordinamus quod omnes cives Parisienses jurare faciemus », *etc. ut in Privilegio Philippi Augusti, Chartul. Univers.,* I, nº 1, p. 59, *usque* p. 60 *in fine* « juramento publice confirmabit[5] ». *Deinde :* « Item quia labilis est hominum memoria », *etc. ut in Privilegio Philippi IV in Chartul.,* II, nº 624, *usque* « Actum Parisius anno Incarnationis dominice millesimo trecentesimo primo, mense Martii ».

Deinde scribitur tenor cujusdam scripture a tergo dicte cedule in verbis Gallicis facte, quam venerabilis vir magister Guillelmus de Nivernis examinator in dicto Castelleto ex parte regia constitutus ad hoc presens ejus manu propria fecisse et signasse contenta quod in eadem vera fore asseruit et michi subscripto notario retulit viva voce, qui quidem tenor sequitur in hec verba : « Collacion des clauses contenues au blanc de ce present transcript est faite avec un instrument publique signé des seings de maistre Jehan Moret tabellion appostolique et imperial, et Jehan de Lions tabellion imperial, fait par maniere de vidimus des lettres royaulx contenans lesdittes clauses scellées en las de soye et cire vert de la date du xvij^e jour de Septembre CCC LXVII, le xxij^e jour de Septembre l'an dessus dit, par moy Guillaume de Nevers. »

Acta fuerunt hec anno, indiccione, mense, die, hora, pontificatu et loco supradictis, presentibus venerabilibus et circonspectis viris magistris Guillelmo de Sancto Germano procuratore generali et Johanne Pastorelli advocato dicti domini nostri regis in ejus curia Parisiensi Parlamenti, Guillermo Porelli procuratore et Vicencio Droardi advocato ejusdem domini in Castelleto prelibato, Petro de Gyen, Radulpho de Praelles[6] et Johanne de Chatou advocatis, Johanne de Tuillieres, Johanne de Barro, Roberto Parvi Clerici, Guillermo de Nyvernis predicto, Nicolao de Quercu ac Guillermo Dionisii examinatoribus, Johanne dicto Le Begue notario, Guillermo dicto Lonuroy, Johanne Salomonis et Girardo de Haya generalibus procuratoribus in Castelleto predicto, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et estoit escript au dessoubz empres le seing manuel dudit tabellion ce qui s'ensuit :

« Et ego Thomas Alani clericus Parisiensis apostolica et imperiali auctoritate publicus notarius », *etc.*

Arch. nat. Paris., Livre rouge vieux du Châtelet, Y 2, fol. 81 (antea fol. 71). — Vid. supra nº 1336.

1. Indictio Bedana secundum stilum Franciae. — 2. Fuit praepositus ab an. 1367, Septemb. 3, usque ad an. 1381, de quo etiam pluries. Universitati infensus fuit. Vid. infra ad an. 1380, Decemb. 15. — 3. Sic. Vid. Ducange-Henschel, V, 70. — 4. Ms. : « quod ». — 5. Notamus inter variantes : pro « in capitale Parisiensium scolarium », scribitur : « in capitali scolaris Paris. .... sed si visum fuerit illum esse arrestandum ». — 6. I. e. Raoul de Presles traductore librorum (v. g. *De civit. Dei* Augustini, *Bibliae*) in linguam Gallicam, et historiographo. Vid. Delisle, *Cab. des mss.*, I, 42, et III, 502; Le Roux de Lincy-Tisserand, *Paris et ses historiens*, p. 81 sqq.

1338. *Electio rectoris Marsilii de Inghen.*

1367, Octobris 11, Parisiis.

Anno Domini 1367, mensis Octobris die xj, electus fuit concorditer in rectorem Universitatis Paris. magister Marcilius de Inghen nullo intrancium reclamante, in qua rectoria plurimos habuit labores et expensas.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 142[b].

1339. *Mag. Johannes Quadrati, lic. in theol., coram officiali Paris. recognoscit, se habuisse a magistris nat. Gallic., matris suae, 20 francos auri, quos infra annum restituere promittit.* Anno Domini 1367, die jovis post festum Conceptionis b. Marie Virg.[1].

1367, Decembris 9, Parisiis.

Bulaeus, IV, 968, e *Lib. proc. nat. Gallic.*

1. Hoc factum est sub mag. Joh. Roberti, procuratore nat. Gallic.

1340. *Occasione ludi episcopalis nocte S. Nicolai conflictus cruentus inter scholares Paris. et servientes et milites gueti subortus est. Causa coram Parlamento delata servientes puniuntur.*

1367, Decembris 29, Parisiis.

Cum nuper pro parte carissime filie nostre Universitatis Parisiensis et nonnullorum magistrorum et scolarium ejusdem Universitatis, in nostris proteccione et salva gardia speciali unacum familiaribus, rebus et bonis suis universis notorie existentium, nobis fuisset expositum gravissima querimonia precedente, quod cum a tantis temporibus retroactis, quod de contrario hominum memoria non extabat nec existit, fuisset et esset in dicta Universitate notorie et pacifice consuetum et usitatum, quod magistri et scolares hoc facere volentes nocte festi Nicolai hiemalis[1] causa solacii singulis annis certos episcopos de semetipsis fecerant, ac cum torchiis et lumine aut alias per villam nostram Parisiensem iidem magistri et scolares vestibus episcopalibus induti et cum eis existentes pacifice quo voluerant incesserant[2], accidissetque quod nocte dicti festi beati Nicolai hyemalis ultimo preteriti magister Petrus de Zippa[3], magister in artibus, quondam rector dicte Universitatis, vir honoratus et honestus ac bone conversacionis, vite et fame, et nonnulli scolares sui, simplices et boni nominis, secum in certa domo in vico Bucherie ultra Parvum Pontem Parisius situata commorantes, juxta morem et consuetudinem hujusmodi, unum ipsorum scolarium vestibus episcopalibus induissent et ornassent, ipsique magister Petrus de Zippa et scolares cum eo existentes, inter quos fuerat quidam juvenis scolaris nuncupatus Bartholomeus Divitis de villa Yprensi natus, subdiaconus, bacalarius in artibus, eundem sic episcopalibus indumentis ornatum, cum lumine cujusdam torchie ac sine armaturis quibuscumque et absque voluntate injuriam, malum vel gravamen faciendi, prout nec

fecerant, ad domos et habitaciones rectoris et nonnullorum aliorum magistrorum et scolarium dicte Universitatis, causa solacii et jocosa, ad eos visitandum et videndum duxissent, ipsumque sic ducendo, ipsi magister Petrus et scolares cum dicto episcopo seu scolare episcopalibus indumentis ornato existentes, quibusdam clientibus seu servientibus nostris duodene Paris. obviassent; qui sibi dixissent, quod pacifice incederent et quod nullus eis injuriam vel gravamen inferret. Nichilominus cum ipsi magister Petrus et scolares cum lumine trium torchiarum ac sine armis quibuscumque dicta visitacione perfecta ad dictam domum suam redeuntes, aliquos parvulos ipsorum scolarium eos antecedere fecissent, ipsi scolares sic antecedentes, injuriam, dampnum, offensam vel gravamen cuiquam non inferentes, nec a quoquam sibi timentes, quatuor servientibus nostris diversis armorum generibus armatis insimul coadunatis obviaverant, qui confestim g[l]adiis evaginatis ipsos scolares invaserant ac unum ex ipsis scolaribus, vocatum Jacobum de Bussono, in crure graviter et enormiter vulneraverant; et quamquam dicti alii scolares ipsos insequentes et ad conflictum hujusmodi festinantes ipsis servientibus amicabiliter et tractabiliter dixissent, quod malum fecerant et faciebant sic invadendi et vulnerandi scolares antedictos : verumptamen unus ipsorum quatuor servientium propter ejus vehementem et inordinatum furorem per tres alios socios suos se teneri fecerat, et detentus fuerat, ad finem ne scolares antedictos interficeret, prout facere voluerat et pro viribus suis nitebatur.

Dicebant etiam, quod in insultu seu conflictu predicto dilectus et fidelis noster Philippus de Villaribus, miles gueti nostri Parisiensis, ac Bernardus Blondelli, ejus locumtenens, cum pluribus aliis tam equitibus quam peditibus de sua comitiva existentibus, supervenerant et impetuose ac cum strepitu non modico ensibus evaginatis adversus eosdem scolares « ad mortem » alta voce clamaverant, ex quo clamore iidem scolares perterriti, verentes eciam dictorum militis, servientium et eorum sequacium furorem, attento quod dictus Jacobus de Bu[i]ssono, eorum socius, sic inhumaniter vulneratus extiterat, ut prefertur, ad domum suam predictam, prout melius et cicius potuerant, velociter accesserant et eam intraverant, et deinde ejus hostia et ingressus pre timore militis, servient[i]um et eorum sequacium predictorum eos cum impetu non modico hostiliter fugantium et morti tradere satagencium, clauserant et firmaverant.

Cumque prenominati miles, servientes et cum eis existentes vidissent dictam domum sic clausam et firmatam ingredi, et eosdem magistrum et scolares in ipso existentes apprehendere et tenere non posse, nisi vi publica mediante, ipsi miles, servientes et secum associati dictos magistrum et scolares ibidem morti tradere satagentes, ut videbatur, prefatam domum et predictos magistrum et scolares in ea existentes insultibus bellicosis et publicis convocacione populari et cum plurium et diversorum generibus armorum more hostili invaserant, ac in eandem domum et predictos magistrum et scolares pluribus lapidibus necnon viretonis[4] et sagittis in eos, arcubus et balistis mediantibus emissis sive tractis, quemadmodum adversus inimicos nostros, irruerant. Quod cum videret et perci-

peret prefatus magister Petrus de Zippa, dictos militem, servientes et alios invadentes seu obsidentes compescere et pacem fovere cupiens, ad quandam fenestram dicte domus existens, cum ipsis invadentibus verbis blandis et amicabilibus locutus fuerat, rogando eos, ut sibi placeret quod cum dicto milite gueti, ad finem pacis et concordie habende, loqueretur, et ipso magistro Petro ad eandem fenestram apertam existente et cum dictis invadentibus, ut predicitur, colloquente, iidem invadentes de quodam viretono seu sagitta ab ipsis invadentibus tracto vel tracta dictum magistrum Petrum in loco tali vulneraverant, quod si per latitudinem quatuor digitorum alibi prope vulnus hujusmodi viretono vel sagitta vulneratus fuisset, ipse magister Petrus ex eadem vulneracione incontinenti mortuus extitisset. Et unacum hoc quidam juvenis in eadem domo cum ipso magistro Petro et ejus scolaribus commorans, de quadam sagitta fuerat in brachio vulneratus.

Et hiis sic actis, prefati miles gueti et cum eo invadentes, cupientes eosdem magistrum et scolares apprehendere et morti tradere, non obstantibus verbis honestis, tractabilibus et amicabilibus ejusdem magistri Petri, per certas domos vicinorum domus predicte ipsorum magistri Petri et ejus scolarium intraverant, et murum seu clausuram domus antedicte malleis fabrorum et aliis instrumentis mediantibus ruperant seu rumpi et demoliri fecerant. Quod videns idem magister Petrus, ad aliquem tractatum per eum oblatum exaudiri non valens, ne deterius inde contingeret, se et suos militi gueti et cum eo invadentibus seu complicibus antedictis, reddiderat, hostia et ingressus dicte domus sue aperiendo. Quibus apertis iidem invadentes seu quamplures eorundem dictam domum intraverant et aliquarum camerarum ipsorum magistri Petri et ejus scolarium hostiis firmatis violenter per eos ruptis et fractis, easdem cameras et loca ejusdem domus intraverant et nonnulla bona mobilia eorundem magistri Petri et suorum scolarium ceperant et secum, violento hujusmodi dampnabili facto mediante, detulerant seu deferri fecerant, aut saltem per ipsorum complicum aut invadentium factum et culpam dampnabiles perdita fuerant.

Dicebant preterea[5], quod, cum miles gueti servientesque et alii invadentes dictam domum et ejus loca ingressi et perscrutati fuissent, ipsi dictos magistrum Petrum et ejus scolares ac alios de sua comitiva crudeliter ceperant et arripuerant, et unum juvenem ipsorum scolarium in eadem domo tunc existentem per gradus domus adeo crudeliter projecerant, quod in capite suo multimode fuerat vulneratus ipsumque juvenem fugaverant, quousque in aquam Secane causa securitatis intraverat, in qua quidem aqua submersus fuisset, nisi per quandam mulierem ibidem a casu supervenientem extractus extitisset, aut alias ipsa mulier sibi succurrisset. Predictosque magistrum Petrum et alios scolares cum ipso sic redditos et captos in itinere publico ordinate in luto viliter eos verberando sedere fecerant et compulerant. Et deinde ipsos per brachia ferociter, tanquam latrones, murtrarii et homicide aut inimici nostri fuissent, iterato arripuerant et ceperant et usque ad Castelletum nostrum Paris. ipsos et presertim Johannem de Curia suum conscolarem cum ensibus clipeisque ac manibus seu pugnis suis c[hir]otecis ferreis armatis, ac aliis diversis arma-

turis in capitibus et faciebus, ac aliis suorum corporis partibus, inhumaniter et crudeliter verberando et vulnerando ac quamplures atroces injurias et blasfemias eis verbo et facto inferendo, prisionarios duxerant ac ultra guichetum ejusdem Castelleti in vilibus carceribus posuerant, et dum ad ipsum Castelletum sic ducerentur, quendam famulum ipsorum magistri Petri de Zippa et ejus scolarium, quem secum modo premisso duxerant, circa dictum Parvum Pontem Paris. decapitare aut interficere voluerant, ac unum alium ipsorum scolarium, vocatum Johannem Crampe, in dictam aquam Secane submersurum violenter ducere nisi fuerant, qui propter ejus resistenciam et defensionem in dictam aquam ductus non fuerat.

Et quamquam ipsi magister et scolares sui in dicto Castelleto nostro Parisiensi sic ducti et intrusi fuissent et essent numero viginti quinque, quorum plures enormiter verberati et vulnerati extiterant et erant, ut prefertur; verumptamen in fetentibus et obscuris carceribus mancipati solum lectum habuerant, et sic ibidem illa nocte steterant et jacuerant.

Dicebant preterea, quod, licet prefatus Bartholomeus Divitis cum dictis magistro Petro et aliis scolaribus ac in eorum comitiva fuisset continue, dum in domo dicti rectoris dicta nocte fuerant et eciam in eorum recessu, quousque dictis servientibus obviaverant, ut prefertur : attamen postmodum dictum Bartholomeum non viderant nec scire potuerant ubi erat, quamquam diligenciam maximam adhibuissent, ut eum reperire valerent. Quapropter fuerat et erat verissimiliter presumendum, prout ipsi presumebant, ipsum Bartholomeum per dictos servientes nostros aut alios de sua comitiva interfectum et in aquam Secane projectum aut alias absconsum fuisse et esse.

Dicebant demum, quod premissa omnia et singula per dictos militem gueti ejusque locumtenentem ac suos fautores in hac parte odii et rancoris contra ipsos magistrum Petrum de Zippa et scolares temere conceptorum fomite, non autem zelo racionis et justicie, facta, commissa et perpetrata fuerant et erant; attentis modis illicitis et dampnabilibus excessuum et maleficiorum predictorum; attento eciam quod nonnulli servientes nostri pluries anno presenti dictam domum ipsorum magistri Petri de Zippa et ejus scolarium cum armis circumerant, et contra eos informaciones secretas odiose fecerant, et nonnulla verba rixosa, opprobriosa et injuriosa sibi dixerant et protulerant; attento insuper, quod ipsi servientes nostri, in vigilia festi beate Katherine nuper elapsi, dictum magistrum Petrum de Zippa in vico dicte domus sue pacifice et nemini injuriantem in suo habitu honesto et absque armis existentem, tumultuose et impetuose, ac ipsum percuciendo ceperant et in Castelletum nostrum Paris. prisionarium duxerant, quem prepositus noster Parisiensis tanquam injuste captum et detentum a prisione liberaverat, eosdem de et super hujusmodi captione illicita et injusta ac contra racionem et justiciam facta increpando.

In premissis sic nequiter et dampnabiliter actis et perpetratis vim publicam et armorum delacionem committendo, salvamque gardiam nostram predictam, in qua ipsa Univer-

sitas necnon predicti magister Petrus et ejus scolares ac alia membra singularia ipsius Universitatis, unacum bonis suis universis adeo notorie et publice existebant, quod de eadem predicti miles gueti ejusque locumtenens et servientes nostri aut alii quicumque ignoranciam pretendere nullatenus potuerant nec poterant, ausibus temerariis infringendo et alias multipliciter delinquendo, ac in predicte Universitatis et dicti magistri Petri de Zippa, ac scolarium suorum predictorum maximum prejudicium, injuriam, dedecus, vituperium et gravamen, nobis humiliter supplicando remedium justicie sibi super exhiberi; protestando expresse, quod per ea, que dixerant et dicebant in hac parte ad finem civilem dumtaxat, non autem criminalem, circa mortem et membrorum mutilacionem tetenderant et tendebant, quodque per viam judiciariam sive litigiorum ordinariam procedere pro premissis nullatenus intenderant aut intendebant, sed nobis premissa significaverant et significabant juxta usus et consuetudines in eadem Universitate hactenus observatos, cum non esset sive sit consuetudo dicte Universitatis aut membrorum ejusdem procedere per viam litigiorum, ut dicebant.

Quibus querimonia et supplicatione nobis factis, nos tanquam verus pater, dominus et protector Universitatis predicte, filie nostre, et ejus membrorum, tanta delicta, excessus, injurias et gravamina, si vera fuissent aut essent, volentes, ut tenemur, ulcione condigna justicie puniri, corrigi et emendari, ipsamque Universitatem et ejus membra quecumque sub nostre justicie clipeo et defensione in pacis securitate et tranquillitate manuteneri, foveri et conservari, ad finem ut maturius et securius procederemus in hac parte de et super premissis, per certos consiliarios nostros informacionem fieri fecissemus et viva voce precepissemus. Quibus consiliariis et commissariis nostris, pro parte Universitatis et magistrorum ac scolarium conquerentium predictorum, facta. delicta et gravamina supradicta seu quamplura ipsorum, ad finem ut de et super ipsis melius instrui et informari valerent, in scriptis de precepto nostro ac sub protestacionibus antedictis tradita fuissent, una cum declaracione seu peticione bonorum mobilium predictorum, que dicti magister Petrus et scolares sui in predicta domo sua nocte et hora insultus seu conflictus antedicti, et propter suam capcionem antedictam, asserebant amisisse, ut prefertur.

Que quidem bona ipsi magister Petrus et nonnulli alii scolares sui coram eisdem commissariis ex eorum ordinacione medio juramento declaraverunt et asseruerunt fuisse et esse : sex gladii cum duabus vaginis gladiorum, unus arcus, duo baculi de Flandria ferrati, due almussie, unum manutergium, unus cutellus et una pars gladii, una corrigia cum pera, calcello et quatuor clavibus, ac una balista. Super quibus factis.....

Qua informacione sic facta et nobis ac nostro consilio reportata, ipsaque visa et examinata ac dictorum consiliariorum et commissariorum nostrorum relatione super hoc nobis et dicto consilio nostro facta, et hiis omnibus consideratis et attentis, nos ex ejusdem nostri deliberatione consilii ordinassemus et fecissemus, servientes nostros dicti gueti inferius nominatos, qui juxta regimen Castelleti nostri Paris. super ordinacione dicti gueti

confectum dicta nocte guetum in ipsa villa nostra Parisiensi fecisse dicebantur et fecerant capi et in dicto Castelleto nostro prisionarios mancipari, videlicet Johannem de Baboe, Johannem de Allamania, Nicolaum Juvenis, Philippum Damade, Symonem de Nigella, Mammetum Galie, Johannem de Houssoya, Reginaldum de Wandome, Girardum Alamanum, Johannem de Douvre, Cassinum Becqueti, Egidium Senescalli, Philippum de Marroliis et Michaelem Artus, servientes nostros gueti equitis, necnon Johannem Mariette, Guillermum de Laignyaco, Jacobum de Londoniis, Nicolaum de Cornuaille, Laurencium Balancerii, Johannem de Carnoto, Petrum Hubise, Dionysium Amici, Guillermum Galli, Johannem de Bria et Johannem Bequillart, servientes nostros gueti peditis ipsius ville nostre Parisiensis, ordinassemus eciam premissorum veritatem ab oribus propriis ipsorum servient[i]um nostrorum, tam per viam extraordinariam ac questionibus et tormentis mediantibus, quam per viam ordinariam, videlicet per inquestam ac per testium deposiciones et testimonium, ac omnibus aliis viis et modis, quibus melius, celerius et plenius hoc fieri valeret, sciri et eciam extorqueri. Et una cum hoc per dictum militem gueti factum et explectum suum per eum in et super premissis agitatum ore suo proprio ac medio juramento in nostra ac dicti nostri consilii presencia plenarie dici et exponi.

Qui quidem miles inter alias suas excusaciones, dicta et defensiones ad finem innocencie, excusacionis et absolucionis sue inter cetera dixit, proposuit et asseruit, quod, licet in insultu adversus domum dictorum magistri Petri de Zippa et scolarium suorum et ipsos ac alios in eadem tunc existentes, ut predictum est, facto ipse miles eisdem magistro Petro et ejus scolaribus ac aliis in eadem domo tunc existentibus palam et publice ac alta voce, verbis nedum gallicanis sed eciam latinis, ut ipsi qui de partibus alienis oriundi linguam gallicam nequaquam intelligebant plenarie, verba sua hujusmodi facilius audirent et intelligerent, proclamasset, dixisset et exposuisset, quod ipse erat officiarius noster ac miles dicti gueti nostri, quodque sibi precipiebat ex parte nostra, ut eidem militi tanquam nobis et gentibus nostris ad sedandum et evitandum omne scandalum, et ad compescendum servientes et alios subditos nostros, qui in eos et dictam domum suam insultum, ut predicitur, faciebant, ne deterius inde contingeret, se redderent, sibi bona fide promittendo, quod per factum suum nullam injuriam sustinerent, sed pro toto posse suo ipsos, cum redderentur eidem, ab injuriis et gravaminibus indebitis preservaret et defenderet; verumptamen ipsi magister Petrus et scolares post verba hujusmodi sibi sic dicta et per eos intellecta in eadem domo sua in omnimoda rebellione et inobediencia adversus nos et ipsum militem gueti ac servientes et subditos nostros adeo rebelles et inobedientes extiterant, quod adversus ipsos militem, servientesque et subditos nostros ibidem existentes maximam quantitatem lapidum et lignorum grossorum et ponderantium per fenestras dicte domus projecerant et de eis ipsos militem, servientes et alios subditos nostros interficere, ac omnia facta in casibus rebellionum seu defensionum bellicosis solita pro totis suis viribus facere sategerant et fecerant, ac quendam servientem nostrum, vocatum Petrum

Patou, adeo de projeccione lapidum hujusmodi in eodem insultu percusserant, quod eum in vico tanquam mortuum prostraverant ac quatuor dentium suarum in ejus ore ex ictibus hujusmodi ruperant, eumque alias diversimode leserant et vulneraverant, adeo quod ipsi miles et alii secum existentes eundem servientem interfectum et occisum fuisse et esse crediderant, ac quendam grossum lapidem super equm ipsius militis taliter projecerant, quod idem equs ob hoc lesus et multipliciter perterritus, ac idem miles capite non armato existens in altera tibiarum suarum lesus extiterant. Quod videns dictus miles, ne deterius inde contingeret, quandam domum propinquam dicte domui, in qua rebelliones predicte sic fiebant, ut prefertur, intraverat, et ut potencia nostra prevaleret, ut jus fuerat et erat, quandam parietem sive murum, clausuram ipsarum domorum facientem, ut per illum locum in dictam domum ipsorum magistri Petri et ejus scolarium intrare et eos capere valeret, de malleis fabrorum ruperat et perforaverat, ac rumpi et perforari fecerat. Qua perforata ipsi scolares, in omnimoda rebellione persistentes, gladios nudos cum lanceis seu baculis cuspideis de Flandria in foraminibus hujusmodi adversus ipsos militem et secum existentes posuerant et affixerant; et demum iidem magister Petrus et scolares per viam hujusmodi compulsi ipsi militi eis promittenti nullam injuriam facere, prout nec fecerat, nomine nostro se reddiderant. Quibus sic redditis et in eadem domo sua captis, ipse miles servientibus nostris et aliis ibidem existentibus pluries palam et publice ex parte nostra sub omni pena et emenda, quam erga nos incurrere possent, inhibuerat, ne quisquam eis injurias, gravamina, molestias sive dampna facere presumeret. Et deinde iidem magister Petrus et scolares per servientes nostros in Castelletum nostrum Parisiense prisionarii ducti, ut premissis attentis fuerat et erat rationis, extiterant. Si vero ipsi scolares aliqua bona sua amiserant vel eis alique injurie verbo sive facto illate fuerant, hoc per ipsum militem vel de suo precepto seu mandato nullatenus evenerat, sed pro toto posse suo tam verbo quam facto pluries, ut liquide sciri posset, inhibuerat, ne eisdem scolaribus, postquam redditi et capti fuerant, ut prefertur, injurie vel gravamina aliqualiter inferrentur, ut idem miles asserebat, plures alias rationes et facta ad finem justificacionis explecti sui hujusmodi ac sue innocencie, excusationis et absolutionis plenius proponendo et allegando.

Quibus sic actis, et prenominatis servientibus nostris in dicto Castelleto nostro prisionariis detentis, nos ad requirendum et sciendum premissorum veritatem pleniorem tam per viam extraordinariam quam ordinariam, juxta predictam ordinacionem nostram prenominatos et nonnullos alios consiliarios et commissarios nostros, videlicet Parlamenti nostri presidentes et consiliarios ac prepositum nostrum Parisiensem viva voce deputavimus et commisimus. Qui quidem commissarii juxta preceptum nostrum tam ab oribus dictorum servient[i]um nostrorum, quorum nonnulli questionibus et tormentis fuerunt propter hoc suppositi, et eciam ab ore et testimonio Guidonis Cirerii servientis nostri, equitis dicti Castelleti nostri, qui in predicto insultu interfuisse et nonnullos predicto-

rum scolarium in illud Castelletum prisionarios duxisse dicebatur, et qui de precepto eorundem consiliariorum et commissariorum nostrorum, una cum aliis servientibus nostris superius nominatis certis de causis ipsos ad hoc moventibus prisionarius in dicto Castelleto nostro mancipatus et detentus extitit, quam a pluribus testibus fide dignis, et eciam a predicto magistro Petro de Zippa et aliis scolaribus superius nominatis de et super premissis et eorum circumstanciis quam diligencius poterunt veritatem inquisiverunt; omnesque deposiciones et confessiones ac omnia alia coram eis et per ipsos in hac parte facta et agitata in scriptis redigi fecerunt. Tandem premissis omnibus sic peractis, et per ipsos commissarios nostros curie nostre de precepto nostro pro consulendo de et super hiis arrestum relatis et traditis, ipsisque visis, ac relato et testificato tam ipsi nostre curie quam commissariis et consiliariis nostris antedictis per medicos seu cirurgicos juratos et in talibus expertos, dictos scolares, qui in premissis lesi et vulnerati fuerunt, visitantes, curantes et sanantes, quod in vulneracionibus hujusmodi non fuerat nec erat periculum mortis aut membrorum mutilacionis, ac hiis et omnibus aliis et singulis, que nos et prefatam nostram curiam circa premissa movere poterant et debebant, matura et diligenti deliberacione consideratis et attentis, et postmodum dicte nostre curie consultacione et deliberacione super hoc habitis nobis relatis : nos prenominatos Johannem Mariette, Guillelmum de Laignyaco, Jacobum de Londoniis, Nicolaum de Cornuaille, Laurencium Balancerii, Johannem de Baboe et Johannem de Carnoto, ad emendandum et emendam publicam et honorabilem faciendum et gagiandum flexis genibus, nudis capitibus ac sine mantellis et zonis, tam nobis quam dilecto et fideli consiliario nostro episcopo Parisiensi[6] ob reverenciam ecclesie (attento quod dicti scolares erant et sunt clerici), ac eciam rectori dicte Universitatis; necnon predictos Johannem Mariette, Guillelmum de Laignyaco et Jacobum de Londoniis prenominato Jacobo de Buissono scolari, dictum quoque Nicolaum de Cornuaille Martino Galede scolari, ac prefatum Laurencium Balancerii Johanni de Curia et predicto Martino Galede scolaribus, et prenominatum Johannem de Carnoto dicto magistro Petro de Zippa scolari, in presencia nostra, et postmodum pari forma dictis rectori et scolaribus in congregacione predicte Universitatis in claustro sive capitulo ecclesie Sancti Maturini Parisiensis, si iidem scolares adhuc presentes existant, per arrestum nostrum et dicte nostre curie in nostra presencia prolatum condempnavimus et condempnamus. Quas emendas prenominati Johannes Mariette, Guillelmus de Laignyaco, Jacobus de Londoniis, Nicolaus de Cornuaille, Laurencius Balancerii, Johannes de Baboe et Johannes de Carnoto nobis et predicto episcopo in nostra presencia modo premisso fecerunt et gagiaverunt. Et una cum hoc prenominatos Johannem Mariette, Guillelmum de Laignyaco et Jacobum de Londoniis ac ipsorum quemlibet in solidum erga dictum Jacobum de Buissono, dictumque Laurencium Balancerii erga dictum Johannem de Curia in ipsorum Jacobi de Buissono et Johannis de Curia dampnis et interesse per eos, occasione verberationum et vulnerationum suarum predictarum sustentis, passis et habitis ac sustinendis et habendis, eorundem

dampnorum et interesse, taxacione dicte nostre curie reservata; necnon sepedictos Johannem Mariette, Guillelmum de Laignyaco, Jacobum de Londoniis, Nicolaum de Cornuaille, Laurencium Balancerii, Johannem de Baboe et Johannem de Carnoto et ipsorum quemlibet in solidum et pro toto ad reddendum et restituendum eisdem magistro Petro de Zippa et scolaribus, tam armaturas suas, quas eis de gratia nostra reddi et restitui voluimus et volumus, quam alia bona sua mobilia in dicta domo sua, ut predictum est, capta et amota et per declaracionem in scriptis predictis commissariis nostris per ipsos scolares modo premisso tradita et specificata, si reperiri valeant, sin autem, suum valorem legittimum, super quo dictis scolaribus eo casu medio juramento credetur.

Et insuper prenominatos Nicolaum de Cornuaille et Johannem de Baboe ac Laurencium Balancerii ad tenendum prisionem firmatam in dicto Castelleto nostro Parisiensi ultra guichetum, videlicet dictos Nicolaum et Johannem per spacium unius mensis, et predictum Laurencium per spacium duorum mensium a data presentis arresti nostri computandorum, per idem arrestum condempnavimus et condempnamus; dictos quoque Johannem Mariette, Guillelmum de Laignyaco, Jacobum de Londoniis, Nicolaum de Cornuaille, Laurencium Balancerii, Johannem de Baboe et Johannem de Carnoto et eorum quemlibet a suis officiis sergenterie supradictis privavimus et privamus. Alios autem servientes nostros superius nominatos in dicto Castelleto nostro, causa et occasione premissorum prisionarios, ut premittitur, mancipatos .... per hujusmodi arrestum absolvimus et liberavimus ac eciam liberamus.

Et quia per informacionem aut inquestam .... predicti commissarii nostri de et super morte seu amissione prenominati Bartholomei Divitis scolaris, quem Universitas et scolares antedicti asseruerant et asserebant vel suspicabantur predicta nocte in conflictibus vel insultibus antedictis interfectum, submersum vel alias perditum extitisse, ut prefertur, nil reperire neque scire potuerunt, licet quantam diligenciam potuerunt circa hoc adhibuerint, nostre aut prefate curie nostre intencionis existit, quod condempnaciones seu puniciones, ac absoluciones et liberaciones superius declarate factum mortis seu perdicionis ejusdem Bartholomei aliqualiter non concernunt neque comprehendunt, sed eis non obstantibus quociens nos aut ipsa curia nostra de et super morte vel submersione ejusdem Bartholomei fuerimus informati, delinquentes super hoc puniemus, ut racio et justicia suadebunt.

Et licet prenominati magister Petrus de Zippa et alii scolares, in predicta domo sua in insultu predicto secum existentes, adversus predictos militem gueti ejusque locumtenentem ac servientes nostros et alios ex parte nostra ibidem, ut predictum est, congregatos, quamplures rebelliones et inobediencias fecerint, ex nostrique consilii matura deliberacione repertum extiterit, quod contra eosdem magistrum Petrum et scolares procurator noster generalis pro nobis prosecucionem facere et intentare ac iidem magister Petrus et scolares ex ipsis inobedienciis et rebellionibus ad emendandum nobis condempnari et compelli

debite possent et deberent : verumptamen nos ob favorem et amorem, quos dicte Universitati specialiter gerimus, in hac parte noluimus nec volumus contra ipsos magistrum Petrum et scolares occasione hujusmodi rebellionum et inobedienciarum per dictum procuratorem nostrum prosecucionem nunc vel imposterum fieri aliqualem, caveantque sibi dicti magister Petrus et scolares ac quicumque alii ne decetero nobis vel gentibus aut officiariis nostris rebelles vel inobedientes existant; nam ex hoc nobis multum nec immerito displiceret, ac ipsos mediante justicia super hoc puniremus, ut esset racionis. Pronunciatum in castro de Lupera coram rege xxix[a] die Decembris, M° CCC° LXVII.

Bucy.

Arch. nat. Paris. X2a (*Crim.*) 8, fol. 19. — Hujus facti mentio fiebat in *Lib. procur. nat. Gallic.* : « In vigilia b. Nicolai moverunt brigam clientes militis excubiarum contra mag. Petrum de Zippa et ejus scolares; et ipse unacum scolaribus suis fuerunt ducti per dictos clientes ad Castelletum, et ratione hujus captionis venerunt ad emendam apud S. Maturinum domino rectori et dicto magistro septem de dictis clientibus », sub procuratore nationis Gallic. Johanne Roberti (Bul., IV, 969).

1. Decemb. 6 — 2. Agitur supra de *ludo episcopali*, qui in multis aliis locis, ubi studium vigebat, et alibi (vid. Durr, *Comment. histor. de episc. puerorum*, Moguntiae, 1755; Specht, *Gesch des Unterrichtswesens in Deutschland*, Stuttgart, 1885, p. 222 sqq) in usu fuit. In vigilia S. Nicolai (alibi in alio festo), patroni scholarum et scholarium, e medio scholarium puerorum episcopus eligebatur, qui vestibus episcopalibus indutus, cum aliis scholaribus, partim velatis, processionem per civitatem instituebat. Nemo hucusque narravit, hunc usum Parisiis etiam introductum fuisse. Joh. Gerson loquitur tantum contra *ludum* seu *festum stultorum* in festo Innocent., in Circumcisione et Epiphania Domini, *etc.* (*Opp. omn.* ed. Dupin, II, 109; III, 309, IV, 620) De choreis in festis S. Nicolai et S. Catharinae vid. *Chartul* , I, p. 532, ubi tamen non agitur de ludo episcopali Parisiis, nec etiam apud Bulaeum, *De patronis nationum*, p. 113 sqq. — 3. Ad an. 1371, Januar. 28, legitur in Reg. Av Greg. XI, vol. IX, f. 245 . perpetuus capellanus eccl. S. Johannis Ganden. Tornac. dioc , baccal. in legibus. Fuit nationis Picard , ut videtur, nisi fuerit gallicatus. — 4. Seu potius « veretonis », i. e. sagittis seu jaculis. Vid. Ducange-Henschel, VI, 774. — 5. Ms. « propterea ». — 6. Stephano

---

1341. *Urbanus V priori et fratribus Ord. B. Mariae de Monte Carmeli Paris. concedit ut a Ludovico, comite Stamparum, triginta libras paris. auri ad sustentationem duorum fratrum Ord., qui secundum voluntatem comitis in domo eorum Paris. futuris temporibus studio theologiae vacare debeant, recipere possint.* Datum apud Montemflasconem, Balneoreg. dioc., xiiij kal. Junii, anno sexto. « Hiis que ».

1368, Maii 19, apud Montemflasconem.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. XIX, fol. 362.

1342. *Urbanus V decernit, ut brachium dextrum corporis sancti Thomae de Aquino, Ord. Praed., Tolosam transferendi*[1], « *priori et fratribus dicti Ord. Parisiens. ad decus et decorem tocius studii Parisiens., in quo idem gloriosus sanctus sua fecunda facundia celestis irrigua gratia influente scripturarum enigmata reseravit, solvit nodos, obscura dilucidavit dubiaque declaravit* », *transmittatur*[2]. Datum apud Montemflasconem, Balneoreg. dioc., xvj kal. Julii, pontif. nostri an. sexto. « Ad perp. rei mem. Copiosus ».

1368, Junii 16, apud Montemflasconem.

Reg. Vat. Urbani V, n° 257, fol. 16[b].

1. Cf. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, II, 258 sq — 2. Collocatum est in capella regia S. Thomae de Aquino, constructa in eccl. Praed. a Carolo V. Vid. Reg. Vat. Urb. V, n° 260, fol 1. Brachium S. Thomae, quod Parisiis magno apparatu receptum fuit, ut ex instrumentis Romae conservatis apparet, nunc partim in monasterio SS. Dominici et Sixti, partim in ecclesia S. Mariae supra Minervam Romae conservatur.

1343. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiensi pro Petro Borroni, Ord. Praed., olim per magistrum Ord.*[1] *idoneo reperto et demum deputato ad legendum librum Sentent. in studio Paris.; sed propter multitudinem aliorum dicti Ord. qui juxta ritum Ord. ad legendum praedictum librum assignati fuerant, ipse Petrus usque ad multos annos non sperat ordinarie in eodem studio legere posse. Eidem ad legendum in hieme post proxime futuram immediate sequenti vel in subsequenti immediate post illam dictum librum in secundis scolis praefati Ord. locum assignet.* Datum apud Montemflasconem, Balneoreg. dioc., xiij kal. Julii, anno sexto. « Illi qui ».

1368, Junii 19, apud Montemflasconem.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. XIX, fol. 360ᵇ. — Ex *Catal. licent.* (Bibl. nat. Paris. mss. lat. 5657ᵃ, 12850) apparet eum (« Bayroni ») fuisse licentiatum an. 1374-75. In Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXV, f. 276, scribitur « Barroni ».

1. Eliam Raimundi Tolosanum, an 1367 in Cap. gen., Avenione celebrato, electum, qui per 22 annos mag. generalis fuit, et tempore schismatis papam Avenionensem secutus est. Vid. *Chartul.*, II, nº 1180, not. 5.

1344. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiensi, ut Guillelmus Goyon, Ord. Praed., qui in Rotomag., Andegav. et Nannetens. locis dicti Ord. lector fuit, ad legendas Sententias tempore hiemali ut baccalareus in altera duarum scholarum domus dicti Ord. anno proxime futuro recipiatur.* Dat. apud Montemflasconem v kal. Augusti, anno sexto. « Viri sacre ».

1368, Julii 28, apud Montemflasconem.

Reg Vat. Aven. Urbani V, vol. XVII, fol. 533. — An. 1371, Febr. 21 (viiij kal. Martii an. i), Sententias jam « ordinarie », i. e. in hieme, legit, et Gregorius XI sub hac temporis nota ad (Joh. de Calore) cancell. Paris. mandatum direxit Guillelmo licentiam docendi et magisterium in theol donandi (Reg. Aven. Gregorii XI, vol. II, fol. 273ᵇ). « Viri sacre ».

1345. *Richardus, abbas S. Germani de Pratis, declarat jus patronatus in eccl. paroch. S. Germani concessum esse ab abbatia Universitati Paris.*


1368, Septembris 11, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis Richardus[1] permissione divina humilis abbas monasterii Sancti Germani de Pratis juxta Parisius totusque ejusdem loci conventus, eternam in Domino salutem. Notum facimus quod cum nuper ex deliberacione matura magni consilii domini nostri regis pro tocius regni, rei publice villeque Parisiensis et sue nostreque ecclesie predicte commodo, tuicione seu deffensione speciali ab inimicis dicti regni infestantibus circumquaque nobis preceptum fuit et mandatum ecclesiam nostram predictam muris propugnaculis et fossatis aliisque emparamentis necessariis claudi, circumdari seu fortificari debere et pro fortalicio deinceps reputari et haberi, domosque et alia edificia et singula alia hereditagia circa predictos muros existentia, nociva quomodolibet aut prejudicialia fortalicio prelibato, destrui totaliter et demoliri omnino, ne per ea aut eorum aliqua aut aliquod clausure fortalicii predicti complecio differri aut impediri valeret, et nos ex beneplacito domini nostri regis occasione premissorum teneremur recompensare competenter rectori et matri nostre Universitati Parisiensi ac magistro Stephano de Calvomonte, bachalario in theologia, capellano perpetuo capellanie Sancti Martini de Ordeis[2], neces-

sario demoliende omnino pro predictis fossatis fiendis : inter dictos rectorem et matrem nostram Universitatem Paris. ad preces dicti domini nostri regis et dictum capellanum ex una parte, et nos abbatem et conventum predictos pro evidenti utilitate dicti nostri monasterii previis pluribus deliberacionibus in capitulo nostro super hoc factis ex altera, extitit sic tractatum et unanimiter concordatum, quod in recompensacionem totius loci dicte capelle de Ordeis, domus et jardinorum ejusdem prefate ecclesie nostre proximorum et omnium pertinenciarum dicti loci, assignabimus et de presenti assignamus dicto rectori, dicteque matri nostre Universitati et capellano ac capellanie et suis successoribus octo libras paris. annui et perpetui redditus, admortizatas annis singulis, percipiendas primo post fundum terre et levandas libere per capellanum predictum, successores suos capellanos aut certum mandatum ejus vel eorum in quatuor terminis Parisius consuetis super quandam domum cum pertinenciis ejus sitam Parisius in jurisdictione nostra, alta, media et bassa supra riperiam Sequane prope fratres S. Augustini, tenentem ex una parte domui Dyonisii dicti Bourraches, et ex altera parte domui Johannis de Vallibus piscatoris, et a parte retro domui domini episcopi Laudunensis, oneratam tantummodo quolibet anno in decem libr. paris. pro fundo terre aliisque redibenciis universis nobis et ecclesie nostre annuatim solvendis, et quadraginta solid. paris. restantes de predicta summa decem libr. paris. ultra dictas octo libras, ut premittitur, assignatas et per juratos appreciatas, ex nunc tradimus in contraplegium dictarum octo librarum paris. obligatas. Que omnia et singula supradicta prout superius sunt expressa tenenda firmiter et inviolabiliter observanda garandizare promittimus bona fide et adimplere omnino sub omnium nostre ecclesie obligatione bonorum, renunciantes in hoc facto omnibus exceptionibus doli, mali, fraudis, lesionis, deceptionis rei sic non geste dicte compositioni non facte, et ne possit dici aliud esse scriptum quam concordatum, et aliud esse concordatum quam scriptum, et omnibus aliis exceptionibus et allegationibus que contra presentes litteras dici possent modo quolibet vel opponi jurique dicendo generalem renunciationem non valere. In cujus rei testimonium sigilla nostra presentibus litteris duximus apponenda. Datum et actum in capitulo nostro undecima die mensis Septembris, anno Domini millesimo CCC° sexagesimo octavo.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67[a], n° 36. — Apud Bulaeum, IV. 417, exstat documentum ejusdem temporis notae cum introductione eadem ac supra, quod agit de permutatione jurium singulorum, « dum tamen dom nostri pape intervenerit consensus » — Sub eadem temporis nota « rector, magistri et scolares Univers. Paris » ad Urbanum V litteras miserunt in quibus totum negotium expressius exponebant et supplicabant, « quatenus dictas permutationes et singula permutata tam amorose et seriose tractata utrique utilia et accepta dignemini misericorditer acceptare ac perenniter confirmare ». Vid. Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 18. Insuper infra n° 1347.

1 Richardus de Atrio, qui, cum esset praepositus monasterii, a suis in abbatem electus, an. 1361, Octob. 27, ab Innocentio VI confirmatus est (Reg. Aven Innoc. VI, vol. XXVII, f. 217[b]) — 2. Vid. de hac capella *Chartul.*, I, n° 482, ubi charta regia Philippi IV. Bulaeus, IV. 418, excerptum tantum affert.



1346. *Carolus V, rex Francorum, 14 librarios, 11 scriptores, 15 illuminatores, 6 ligatores librorum et 18 pergamenarios ab excubiis et a custodia portarum civitatis eximit.*

1368, Novembris 5, Parisiis.

Charles, par la grace de Dieu roy de France, au prevost de Paris ou à son lieutenant, salut. Oye la supplication qui nous a esté faite de par nostre tres chère fille l'Université de Paris, pour leurs serviteurs, libraires, escrivains, enlumineurs, relieurs de livres et parcheminiers, contenant que vous ou voz commis, ou autres cinquanteniers ou dizainiers de nostre ville de Paris, vous estez efforciez et voulez et veulent efforcier de les contraindre à faire guait et garde en nostre dite ville, de jour et de nuit, quant vient à leur tour, comme noz autres subgiez habitans de nostre dite ville, dont les docteurs, maistres, bacheliers, escoliers et estudians de ladite Université on esté et sont, si comme nous avons entendu plusieurs fois, empéchiez et delaiez en leurs euvres et besongnes, contre la teneur des privilèges octroyez à nostre dite fille l'Université et à leurs serviteurs dessus diz : nous desirans nostredite fille l'Université et les serviteurs d'icelle joir de leurs privilèges, voulons et vous mandons que lesdiz serviteurs de l'Université, desquiex elle nous a baillez les noms par escript, c'est assavoir maistre Foulcaut de Dole, Jehan de Beauves[1], Jehan de la Porte, Roulant Gautier, Henry Luillier, Estienne Ernoul, Guillaume Lesconnet, Agnès d'Orliens, Daniot Bernart[2], Philipot de Troyes, Jehan Chastaigne, Anthoine de Compiengne, Guilleaume le Conte et Jehan l'Avenant, *libraires;* Thevenin l'Angevin[3], Estienne de Fontaines, Raoulet d'Orliens, Jehan le Bourguignon, Perrin Cartain, Colin de Moncornet, Robert l'Englois, Yvon du Ru, Adam l'Englois, Robert Vernier et Pierre des Ventes, *escripvains;* Jehan le Noir, Pierre de Bloys, Phelisot[4] Langele, Pierre le Normant, Jaque le Riche, Jehan de Sez, Jehan d'Arcy, Perrin Remy, Joachim Troislivres, Guill. le Lorrain, Jehan Passemer, Robert l'Escuier, Robin Quarré, Jehan Grenet et Perrin Daraines, *enlumineurs;* Jehan de Dueil, Mahieu Coignié, Thevenin le Lanternier, Denisot de Seine, Michelet Marcuire et Rogier de Rue neufve, *relieurs de livres;* Jehan l'Ermite, Yvain le Clerc, Jehan Poillane, Henry le Petit, Pierre Davy et sa mere, Yvain le Bourguignon, Jean Courrat, Girart de Soissons, Robert Emelot, Robert Pelerin, Jehan des Champs, Andriet Passemer, Michaut le Pelé[5], Pierre Emelot, Jehan de Beauves, Thierry de Fontaines, Jehan Jovan et Jehannin l'Alemant, *parcheminiers :* vous ne contraigniez ne souffrez estre constrains par quarteniers, cinquanteniers, dizeniers ou autres officiers ou commissaires, à faire guait ou garde par nuit ne par jour en ladite ville de Paris, ainz les en tenez et faites tenir paisibles, et se pour l'occasion dessus dite aucuns de leurs gaiges ou biens sont prins ou empeschiez, faites leur rendre et délivrer sanz delay, car ainsi le voulons nous estre fait et l'avons octroié et octroions à nostredite fille et aus personnes dessus dites de grace especial, nonobstans ordenances ou deffenses au contraire. Donné à Paris le v[e] jour de

Novembre, l'an de grace mil trois cens soixante et huit, et de nostre regne le quintième.
Par le roy,

Yvo.

Originale in Arch. Univers. Paris, theca II, A. 5. r. — *Recueil des privil. de l'Université de Paris*, p. 82; *Ordonn. des rois de France*, V, 686, P. Delalain, *Étude sur le Libraire Parisien du XIII*[e] *au XV*[e] *siècle*, p. 43, ubi in notis invenies commentarium sufficientem.

1 I. e. de Beauvais. — 2. In impressis « Denys Benart ». — 3 Idem est atque Stephanus dictus Angevin, qui fuit insuper librarius. Vid Delisle, *Cab. des mss.*, I, 99, sqq — 4 Seu Philibert, ut in impressis, et supra n° 1335, not Orig · « Phot » cum linea superposita. — 5 In impressis « pere ».

1347. *Urbanus V ad officialem Paris., ut inquirat quidquid pactum fuerit Universitatem Paris. inter et abbatem S. Germani.*

1368, Novembris 16, Romae.

Dilecto filio .. officiali Parisiens. salutem, *etc.* Justis petentium desideriis, *etc.* Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Ricardi abbatis et conventus monasterii S. Germani de Pratis juxta Parisius Ord. S. Ben. ac rectoris, magistrorum et scolarium ac Universitatis studii Parisiensis petitio continebat quod ad abbatem et conventum presentatio persone ydonee ad parrochialem ecclesiam S. Germani veteris Parisiensis, et ad rectorem, magistros, scolares et Universitatem predictos collatio capelle S. Martini de Ordeis prope muros dicti monasterii consistentis, dum vacat, de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinere noscuntur, quodque de demolienda dicta capella et accipiendo duo arpenta (quorum quodlibet centum virgas continet) et etiam decem virgas Prati clericorum juxta dictum monasterium consistentis et ad ipsos rectorem, magistros, scolares et Universitatem justo titulo pertinentis, quarum quidem virgarum prati quelibet viginti pedes contineat, pro fossatis circa dictum monasterium pro ejus defencione ac tuitione civitatis Parisiensis contra inimicos regni Francie, ex ordinatione tamen consilii carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustris, tractatus est habitus; quodque iidem abbas et conventus ac rector, magistri, scolares et Universitas pro bono pacis et concordie jura que habent in ecclesia et capella predictis desiderant invicem permutare, ac abbas et conventus predicti pro demolitione loci dicte capelle ac domorum et ortorum, jardinorum nuncupatorum, ac pertinentiarum earumdem rectori dicte capelle pro tempore existenti octo libras amortizatas annui et perpetui redditus supra quamdam domum in civitate Parisiens. juxta locum fratrum Ord. Heremit. S. Aug. consistentem (supra quam decem libras annuas dicte monete percipiunt), ac prefatis rectori, magistris et scolaribus pro dictis duobus arpentis et decem virgis prati duo et dimidium arpenta terre dictorum abbatis et conventus juxta prefatum pratum consistentia assignabunt. Quare pro parte dictorum abbatis et conventus ac rectoris, magistrorum, scolarium et Universitatis nobis fuit humiliter supplicatum ut eis faciendi premissa licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ....[1]. Volumus autem quod idem rector

dicte capelle qui nunc est et successores sui redditus et proventus ad rectorem dicte capelle pro tempore existentem pertinentes[2] integre percipiant ac divinum officium per eos ratione dicte capelle fieri debitum in ecclesia dicti monasterii aut alio loco congruo et honesto, de quo tibi videbitur, perpetuo facere teneantur. Datum Rome apud Sanctum Petrum xvj kal. Decembris, anno septimo.

Reg. Vat. Aven Urbani V, vol. XX, fol. 411 b. — Arch. nat Paris. M 67a, no 37, bulla inserta instrumento an. 1369, Aug. 6 (Bulaeus, IV, 421; vid. supra no 1345), quo anno et die officialis Paris., praesentibus Richardo abbate et rectore Universit. et deputatis Universitatis, concessit licentiam commutandi, ut in bulla exprimitur. « Acta fuerunt hec Parisius prope parquetum, ubi sententie proferuntur juxta cameram nostram in domo episcopali anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, indict. septima, die sexta mensis Augusti, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Urbani divina providentia pape Vti anno septimo, presentibus venerabilibus et discretis viris magistris Johanne Tonsoris et Guillermo Miée in curia Parisiensi advocatis, magistris Guillermo Carpentatoris et Johanne Chaperon, magistris in artibus, Alano Nudi, Jacobo Foretii et Jac. Vavassoris bedellis Universitatis predicte Parisius commorantibus, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis » (vid. etiam Bul, IV, 421) Chartam permutationis inter abbatiam et Universitatem (an. 1369, Septemb. 2), quae nihil novi affert et supra posita repetit, vid. apud Bulaeum, *Mém. hist. sur le Preaux-Clercs*, p 136.

1. Summus pontifex licentiam commutandi concedit. — 2 Reg · « pertinentibus »

1348. *Rector electus Franciscus de S. Michaele. De 4000 francis episc. Camerac. Episcopus Lexoviensis veniam petit ab Universitate. De rotulo Universitatis.*

1368, Octobris 10-Decembris 16, Parisiis.

Anno Domini 1368, primo die legibili ordinarie, scilicet in crastino[1] sancti Dyonisii, electus fuit concorditer via Spiritus Sancti per iiijor intrantes in rectorem Universitatis Parisiensis Franciscus de Sancto Michaele in Lothoringia, Virdunensis dyocesis, magister in artibus. In cujus rectoria quamvis multa sint acta, tamen quia hominum memoria brevis sit, hec que sequuntur in litteris sunt redacta.

Primo multis congregationibus celebratis super quadam summa quam dedit Universitati dominus Cameracensis[2] qui obiit anno quo supra, ad fundandum scolares Parisius, tandem idem rector recepit quatuor mille francos[3] et totum in formaliter francis *(sic)*, nisi quod ibi fuit quedam mitra in vadio pro 660 francis, et totum includebatur in quadam archa duabus firmata clavibus in thesauraria Nostre Domine Parisiensis collocata. Et super hoc fuerunt confecte littere regis et Universitatis ad dominum papam et cardinales duos.

Item in ista rectoria concessit nobis illustrissimus Carolus Francorum rex quoddam pulchrum regale privilegium, scilicet quod lx homines, puta nostri servitores : librarii, scriptores, illuminatores, pergamenarii, stationarii, suis nominibus nominati, [a gueto sint exemti], ut in litteris regiis cera alba sigillatis super hoc confectis continetur[4]. Nomina sunt[5]. Que quidem littere in archa Universitatis sunt recluse, et retinuerunt unum *Vidimus*[6].

Item cum lis movebatur inter nationem Normannorum pro eo quod equo amoto [verberatus fuit][7] nuncius[8] ejusdem nationis, ut asserebat, per quendam familiarem domini

Lexoviensis episcopi[9], qui scilicet voluit defendere familiarem; et Universitas volens juvare nationem tanquam filiam[10], trahi voluit predictum episcopum ante prepositum Parisiensem in Castileto *(sic)*. Qui episcopus recusando dicebat se debere placitare in Parlamento aut domo requestarum regis, cum sit de dominis requestarum, qui ante se ipsos debent placitare per privilegium regium. Tandem habito nostrorum juris legisque peritorum consilio super hoc vocatorum per predictum rectorem, conclusum est quod nullo modo placitabimus, sed ibimus ad regem et factum explanabimus. Episcopus vero hec audiens venit ad congregationem generalem, non obstante gravi infirmitate qua gravabatur, et fecit ordinavitque tantum fieri quantum nationi suffecit. Quidam vero ejus cognatus dicto nuncio supradicto postmodum unam aut duas dedit alapas. Et iterum ab Universitate et natione mirabiliter tractatus fuisset, nisi emendasset in manu ejusdem rectoris nomine Universitatis et nationis supradicte in quantum tenebatur.

Item anno quo supra, quamvis bis in deliberatione magistrorum ad congregationem generalem vocatorum proponebatur, utrum expediens esset facere rotulum, et non concludebatur, tamen tertia vice proposito rotulus conclusus est Decembris die decima. Et hoc in deliberatione propositum est, et conclusum tandem fuit per omnes nationes et facultates, quod officiarii remaneant in locis suis in rotulo[11].

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 148. — Bulaeus, IV, 419.

1. Octobris 10. Ms. et Bul. . « estivo ». — 2 Ms et apud Bulaeum, IV, 419 : « Carnotensis ». Correctio e *Lib. proc. nat. Angl.* ad h. an. in *Auct. Chartul. Univers.*, I, et e documentis apud Sauval, *Antiquités de Paris,* III, 121. Episcopus Cameracensis tunc fuit Petrus Andreae, can. Paris., qui olim fuit officialis cancellarii Paris , et saepe occurrit in *Chartul. Univers.*, II (vid. *Indicem*), ab an. 1340, Octob 11, episc. Noviomens. (Reg. Vat Bened. XII, n° 128, ep. 362), an. 1342, Sept. 25, episc Claromontens. (Reg. Vat Clem VI, n° 152, f. 138[b]), an. 1349, Febr. 17, episc. Cameracens. (ibid., n° 187, f. 115[b]). An 1368, Sept. 13, obiit, cui successit Robertus de Gebennis, qui fuit Clemens VII. — 3. Infra ad an. 1378, Octob 28, summa in « florenis » designatur — 4 Ms. : « contenta ». — 5. Nomina desunt. — 6. Vid supra n° 1346. Privilegium est pro sexaginta quatuor. — 7. « verberatus fuit », quod om. ms., desumpsimus e *Lib. proc. nat. Anglic.* — 8 Ms « nuncio ». — 9 Minime Ademari Roberti, qui cum esset praepositus eccl. Furnens. dioec Morinens. et legum doctor, an. 1359, Julii 12, factus est episc Lexoviens. (Reg. Aven. Innoc. VI, vol. XX, f. 118), an. 1368, Octob. 11, translatus ad eccl. Atrebat. (*Gall. christ* , XI, 787), quamvis Decemb. 15 tantum cam. apost. promiserit (Arch. Vat. Obl., n° 36, f. 171). Sed supra agitur de ejus successore Alphonso Chevrier, episcopo ab an. 1368, Octob. 11, cum esset can. Paris (*Gall. christ.*, l. c.). Ipse fuit consiliarius Parlamenti, et magister requestarum hospitii regis, de quo supra agitur. — 10. Prima congregatio contra episc. Lexoviensem, seu potius ejus familiarem, facta est Octob. 22, ut liquet e *Lib. procur. nat. Anglic.* in *Auctar. Chartul Univers.*, I — 11. Sed vid. infra n° 1354.

De Dionysio Foullechat.

(Ni 1349-1352.)

1349. *Urbanus V ad Johannem cardinalem, ut de controversia inter Dionysium Foullechat, Ord. Min. et cancellarium Paris. inquirat et deinde decernat.*

1368, Novembris 9, Romae.

Dilecto filio Johanni[1] sancte Rom. eccl. presb. card. Parisius commoranti salutem, *etc.* Exhibita nobis pro parte dilecti filii Dyonisii Foullechat, Ord. fratrum Minorum professoris, bachallarii Parisius in theologia, petitio continebat quod olim dilectus filius Grimerius cancellarius eccl. Parisiens., minus veraciter procedens, quasdem propositiones per eundem Dyonisium factas fore hereticas, ipsum Dyonisium per vim et metum compulit ad hujusmodi propositiones revocandum, propter quod dictus Dyonisius ad sedem apostolicam appellavit, et tam idem cancellarius et episcopus Parisiens. qui tunc erat[2], quam inquisitor heretice pravitatis[3] per se et alios eidem Dyonisio quamplurima gravamina irrogare presumpseri[n]t. Quique postmodum, licet dictus Dyonisius, tunc in Romana curia que tunc Avinione erat existens, ac amicabiliter intendens cum eodem cancellario componere ad quorumdam suggestionem ponendo se in determinatione magistrorum in dicta facultate facta vel facienda, predicte appellationi sue renunciasset, sperans quod iidem cancellarius et magistri ipsum Dyonisium audirent et racionabiliter pertractarent : tamen idem cancellarius contra predictum Dyonisium per prefatum episcopum et inquisitorem heretice pravitatis durius procedi procuravit et fecit. Quare pro parte dicti Dyonisii nobis fuit humiliter supplicatum ut providere ei super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque omnes et singulas commissiones super premissis per nos forsan factas revocantes, hujusmodi supplicacionibus inclinati, circumspectioni tue .... per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis de consilio magistrorum in dicta facultate Parisius commorancium, super premissis quod canonicum fuerit, appellatione remota, ordines et decernas, faciens que decreveris auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem .... Non obstantibus, *etc.* Dat. Rome apud Sanctum Petrum v id. Novembris, pontificatus nostri anno septimo.

Reg Vat Aven. Urbani V, vol. XX, fol. 414b — Vid supra nis 1298-1300.

1. Johanni Dormans, card Belvacens., qui collegium Parisiis fundavit. Nondum tunc tit. Quatuor Coronat acceperat. Vid. nº 1267, not. 1. — 2. Stephanus. — 3. Guillelmus Rochini, Ord. Praed.

1350. *Urbanus V ad Johannem card., ut Dionysius Foullechat errores revocet et de consilio cancellarii et magistrorum graviter puniatur.*

1368, Decembris 23, Romae.

Dilecto filio Johanni sancte Romane ecclesie presbytero cardinali, olim episcopo Belvacensi, salutem, *etc* Ex superne clementie dono .... Sane nuper non sine amaritudine mentis ex insinuacionibus percepimus fidedignis quod olim Dyonisius Foulechat Ordinis fratrum Minorum professor, tunc in studio Parisiensi consistens, in suo ad commissam sibi lecturam libri Sententiarum principio apud dictorum fratrum scolas ex more illorum, qui ad hujusmodi lecturam pro tempore assumuntur, facto curiositatis (que plus nititur sapere quam oportet) reprobo spiritu ductus, multas conclusiones recitavit et tenuit minus sanas et sinceritate fidei minime congruentes .... [1]. Tamen postmodum retro respiciens tacito de juramentis, promissionibus et summissionibus per eum in dicta curia prestitis atque factis dilectum filium nostrum Johannem[2] tituli sancti Marci et bone memorie Guillelmum[3] tituli sancti Laurentii in Lucina, tunc S. Georgii ad Velum aureum dyaconum, presbyteros cardinales ad audiendum declaracionem suam super conclusionibus prefatis auditores per nos sibi obtinuit deputari. Coram quibus necnon magistris in facultate predicta, qui tunc erant in curia memorata, et ad hoc per dictos cardinales vocati fuerunt, idem Dyonisius circa hujusmodi declarationis actum, si erronee depravationis augmentum declaracio dici posset, in quosdam alios expresse prorupit errores, detestabiliorem et perniciosiorem, quam conclusiones supradicte, perfidiam et insaniam continentes secundum eorundem redargucionem et judicium magistrorum. Quodque postea idem Dyonisius suo versuto more ad alia diffugia se convertens, adhuc premissis juramentis promissionibus et summissionibus relictis silencio, super hujusmodi negotio seu causa dilectum filium nostrum Hugonem[4] Sancte Marie in Porticu diaconum cardinalem auditorem sibi per nos obtinuit delegari. Qui hujusmodi delegationis obtentu, ad nonnullos actus dicitur processisse, quos, non quia pretermissione judiciarii ordinis seu forme mandati aut in se laborarent vicio vel defectu, sed quia dicta delegatio, utpote subrepticie et obrepticie impetrata, nullam sibi tribuerat nec tribuere potuerat potestatem, irritos decrevimus et inanes, et eos quatinus consistebant in facto duximus revocandos et per dictum Hugonem cardinalem mandavimus retractari, ac nullos, cassos et irritos nunciari et totum negotium ad nostrum et dicte sedis examen duximus revocandum.

Attendentes igitur quod hujusmodi negotium seu causa attentis circumstantiis universis commodius poterit tractari Parisius quam in Romana curia prelibata, circumspectioni tue, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in Domino specialem, tenore presentium committimus et mandamus quatinus circa revocationem errorum predictorum per ipsum Dyonisium assertorum faciendam per eum ac circa penas eidem Dyonisio pro juramentorum et promissionum transgressionibus infligendam necnon emendam prestandam

ab illo et correctionem ipsius, ascitis tibi et in hoc assistentibus cancellario predicto ac magistris in facultate predicta, de ipsorum consilio legitimis per dictos Stephanum cardinalem, tunc episcopum, et inquisitorem habitis servatis processibus appellatione remota previa ratione procedas, faciens quod decreveris auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Contradictores, *etc*.... Ceterum ut ejusdem Dyonisii nunc in Romana curia constituti per te haberi possit copia personalis, nos eidem Dyonisio in dicta curia personaliter apprehenso sub excommunicationis pena, quam si nostro hujusmodi non pareret mandato eum incurrere voluimus et volumus eo ipso, mandari fecimus, quod prima die mensis Aprilis proximo futuri tuo conspectui se personaliter representet, ex tunc in hujusmodi causa et causis processurus usque ad diffinitivam sententiam inclusive ac facturus et recepturus quod ordinaverit tua discretio et consilium antedictum. Quod si forsan hujusmodi mandatum nostrum neglexerit adimplere, ut contumax melioris conditionis quam obediens non existat, tu juxta predictam formam in negocio seu causa vel causis ipsis procedas, ejus absentia non obstante. Datum Rome apud Sanctum Petrum x kal. Januarii, pontificatus nostri anno septimo.

Reg. Vat. Urbani V, nº 259, fol. 122 b *Vidimus* in Arch. nat. Paris. M 75, nº 127 3. — Raynaldus, *Ann. eccl.*, ad an. 1368, nº 16. D'Argentré, *Coll. Jud.*, I, 382.

1. Summus pontifex fuse enarrat quae evenerint donec Dionysius Foullechat Avenione in curia revocaverit, quae omnia supra in nis 1298-1300 continentur. — 2 Johannem de Blandiaco, card. Nemausens., de quo nº 1318. — 3. Guillelmum Bragose, episc. Vabrensem ab an 1361 (per obit. Bertrandi), Aug 2, cum prius esset archidiac. Mirapiscens. et decret. doctor (Reg. Aven Innoc. VI, vol. XXVI, f. 36). Mancum in *Gall. christ.*, I, 279. Guillelmus eodem an , Sept. 17, creatus est card. S. Georgii ad velum aureum (cum adhuc esset tantum electus Vabrens.), an 1362, Dec. 6, card. S Laurentii in Luc Obiit an 1367, Novemb 11, Romae (Contelori). Cf. et Baluze, *Vit. pap. Aven* , I, 961, sqq., ubi tamen perperam p 963 asseritur, ipsum an. 1368 obiisse. — 4 Hugonem de S. Martiali, « Tholose studentem », ut dicitur in Arch. Vat. Oblig., nº 35, f. 6, an. 1361, Sept. 17, creatum cardinalem (vid. etiam Baluze, l c , I, 964).

1351. *Urbanus V prohibet, ne quis pendente causa ad arrestationem Dionysii Foullechat procedat.*

1369, Januarii 1, Romae.

Venerabili fratri .. episcopo Parisiensi[1] et dilectis filiis inquisitoribus heretice pravitatis in regno Francie constitutis, ac cancellario studii Paris. salutem et apostolicam benedictionem. Cum Dyonisius Foullechat, Ord. fratrum Min. professor, super quibusdam articulis seu conclusionibus, partim, ut asserebatur, erroneis et hereticalibus, et partim falsis et temerariis, per eundem Dyonisium in civitate Parisiensi propositis et prolatis deliquisse diceretur, et super hiis per te, fili cancellarie, fuisset, prout ad tuum pertinebat officium, redargutus, et tandem causa super hiis fuisset ad Romanam curiam introducta, nosque nuper causam ipsam dilecto filio nostro Johanni sancte Romane ecclesie cardinali, olim episcopo Belvacensi, commisimus audiendam et fine debito terminandam, idemque Dyonisius, ut asserit, pertimescat ne quis emulus in personam suam faciat seu fieri procuret

noxiam novitatem : nos volentes super hoc dicto Dyonisio providere, vobis universis et singulis per apostolica scripta mandamus quatenus nullam in personam dicti Dyonisii, hujusmodi causa pendente, occasione seu pretextu dictorum articulorum seu conclusionum, injuriam seu novitatem noxiam attemptare aut contra eum ad arrestum seu captionem personalem procedere quomodolibet presumatis. Dat. Rome apud Sanctum Petrum kal. Januarii, pontificatus nostri anno septimo.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol XXI, fol. 31.

1. Aymerico de Maigniaco, cui Urbanus V, Stephano ad episcop. Paris. an. 1363, Dec. 11, promoto, decanatum Paris. reservavit. Sed Aymericus reservationem prosequi non curavit, itaque nunquam in possessione decanatus fuit, sed loco ipsius an. 1364, Martii 18, nominatus Jacobus Divitis (vid supra nº 1227, not. 2). Aymericus an 1368, ante Septemb 25, (23?), fit episc. Paris., sub qua temporis nota camerae apost. promisit 3500 florenos auri (Arch. Vat Oblig, nº 36, f. 167 b. Desunt provisiones). Sept. 27 recipit indultum consecrationis (Reg. Aven. Urb. V, vol XIX, f. 380). An. 1383, Decemb. 23, card. tit. S. Eusebii (Contelori) et obiit 1385, Martii 21.

1352. *Revocatio publica per Dionysium Foullechat, Ord. Min., Parisiis facta propositionum jam revocatarum Avenione, et quarumdam aliarum.*

1369, Aprilis 12, Parisiis.

Item[1] cum debui exponere[2] dicta mea in curia Romana coram reverendissimis patribus dominis cardinalibus Nemausensi[3] et Vabrensi[4], addidi propositiones que secuntur, videlicet quod Christus in morte sua omnia simpliciter abdicavit. Istam reputo tanquam falsam, erroneam et hereticam.

Item[5] dixi quod quando corpus in sepulchro mansit, ibi caritas abstulit ab eo omnem proprietatem et dominium. Istam revocavi tanquam falsam, erroneam et hereticam.

Item dixi quod tunc vacavit sedes generalis Domini usque ad diem istam : ut sequitur ex predictis, seu ad sensum predictarum. Revocavi et revoco tanquam falsam et erroneam.

Item quia aliqui dicunt quod dixi in predicta declaratione, primo quod lex amoris, id est caritas, que statum perfectum facit, est inseparabilis a nobis et quod loquebar de caritate sive de lege amoris, ex cujus observatione uniuscujusque status perfectio mensuratur, loquendo de perfectione meritoria et in homine usum rationis habente; secundo, quod cuilibet creature rationali hec lex est indita; tercio, quod secundum hanc legem Deus vivit : illas propositiones non credo me dixisse, neque dixi, quia illas reputo falsas, erroneas et hereticas. Predictas autem propositiones per me revocatas abjuro, et promitto, eas decetero nec tenere nec dogmatizare publice vel occulte. Et veniam petivi et peto de commissis.

Bibl Autissiod. ms. 243 (antea 206), fol. 87, sub rubrica « Revocatio dictorum[6] articulorum et quorumdam aliorum facta per eundem Dionixium in disputationibus solemnibus [*ms.* : solucionibus] publice in ecclesia Predicatorum Parisius an. Dom. M CCC 69, die jovis post *Quasi modo* de mandato reverendissimi in Christo patris et domini domini Johannis [*ms.* : « Ny. »] cardinalis Belvacens. commissarii ad hoc per sedem apostolicam deputati ». Ita praeterea Bul. IV, 424; D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 386. Glasberger in sua *Chronica* etiam scribit, Dionysium « circa haec tempora » coactum esse revocare (*Anal. Francisc*, II, 203).

Dionysius Foullechat non ad magisterium in theologia pervenit, remansit baccalareus, et sic nominatur etiam in *Processu contra cancell.* Johannem Blanchart an. 1385 (Arch. Vat. Collect. nº 440). Vid. infra.

1 Sequentia quasi appendix ad propositiones cum revocatione sunt habenda, quas jam supra p. 117 edidimus. Dionysius tunc Parisiis tam illas, quam eas in curia sibi impositas publice revocare debuit — 2. Ms « componere ». — 3. Johanni de Blandiaco, de quo nº 1318. — 4. Guillelmo Bragose, de quo supra. — 5. Quae sequuntur usque « Item quia » desunt in ms. Autiss — 6. I. e. eorum, quae supra p 117 afferuntur.

1353. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Paris., ut Johanni Corbechon*[1], *Ord. Eremit. S. Aug., qui per decem annorum spatium in facultate theologica officium laudabiliter exercuit lectoratus et in studio Parisiensi ordinarie Bibliam legit, ad legendum ordinarie anno praesenti librum Sentent., quamprimum tempus inchoandi lecturam dicti libri institerit, in conventu Paris. vel in alio loco, sine praejudicio baccalarei dicti Ord. ad lecturam forsitan deputati, locum assignet eumque lectura finita ad gradus alios studii facultatis ejusdem ordinarie et gradatim promoveat, ac demum ei magisterii decus ac docendi largiatur licentiam.* Dat. Rome apud Sanctum Petrum viij id. Februarii, anno VII°. « Qui per ».

1369, Februarii 6, Romae.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. XX, fol. 421.

1. « Jean Corbichon » an. 1372 a Carolo V, rege Francorum, remuneratus est pro traducto libro *De proprietate rerum* in linguam Gallicam. Delisle, *Cab. des mss.*, I, 41.

1354. *Rector electus Guilletmus Carnificis. Mortale litigium inter nat. Franciae et Picardiae. Articuli contra praepositum. De rotulo.*

1368, Decembris 16-1369, Martii 24, Parisiis.

Anno 1368, die 16[1] mensis Decembris, facta congregatione facultatis apud S. Julianum ad eligendum rectorem per venerabilem et discretum virum magistrum Franciscum de Sancto Michaele tunc rectorem, cassata prima electione primorum intrantium, scilicet magistri Hervei, magistri Johannis de Trelon, magistri Rodulphi Boutini[2] et magistri Guilhelmi Buser, datis novis intrantibus, scilicet magistro Herveo Quemmaroti[3], magistro Nicolao Jonglet, magistro Thoma Durandi, magistro Henrico, electus fuit concorditer via Spiritus Sancti in rectorem Universitatis Parisiensis, licet invitus, magister Guilhelmus Carnificis[4] dyocesis Parisiensis de villa Alneti juxta Gonessiam[5].

In cujus rectoria licet multa contigerint, pro quibus maximos labores perpessus est, ista tamen principaliter in scriptis redacta sunt ad preteritorum perpetuam memoriam.

Primo, cum lis et discordia, ymmo verius guerra mortalis orta fuisset inter quosdam scolares de natione Francie ex una parte, et natione Picardie ex alia parte, ante tempus rectorie sue, nec potuerat terminari, qua durante plura ex utraque parte scandalosa perpetrata sunt : tempore sue rectorie firmata est pax et bona concordia inter istos scolares, promittentes pro posse nunquam in talia recidivare, et hoc in plena congregatione generali. Etiam amore Universitatis indulsit eis rex quidquid commiserant.

Item eodem existente rectore dati sunt articuli contra prepositum Parisiensem[6], qui responsurus ad dictos articulos deputatis Universitatis presentibus apparuit coram rege

et suo consilio, munitus multo consilio advocatorum, principaliter magistri Johannis de Maresco, qui proponendo articulos factos contra scolares aliquos de Universitate offuscavit articulos Universitatis contra prepositum in tantum, quod dictus prepositus in multis a rege fuit advoatus[7]. Attamen dictum fuit sibi per regis os, quod scolares et magistros decetero tractaret amicabiliter cum reverentia et honore sub pena incurrendi perpetuam regiam offensam. Quod sic fecit postea[8].

Item cum rotulus tempore sui predecessoris conclusus esset[9], obsequenter in ejus rectoria in pluribus congregationibus ad lucem emicuit quod non fuerat conclusus, nisi sub istis protestationibus, primo quod rotuli omnium facultatum consuerentur, et quod non possunt tres facultates, scilicet medicine, decretorum et theologie, cogi ad nuncium ministrandum, et quod aliter nolebant rotulum. Quod sic cum maximo labore fuit finaliter in ejus rectoria executum, quia fuerunt omnes rotuli consuti, tam articuli communes, quam rotuli facultatum, dempta tamen supplicatione rectoris que sigillabatur ad partem. Nec fuerunt aliqui nuncii nisi quatuor magistri de quatuor nationibus in facultate artium[10] et bedellus.

Mus. Britann ms. add. 17304, fol. 148 b. — Bulaeus, IV, 420

1. 1. In *Lib. proc. nat. Angl.* haec electio ad 15 Decemb. refertur Vid. *Auctar. Chartul. Univers.*, I. — 2. Fortasse frater ejusdem qui vocatur supra, p. 89, Johannes Boutini — 3. Ms. et Bul · « Carnemoti ». Correctio e nº 1265, p. 84 (Turon.). In Reg. Aven. Greg. XI ad an. 1371, Jan. 27, vocatur Quennaroti, can. Trecorens., qui « in art. mag., et in sacra theol. scol. existis, et Parisius in medicina regis » (vol. II, fol. 218b). — 4. Qui non longe postea jam fuit mag. in medicina. Vid. infra. — 5. Ms. « Gomeciam ». — 6. Hugonem Aubriot. — 7. Ms. et Bul. « advocatus ». — 8 Quod minime verum est, ut infra videbimus — 9. Vid. supra nº 1348. — 10. Nuntius ex parte nat. Anglic. erat Marsilius de Inghen, qui Martii 19 in taberna pro suo *Bene valete* duos francos solvit (vid. *Auctar. Chartul.*, I), qui tamen solum post Martii 31 ad curiam profectus est. Opinamur, ut e Reg. Aven. Urbani V, vol. XX et XXI, putari potest, rotulum, nunc deperditum, pro theologis et decretistis circa Maii 1, pro artistis Maii 10, in curia (apud Montemflasconem) signatum esse. Vol. XX, fol. 301b, affertur etiam Pontius de Frezenchis, can. Camerac., decret. doctor, actu legens Paris.; vol. XXI, fol. 433, tamen ad April. 6, Cristoforus de Lignano, frat. domus Brayde Mediolan., Ord Humiliat., qui « Parisius cum rigore examinis in s. theol. magisterii honorem recepit ».

1355. *Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Paris., ut Johannem Thomae, Ord. Praedic., qui philosophiam et librum Sentent. in nonnullis locis ejusdem Ord. legit ac in Remens., Senonens. et aliis locis dicti Ord. per octo annos lector fuit, ad legendum librum Sentent. Parisiis tempore hiemali ut baccalareum in altera duarum scholarum domus dicti Ord. anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo primo inchoando admittat.* Dat. apud Montemflasconem iiij non. Maii, anno septimo. « Viri sacre ».

1369, Maii 4, apud Montemflasconem.

Reg. Vat. Aven. Urbani V, vol. XXI, fol. 542b. — Johannes Thomae an. 1374-1375 licentiam in theologia recepit (*Catal. licent.* in mss. lat. 5657a, 12850). De ipso infra pluries. An 1389 fuit vicarius inquisitoris Franciae, fr. Vitalis (vid. Quétif-Echard, I. 694). Eodem anno vocatur a Georgio de Rain, mag. Parisiens., « solennior clericus totius Ordinis » Praedicat. (Bibl. caesar. Vindob., ms. lat. 4384, fol. 269. Vid. infra *Processus contra Joh. de Montesono*). In *Chron. du rel. de Saint-Denys*, ed. Bellaguet, I, 582, nominatur « doctor excellentissimus »

1356. *Urbanus V Marsilio de Inghen, mag. in art., « qui ut asserit rector Universitatis Paris. in artibus extitit*[1]*, et in eisdem artibus per sex annos continue rexit*[2]*, et qui s. theol. a tribus annis citra scolaris fuit », canonicatum eccl. Monasteriens. confert.* Dat. apud Montemflasconem iiij kal. Junii, anno septimo. « Litterarum scientia ».

1369, Maii 29, apud Montemflasconem.

Reg. Vat Aven. Urbani V, vol. XX, fol. 274b. Hoc instrumentum edimus solum ob verba *rector Universitatis Paris. in artibus*, quibus tum etiam exprimitur, quod saec XIII bene notum fuit, rectorem primo fuisse tantum rectorem Universitatis artistarum (vid. *Chartul.*, I, p. XIX. XXII sq., et supra nº 1246).

1. An. 1367, Octob. 11. Vid. supra. — 2. Vid p. 93, not 30.

1357. *Carolus V, rex Francorum, scholares, bedellos, librarios, illuminatores, etc., ab impositionibus eximit.*

1369, Septembris 26, apud Vincennas.

Charles, par la grace de Dieu roy de France, à noz amez et feaulx les generaulx sur les faiz de la redemption de nostre tres cher seigneur et père que Dieux absoille, et de la provision et deffense de nostre royaume, salut et dilection. Considerans les libertez, franchises et privilèges que noz predecesseurs roys de France ont donné et octroyé à nostre fille l'Université des escoliers de nostre bonne ville de Paris, et aus bons et vrais estudians et escoliers, continuans l'estude d'icelle ville, nous veuillans yceulx vrais escoliers tenir et garder esdites libertez et franchises, afin qu'ils puissent mieulx continuer ladite estude, et que plus volentiers autres escoliers y veignent estudier, à iceulx vrais escoliers et à leur bedeaulx avons octroyé et octroyons par ces presentes qu'il seront frans et quittes sanz nous paier aucunes aides; c'est assavoir de molage de blez, de vins qu'il acheteront pour leurs vivres, et de ceux qu'il vendront qui seront creuz en leurs heritages, ou en ceux de leurs benefices et d'autres quelxconques vivres despensés en leurs hostelz à Paris, et aussi de toutes entrées par eaue et par terre, de tous vins et autres biens creuz et venuz comme dit, qu'il y feront venir pour leurs dites garnisons, sanz ce qu'il en paient ne soient ou puissent estre contrains par nous ou aucun de noz officiers ou fermiers. Et oultre ce leur avons octroyé et octroions par ces presentes que tous les libraires, enlumineurs et percheminiers, qui vendront ausdiz vrais escoliers livres, enluminures et parchemins et autres choses de leur mestier necessaires à yceulx vrais escoliers, soient et demeurent quittes de paier pour ce à nous ou à noz officiers, aucunes impositions ou autres aides quelxconques.... Donné en nostre chastel du Bois de Vincennes le xxvje jour de Septembre l'an de grace mil CCC soixante neuf, et de nostre regne le sizieme. *Par le roy et son conseil*,

Yvo.

Originale in Arch. Univers. Paris., theca II, A 5. s — Ibid A. 5. t, *Vidimus* praepositi Paris. Hugonis Aubriot an 1369, Oct 5. Cod. Harcur, f. 80. — *Recueil des privileges de l'Université de Paris*, p. 83 sq *Ordonn. des rois de France*, V, 221.

1358. *Universitas Paris. statuit sermonem in festo S. Ludovici intra Collegium Navarrae habendum esse.*

1369, Octobris 18, Parisiis.

Universis in Christo fidelibus nostras presentes literas seu presens instrumentum publicum inspecturis, Jacobus Perroti[1] de Metis rector, et universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium, salutem in Domino sempiternam. Dignum merito arbitramur, velut consonum rationi et approbatis scripturis, illis potissime distribuere nostras gratias et honores licitosque favores, qui nostrum Parisiense studium suis doctrinalibus studiis et jugibus laboribus laudabilibusque actibus illuminant, continuant, consolidant et sustentant, ut in continuandis indefesse premissis amplius animentur obligatiusque ligentur; ceteri vero hiis de causis allecti copiosius affluant ad studendum. Cum itaque pro parte illustrissimi principis domini nostri et patris singularissimi domini Karoli Dei gratia Francorum regis, nuper nobis preces oblate oretenus[2] fuerint gratiose, inter cetera continentes, quatinus annuales sermonem et collationem Universitatis predicte fieri consuetos ad clerum die festo sancti Ludovici regis dudum Francorum nos, ad quos spectat tam de consuetudine quam de jure, de hujusmodi sermonibus et collationibus ordinare, suo regali collegio scolarium de Navarra sub littera Universitatis concedere perpetuo dignaremur, in cujus sancti honore capella tam solempnis dicti collegii principaliter est fundata, ubi locus aptissimus ad sermones fiendos, grandisque valde studentium multitudo, cum pluribus aliis coloribus rationabilibus explicite allegatis, magistrisque et scolaribus dicti collegii obnixe interpellantibus pro premissis, dictaque domini nostri regis petitione pro majori et saniore deliberatione aliquandiu posita in suspenso : demum vero per magistrum Symonem Freron actu regentem in theologia magistrum dicti collegii, in nostra generali congregatione propter hoc inter cetera specialiter celebrata, verbotenus refricata et explicata ad plenum, unanimiter attendentes dicti domini nostri regis rationabilem et sanctam affectionem, dictique collegii celebrem ordinationem, dicta supplicatione in deliberatione cum ceteris posita, ut est moris, nobisque ad partem pro deliberando more solito retractis, postmodum vero pro reddendis deliberationibus reunitis, deliberavimus et diximus per hunc modum. Et primo nos rector nomine facultatis artium et pro ipsa, quod [artiste] dictam petitionem domini nostri regis pro dictis sermone et collatione sancti Ludovici regis et supplicationem dicti collegii ad eundem finem tendentes unanimiter et concorditer tanquam rationabiles concedebant, et pro eisdem aliis facultatibus supplicabant. Deinde reverendus magister Galerannus Penderef[3] magister in medicina, nomine dicte facultatis medicine et pro ipsa, deliberando suo ordine de articulo prelibato sermonum, dixit dictam supplicationem pro sermone et collatione die sancti Ludovici regis in dicto collegio de Navarra perpetuo fiendis, per facultatem suam etiam unanimiter exauditam sub litera Universitatis predicte. Ulterius reverendus magister Johannes de Chempien[g] doctor decretorum et decanus facultatis ejusdem, suo ordine deliberando dixit de predicta supplicatione sermonum, quod sue

facultati decretorum concorditer placebat ut aliis facultatibus predictis, et quod de hoc haberent illi de collegio literam Universitatis sigillatam. Postremo vero reverendus magister Gerardus de Vervino magister in theologia, Parisiensis penitentiarius, pro sua facultate theologica deliberando dixit, dictam supplicationem sermonis et collationis fiendarum perpetuo die sancti Ludovici regis in dicto collegio acceptabat concorditer dicta facultas, approbabat et exaudiebat, ut alie[4] precedentes. In quorum omnium testimonium nos rector et Universitas antedicti presentes literas seu presens instrumentum publicum per notarios publicos infrascriptos fieri et publicari mandavimus et fecimus ad perpetuam rei memoriam, ac sigilli nostri una cum sigillis et subscriptionibus eorundem notariorum appensione muniri. Acta fuerunt hec Parisius in nostra generali congregatione predicta apud Sanctum Maturinum hora tertia celebrata, ut moris est, anno a Resurrectione Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, indictione octava secundum morem ecclesie Gallicane, die decimaoctava mensis Octobris in festo beati Luce, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Urbani divina providentia pape V anno septimo, presentibus reverendo in Christo patre domino Thoma[5] abbate monasterii Sancti Martini in Bosco, Belvac. dioc., conservatoris privilegiorum nostrorum vices gerente, ac discretis viris Johanne de Acyaco, magno bedello theologice facultatis, domino Jacobo de Pavilione, bedello Francie, Suession. et Trecens. dioces., testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Oudardus, *etc.*

Originale in Arch. nat. Paris. M. 180, nº 3 — Launoius, *Reg. Navarrae gymn. hist.* (Paris., 1677), p. 73. — Sed jam an. 1364, Julii 31, Simon Freron supplicavit « pro sermone habendo in collegio de Navarra » quolibet anno in die S. Ludovici, quod et tunc obtinuit, ut legitur in *Lib. procur. nat. Anglic.* ad h. an. (vid. *Auctar. Chart. Univ.*, I).

1. Determin. et lic. in art. an. 1362, Jan., sub mag. Johanne de Marchia; an. 1365, Dec. 16, proc. nat. Gallic. (Bul., IV, 994) — 2. Orig. : « tratenus »; Laun. « hactenus ». — 3. Idem ipse, qui supra, p. 92, not. 10, ut mag. art. designatur. (vid. Launoium, l. c., p. 901) An. 1369 paratus legere cursus theol. (Reg. Av. Urb. V, vol. XXI, f. 399); an. 1371, Jan. 28, Sententias jam legerat; desiderat ad mag. in theol. pervenire, can. Genomanens. (Reg. Aven. Greg. XI, vol. II, f. 129), an 1376, Dec., can. et poenit. Bajoc. (ibid., vol. XXVI, f. 122ᵇ), an 1378, Nov. 17, can. Paris. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XIII, f. 90ᵇ). De libris ab ipso eccl. Paris. legatis vid. Delisle, *Cab. des mss.*, I, 429. — 4. Ms. « alii ». — 5. O. S. Aug., cognominato Belli-filii, abbate ab an. 1363, Junii 9, cum esset decret. doctor et prior prioratus de Maucearg. e monast. S. Johannis Senon. dioec. pendentis (Reg. Aven. Urb. V, vol. VI, f 72).

1359. *Assignationes baccalareorum Ord. Praed. pro lectura in studio Paris.*

1370, circa Junii 2, Valentiae.

Assignamus ad legendum Sententias Parisius pro anno immediate sequenti fratrem Guilielmum de Marreja[1] de provincia Francie, pro anno secundo, quantum nostra interest, fratrem Gembaldum de Ulugia[2] de provincia Aragonie, et pro anno tercio, quantum nostra interest, fratrem Simonem Bardelli[3], quem in casu quo contingeret fratrem Guilielmum

de Marreja impediri ad legendum Sententias, pro anno immediate sequenti Parisius assignamus.

Fragmenta Capit. general. Ord. Praed. ad ipsum Ord. pertinent. (apograph. ex orig olim Barcinonae conserv.). — In hoc Capitulo deffinitum est, Capitula generalia ex nunc de biennio in biennium esse celebranda.

1. Licentiatum an. 1373 (1374), ut in *Catal. licent.* (Bibl. nat. Paris. mss. lat 5657ª et 12850). — 2. In *Catal. licent.* : Gembaldus Pinar; licent. an. 1375 (1376). An. 1380 electus est in provincialem Hispaniae. Quétif-Echard, *Script.*, etc., I, 686. — 3. Seu Bardel. Licent. an. 1375.

1360. *Carolus V, rex Francorum, ad praepositum Paris., ne magistri chirurgi praeposito revelare teneantur quas plagas curaverint, nec ad excubias et custodiam januarum mittantur.*

1370, Julii 21, Parisiis.

Karolus Dei gratia Francorum rex preposito Parisiensi[1], vel ejus locum tenenti, salutem. Cum ex dilectorum nostrorum magistrorum, juratorum, licenciatorum et bacallariorum in arte cirurgie Parisius commorantium nobis fuerit insinuacione monstratum, quod cum ipsi, antequam exercicio dicte artis se debeant immiscere, teneantur coram vobis prestare juramentum de ipso officio fideliter excercendo, quo facto vulneratos existentes in villa sive vicecomitatu Parisiensi, seu vulnera eorum vel plagas vobis seu auditoribus Castelleti nostri Parisiensis revelare seu etiam intimare minime teneantur, nisi duntaxat illos vel illorum, quos in locis sacris vel privillegiatis esse[2] contingit; et propter hoc hactenus prestaverunt et prestare consueverunt coram sigillifero Castelleti dicti dictum fidelis exercitii juramentum; nichilominus vos ipsos exponentes pro dicto juramento per eos, ut dicitur, non prestito ac presentacione et approbacione de ipsis seu aliquibus ipsorum coram vobis et pro dicta revelacione seu intimacione non factis, necnon et pro non graduatis, quia se dicto exercitio immiscuerunt, licet in hac sint experti, illudque saltem sub regimine et nominibus magistrorum exercere consueverint, trahere nitimini ad emandam *(sic)*, et compellere ad vobis seu dictis auditoribus revelandum seu intimandum post primam visitationem seu preparationem vulneratos et plagas, non solum existentium in locis sacris et privillegiatis, sed etiam aliorum quorumlibet indistincte, et jam aliquos ex ipsis de facto jurare fecistis, quod vobis seu dictis auditoribus de omnibus revelabunt; et insuper, licet ipsos omni hora de dicto officio exercendo oporteat esse paratos, eosdem ad custodie januarum nostre civitatis Parisiensis de die et de nocte excubiarum ejusdem vultis ponere servitutem, ipsos pro premissis diversis modis et viis punire volendo, in ipsorum et reipublice, cujus sunt servitio deputati, grave dispendium, prout sumus sufficienter informati : hinc est, quod nos premissis attentis et quod non multum refert, an coram vobis seu dicto sigillifero fuerit dictum juramentum prestitum; attento etiam, quod medietas emandarum ex predictis non approbacione et juramenti non prestacione proveniencium ad ipsos exponentes ex donacione per nos ipsis facta[3], ut in utilitatem confraternitatis sue quam[4] faciunt in honorem beatorum martirum Cosme et Damiani et non alibi

convertatur, noscitur pertinere, omnem et quancumque emendam, in qua propter supradicta erga nos teneri possent quovismodo et tenentur, eisdem et eorum cuilibet remisimus et in dicto casu remittimus de nostra[5] certa scientia et gratia speciali, ita tamen, quod ipsi et eorum cuilibet[6] deinceps jurare et aprobacionem petere prout decuerit secundum eorum privillegia teneantur. Et ex habundanti, attento quod dicti exponentes se sponte offerunt pro nobis et remedio anime nostre nostrorumque predecessorum et in futurum successorum, gratis visituros et preparaturos pauperes, qui in hospitalibus recipi non possunt, et qui eorum visitationibus et remediis indigebunt, volumus et eis concedimus, ut ipsi ad dictos vulneratos seu eorum vulnera et plagas revelandos aliter quam superius et in suis privillegiis per nos seu nostros predecessores eis concessis, de quibus vobis licuit aut liquebit, est cautum, necnon[7] ad faciendum excubias vel custodiam januarum deinceps minime sint astricti, sed potius sint liberi et immunes. Mandantes vobis, quatinùs ipsos et eorum quemlibet nostra presenti gracia et concessione uti faciatis et permittatis pacifice et quiete, ipsos seu aliquem ipsorum in contrarium nullatenus molestando seu molestari faciendo vel etiam permittendo aliqualiter in corpore sive bonis; sed jam exacta in contrarium, ut est dictum, juramenta contra suorum privillegiorum tenorem et seriem relaxando, que nos ei[s]dem in casu premisso tenore presencium relaxamus et silencium super hiis omnibus nostro procuratori imponimus per presentes. Datum in hospicio nostro Sancti Pauli, die xxj^a me[n]sis Jullii, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo, regnique nostri septimo.

Vidimus in Livre vert vieux second du Chastelet, Arch. nat. Par. Y 4, fol. 147^b. — *Ordonn. des rois*, V, 322; *Rec. général des ancienn. lois franc.*, V, 344, *Statuts, privil. et reglements du College de Chirurgie de Paris*, p. 66. — Has litteras confirmavit Carolus VII an. 1441, Octob., Ludovicus XI an. 1470-1471, Martii, Carolus VIII an. 1484, Jul. Cf. edit. supra nº 1296, not.

1. Hugoni Aubriot. — 2. Ms. et ed. « esset » — 3. Vid. supra nº 1296. — 4. Ms. et ed. « quem ». — 5. Ms. « nostre ». — 6. I. e. quilibet. — 7. Ms. et ed. « nec nom ».

1361. *Deliberatio Universitatis de poena librariis infligenda, qui in venditione librorum non satis fideliter se gerunt.*

1370, Novembris 23, Parisiis.

Anno Domini 1370 congregatione Universitatis generali facta apud S. Maturinum per juramentum 23 Novembris, rector duos articulos proposuit ibidem determinandos. Primus articulus fuit, super punitione librariorum delinquentium in suis officiis injuste gubernatis, quibus correctis super eorum admissione, et ceterorum consimilia habentium officia, ad renovationem audiendam juramentorum super obligationibus suis fidejussoriis exhibendis, a quibuscumque aliquos receperint libros vendendos. Cui articulo cum suis membris servandis natio nostra deliberando assentiebat. Secundus articulus concernens appellatio-

nem quandam factam per collegium facultatis decretorum, nullius virtutis in natione reputabatur.

Actes concernans le pouvoir et la direction de l'Université de Paris sur les escrivains, etc , p. 14. Bulaeus, IV, 435. Kirchhoff, *Die Handschriftenhändler des Mittelalters*, p. 172 — Nescimus de qua natione supra agatur. Fortasse etiam nota temporis erronea et deliberatio ad tempestatem posteriorem rejicienda est.

1362. *Gregorius XI Johannem de Calore in cancellarium eccl. Paris. confirmat.*

1370, Octob. 20-1371, Januarii 5, Avenione.

Gregorius.... Johanni de Calore, cancellario ecclesie Parisiens., magistro in theologia, salutem, *etc.* Rationi congruit, *etc.* Dudum siquidem fe. rec. Urbanus papa V predecessor noster intendens de cancellaria ecclesie Parisiens., quam quondam Grimerius Bonifacii ipsius ecclesie cancellarius tunc temporis obtinebat, cum ipsam vacare contingeret per apostolice sedis providentiam ordinari, cancellariam predictam, dum adhuc idem Grimerius ageret in humanis, videlicet ij id. Novembris pontificatus sui anno tertio, collationi et dispositioni sue duxit ea vice specialiter reservandam, decernens extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et deinde cancellaria predicta per ipsius Grimerii obitum[1], qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, idem predecessor attendens quod nullus preter eum de ipsa cancellaria disponere potuerat neque poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ac volentes tibi, qui ut asserebas Parisius in theologia actu regebas, ... consideratione carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustris, pro te dilecto suo eidem predecessori super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, cancellariam predictam, que sine cura est, sic vacantem cum omnibus juribus et pertinentiis suis videlicet xiij kal. Novembris pontificatus sui anno viij[2] apostolica tibi auctoritate contulit et providit etiam de illa[3] .... Verum ne pro eo, quod super hujusmodi collatione et provisione littere apostolice ipsius predecessoris superveniente obitu confecte minime extiterunt, hujusmodi collationis et provisionis frustreris effectu, volumus et auctoritate apostolica decernimus quod collatio et provisio predicte a dicta die, videlicet xiij kal. Novembris, perinde sortiantur effectum, ac si super illis ejusdem predecessoris littere sub ipsius diei data confecte fuissent, prout superius enarratur, quodque presentes littere ad probandum plene collationem et provisionem predictas ubique sufficiant nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo, *etc.*, nostre voluntatis et constitutionis infringere, *etc.* Datum Avinione non. Januarii, anno primo.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol III, 264. — Sub eadem temporis nota abbates S. Genovefae[4] et S. Victoris[5], et officialis Paris., exsecutores destinantur.

Johannes de Calore, die « mercurii post brandones xxvj die Februarii an LXX », i e. an. 1371, Februarii 26, praesentibus dominis [Johanne] Belvacensi et [Alphonso] Lexoviensi episcopis, magistris Symone Freron, N[icolao] Oresme, G. Paut. (?), Grunerio de Placencia, J[ohanne] de Ogeri[6] et « capitulantibus » 24 canonicis, exhibitis per ipsum litteris Gre-

gorii XI supra editis, primo per [Guillelmum] cantorem installatus est ut canonicus[7]. « Et hiis actis fuit receptus ad cancellariam in cancellarium Paris predicte [ecclesie]. Juravit igitur modo et forma contentis in *Pastoralibus*, videl. statutum factum per Gre[gorium][8], [de] residen[do][9] et plura alia statuta ... Insuper dominus decanus [Jacobus Divitis] tradidit domino officiali Paris. tanquam commissario dom. episcopi Paris. sigilla capituli, que habebat penes se decanus prelibatus, et dictus officialis tradidit dicto cancellario hujusmodi claves. Et post hujusmodi tradicionem clavium fuit installatus tanquam cancellarius Deinde autem tanquam cancellarius fuit iterato stallatus in choro in altiori sede sinistre partis versus majus altare, et locus in capitulo a sinistra parte juxta dominum decanum sibi assignatus » (Arch. nat. Paris LL. 107, p. 601).

1. Grimerius an. 1370, Octob. 12, diem supremum obiit (Arch. nat. Paris. LL. 107, p. 536). Ibid , p. 538, exstat ejusdem testamentum. an. 1363, Augusti 3, confectum, « signeto suo subscriptum et sigillo cancellarie sigillatum ». Voluit sepeliri « ad Domum Dei » ibique poni inter mortuos « in fossa communi » (cf. etiam Hemeraeum, *De acad. Paris.*, p. 132) Legavit partem bonorum Domui Dei, fabricae eccl. Paris , Praedicat., Minor., Augustin., Carmel., frat. Vallisschol., S Mathurini. Bonis pueris aliisque. Residuum legavit fratribus suis magistris Rollando et Matthaeo ac Rolandino nepoti suo, scholari, « ut prefati fratres eum teneant in scolis ad minus per sex annos, dummodo profecerit in scientia, moribus et vita ». — 2. Octob. 20, an. 1370 — 3. Et quidem, quamvis paroch. de Ansnevilla Rotom. dioec et in Paris. eccl. canonicatum habuerit et praebendam exspectaverit — 4. Johannes Bassemain, de quo jam supra. — 5. Petrus (e Salicibus), qui, cum fuisset prior S. Victoris, an. 1367, Aug. 4, post obitum Bernardi, confirmatus est in abbatem S. Victoris (Reg. Aven. Urbani V, vol. XV, f. 64). — 6. I. e. Johanne Ogeri de S Medardo, de quo pluries. — 7. Sed jam an. 1368, Decemb 4, Urban. V eum canonicum Paris. nominavit (Reg. Aven. Urb V, vol. XXI, f. 371). — 8 Vid. *Chartul*, I, n° 79. — 9. Statutum Hugonis episc. an. 1207, ibid. n° 6.

1363. *« Statuta facta anno Domini millesimo CCC septuagesimo, vicesima tercia die Januarii, que debent quolibet anno legi cum aliis que solent legi » in decretorum facultate.*

1371, Januarii 23, Parisiis.

Cum sit nimis absurdum, ut quis cum vanitate et impericia ad honorem ascendat pericie litteralis, nos decanus et collegium facultatis decretorum Parisiensis matura deliberatione prehabita pro statuendo, ut moris est, tribus edictis solenniter evocatis, considerantes quod cum pro eo, quod non impediti in audiendis legibus Parisius non admittuntur ad lecturam, nisi in certis temporibus leges audiverint, plurimi, qui leges non audierunt, habentes hic audiendi et studendi oportunitatem ab hujusmodi facultate distrahantur et quandoque penitus revocentur :

Statuimus[1] et ordinamus etiam revocando et supplendo ad alia statuta, quod decetero in formis inferius declaratis quilibet ad lecturam et licentiam admittatur, etiamsi nec leges audiverit, nec in ipsis audiendis habuerit aliquod impedimentum.

Item, quod nullus in forma legistarum [ad lecturam decretalium][2] admittatur, nisi in studio generali vel in studiis generalibus [leges audiverit per xxiiij menses in tribus annis ad minus, et decretales per tempus consimile, scilicet][3] in tribus annis per xxiiij menses, in quibus tribus annis, vel ordinarie vel extraordinarie, audiverit decretum et lectionem matutinalem saltim per xx menses, nec[4] tunc [ad lecturam admittatur][5] nisi examinatus a collegio vel majori parte [seu deputatis ipsius][6] fuerit approbatus. Licentiati tamen in jure civili necessario non examinabuntur [nisi expedire facultati videatur][7].

Ceterum[8] volumus quod cum auditione, vel lectura canonum auditio vel lectura alterius scientie concurrat, ut utraque auditio computetur, quinymo qui sic canones et aliam scientiam audiverit, juvari volumus et tempus sibi computari in altera earum facultatum quam prius elegerit duntaxat.

Nec admittatur ad licentiam, nisi in duobus annis (non currendo, sed temperate et decenter, prout est legere communiter consuetum) legerit per sexdecim menses completos ad minus et in ipsis duos libros juris canonici, quarto libro minime computato, nisi cum illo legerit Clementinas. Poterit tamen cum illo, qui legerit unum librum et majorem partem alterius (dum tamen perfecerit menses), per facultatem dispensari : ita tamen quod ipsum librum postea perficiat per juramentum.

Item, quia dubitatur a multis, an per integros annos admittendus ad lecturam, audire, vel ad licentiam, legere[9] debuerit : nos hujusmodi dubitationem ammoventes, statuimus et ordinamus quod religiosi et alii seculares, impediti vel non impediti in legibus audiendis, qui per predictum tempus hujusmodi leges non audiverint, non admittantur ad lecturam juris canonici [seu decretalium][10], nisi in studio generali [vel studiis generalibus][11] jura canonica audiverint in sex annis per xlviij menses completos, et decretum ordinarie vel extraordinarie a doctore per xxx menses completos, [et tantumdem, scilicet per xxx menses, de mane; nec ad licentiam admittantur, nisi in quinque annis per xl menses completos legerint jura canonica, ut premittitur, in studio generali][12]. In supradictis vero casibus xxviij dies continuos seu iiij^{or} septimanas continuas mense volumus computari.

Item, quia in testificandis predictis auditione et lectura[13] canonum plurime fraudes, prout experientia docuit, committuntur, statuimus et ordinamus quod decetero quilibet scolaris quater in anno ad minus, scilicet circa festum Natalis Domini, Pasche, apostolorum Petri et Pauli, et sancti Remigii, recipiat cedulas a doctore[14] suo, in quibus testimonium perhibeatur super auditione et scolaritate ipsius; ita tamen quod super auditione decretalium ipse doctor prius informetur per cedulas illorum bachalariorum, a quibus testificandus audiverit, vel alias competenter; alias tempus auditionis vel scolaritatis sibi non computabitur. Testificabitur tamen super minori tempore, si hoc petat scolaris. Et[15] idem circa bachalarios legentes volumus observari, ut per magistros, in quorum scolis legerint, vel decanum facultatis, si magistros non habuerint, sub forma et pena predictis testificetur.

Item, ut cesset rumor testificandorum et favor ex parte testificantium, statuimus et ordinamus cedulas predictas testificatorias faciendas sub hac forma et apportandas per illos, qui voluerint testificari : « *Ego, talis,* etc., *assero bona fide et per juramentum meum, quod fui verus et continuus scolaris in jure canonico per tantum tempus,* [*et aliis horis per tantum tempus*][16]. *Datum sub sigillo meo* », etc. Et postmodum sequitur testificatio doctoris sub hac forma : « *Et ego, talis, doctor actu regens Parisius, in facultate decretorum per juramentum dicti scolaris, vel alias informatus, testificor ipsum audivisse jus canonicum per tempus superius expressum. Datum* », etc.

Et ut hujusmodi statuta irrefragabiliter observentur, nemini contra ipsa fiat gratia per juramentum[17].

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1123, fol. 3, sub rubrica : « Statuta tangentia presentatos ad lecturam decretalium seu ad

bachalariatum », sine temporis nota, sed cum textu puriori Bibl nat. Paris. ms lat. 12461 (saec XIV exeunt), fol. 9 (e quo D'Achery, *Spicil.*, 2 ed., III, 736, et Bulaeus, IV, 428), sub rubrica ut supra.

1. Ars. hic incipit « Primo statuimus et ordinamus, quod decetero », *etc.* — 2. Om. Bibl. nat — 3. Om. Bibl. nat., quamvis sine verbis inclusis sententia remaneat omnino manca. — 4. Bibl. nat. : « et » — 5. Om. Bibl. nat. — 6. Om. Bibl. nat. — 7 Om. Bibl. nat. — 8. « Ceterum .. juramentum » om. Bibl. nat. Hoc statutum usque « dumtaxat » jam in *Chart.*, II, p. 504. — 9 « vel.... legere » om. Ars — 10 et 11. Om. Bibl. nat. — 12. Om. Ars. — 13. « et lectura » om. Ars. — 14. Bibl. nat. ubique « magistro ». — 15. « Et .. testificetur » om. Ars. — 16. Om Bibl. nat. — 17. Ars. prosequitur · « preterquam si contigerit dictum scolarem suas cedulas habuisse et eas casu fortuito vel alias amisisse aut easdem non habuisse aliquo justo et legitimo impedimento obstante, de quo fidem facere tenebitur in collegio facultatis per juramentum proprium cum duobus aut pluribus compurgatoribus, si facultati videatur expedire; tunc impedimento reputato per facultatem legittimo, poterit talis scolaris dispensative per compurgatores, prestito prius ab eodem juramento de tempore audicionis sue, per facultatem ad examen bachalariatus admitti.

« Preterea statuimus et ordinamus quod, antequam quis admittatur ad lecturam decretalium seu gradum bachalariatus, juret se satisfecisse quolibet anno competenter magistro legenti de mane et bedellis de sua collecta, vel saltem antequam incipiat suam lecturam se satisfacturum, etc. »

1364. *Decretum nationis Picardorum de contribuenda pecunia.*

1371, Februarii 28, Parisiis.

Anno Domini 1371[1] die ultima mensis Februarii, natione Picardorum sufficienter vocata per magnum bedellum apud S. Julianum Pauperem more solito hora prime Beate Marie ad habendam pecuniam contribuendam cum aliis facultatibus et nationibus, deliberatum fuit concorditer nullo contradicente, nisi receptor vellet concedere nationi 25 francos contribuendos ut supra, vel mutuare super pignora, quod mutuaretur predicta summa 25 francorum super clenodia nationis. Et ad istam deliberationem prosequendam deputatus fuit a natione una cum procuratore a receptore mag. J[ohannes] de Monasteriis.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 12847 (apograph. rec.), fol. 398; 12849, fol. 80^{b}.

1. Sec. stilum communem, si supra agitur, ut opinamur, de contributione habenda rotulo ad Gregorium XI an. 1371, Januar. 15, misso, qui an. 1370, ante mortem Urbani V (Decemb. 19), inceptus est (vid. *Lib. proc. nat. Angl* in *Auct. Chartul.*, I, et infra n° 1368). Rotulus non est conservatus, cum omnia Registra Suppl. Greg. XI desint. In Regulis datis in cancellaria per dom. Gregorium pap XI (in *Regulae cancellariae Apostolicae*, ed. Ottenthal, Innsbruck, 1888, p. 33), n° 53, legitur, Gregorium XI an. 1371, Aug. 22, declarasse, in ipsius mente *fuisse* et esse « quod magistri et licentiati ac bachalarii formati in facultate theologie quibus *fecit* gratiam in rotulo seu rotulis Parisius, quibuscumque graduatis in aliis facultatibus in dictis rotulis contentis preferantur ». Ut e Reg. Aven. Gregorii XI concludi potest, rotulus sub v vel vj kal. Febr. an. 1 (1371, Jan. 27, 28) in curia signatus est

---

1365. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Johannem de Latone de Gerunda, Ord. Min., professorem in theologica facultate in pluribus studiis juxta morem dicti Ordinis, postquam de studio Parisiensi rediit, ad legendum librum Sententiarum in vacationibus in proxima futura aestate admittat et admitti faciat, et lectura completa magisterii honorem et docendi licentiam in eadem theologica facultate largiatur, ita tamen quod ex hoc praefatus Ordo ad praestandum aliquid eidem Johanni pro suis expensis et aliis necessariis ratione dicti magisterii ultra quam antea minime teneatur.* Dat. Avinione vj kal. Maii, pontificatus nostri anno primo. « Viri sacre ».

1371, Aprilis 26, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. I, fol. 278^{b}. — Sed adhuc an. 1376, Julii 8, mandatum apost effectu caruit, nam sub

hac temporis nota Gregorius iterum scripsit cancellario, ut Johannem « in vacationibus in proxima futura estate » ad legendas Sententias admitteret (Reg Vat. Greg. XI, nº 288, fol. 221ᵇ « Viri sacre lectionis »). Wadding, *Ann. Min.*, VIII, 590, e quo Bulaeus, IV, 447. De erroribus circa Eucharistiam eidem ascriptis, in Aragonia disseminatis, vid. Wadding, *Ann. Min.*, VIII, 240 sqq.

1366. *Carolus V, rex Francorum, jubet inquestam fieri de abusibus in Universitatem commissis.*

1371, Maii 9, apud Vincennas.

Charles, par la grace de Dieu roy de France, à nos amez et feaulz conseillers et maistres des requestes de nostre hostel, maistre Nicolas de Arceis, et Aleaume Boitel, clercs, maistre Ferry de Mes, et Regnaut Filleul, ou autroys ou aus deulz d'iceulz, qui sur ce seront requis, salut et dilection. Comme en nostre présence, nostre amée fille, l'Université de l'estude de Paris, se soit traite devers nous, et nous ait fait exposer, en complaingnant, que jà soit ce que, par nous et noz prédécesseurs, roys de France, nostre dicte fille et tous les suppos d'icelle qui, en chief et en membres, sont et ont esté de touz temps en nostre protection et espécial sauve garde, ait esté maintenue, gardée et deffendue en ses drois, franchises et libertez, et que elle ait esté et doye estre, par les priviléges ottroyez à nostre dicte fille, exempte de la jurisdiction du Prévost de Paris, qui de nostre volonté, a juré et fait serment, si comme ont acoustumé à jurer ses devanciers, prévostz de Paris, à leur création, de la garder et deffendre de griefs, d'oppressions quelzconques, sanz souffrir que aucuns meffaiz ou déliz soient faiz, commis, ou perpetrez par aucuns à nostre dicte fille, ne à ses diz suppos; et semblablement l'ont juré et doivent jurer noz sergenz de nostre Chastellet de Paris; néantmoins pluseurs de noz diz sergens estoient nagaires venuz de fait, à tort et sanz cause raisonnable, en une rue oultre Petit Pont, et animèrent et commeurent le pueple encontre les escoliers et estudianz, en criant : « Meurent les escoliers, A mort sur les escoliers », et pluseurs autres tèles paroles; et avoient assailli un certain maistre de ladicte estude, qui estoit à son huys paisiblement, en habit honeste, tel qu'il appartient à vray estudiant; et ycelli gettèrent à terre, et le batirent et navrèrent, et lui firent pluseurs injures et villennies, et à pluseurs autres escoliers, tant en ycelui mesme lieu, comme ailleurs, en enfraignant nostre dicte sauve garde, sanz ce qu'il eussent en rien meffait. Et de ce, et de pluseurs autres cas, deliz et meffaiz qu'il proposèrent par devant nous, le dit prévost, ne son lieutenant, devers qui ilz s'estoient traiz, ne avoient fait aucune punition ne correction, mais avoient le fait auctorizé et eu pour agréable; et qui pys est, en hayne avoit ledit prévost, ou son lieutenant, fait prandre, arrester et emprisonner certains autres escoliers, qui depuis avoient esté détenuz prisonniers par certain temps en nostre dit Chastellet, sanz cause, ne que ils feussent trouvez en aucun meffait; et avoient lesdiz prévost et lieutenant animé et esmeu les bourgeois et le commun de nostre bonne ville de Paris à tuer, battre, villaner et injurier les suppos de nostre dicte fille; et avoient les dessus diz prévost, lieutenant et sergenz, faiz à pluseurs desdiz suppos

pluseurs autres griefs, injures et villenies contre raison et contre les priviléges et franchises, à eulz données par nous et par nos prédécesseurs; et pour ces choses faisoit nostre dicte fille certaines conclusions contre lesdiz prévost et lieutenant, et contre lesdiz sergens. Et sur ce, de la partie d'iceulz prévost et lieutenant fu proposé pluseurs raisons et deffenses au contraire à leur excusation. Savoir vous faisons que nous, qui voulons nostre dicte fille maintenir et garder en ses drois, et qui désirons ycelle et ses suppos estre et demourer en bonne paix et transquillité, et leur pourvéoir de bonne justice, afin que il n'aient cause ne matière d'eulz délaisser ne départir de l'estude; volanz savoir la certaine des choses devant dictes; confianz à plain de vos senz, loyaultez et bonne diligence, vous quatre ensamble, les trois ou les deux de vous, avons commis, ordenez, députez et establiz, et par ces présentes, de grâce espécial et certaine science, et de nostre auctorité royal, commettons, ordenons, députons et establissons, pour enquérir et savoir la vérité des choses dessus dictes et des despendances d'icelles; et vous mandons, que repris devers vous, premièrement et avant tout euvre, le procez et informations qui sur ce ont été faiz et encommenciez à fère par ledit prévost de Paris, ou son lieutenant, ou par leurs commis, vous vous enformez bien et diligeament de touz les faiz, cas et articles dessus diz, qui bailliez vous seront par déclaration par nostre dicte fille, et l'information que faicte aurez, nous raportez ou renvoiez feablement enclose soubz vos seaulz, avecque vostre advis : afin que ycelle veue et oye vostre relation, nous puissons pourveoir à nostre dicte fille de tel et si convenable remède, comme de raison appartendra. De ce faire vous donnons povoir; mandons à touz nos subgets que à vous, en ce faisant, obéissent et entendent diligemment. Donné au boys de Vincennes, le ix[e] jour de May, l'an de grâce mil CCC LX et onze, et de nostre règne le viij[e]. *Par le roy, en ses requestes,*

MAULONE.

Arch. Univers. Paris., theca IV, A 21. q, *Vidimus* praepositi Hugonis Aubriot an. 1371, Maii 27. — Jourdain, n° 735.

1367. *Carolus V, rex Francorum, praecipit ut studentes Universitatis Paris., qui habent signetum rectoris, nihil solvant pro vino, frumento aliisque rebus ad ipsos venientibus ex eorum beneficiis.*

1371, Maii 23, Parisiis.

Charles. par la grace de Dieu roy de France, à nos amez et feaulx les generaulx conseillers à Paris sur les aides ordenées pour le fait de la guerre, salut et dilection. Nous avons ja pieça ordené et octroié à nostre fille l'Université de Paris, que les vrays estudians à Paris sans fraude, continuans en l'estude et y demourans principalment pour cause de l'estude, qui seront tesmoingnez estre telz soubz le signet du recteur de nostredite fille, ne paieront aucune imposition de ce qu'il vendront de vins, grains et autres biens, venanz et croissanz en leurs benefices ou patrimoines pour leurs vivres et neccessitez de l'estude; c'est assavoir de ce qu'il vendront à Paris en gros et à détail, et en autre lieu en gros.

Si vous mandons et enjoignons estroitement, que nostredite fille vous faciez, souffrez et leissiez joir et user paisiblement de nostredite grace et ordenance, en defendant à touz esleuz, commis, receveurs et fermiers sur le fait desdiz aides et à touz autres à qui il appartient et puet appartenir, auxquelx aussi nous le defendons expressement, que contre la teneur de nostredite grace et ordenance ne molestent, travaillent ou empeschent nostredite fille ne aucuns des suspos d'icelle en aucune manière, maiz tout ce qui seroit pris, levé ou arresté du leur au contraire, faites leur rendre, restituer ou delivrer à plain.... Donné en nostre Chasteau du Louvre lez Paris le xxiij^e jour de Mai[1] l'an de grace mil CCC soixante et onze, et de nostre règne le viij^e. *Par le roy, en ses requestes,*

J. DE COIFFY.

Originale in Arch. Univers. Paris., thec. II, A 5. x. — Ibid , A. 5. y, « transsumptum exemplum seu copia » per Johannem Alexandri, notarium, ad instantiam mag. Johannis Beke, rectoris Univers., an. 1373, Jun. 14, factum, praesentibus mag. Petro Piresceal, mag. Alardo Cloetinghe, mag. Johanne Reyser, mag Gerardo Calker, mag. Thoma Clivis, magistris in artibus. — *Recueil des privilèges de l'Universite de Paris*, p. 84, 85. *Ordonn. des rois de France*. V, 467.

1. In impressis « Mars », quod jam correxit Jourdain, nº 736.

1368. *Deliberatio nat. Gallic. sub procuratore mag. Nicolao de Cussangeyo*[1], *de remunerando curato S. Nicolai de Cardineto, ubi sacra nationis celebrabantur; mentio fit rotuli.*

1371, mense Maii, Parisiis.

Deliberavit natio concorditer quod curatus de S. Nicolao[2], qui celebravit missas pro natione et vesperas diebus venerinis et sabbatinis, quando dominus Johannes fuit absens in curia Romana, bedellus destinatus anno prefato a facultate artium et Universitate pro rotulo[3], condigne pro rata temporis persolveretur, secundum quod meruit .... Hi fuerunt magistri presentes, mag. Petrus de Salanayo, tunc rector, mag. Johannes Roberti[4], tunc dicte nationis receptor, mag. Lambertus de Marchia[5], mag. Johannes de Roncuria, mag. Franciscus de S. Michaele, mag. Michael de Creneyo[6], mag. Johannes de Marsono[7], mag. Johannes le Dos, et plures alii in S. Maturino.

Bulaeus, IV, 976, e *Lib. proc. nat. Gallic.*

1. Electo in procurat an. 1371, Maii 5. — 2. De Cardineto — 3. Vid. supra nº 1364, not. 1. — 4. Determin. in art an 1361, proc. 1367, Nov. 18. — 5. Incepit in art. et proc. an. 1368 (Bul., IV. 973), rect. Univ. an. 1370, Dec. — 6. Navarr. An. 1366, Feb., determinavit in art., eodemque an. licent., an. 1368, Jun. 1, proc nat. (Bul., IV, 975), an. 1372, mag. artistarum Coll. Navarr. (Launoius, *Reg. Nav. gymn. hist.*, I, 95). An 1378 paedagogus Caroli Delphini, an. 1385 elemosinarius ejusdem, an. 1390, Jan. 26, cum esset archidiaconus Meldens. et mag art., nominatus episc. Autissiodor (Reg. Aven Clem VII, vol LVII, fol. 74^b). De ipso vid *Gall. christ.*, XII, 324 sq. Quantum Nicolaus de Clamengis eum laudibus extulerit, vid. Launoium, l. c., p. 903. — 7. Eodem anno praeterea scolaris in theol fuit (Reg Aven. Greg. XI, vol. IX, f. 483).

1369. *Electio rectoris Marsilii de Inghen.*

1371, Junii 24, Parisiis.

Item anno Domini 1371, in festo beati Johannis Baptiste, electus fuit in rectorem idem[1] magister Marcilius [de Inghen] nullo intrancium reclamante, et sic iterato habuit labores et expensas, licet non tot et tantas.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 142ᵇ. — Bulaeus, IV, 436

1 « idem » refertur ad rectoriam Marsilii an. 1367, Oct. 11 (supra, nº 1338), quae in ms. in eadem pagina immediate praecedit.

1370. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Raymundum de Bona, Ord. Praed., qui philosophiam et librum Sententiarum legit, et in pluribus conventibus dicti Ordinis lector principalis fuit, et nunc actu ecclesiae Lugdunensis lector existit, ad legendum librum Sententiarum tempore aestivali ut baccalareum in scolis fratrum dicti Ord. anno septuagesimo secundo vel alio sequenti deputet.* Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. ij kal. Julii, anno primo. « Viri sacre ».

1371, Junii 30, apud Villamnovam.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. II, fol. 329 — An. 1375, Octob. 11 (v id. Octob. an. v), Sententias jam legit et actus scholasticos exercuit, et Gregorius XI injungit cancellario ut eidem magisterii honorem et docendi licentiam concedat (Reg. Vat. Aven. Greg., vol. XXIII, fol. 459. « Viri sacre lectionis »). Profecto, in *Catal. licent. in s. theol.*, Bibl nat Paris., mss. lat. 5657ᵃ, 12850, inter licentiatos in theol. an. 1375 affertur — An. 1379, confessor papae et praefectus capellae Clementis VII, et fortasse etiam Bibliothecae (vid. Ehrle, *Hist. Bibl. Rom. pontif.*, I, 738); an. 1380, Januar. 27, factus est episcop. Vasionens. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XVII, fol. 43ᵇ).

1371. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Johannem Gutensperg[1], Ord. Min. (qui in fratrum dicti Ordinis domo de Herefordia Magunt. dioec., ubi studium viget generale Ord. in theol., principalis lector existit, libros Sententiarum in studio generali legendo debite complevit, ac in studio Parisiensi in praesentia Universitatis ejusdem studii ultra communem consuetudinem frequentissime praedicavit et alios actus scholasticos exercuit ibidem, ac ex tunc philosophiam Aristotelis naturalem et moralem commentavit, Bibliam quoque legit pluribus annis in studio generali), ad libros Sententiarum legendos in domo fratrum ipsius Ordinis vel extra illam in scholis extraordinariis in hieme proxime futura vel in alia ex tunc immediate sequenti sine praejudicio illius, qui Sententias ordinarie legit, admittat, et eum post lecturam ad honorem magisterii in eadem facultate promoveat*[2]. Datum apud Villamnovam Avinion. dioc. xv kal. Augusti, anno primo. « Viri sacre ».

1371, Julii 18, apud Villamnovam.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. I, fol. 427ᵇ.

1. Verisimiliter ex eadem familia, qua inventor typographiae, Johannes Gutenberg, exortus est — 2. Caetera ut supra nº 1365 : « ita tamen » etc.

1372. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Thomae de Rossy, Ord. Min., qui in studio Parisiensi cursum suae auditionis perfecit, coram Universitate dicti studii pluries verbum Dei honorifice proponendo et deinde in partibus Scotiae, de quibus est oriundus, artes et theologiam perlegit., ad legendum librum Sententiarum in proxime futura aestate, aut si pro illa aliquis frater ipsius Ord. ibidem fuerit forsitan deputatus, in altera, vel etiam postea admittat, ipsique deinde magisterii honorem et docendi licentiam in eadem facultate largiatur.* Dat. Avinione v non. Octobris, anno primo. « Viri sacre ».

1371, Octobris 3, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. II, fol. 342ᵇ — Thomas Parisiis magisterium recepit. An. 1375, Octob. 23, episcopus

Glasguensis[1] facultatem obtinuit, Thomam, qui ante annum libros Sententiarum Parisiis perlegit et magistris baccalareisque de pluribus quaestionibus respondit, et nunc vicarius generalis Ord in regno Scotiae fuit, ad magisterium in theologia promovendi (Reg Greg. XI, nº 286, fol 265) — An. 1379, Jul. 15, Clem. VII episcopis Glasguens. et S. Andreae[2] mandavit ut Thomam de Rossi, O M., mag. in theol., eccl. Candidae Casae in episcopum praeficerent (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XIII, fol. 524).

1. Galterus de Wardlaw, mag. art. et theol, olim suppositum Univers. Paris Vid *Chartul*, II, nº 1061, not. 3 — 2. Guillelmo (Landel), qui, rejecto Guillelmo Bell, decano Dunkeldens., an 1342, Febr. 18, nominatus est episc. S. Andreae (Reg. Vat Benedicti XII, nº 129, fol. 375).

1373. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Johannem de Sancto Nazario, Ord. Min., qui primo philosophiam et deinde Bibliam in studio Parisiensi legit, et in diversis solennibus locis dicti Ord. lector principalis fuit, ad legendum librum Sententiarum in proxima aestate vel sequenti admittat, et deinde ad magisterii honorem in facultate theologiae promoveat.* Dat. Avenione non. Novembris, anno primo « Viri sacre ».

1371, Novembris 5, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol I, fol. 527 — E *Catal. licent.* in Bibl. nat. (mss lat 5657ª, 12850) an. 1374 licentiatus est.

1374. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Gilberto Wichman can. eccl. S. Andreae, Ord. S. Aug., in jure can baccal. (qui Parisius per sex annos in jure can. studuit et in eodem jure « gradum bacallariatus » accepit, sed propter consuetudines et statuta studii Paris. debeat longis temporibus exspectare antequam in dicto jure ad gradum licentiae assumatur), consideratione Caroli Francorum et Roberti Scotiae regum, postquam in jure can. per biennium in eodem studio legerit et per doctorum dicti studii in eadem facultate diligentem examinationem ad hoc idoneus repertus extiterit, licentiae gradum in eadem facultate largiatur.* Dat. Avinione viij kal. Februarii, anno secundo. « Sicut debetur. »

1372, Januarii 25, Avenione.

Reg. Vat Gregorii XI, nº 283, fol. 41ᵇ.

1375. *Gregorius XI Ferrico Cassinelli permittit Parisiis in theol. et decret. regere, quamvis magistri et doctores Paris. contradicant.*

1372, Januarii 28, Avenione.

Dilecto filio Ferrico Cassinelli[1] canonico Paris., s. theol.[2] ac utriusque juris professori, salutem, *etc.* Sicut debetur, *etc.* Cum itaque, sicut exhibita nobis tua petitio continebat, dilecti filii magistri et alii doctores studii Paris. in dicta facultate canonum tibi, qui ut asseris in dictis facultatibus theologie et canonum ibidem actu regis, ad actum predictum exercendum et regendum de presenti admittere contradicant, et ne jura et emolumenta eisdem regentibus dari et prestari consueta percipias impedire presumant, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum ut providere tibi in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque.... ut actus predictos in dictis facultatibus quotiens tibi videbitur in eodem studio exercere ac privilegiis, emolumentis et redditibus regentibus in eodem studio in facultatibus predictis pro tempore debitis uti et gaudere et ea percipere valeas,

statutis.... dicti studii.... non obstantibus..., tibi auctoritate presentium de speciali gratia indulgemus. Dat. Avinione v kal. Februarii, anno secundo.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. XV, fol 185. — Non obstante mandato apostolico nonnulli doctores praedictum Ferricum « Cassunelli » impediverunt, et Gregorius eodem anno, Decemb. 17, cancellario Paris. iterum scripsit (Reg. Vat. Secret, nº 268, fol. 229) « Dudum pro parte ».

1 An. 1369, Novemb. 25, in canon. Paris. receptus est. Arch. nat. Paris. LL. 107, p. 380. An. 1375, Aug. 27, factus est, cum esset archidiac Ambian. et mag. theol., episcopus Lodovens (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXV, fol. 454), an. 1382, Octob. 17, episc. Autissiod. (Reg. Aven. Clem VII, fol. 60): an 1390, Januar. 29, archiepisc Remens (ibid., vol. LVII, fol. 73). De eo pluries infra. — 2. Fuit etiam in art licentiatus, « ac Parisius in decretis actu regit, Sententiasque legit ibid », scribitur ad an. 1371, Jan. 27, cum factus est can. Morinen. (Reg. Aven Greg. XI, vol. V, fol 637b). Ex quo sequitur eum an. 1371-1372 licentiam in theol. recepisse.

1376. *Carolus V, rex Francorum, prohibet ne receptor Ambianens frumentum, quod veri scholares Paris. recipiunt ex eorum beneficiis vel patrimonio, ad usum sustentationis, retineatur.* Donné en nostre hostel de Saint Pol à Paris le xxvijº jour de Fevrier l'an de grace mil CCCLX et onze, et de nostre regne le huitième. « Comme nous ».

1372, Februarii 27, Parisiis.

Originale in Arch. Univers. Paris., thec. II, A. 5. v. — *Recueil des privilèges de l'Université de Paris*, p. 84. *Ordonn. des rois de France*, V, 455. — Vid. supra nº 1367.

1377. *Rector electus Matthaeus de Hersino. De festis SS. Ambrosii et Hieronymi.*

1371, Decembris 16-1372, Martii 24, Parisiis.

Anno Domini 1371, xvj die mensis Decembris, electus fuit concorditer in rectorem Universitatis Parisiensis magister Matheus de Hersino[1] nullo intrantium reclamante. In qua rectoria habuit labores plurimos et expensas.

Illo anno fuerunt ordinati sermones in Universitate de sanctis Ambrosio et Jheronimo, quod decetero fierent in domo Minorum, nisi festa acciderent diebus dominicis, quibus diebus fierent in domo Predicatorum.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 142b.

1. Fuit nat. Picard., de quo jam supra p. 85.

1378. *Gregorius XI ad priorem generalem Ord. Eremit. S. August., ut circa magistros theol. Ord. modus idem servetur ac apud Praedicatores, Minores et Carmelitas.*

1372, Maii 1, Avenione.

Dilecto filio priori generali[1] fratrum Ordinis Heremitarum sancti Augustini salutem, *etc.* Ad ea, *etc.* Hinc est quod nos certis ex causis nostrum ad id moventibus animum volentes quod in Ord. fratr. Heremit. S. Aug., cujus prior generalis existis, tam circa provisionem victus et vestitus ac statum fratrum dicti tui Ord. in theologia magistrorum, qui

sunt et erunt pro tempore, quam etiam circa voces ipsorum in Capitulis generalibus vel provincialibus ejusdem Ord. habendas ille mos et modus servetur, qui per dilectos filios Predicatorum et Minorum ac Carmelitarum Ordinum fratres in eadem theologia magistratos servari consuevit et servatur ad presens, videlicet quod nullus hujusmodi magistrorum, nisi actu legens existat, aliquid plus ab Ordine suo recipiat quam alii fratres Ordinis antedicti, nec aliquis ipsorum in generalibus vel provincialibus capitulis pretextu hujusmodi magisterii vocem habeat nec ad ipsa capitula admittatur, nisi pro ipsorum capitulorum officialibus ad hoc specialiter electi extiterint [2] Dat. Avinione kal. Maii, anno secundo.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. XIII, fol. 271ᵇ.

1. Guidoni de Belloreguardo, ab an 1371, Maii 25, de quo jam supra nº 1248ᵃ, not 4. — 2. Summus pontifex praecipit ut prior generalis hunc morem observare faciat.

1379. *Natio Anglicana opponit se quibusdam articulis ad Gregorium XI mittendis.*

1372, Martii 17, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Noverint universi presens publicum instrumentum inspecturi, quod anno ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo primo, secundum usum ecclesie Gallicane, die decima septima mensis Martii, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Gregorii divina providencia pape undecimi anno secundo, apud Sanctum Maturinum Parisius, venerabilibus et circumspectis viris doctoribus et magistris Parisius actu regentibus, videlicet in theologie, decretorum, medicine, et arcium facultatibus, ad congregacionem generalem, prout moris est, ibidem celebrandam, ex jussu venerabilis et circumspecti viri, magistri Mathei de Hersino, tunc rectoris Universitatis Parisiensis, convocatis sufficienter et congregatis, proposuit dictus rector utrum expediret mittere quosdam articulos[1] sigillatos dicto domino nostro summo pontifici; deinde proposuit idem rector ultimum articulum esse super supplicacionibus et injuriis. Quibus propositis, surrexit venerabilis et discretus vir magister Marcelius de Inghen, magister in artibus, una cum pluribus magistris nacionis Anglicane, et nomine ipsius nacionis proponendo supplicavit et requisivit in plena congregacione, quatinus predicti articuli ad dictum dominum nostrum summum pontificem, prout erant sive sunt scripti, non mitterentur, specialiter quoad illum articulum continentem, quod in omnibus ordo rotuli observetur in concurrenciis magistrorum, si qui concurrant; offerens Universitati predicte eam sufficienter informare, quod ille articulus, videlicet « quod in omnibus, etc. » est contra Deum et justiciam et in maximum sue nacionis prejudicium et gravamen. Ad quod ostendendum peciit, in mei publici notarii et testium subscriptorum presencia, idem magister Marcelius nomine nacionis predicte, sibi dari deputatos ab Universitate predicta, et qui nacionem

suam predictam in suis racionibus et motivis haberent audire, et Universitati predicte refferre, ut per eam predicte nacioni breve fieret justicie complementum.

Qui quidem magister Marcelius, nomine et tanquam procurator sue nacionis prefate, ad hoc, ut asserebat, legitime constitutus, in mei publici notarii et dictorum subscriptorum testium presencia, protestatus fuit de appellando, nomine procuratorio predicto, in causu (*sic*) quo in suis racionibus non audiretur, et ad eas ostendendas racionabiliter non admitteretur, vel alias quoquo modo nacio sua predicta gravaretur. Quibus sic actis, dictus rector, in dictorum doctorum et magistrorum deliberacione posuit et eisdem precepit, quod deliberarent super hiis que in eorum deliberacione posuerat, maxime super illis articulis. Et postmodum dictis facultatibus et quatuor nacionibus, videlicet nacione Gallicana, nacione Picardorum, nacione Normannorum et nacione Anglicana, ut consuetum est, ad partem sustractis, et habita deliberacione inter ipsas, et postea ad deliberaciones suas reddendas iterato congregatis, deliberavit dictus rector, nomine facultatis arcium, primo per hunc modum : videlicet, quod due naciones deliberabant simpliciter, quod mitterentur dicti articuli sicut erant et sunt scripti et sigillati; et alie due naciones deliberabant et deliberaverunt, quod non mitterentur sicut sunt; sed ille articulus, dicte nacioni Anglicane prejudiciabilis, totaliter deponeretur. Insuper magister Petrus Lupi, nomine facultatis medicine, deliberavit simpliciter, quod mitterentur dicti articuli prout sunt sigillati et ordinati. Tercio, magister Lambertus de Flore Sicco, decanus facultatis decretistarum, nomine facultatis sue deliberavit per hunc modum : primo, quod dicta nacio Anglicana in suis rationibus audiretur quoad articulum illum, quem sibi dicit esse prejudiciabilem; secundo deliberavit, quod alii articuli sine ulteriori dilacione ad curiam transmitterentur. Quarto loco deliberavit magister Nicholaus de Laingniis, nomine facultatis sacre theologie, quod dicta nacio Anglicana in suis rationibus audiretur; et ad illas audiendas deputavit venerabiles viros magistrum Symonem Freron de nacione Gallicana, magistrum Nicholaum Oresme nacionis Normannorum, et magistrum Petrum Brevis nacionis Picardorum, sacre theologie professores : et postquam esset audita dicta nacio, tunc fieret de articulis secundum quod dicte Universitati videretur expedire. Et finaliter deliberavit idem magister Nicholaus de Laingniis, nomine quo supra, quod littere regie super quatuor milibus florenorum ex nunc sine ulteriori dilacione ad curiam transmittantur[2]. De et super quibus omnibus et singulis, dictus magister Marcelius, nomine quo supra, peciit a me notario publico, in dictorum hic subscriptorum testium presencia, sibi fieri atque tradi publicum instrumentum, sive publica instrumenta, unum, duo, sive plura, dum et quando sibi et nacioni sue predicte fuerit oportunum. Acta fuerunt hec Parisius, anno, die, indictione, mense, pontificatu et loco quibus supra, hora terciarum vel circiter, presentibus ad hoc venerabilibus et discretis viris, magistris Jacobo Juvenis, Guillermo Carnificis[3], Thoma Mielle[4], magistris in artibus, et pluribus aliis doctoribus et magistris, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Guerinus de Bochahou, clericus Briocensis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, *etc.*

Archiv Univ. Par., theca XIV, nº 26 (olim Arch. nat. Anglic. notat. G. 3). — Jourdain, nº 741. — In *Lib. proc. nat. Angl.* de hoc agitur ad Martii 6 et 19 (vid. *Auctar. Chart. Univers*, I). In Arch Univ., l. c., nº 27 (Jourdain, nº 742), exstat documentum an. ejusd, April 3, in quo agitur de simili deliberatione sub rectore Petro de Hersino[5]. Tres nationes voluerunt nationem Anglicanam audiri. Ex parte fac. decretorum Lambertus de Flore Sicco, decanus, et mag. Johannes Champieng, ex parte theologorum magistri Symon Freron, Nicolaus Oresme et Petrus Brevis deputabantur ad audiendam nat. Anglic. Medici tunc non comparebant

1 Agitur de articulis communibus, qui hoc et posteriori tempore rotulo Universitatis praeponebantur. — 2. De quo supra nº 1348 — 3. Tunc in medicina studente. — 4. An. 1371, Januar. 29, jam per quatuor annos in theol. studens, « alias nuntius et rector Univers. » (Reg. Aven. Greg. XI, vol. VI, f. 415) — 5. Vid. num 1380, not. 1

1380. *Deliberatio quatuor facultatum Universitatis Parisiensis de dictis articulis a natione Anglicana non probatis.*

1372, Maii 3, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Noverint universi presens publicum instrumentum inspecturi, quod anno ab Incarnacione ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo secundo, die tercia mensis Maii, indictione decima, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Gregorii divina providencia pape undecimi anno secundo, in congregacione generali magistrorum regencium Universitatis Parisiensis apud Sanctum Maturinum dicta die, ut moris est, celebrata, ex jussu venerabilis et circumspecti viri magistri Petri de Hersino[1], dicte Universitatis tunc rectoris, ibidem convocatorum et congregatorum ad deliberandum super quibusdam articulis, in eorum deliberacionibus per dictum rectorem positis, nec non et ad audiendum relacionem deputatorum alias datorum per Universitatem antedictam ad audiendum raciones quasdam, per procuratorem et magistros de nacione Anglicana sibi propositas et in scriptis traditas, de et super quodam articulo in rotulo Universitatis predicte ad curiam destinando inserto, quem dicta nacio Anglicana alias sibi esse prejudicia[bi]lem asseruit, et contra juris tam divini quam humani tenorem, super quo etiam dicta nacio Anglicana deputatos sibi dari cum instancia requisivit : in mei publici notarii et testium subscriptorum presencia, retulit venerabilis et circumspectus vir magister Petrus Brevis, sacre theologie doctor, nacionis Picardie, ad hoc requisitus per rectorem antescriptum, quod convocatis Universitatis predicte deputatis super premisso articulo, auditis propositis per illos de dicta Anglicana nacione, videbatur majori parti deputatorum predictorum, quod articuli, sicut essent sigillati, non essent mittendi, donec super hiis per dictam Universitatem esset maturius deliberatum; nichilominus alii ex nunc, ne negocium dicte Universitatis pateretur dispendium, mitterentur dicti articuli indilate. Super quo, quid esset agendum, una cum aliis articulis, super quibus Universitas predicta pro tunc vocata fuit, in dicte Universitatis deliberacione per rectorem antedictum propositis habitaque singularum facultatum et nacionum deliberacione ad partem, ac demum

eisdem pro audiendo deliberationes congregatis, deliberavit rector predictus, nomine facultatis arcium in hunc modum : videlicet, quod due nationes volebant quod articuli, sicut sunt sigillati et ordinati, mitterentur, non obstantibus propositis per procuratorem nacionis Anglicane predicte et deliberacione dictorum deputatorum; et alie due naciones volebant eciam dictos articulos ad curiam transmitti, preter illum de quo est contencio; et de illo plenius et maturius deliberari volebant. Postmodum vero deliberavit magister Thomas de Sancto Petro, nomine facultatis medicine, quia ex eo quod dictus dominus rector posuerat in deliberacionem, non retractando deliberata, sufficieba[n]t dicte facultati alias per ipsam deliberata; ita quod volebat et deliberabat dictos articulos, prout sunt, ad curiam transmitti, non obstantibus quibuscumque objectionibus sive allegacionibus ex parte predicte nacionis Anglicane. Insuper tercio loco, magister Lambertus de Flore Sicco, decanus facultatis decretorum, nomine sue facultatis, deliberavit per hunc modum, quod dictus articulus de quo est sermo, dimitteretur, et alii cicius quam bono modo fieri posset ad curiam destinarentur. Quarto et ultimo loco, magister Petrus Brevis, nomine facultatis theologorum, deliberavit in hunc modum, quod sicut deputatis videbatur expediens, super articulo sive articulis, nacionem Anglicanam predictam tangente vel tangentibus, fieri deberet et observari; videlicet quod alii articuli quam cicius poterit transmitterentur, et iste vero articulus, donec plenius per Universitatem memoratam esset deliberatum, an expediret vel non, dimitteretur. De et super quibus omnibus et singulis magister Marcelius de Inghen, nomine dicte nacionis Anglicane, peciit a me notario publico infrascripto sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec Parisius sub anno, die, mense, indictione et pontificatu predictis, hora terciarum, vel circiter, presentibus ad hec venerabilibus et circumspectis viris magistris Johanne de Bornasello, priore de Carnoto[2], decretorum doctore, Matheo de Hersino, Johanne Le Dos, Guillermo Le Dos, Johanne de Marsonno, magistris in artibus, ac pluribus aliis doctoribus et magistris, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Guerinus de Bochahou, clericus Briocensis, publicus, *etc.*

Arch. Univ. Par., theca XIV, nº 27 *bis* (olim E. 3. A). — Jourdain, nº 743

1 Sicut Matthaeus de Hersino (supra nº 1377) fuit nat Picard (vid p. 87), et rector a Martii 24. Notatu dignum, duos rectores immediate sequentes ex eadem natione eodemque loco oriundos electos fuisse. — 2. Infra ad an. 1385 et alias pluries ejusdem etiam mentio fit.

1381. *Assignationes baccalareorum Ord. Praed. pro lectura in studio Paris.*

1372, circa Maii 16, Tolosae.

Assignamus ad legendum Sententias Parisius frat. Simonem Vardeli[1] de provincia Francie. Pro anno vero secundo frat. Johannem Castellanum[2] de provincia Hispanie. Item pro anno tertio frat. Bonetum Litelli[3] de provincia Francie. Item ad legendum ibidem

Bibliam immediate post primum, qui jam legit, frat. Johannem Balbi[ni][4] de provincia Francie.

Fragmentum sine temporis nota (desumptum e codice Bibl. Univers. Bonon. 1535, in fine nunc omnino manco) ad Ord. Praed pertinens.

1. I. e Bardelli seu Bardel. In apographo perperam « Johannem » — 2. In apographo perperam « Simonem ». An. 1376, Jul. 2, Gregorius XI (Joh. de Calore) cancell Paris. mandavit, ut Johanni docendi licentiam largiretur (Reg Vat. Greg. XI, n° 287, f. 121[b]. « Viri sacre »). Revera an. 1377 licentiatus est e *Catal. licent.* (mss. lat. 5657[a], 12850). An. 1382, Oct. 29, nominatus a Clemente VII episc. Salamantin. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXVIII, f. 107). Ex quo apparet Johannem non semper Urbano VI adhaesisse, ut ex ejus responso ad Petrum archiepisc. Toletanum, quod ante episcopatum scripsit (Bibl. nat. Paris ms lat. 1462, f. 72), concludere possemus. In Arch. Vat., *Intr. et Exit.* Joh. XXII, n° 54, f. 157, ad an. 1323, alterius Johannis Castellani Ord Praed. mentio fit, sed « graeci ». « qui ibat Parisius causa studendi ». — 3. Apogr. perperam « Bitelli » An. 1375, Jun. 30, Johannes de Calore, cancell. Paris., mandatum recipit, « Bonitum Litelli », qui omnes actus jam exercuit, ad magisterium promovendi (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXV, f. 120). In *Catal licent.* inter licentiatos an. 1377 affertur. Fuit prior provincialis Franciae, annoque 1391, Decemb. 4, nominatus est inquisitor in civit. et dioec. Carcasson. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. LXV, f. 512[b]). — 4. An. 1380 (1381) licentiatus est e *Catal. licent.* (ms. 5657[a] « Barbini », ms 12850 « Balbini »).

1382. *Adam Flamingi, firmarius piscidis in Gravia de impositione vinorum, cum Simonem Thomae, bedellum generalem facultatis decretorum, pro pecia vini acquitum petentem secundum privilegia sua, injuriose percussisset, a Parlamento ad emendam honorabilem damnatur.*

1372, Junii 23, Parisiis.

Lite mota in curia nostra inter procuratorem nostrum, rectorem[1] carissime filie nostre Universitatis Parisiensis et dictam Universitatem, doctores facultatis decretorum et ipsam facultatem ac magistrum Simonem Thome, bedellum generalem dicte facultatis decretorum, in quantum quemlibet ipsorum tangebat, actores ex parte una; et Adam Flamingi, burgensem Paris., socium et firmarium piscidis in Gravia de impositione et ingressu vinorum, defensorem ex altera; super eo quod dicti actores dicebant quod omnes et singuli magistri, scolares, bedelli et supposita dictarum Universitatis et facultatis erant in speciali salva gardia nostra notorie et publice, necnon immunes impositionis seu introitus pro vinis in hereditagiis suis collectis, seu pro eorum victualibus emptis, adeo quod dictus defensor, tempore excessuum in personam dicti Simonis per ipsum perpetratorum, ignorare non poterat, quodque dictus defensor anno LXXI° plures pecias vini, quas dictus Simon adduci fecerat Parisius, eidem Simoni tanquam bedello dicte facultatis libere fecerat deliberari.

Dicebant insuper quod circa festum Omnium Sanctorum ejusdem anni unam peciam vini de vinis dicti Simonis, et pro suo victu, per portam Sancti Antonii Paris. audduci (*sic*) fecerat, pro cujus introitu unum gobeletum argenti pro vadio dimiserat, pro quo reddimendo cedulam a dicto rectore in forma consueta dicto defensori et suis consociis directam obtinuerat, eamdemque idem Simon tenens virgam argenteam generalis bidelli dicte facultatis dicto defensore (*sic*) presentaverat, supplicando pluries ut acquitum dicte pecie vini sibi traderet, quod dictus defensor tradere recusaverat. Quinymo dictus defensor, de premissis non contentus, dictum Simonem injuriose per nasum acceperat ac de pugno seu palma supra genas et capud animo malivolo pluries percusserat.

Insuper, quia dictus Simon eidem defensori dixerat quod dictas injurias una vice emendaret, iterato dictus defensor ceperat dictum Simonem ad duas manus per capucium, et collum dicti Simonis de dicto capucio involvendo, ac iterum pluries supra capud eundem Simonem percusserat, suum cutellum evaginando, de quo dictum Simonem percussisset, nisi exeuntes dictum defensorem impedivissent. Preterea dictus defensor suis famulis dixerat : « Verberate istum garcionem beujanum morvosum », personam dicti Simonis ostendendo, ac omnia et singula in personam dicti Simonis in loco publico, videlicet in platea de Gravia comittendo. Postque dictus defensor a nobis super remissis dictorum excessuum tacita veritate et expressa falsitate litteras obtinuerat. Quare petebant dictum defensorem in emenda honorabili sibi et eorum cuilibet, videlicet quod dictus defensor sine zona et capucio, nudis pedibus, ac cereum ardentem in manu in curia nostra Parlamenti in dicta platea Gravie, in congregacione Universitatis, in congregacione facultatis decretorum ac in magnis scolis claustri Brunelli, hora lectionis de mane, dictis actoribus presentibus seu ab eisdem deputatis, genibus flexis peteret ab ipsis veniam predictorum excessuum, ac in emendam utilem, videlicet dicte Universitati in duabus mille, dicte facultati in mille, dicto Simoni in mille, et nobis in duabus mille libris parisiens., seu in talibus emendis que dicte curie nostre videbitur expedire, et ad nostram salvam gratiam reintegrandam ac in dampnis interesse et expensis hujus litis condempnari, necnon dictas litteras super remissis dictorum excessuum fore subrepticias et iniquas pronunciari.

Dicto defensore ex adverso proponente quod in mense Novembri ultimo preterito, dicto defensore sedente ad piscidem vinorum in Gravia, cujus firmarius erat, dictus Simon Thome eidem requisiverat quod sibi acquitum traderet de una pecia vini quam adduci fecerat per unam portarum Paris., quod tunc tradere recusaverat donec cum dicto rectore locutus fuisset, ob id quod eidem Simoni ipso anno pro octo caudis vini in suis vineis collectis ac pro sua provisione asserenti, licet falso, sui contemplacione et amicorum suorum acquitum tradiderat, quodque reperierat dictus defensor quod majorem partem dictarum viij caudarum vini dictus Simon emerat ac in domum suam in vico Sancti Dionisii Parisius sitam pro vendendo duci fecerat, quodque dicto Simone de dicta responsione non contento, dicto defensori dixerat quod, vellet aut nollet, acquitum dicte pecie vini haberet, et ob hoc dictus defensor dicto Simoni dixerat : « Recede, bejaune, aliud tibi non faciam donec cum dicto rectore locutus fuero, » dixeratque dictus Simon eidem defensori : « Verum non dicitur, non sum bejaunus. » Et tunc dictus defensor ob hoc et aliis de causis motus dictum Simonem semel aut bis super capud percusserat et pejus sibi fecisset, si voluisset. Insuper dicti actores, ratione precedentium excessuum, coram conservatore privilegiorum Universitatis, dictum reum fecerant conveniri et eundem in processu coram dicto conservatore tenuerant et tenebant. Preterea dictus defensor litteras remissionis veritatem facti continentes a nobis obtinuerat. Quare petebat pronunciari, dictos actores non esse admittendos ad proposita per eos, et si[2] admitterentur, causam et actionem non

habere, et si causam et actionem haberent, a suis conclusionibus absolvi, et si non in toto tamen in tanto, dictasque litteras remissionis fore bonas et justas, necnon in processu extraordinario non debere poni et etiam in penam corporalem seu inhonestam condempnari non debere, ac in expensis dictos actores condempnari.

Super quibus inquesta facta est de consensu partium in statu in quo erat, salvis reprobationibus, ad judices recepta. Ea visa et diligenter examinata, reperto quod sine reprobationibus poterat judicari, dicta curia nostra per suum judicium dictum defensorem in emendam honorabilem, videlicet quod in platea Gravie ante domum piscidis, presentibus rectore Universitatis, decano, facultate et Simone supradictis seu ab eisdem deputatis, capucio extra collum et capud amoto et genu flexo ab ipsis predictorum excessuum per eundem defensorem in personam dicti Simonis commissorum, dictus defensor veniam postulabit, postque in generali congregacione dicte Universitatis dictis rectori et Universitati et illi tunc doctori et[3] facultati decretorum et dicto Simoni in statu predicto ac per modum antedictum veniam postulando, necnon in emendam utilem, videlicet dicto Simoni in c, et nobis in ducentas libr. turonens., ac in expensas hujus litis condempnavit et condempnat, earundem expensarum taxacione ipsi curie nostre reservata. SAQUE, HUBANT. — Pronunciatum die xxiij Junii LXXII. SERIS.

Arch. nat. Paris. X[1a], 19 (*Jugés*), fol. 502.

1. Rector Universitatis a Junii 23-Octob. 10 an. 1372 fuit Johannes de Monasterio seu Monasteriis (vid. supra nº 1307, Picard.), ut apparet e charta in Arch. Univers. Paris., thec. V, B. 1. m. Vid. *Lib. proc. nat. Anglic.* in *Auct. Univers.*, I, — 2. Ms : « vi ». — 3. « doct. et » suppletur in margine. Forte legendum : « illis tunc doctoribus facultatis decret. ».

1383. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Stephanum Constellarii, Ord. Min. (qui per sex annos in pluribus locis et conventibus in s. pagina legit et in loco fratrum Parisiens. corrector fuit, et tam coram Universitate studii Paris. quam alibi coram populo pluries publice proposuit verbum Dei), in tertia aestate futura proxima in loco Ord. Parisiens. vel alio loco dictae Universitatis, dummodo pro dicta aestate aliquis ejusdem Ord. inibi ad hoc non fuerit deputatus, ad legendas extraordinarie Sententias admittat, et demum ei licentiam legendi et regendi ibidem in dicta facultate largiatur.* Datum apud Villamnovam Avinion. dioc. vij kal. Septembris, anno secundo. « Sicut debetur ».

1372, Augusti 26, apud Villamnovam.

Reg. Vat. Aven Gregorii XI, vol. XIII, fol. 350[b] — Fuit licentiatus an. 1379, si est idem (ut opinamur) atque Stephanus Bleman, Min., in *Catal. licent.*

1384. *Statutum nationis Picardorum de pecuniarum distributione; quod pecunia nationis in usus tantummodo ipsius insumatur.*

1373, Januarii 12, Parisiis.

Universis presentes literas inspecturis, omnes et singuli magistri Parisius in artium facultate nationis Picardorum, salutem in Domino sempiternam. Cum nos strictius obligemur ea desideranter exquirere necnon diligenter persequi, que nostre nationis decus

respiciunt et decorem, ratione mentium nostrarum studia ad hec convertimus ut prefata natio honore prefulgeat ampliori, prosperetur salubrius, iisque abundet uberius per que sibi valeat in necessariis providere, et in adversis validius se tueri. Eapropter post plures convocationes et tractatus super infrascripto negotio prehabitas anno Domini 1372, indictione undecima, mensis Januarii die duodecima, die videlicet mercurii post Epiphaniam Domini, apud S. Julianum Pauperem, omnes et singuli tam regentes quam non regentes et sub juramento ad statuendum super ipso negotio per procuratorem dicte nostre nationis hora primarum legitime convocati, omnibus nobis qui commode potuerant interesse congregatis, ne pecunia nostre nationis in comessationibus seu potationibus consumatur quoquomodo, aut aliis quibuscunque usibus preterquam per modum subscriptum applicetur, unanimi omnium consensu ordinando statuimus et statuendo ordinamus per modum qui sequitur :

Primo, quod procurator nationis nostre pro tempore existens amodo congregationem non faciat nec facere poterit ad ordinandum de pecunia nationis, nec de ipsa pecunia in deliberationem per se vel per alium directe vel indirecte ponere poterit, permittere aut procurare, ut in aliquos usus convertatur, exceptis solum articulis et casibus infra scriptis, utpote defensionis necessarie juris nationis, contributionis cum aliis nationibus seu facultatibus in factis[1] communibus nationum seu facultatum, solutionis scolarum, emptionis et edificationis earundem, distributionum magistrorum in festis per nationem ordinatis, in quibus antiquam consuetudinem volumus observari, duplationis salarii receptoris, si nationi placuerit, aut in aliis honestis negotiis nostre nationi expedientibus et opportunis, omni fraude et dolo in premissis semotis penitus et exclusis. Adjicientes ut cum hujusmodi exponenda emerserint, procurator noster, receptor et deputati, si qui fuerint, in solemni congregatione ob hoc facienda nationi fideliter referre teneantur et sub juramento quantitatem, modum et formam pecunie in dictis casibus exponende, nullusque magistrorum aut bedellorum intersit aut interesse presumat, ubi aliquid de pecunia nationis preterquam in hujusmodi casibus exponatur.

Item ordinamus quod receptor noster, quicunque pro tempore fuerit, in presentia nationis computare teneatur ter in anno, videlicet in medio Quadragesime, ultima die ordinarie legibili ante festum apostolorum Petri et Pauli, et tertio die ordinarie legibili post festum Remigii[2], quodque pecuniam totam quam computaverit nationi debitam et per eum receptam infra octo dies a die compoti sui teneatur plenarie in presentia nationis deliberare, ut per ipsius nationis deliberationem in arcam seu in locum tutum et securum et sub clausura fideli reponatur reservanda.

Item volumus et ordinamus quod procuratores et receptores futuri in sua institutione jurent singulariter ante officii susceptionem publice in presentia nationis, quod premissa in quantum eos tangunt pro posse fideliter observabunt, et quod idem procurator similiter juret, quod successorem suum hoc idem faciat jurare, nec super hujusmodi juramentis

iidem procurator et receptor per se vel alium seu alios dispensationem per sua juramenta poterunt procurare, retenta nichilominus libera nobis potestate super bursis, bedellis nostris ex gratia pluries concessis, si nationi placuerit, ordinandi. Intentionis tamen nostre non existit alicui nostrorum statutorum per presentes derogare, nisi in quantum presenti statuto videantur obviare. In quorum omnium testimonium et munimen presentes mandavimus et fecimus sigilli nostri communis appensione communiri, presentibus honorabilibus et circunspectis viris magistris Johanne de Dyodona, baccalareo in theologia, Jacobo dicto Juvenis, Johanne de Trelon[3], Petro de Ripa, Nicolao Jongleti[4], Johanne dicto Walkier[5], Johanne de Dunghen[6], Johanne de Chyniaco[7], Johanne de Ponte[8], Godfrido de Blesia, Ostone de Villa, regentibus et non regentibus, pluribusque aliis magistris nostre nationis fide dignis super premissis, ut prefertur, specialiter convocatis.

Bibl. nat. Paris mss. lat. 12847 (apograph. rec.), fol. 399, 12849, fol 80[b] In ms. sequitur « Huic instrumento appensum est magnum dicte nationis sigillum cere rubre. — Hoc instrumentum collatum fuit et recognitum per me scribam ejusdem Universitatis subsignatum Parisiis anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, die prima mensis Septembris. QUINTAINE. » — Bulaeus, IV, 439.

1 Bul. perperam « festis ». — 2. Bul. offert hic textum omnino mancum. Secuti sumus mss — 3. Ipse an. 1371 jam ab octo annis in art. legit et an. 1373 cursus insuper in theol., cum jam bis fuisset Univers. rector (Reg Aven. Greg. XI, vol. IX, f. 447[b], ad an. 1371). Vid. supra p. 93, not 18. — 4 Ms · « de Nogleti » Bul. « Jongheti », Vid. supra n° 1307, Picard. — 5. Ms. et Bul. : « Waltier », sed ut supra in Reg. Aven. Greg XI, vol. V, f. 676, ad an. 1371, Jan. 27, cum jam theol. studuit, et an. 1375 (ibid., vol. XXVI, f. 372), dioec. Morinens. — 6. Ms. « Dumghe ». An. 1368, can. S. Johannis in Buscoducis (Reg. Aven. Urb. V, vol. XX, f. 340). — 7. Ms. « Symaco ». — 8. Bul. « Ponce ». In Reg. Av Greg. XI, vol. IX, f. 507 (ad an. 1371), additur « alias de Pitrehein », cler Leod. dioec., scholaris in theol.

1385. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris. injungit, ut Johanni de Cruone[1], Ord. frat. b. Mariae de Monte Carmeli, baccal. in theol., pro quo Raimundus episc. Praenestinus[2] supplicavit, quamprimum alium baccalareum in eadem facultate ad magisterii honorem promovebit, docendi licentiam largiatur.* Dat. Avinione xij kal. Marcii, anno tercio. « Viri sacre ».

1373, Februarii 18, Avenione.

Reg. Vat Aven. Gregorii XI, vol. XIX, fol, 85[b]

1 Verisimiliter ille Johannes Philippi, Carmelita, qui in *Catal. licent.* (mss. lat Bibl. nat. 5657[a] et 12850) inter licentiatos an. 1374-1375 affertur. — 2. Raimundus de Canillac, ab an 1345, Novemb. 28, cum esset praepositus eccl. Magalon., archiepisc. Tolos. (Reg. Vat. Clem. VI, n° 169, ep. 25), an. 1350, Decemb. 17, card. S. Crucis (Contelori), 1361, Novemb. 11, episc. Praenestinus

---

1386. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Guillelmo de Cremona, Ord. Min., provinciae Bonon. ministro, qui olim per Ordinem suum promotus fuit ad baccalareatum Parisiens. et in eodem studio librum Sententiarum perlegit et in s. theol. facultate alios actus scholasticos ad ipsum pertinentes circa licentiam ad magisterium in dicto studio, responsione aulae dumtaxat excepta, perfecit, infra unum mensem cum dimidio magisterii honorem et docendi licentiam in eadem facultate, cum propter suum officium sit impeditus continuare, largiatur.* Dat. Avinione non. Martii, anno tertio. « Viri sacre ».

1373, Martii 7, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. XIX, fol. 100.

1387. *Johannes Beke in rectorem Univers. eligitur.*

1373, Martii 24, Parisiis.

Anno Domini 1372, die xxiiij mensis Martii, electus est in rectorem Universitatis Parisiensis magister Johannes de Beke[1] Brabantinus, Leodiensis dyocesis; et fuerunt intrantes Lambertus de Marchia, Jacobus Juvenis[2], Thomas Mielle et Marcilius de Inghen, Gallicane, Picardie, Normannie et Anglicane nationum.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 146. — Bulaeus, IV, 440.

1. Fuit nat. Picard Rector etiam an. 1379 — 2. Non clare in ms., ubi potius « mucis » cum linea supra ; Bul · « Vincent ». Legendum est ut supra. Jacobus Juvenis fuit intrans nat. Picard In Reg. Aven. Greg XI, vol IX, f. 509^{b}, vocatur « natus nob. viri Oliverii Juvenis militis », can. eccl. S. Pauli Leod., scol in theol , olim rector (ad an. 1371, Jan 27)

1388. *Johannes de Roncuria eligitur in rectorem.*

1373, Octobris 10, Parisiis.

Anno Domini 1373, die x[1] mensis Octobris, electus fuit in rectorem magister Johannes de Roncuria[2] de natione Gallicana, Tullensis dyocesis, qui fecit precedentem librum rectorie cooperiri pelle rubea, ponendo nova firmacula.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 143.

1. Sic in *Lib. proc. nat. Anglic.* Sed in *Mus Brit.* notatur xj. — 2. Fuit procurator nat. Gallic. an 1367, April. 6; 1369, Nov. 19; 1374, Aug. 26 (Bul., IV, 969). Iterum rector 1379 (vid. infra) Ad an 1369, Maii 10, vocatur Johannes Rauleti de Roncuria, tunc studens in fac. theol. (Reg. Av. Urbani V, vol. XX, f. 298^{b}).

1389. *Lis coram Parlamento inter Universitatem Paris. et Robertum de Pinconio scutiferum.*

1373, Decembris 10, Parisiis.

Cum lis mota fuisset coram preposito nostro Paris.[1] inter procuratorem nostrum, rectorem carissime filie nostre Universitatis Paris. nomine ipsius Universitatis, et magistrum Symonem de Cernayo, presbyterum, scolarem ejusdem Universitatis, magistrum in artibus et in facultate theologie studentem, ut dicebat, dicto procuratore nostro ad omnes fines, rectore et magistro Symone predictis ad finem civilem dumtaxat tendentibus, actores ex parte una, et Robertum de Pinconio scutiferum et Colinum dictum Corrois ipsius Roberti servientem, prout dicebat, defensores ex altera, super eo quod dicti actores proponebant quod idem magister Symon scolaris et suppositum Universitatis predicte a xxvj annis citra fuerat, et in ea gradus, videlicet magisterium in facultate arcium, receperat, et per magnum tempus in facultate theologie studuerat, et sic tanquam scolaris ipsius Universitatis in salva et speciali gardia nostra a tempore predicto notorie extiterat, et quod quedam salva gardia nostra, speciali a nobis per ipsum obtenta, in villa de Angiaco per locumtenentem baillivi nostri Silvanectensis fuerat publicata, et quod xxiiij^{or} anni erant

lapsi in presbyterum ordinatus fuerat et per totum tempus predictum in habitu et tonsura pro tali se gesserat, missas celebraverat et totum officium ad presbyterum pertinens exercuerat, et quod curam de Milliaco in Belvacinio, postmodum curam de Thil in villa Sancti Luciani prope Belvacum, tandem curam de Sancto Felice obtinuerat et capellam de Courroio in villa de Milliaco predicta, racione cujus capelle quasdam vineas in villa de Rantigniaco diu erat habuerat, et quod fructus et emolumenta predictorum beneficiorum pacifice et quiete quibuscumque videre volentibus semper perceperat et levaverat; nichilominus Robertus predictus propter certum processum inter dominam de Milliaco, matrem dicti Roberti, ex una parte, et dictum magistrum Symonem ex altera, in nostra Parlamenti curia diu erat inceptum vel propter aliam causam injustam et irracionabilem, puta propter cupiditatem inordinatam, odium capitale contra dictum magistrum Symonem conceperat, et quantum poterat in ejus destructionem machinaverat, destinaveratque de facto ad villam de Sancto Felice in Belvacinio per modum hostilitatis, minis non precedentibus, plures homines armatos, videlicet dictum Colinum Corrois, qui principaliter factum in se susceperat, Arnulphum de Fiennes dictum Le Bastart, Johannem Baudeti, Johannem Seguini et Johannem Maigreti cum quibusdam aliis suis complicibus, ut dictum magistrum Symonem ubicumque repertum, sive vivum sive mortuum, ad ipsum Robertum adducerent, eo quod servus suus erat, et chavagium suum in festo sancti Remigii prout tenebatur non solverat, ut dicebat. Quodque homines armorum predicti die martis post festum Sancte Crucis in mense Septembri, que fuerat xvj[a] dies ejusdem mensis, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo primo, ad dictam villam de Sancto Felice accesserant[2] et dictum magistrum Symonem in domo sua quesierant, sed eo non reperto eis dictum fuerat quod ad villam de Rantigniaco, ubi vineas habebat, ut dictum est, pro vindemiis suis faciendis se transtulerat. Quibus ad dictam villam festinanter accedentibus, ipsum magistrum Symonem pro vindemiis suis negocientem (*sic*) et in nullo forefacientem, nec de aliquo dubitantem repererant, et licet idem Robertus ibidem nullam juridicionem haberet, ipsum invaserant, dicendo quod ad Robertum de Pinconio ipsum venire oportebat, quia servus suus erat et chavagium suum prout tenebatur sibi non solverat. Quibus responderat quod servus Roberti de Pinconio non erat, et quod tanquam servus ejus ad ipsum nullatenus accederet, et quod bene caverent quid facerent, quia scolaris Universitatis Parisiensis erat et persona ecclesiastica, presbyter et curatus, et in salva et speciali gardia nostra. Sed verbis suis non obstantibus, manus violentas in ipsum injecerant[3] et supra unum equum, de quo predictus Johannes Maigreti descenderat, posuerant ita impetuose quod sanguinem de manibus suis ex duobus locis effuderant, et tibias suas subtus ventrem dicti equi strictissime ligaverant, et in eodem conflictu cutellos suos sibi amoverant[4], ipsumque duxerant tam de die quam de nocte per nemora et devia usque ad villam de Fluiaco in Belvacinio, ubi dictum Robertum, cum villa sua esset, reperire credebant; sed eo ibidem non reperto ad villam de Milliaco, que dicti Roberti erat, ipsum mag. Symonem duxerant et in quodam parvo solario

ipsum ascendere fecerant et in compedibus ipsum posuerant[5], lapidemque marmoreum ad supra sedendum sibi paraverant. Et tunc ad ipsum accesserat Cornutus de Coureyo miles, gubernator dicte terre de Milliaco pro dicto Roberto, qui ad tractandum cum dicto Roberto super aliqua finencia tradenda ipsum magistrum Simonem inducere voluerat, quod idem magister Simon facere semper renuerat, sed justicia mediante in nostra Parlamenti curia vel coram duobus clericis Parisiensibus negocium terminare promptus erat, et hoc eidem Roberto sepe et sepius obtulerat. Sed istis non obstantibus ad villam de Achy ductus fuerat, et in quadam camera de domo domine de Achy, amicte dicti Roberti, in compedibus positus fuerat. Sed pars superior dictorum compedum a tenentibus ipsam sic festinenter dimissa fuerat, quod ipsum magistrum Simonem in pedibus graviter vulneraverat, et sic in compedibus predictis existens per totam noctem in quodam parvo lecto cubuerat, et duos famulos, unum a dextris et alium a sinistris, semper habuerat, qui cum se extendere volebat, taliter dictos compedes trudebant quod magnum dolorem per totam noctem passus fuerat, et quod verba derisoria sibi inferebant quando propter dolorem predictum clamaverat.

Quare petebant dicti actores, dictos defensores in corporibus et bonis fore puniendos, ipsosque crimen plagii commisisse abusoresque justicie fore pronunciari, capcionem et detencionem dicti magistri Simonis et quidquid ex eis fuerat secutum injustas irracionabiles et iniquas fore dici, salvam gardiam nostram propter capcionem et detencionem predictas infractam per defensores predictos, reintegrandam fore declarari, ipsoque in emendis honorabilibus et utilibus erga nos et actores predictos et ad restitucionem cutellorum predictorum sub estimacione viginti solidorum parisiens., et quod de predicta summa crederetur dictus magister Simon per suum juramentum et in expensis, dampnis et interesse hujus litis condempnari.

Dictis defensoribus in contrarium proponentibus quod idem Robertus ex nobilibus et potentibus parentibus progenitus fuerat, pluresque villas, castellanias et feuda ex eorum successione habuerat, et specialiter villam et terram de Milliaco in Belvacinio, racione cujus plures servos et homines corporibus quolibet anno in signum servitutis sibi chavagium solventes possederat....[6]. Quare petebant ab impeticionibus dictorum actorum absolvi ipsosque actores in eorum expensis hujus litis condempnari.

Pluribusque aliis racionibus hinc inde ad fines predictos propositis et per modum memorie in scriptis traditis, fuisset per prepositum nostrum predictum pronunciatum, capcionem, incarceracionem et detencionem dicti magistri Simonis iniquas fore, dampnabiles et injustas, et quidquid ex eis fuerat secutum, et propter hoc dictos defensores in emendis honorabilibus et utilibus erga nos et erga actores predictos, taxacione emendarum utilium et modo faciendi honorabili sibi reservatis, et ad restitucionem cutellorum petitorum sub estimacione viginti solidorum paris., de qua summa per juramentum suum dicto magistro Simoni crederetur, et infra. Et ad reintegracionem salve gardie nostre propter

predicta infracte et in expensis, dampnis et interesse, taxacione sibi reservata, condempnasset : fuit a dicta sentencia pro parte dicti Roberti et dicti Colini ad nostram Parlamenti curiam appellatum. Auditis igitur partibus in causa appellacionis predicte, processuque, an bene vel male fuerit appellatum, ad judicandum recepto et viso et diligenter examinato, per judicium dicte curie nostre dictum fuit dictum prepositum nostrum bene judicasse et dictos defensores male appellasse, et emendabunt appellantes quilibet de lx libris parisiens., ipsos in expensis hujus cause appellacionis condempnando, taxacione earundem dicte nostre curie reservata. Pronunciatum die x^{a} Decembris LXXIII.

PHILLIBERT, J. DE SANCTO VERANO rep.

Arch. nat. Paris. X^{1a}, 23 (*Jugés*), fol. 466.

1. Hugone Aubriot. — 2 Ms. « accesserent », et postea « quesierent », « invaserent ». — 3 Ms. « injesserent », postea « effuderent » — 4. Ms. « amoverent » et postea « duxerent ». — 5. Ms « posuerent ». — 6. In sequentibus aliqua de « jure intercursus » et potestate dominorum de Belvacinio; sed nihil ad Universitatem.

1390. *Guillelmus Gorren electus rector; de emenda Roberti de Pinconio Universitati praestanda.*

1373, Decembris 16-1374, Martii 24, Parisiis.

Anno Domini 1373, xvj die mensis Decembris, electus fuit in rectorem Universitatis Parisiensis magister Guillelmus Gorren[1] de natione Normanie, Rothomagensis. In cujus rectoria fuit arrestum datum in Parlamento super emenda tam honorabili quam pecuniaria a Roberto de Pinconio[2] armigero et a quodam sibi serviente facienda Universitati et magistro Simoni de Cernayo[3], que debebat fieri in pleno Parlamento die lune[4] post *Letare* ejusdem anni. De qua emenda pecuniaria summa ascendit ad sex viginti francos adjudicatos[5] Universitati, ita quod predictus armiger solvat centum et serviens suus viginti. Quam summam recipere debet sequens rector.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 143. — Bulaeus, IV, 442

1. Ms. « Gorien », Bul. « Gorrien ». — 2. Ms. « Puincomo ». Vid documentum praecedens. — 3. Ms. « Cervoy ». — 4. Martii 13, 1374. An. 1375, Aug. 11, Universitas petit ut mutetur emenda cujusdam « Robert de Pinquigny, clerc non marié » (Arch. nat. Paris. X^{1a}, 1470, fol. 158) — 5. Ms. « abjudicatos ».

1391. « *Tempore procuratorie [nat. Gallicane] Guillelmi le Dos*[1], *resumpsit lectiones suas mag. Johannes Solatii*[2], *qui tunc legebat librum Sententiarum mag. Petri Lombardi in Sancto Victore, et juravit dictus mag. Johannes Solatii, quod hujusmodi resumptionem non faciebat ad fraudem.* »

Anno 1374 ineunte.

Bulaeus, IV, 971, e *Lib proc. nat. Gallic.* — Notatu dignum documentum propter lectiones in S. Victore.

1. Fuit procurator ab an. 1368, Jan. 14, an. 1369, Feb 9, an. 1373, Sept. 23; an. 1379, mense Maio. — 2. Determinavit in art. an. 1361, proc. nat. an 1371, Dec 16 (Bul., IV, 975). Non pervenit ad magisterium in theologia, licet fuisset baccalareus formatus, ut infra ad an. 1385 declaratur. Attamen ut decret. doctor et licent. in legibus notatur infra ad an. 1378-1379 (vid. *Indicem*).

1392. *Solutio scholarum nat. Gallic. sub procuratore mag. Luca de Rivo*[1].

1373-1374, Martii 25, Parisiis.

Die 25 Martii fuit facta solutio de quibusdam scolis existentibus in vico Straminis emptis a natione a Johanne de Trecis et a Johanne dicto Manglout pretio quatuor viginti et decem octo francorum, de quibus tradidit receptor, scilicet mag. Johannes le Dos, quatuor viginti francos, et de aliis decem[2] et octo ipse et dominus Jacobus de Pavellione voluerunt respondere ad solvendum eis infra festum B. Johannis Baptiste proxime futurum. Et fuit hoc actum et factum in Carmelitis, presentibus decanis[3] nationis, procuratore et receptore. Et erant decani isti qui sequuntur : mag. Hebertus Courtois[4], mag. Petrus de Seillegnayo, mag. Nicolaus de Suessione, mag. Guillelmus le Dos, mag. Petrus de Luca, et presentibus multis aliis.

Bulaeus, IV, 973, e *Lib. proc. nat. Gall.* Vid. ibid. p 442.

1. « de Ruad » Bul , p. 442 Electo in procuratorem an. 1373 (1374), Martii 10. — 2. In ms. et ap. Bul. « septem » — 3. In natione Gallicana, quae in quinque provincias divisa erat, unaquaeque provincia tunc temporis suum decanum habuit. Sic etiam infra in rotulo nat. Gallicanae an. 1378-1379 designantur. « Decani provinciarum » nominabantur. Quando Bulaeus librum scripsit *De decanatu nationis Gallicanae* (Paris., 1662), ipsum hoc omnium vetustissimum vestigium fugit — 4. Iste et sequens om. apud Bul , IV, 973 (ubi affertur « Joh. Maleaperti »), et desumpti sunt e p. 442.

1393. *Gregorius XI concedit magistro Evrardo de Tremaugon*[1], *utriusque juris doctori Parisius regenti, qui in Parisiensi studio de mane Decretales ordinarie legit, propter negotia Caroli, regis Francorum, quibus insistere oportet, lecturam de mane commode continuare nequit, ut aliquam personam idoneam loco sui ad hujusmodi lecturam absque licentia magistrorum ibidem in facultate decretorum regentium substituere possit quando sibi placuerit.* Dat. apud Pontem Sorgie Avinion. dioc. v id. Septembris, pontificatus nostri anno quarto. « Sincere devotionis ».

1374, Septembris 9, apud Pontem Sorgiae.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. XX, fol. 284b.

1. Ipse libros a Carolo V recepit Vid. Delisle, *Cab. des mss.*, I, 43. An. 1382, Octob 17, decanus eccl. Carnot. et subdiac. existens, factus est episc. Dolens. (Reg. Vat. Aven. Clem. VII, vol. XXVII, fol. 346b; non correcte in *Gall. christ.*, XIV, 1059), translato Guidone ad sedem Turonens.. et ab Urbano VI sedi Dolensi Petro praefecto.

1394. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Parisiens., ut Johannem de Chevegneyo juniorem*[1], *Ord. Min. (qui in diversis provincialibus studiis suae nativae provinciae Burgundiae logicam et philosophiam et in studio Parisiensi cursum suae auditionis perfecerat, omnes quoque actus ibidem in conventu sui Ord. inter studentes fieri consuetos tam quoad praedicationem, quam ad disputationem fecerat et compleverat, deinde octo annis tam de Sententiis quam de Biblia in studiis solemnibus continue legerat et praecipue quinque annis in duobus studiis generalibus, videlicet Nicosiae et Lugduni, Sanctae Terrae et Burgundiae provinciarum, ubi quatuor libros Sententiarum et cum quaestionibus et disputationibus ordinariis compleverat et de Biblia tam ibi quam in aliis studiis de libris Genesis et Ecclesiastices ordinarie legerat), ad legendum librum Sententiarum in praefato studio Parisiensi in proxima tunc futura aestate aut in altera ex tunc proxima aestate, et sic successive, admittat, et postea eidem magisterii honorem et docendi licentiam concedat.* Dat. Avinione ij id. Novembris, anno quarto. « Viri sacre ».

1374, Novembris 12, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Greg. XI, vol. XXI, fol 426. — An. 1375, April. 24, Gregorius ad cancell. Paris. idem mandatum

repetit, cum cancellarius Johannem pro futura aestate admittere non potuisset, alio fratre jam ex gratia pontificis ad legendas Sententias admisso (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXV, f. 65 « Sicut debetur »). In *Catal licent.* inter licent. an 1373 (1374) affertur, quod utique falsum est. Sed in ms. 12850 (in 5657ᵃ delet.) iterum scribitur inter licentiatos an. 1377, quod optime convenit. Distinguendus est iste frater a Johanne de Chevegneio seniore, de quo in nota 1. Ex duobus alter a ministro generali de obedientia Aven., Angelo de Spoleto, theol mag., nominatus est procurator Ord. in curia Avenion, eique papa Clemens concedit an. 1388, ne amoveatur ab hoc officio (Reg Vat. Clem. VII, nº 299, f 114ᵇ), an. 1391, Maii 8, a Clemente, Angelo defuncto, Ordini ut minister generalis praeficitur (Reg. Aven Clem. VII, vol. LXIII, f. 598). Wadding, *Ann. Min.*, IX, 75, Johannem « de Changueyo » ut procuratorem Ord. affert, minime tamen ut Min. generalem.

1. De Johanne de Chevegneio seniore, item Ord. Min, quaedam etiam ad nos pervenerunt. An. 1367, Aug. 20, Urbanus V injungit Ubertino de Coriliono, Ord. Min, mag. theol., ut eidem, qui in duobus Capitulis general. Ord. ad lecturam Parisiis in fac theol. dignus reputatus fuit, in Rom. curia vel alibi, ubi solemne theol. studium viget, magisterii honorem et licentiam docendi impertiat (Reg. Vat. Urbani V, nº 256, fol. 59ᵇ). « Viri sacre »

1395. *Nicolaus de Cussangeyo rector Universitatis electus.*

1374, Octobris 10-Decembris 16, Parisiis.

Anno Domini 1374, die 10 Octobris, electus fuit concorditer in rectorem Universitatis Paris. mag. Nycolaus [de] Cussangeyo de nacione Gallicana, Lingonens.[1] dyocesis, qui fecit novam cathenam argenteam sigillo rectorie apponi.

Mus Britann. ms add. 17304, fol. 143. Cf. Bul., IV, 443.

1. Ms. et Bul perperam « Lugdunens. » — In *Lib proc. nat. Anglic* legitur « Nota ad futuram rei memoriam, quod in crastino sancti Dyonisii hujus anni electi erant successive v rectores, duo Gallici, unus Picardus, unus Normannus et unus nationis nostre, quorum quatuor primi recusando seu non acceptando officium rectorie se excusaverunt, et ultimus seu quintus, qui Gallicus erat, acceptavit » (vid *Auct. Chartul.*, I)

1396. *Charta qua baccalarei in medicina promittunt sese artem medicam non exercituros fore, nisi fuerint in presentia unius e magistris facultatis.*

1375, Februarii 3, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, indictione tertia decima, mensis Februarii die tertia, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Gregorii divina providentia pape undecimi anno v[1], in mei notarii publici et testium infrascriptorum presentia personaliter constituti, venerabiles et discreti viri, magistri Thomas de Sancto Petro, in artibus et medicina magister, decanus pro tempore facultatis medicine, actu regens Parisius, ex una parte; et Johannes Comitis, Johannes de Pruvino ac Nicolaus de Monasterio[2], magistri in artibus et bachalarii in medicina, ex altera, iidem bachalarii consentientes et volentes insimul, et quilibet eorum in solidum, ex unanimi consensu juraverunt et bona fide promiserunt, habita licentia in facultate predicta, non practicare usque ad unum annum, videlicet infirmos visitando, seu officium practicale quodlibet[3] exercendo, nisi fuerint vel devenerint, aut quilibet ipsorum, in societate seu presentia alicujus aut aliquorum magistrorum, ipsorum quolibet antiquioris vel antiquio-

rum in predicta facultate approbati vel approbatorum; promittentes nichilominus iidem consentientes, et quilibet eorum, michi notario infrascripto premissa omnia et singula, prout superius sunt expressa, tenere, observare, eaque[4] integre et fideliter adimplere; volentes et consentientes, ut supradicto magistro Thome, predicte facultatis decano ad hec presenti et petenti, super premissis omnibus et singulis conficerem instrumentum. Acta fuerunt hec Parisius in domo collegii scolarium[5] theologie de Haricuria, anno, die, mense, loco, indictione, pontificatu predictis, presentibus ad hec venerabilibus viris Thoma de Voyenna, Henrico de Tenis[6], in medicina magistris, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Tourgis, Ebroicensis diocesis, auctoritate apostolica notarius publicus, *etc.*

Arch. nat. Paris. MM. 266, p. 167. — Jourdain, nº 757. — Error est in temporis nota. « An. VI » pontif. Gregorii XI, ut scribitur in ms., est an. 1376; sed tunc erat indict xiv. Verisimiliter in assignando anno Gregorii XI in nostro ms. erratur; scribi debebat « an v »

1. Ms. · « VI ». — 2. Legitur inter uncos « du Moustier ». — 3. Ms. « quemlibet » pro « quodlibet ». — 4. « eaque » in ms. ante « tenere ». — 5. Ms. : « scolaris ». — 6 Ms. . « Tems ». Idem est ac qui infra nº 1417 affertur. Vid. ibid.

1397. *Gregorius XI Thomae Haudri, utr. jur. doctori Aurelian., permittit Parisius decretum legere.*

1375, Martii 14, Avenione.

Dilecto filio Thome Haudri, parroch. eccl. S. Jacobi de Carnificeria Parisiens., utriusque juris doctori, salutem, *etc.* Litterarum scientia.... Sane petitio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat quod licet tu jam elapso decennio Aurelianis in utroque jure doctoratus insignia receperis, nichilominus tamen obstantibus certis statutis, consuetudinibus vel observantiis studii Parisiensis quoad lecturam Decreti, ad quam maximam affectionem geris, ceterosque actus doctorales per dilectos filios collegium facultatis decretorum ipsius Parisiens. studii, in quo Decretales per quinquennium legisti de mane, nec ut doctor neque ut licentiatus haberis.... Nos itaque.... ut in hujusmodi Paris. studio tanquam doctor Decretum legere ac omnia alia et singula doctoralia perinde libere exercere valeas ac si ibidem in facultate ipsa doctoratus extitisses[1], quodque ad pastus (*sic*) vel aliam quamcunque prestationem eidem facultati, doctoribus, bedellis vel aliis faciendam minime tenearis, statutis.... que alias in suo robore permanere volumus, et aliis contrariis non obstantibus . auctoritate apostolica tenore presentium concedimus de gratia speciali .. Dat. Avinione ij id. Martii, anno quinto.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. XXIII, fol. 302.

1. Quod et evenit, hujusque facti mentio fit in Parlamento Paris. an. 1386, Novemb. 29. Vid. infra.

1398. *Carolus V, rex Francorum, Universitatis Aurelianensis confirmat privilegia eadem atque Parisiensi concessa, conservatoresque dictorum privilegiorum constituit ballivum praepositumque Aurelian., eosdemque conservatores scholarium et servitorum, id est notarii, librariorum trium, magistri bedelli et cujusque bedelli cujuscumque nationis.* « Donné à Paris le xxiij[e] jour de Mars l'an de grâce M CCC LXXIIII et de notre regne le xi[e] » *Par le roy en son conseil* J TABARI.

1375, Martii 23, Parisiis.

Arch. nat. Paris. JJ. 103, fol 195[b], n[o] 374.

1399. *Statutum nationis Picardorum de modo eligendi officiarios.*

1375, Martii 30, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis omnes magistri facultatis artium tam regentes quam non regentes nationis Picardice, studii Parisiensis, salutem in Domino sempiternam. Quoniam experientia rerum magistra edocente didicimus quod damnande ambitionis improbitas quorundam magistrorum dicte nostre nationis animos in tantum excecavit, ut cum per ostium vere electionis ad officia nationis nostre assumi nequeunt, seu verisimiliter dubitant, aliunde tanquam fures et latrones exquisitis fraudibus ad eadem officia intrare satagunt et nituntur, cum nunc per seipsos, nunc per interpositas personas apud procuratorem, ut ipsos ad hujusmodi officia nominet, vel apud alia ipsius nationis supposita, ut vota sua in electione facienda in ipsos dirigant, instant illicitis practicationibus et precibus importunis, propter quod libertas eligendi a pluribus presertim juvenibus impeditur, ac inducuntur frequenter ad dirigendum vota sua contra eorum conscientias in minus idoneos, qui hujusmodi officiis, licet immeriti, preficiuntur, in dicte nationis ac suppositorum suorum scandalum, detrimentum non modicum et jacturam : hinc est quod, tantis fraudibus in quantum possumus obviare volentes, ac id decetero districtius prohibentes, statuimus et ordinamus ut si quis pro se aut pro alio apud procuratorem vel alium quemcunque, ut ad aliquod officium nationis nostre nominetur, eligatur, aut aliter quomodolibet promoveatur, seu ut voces vel vota magistrorum sibi impetret, vel quod continuetur in officio si quod obtineat, verbis, scriptis, vel signis, per se vel per alium intercesserit, institit, supplicavit, vel quomodolibet laboravit, sit eo ipso ad omnia officia nationis inhabilis per unum annum, preterea juxta qualitatem excessus dicte nostre nationis arbitrio puniendus. Volentes nichilominus, ut cum [ali]quis[1] per scrutinium ad hujusmodi officium eligi contigerit, quod scrutatores ad hoc deputati juramento eorum astricti sint, ut ab omnibus, qui coram ipsis compareant ad vota sua ipsis nuncianda, juramentum capient, quod in tales, quos nominabunt, vota sua non dirigent pretio, precibus, aut alia quacunque illicita instantia inducti, sed solum zelo justicie ac honoris et utilitatis nationis. Demum scrutinio publicato vel si etiam quis absque scrutinio concorditer electus fuerit, procurator illum, qui plures voces habuerit, vel in quem omnes, ut premittitur, consenserint, ante omnia jurare faciat quod pro hujusmodi officio hac vice non institit pretio, precibus, verbis, factis aut aliter qualiter-

cunque; et si officium forte fuerit, quod aliquando continuari consuetum est, quod pro hujusmodi officii continuatione per se vel per alium non supplicabit, nec quomodolibet instabit. Que omnia predicta nedum ad illa, que secundum antiqua statuta nationis nostre officia nuncupantur, sed ad alia etiam ipsius nationis ministeria, utpote ad officia intrantium pro eligendo rectore, nunciorum ad curiam Romanam destinandorum, examinatorum S. Genovefe et determinantium, et ad omnia alia officia seu deputationes, tam majores quam minores, ad quas juxta ritum et consuetudinem dicte nostre nationis quis per scrutinium eligi seu assumi potest, referri volumus et extendi. Nostre tamen intentionis non existit, quin congregatione ad providendum hujusmodi beneficiis facta et natione per bedellum ad procuratorem more solito vocata, hi qui juxta suas conscientias in hujusmodi officiis ad honorem et utilitatem nationis se profuturos crediderint, seipsos possent coram procuratore et natione publice presentare, et ad hujusmodi officia obtinenda promptos, si nationi placeat, se offerre. In quorum omnium testimonium et munimen presentibus litteris sigillum dicte nostre nationis duximus apponendum. Datum et actum apud S. Julianum Pauperem, natione ad statuendum debite ac solempniter, ut moris est, convocata, presentibus venerabilibus et discretis viris magistris Johanne Walckier[2] receptore, Johanne Bourdone, Johanne de Trelon, Johanne de Beke, Ingerano Juvenis[3], Petro Moyart, Michaele Danchart, Johanne Calvi, Guillelmo de Roka, Johanne Comitis, et pluribus aliis magistris dicte nationis, anno Domini 1374, die penultima mensis Martii.

Bulaeus, IV, 443, e *Lib. proc. nat. Picard.*

1. Bul. « quem ». — 2. Bul. · « Waltier » — 3. « Inguerrannus Juvenis », cler Morin. dioec , eodem anno per triennium in jure can. studuit (Reg. Av. Greg. XI, vol. XXIV, f. 271[b]).

1400. *Gregorius XI ad quosdam abbates Ord. Cisterc., ut caeteros ad quos attinet compellant sexdecim scholares in collegio S. Bernardi Paris. tenere.*

1375, Maii 4, Avenione.

Dilectis filiis .. Grandissilve[1] et .. Bolbone[2] ac .. de Calercio[3], Tholos., Mirapiscens. et Rivens. diocesum monasteriorum abbatibus salutem, *etc.* Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum provisoris, bacallariorum et aliorum studentium in facultate theologie Collegii domus S. Bernardi Parisiens., Cisterc. Ord., peticio continebat quod olim bone mem. Guillelmus episcopus Tusculanus[4], qui ejusdem Ord. professor existebat, legitime statuit et etiam ordinavit quod de bonis suis propriis perpetuo in collegio et facultate predictis sexdecim scolares ejusdem Ord. tenerentur, quodque nonnulli abbates et conventus certorum monasteriorum dicti Ord. pro certis pecuniis, quas ab ipso episcopo dum vivebat receperunt et in utilitatem suorum monasteriorum converterunt, dictos sexdecim scolares in hujusmodi collegio et facultate ponere et tenere perpetuo ipsorum abbatum et conventuum ac monasteriorum suorum propriis sumptibus promiserunt, ac se et sua monasteria ad hoc efficaciter obligarunt; quodque nonnulli ipsorum abbatum et conventuum contra ordina-

tionem hujusmodi aliquos ex dicto scolarium numero omittunt in dicto collegio ponere et tenere, ac nonnulli dicti Ord. et etiam alii quedam legata fabrice ecclesie dicte domus hactenus facta eidem fabrice solvere recusaverunt et recusant. Quare pro parte provisoris et aliorum scolarium nobis fuit humiliter supplicatum ut in premissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque supplicationibus hujusmodi inclinati discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si est ita, predictos abbates et conventus et alios quoscunque premissa legata debentes, ad ponendum et tenendum totum hujusmodi numerum sexdecim scolarium in collegio supradicto et ad solvendum premissa legata per eos prefate fabrice debita, prout justum fuerit, appellatione remota compellatis. Non obstantibus, *etc.* Dat. Avinione iiij non. Maii, anno quinto.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. XXIV, fol. 34 b.

1. Bernardo de la Fours, qui ex abbate Sinaquensi (primo fuit abb. Fontisvallium) factus est abbas Grandissilvae. An. 1367, Aug. 20, Urbanus V, post obitum abbatis Radulphi, abbatiam sibi reservavit (Reg. Vat Urbani V. nº 256, f. 109); an. 1368, Januar. 11, novus abbas Bernardus camerae apost. jam solvit (Arch. Vat. Oblig nº 36, f. 153 b). Et sic verisimiliter an. 1367, Decemb., translatus est ex abbatia Sinaquensi (Reg Aven. Urb. V, vol. XVIII, f. 3, refertur ad an 6, sed desunt provisiones). — 2. Petro Olerii, qui an 1360, Decemb. 16, cum esset monachus monasterii de Bolbona, factus est abbas de Calertio (Reg. Aven. Innoc. VI, vol. XXIII, f. 104 b), an. 1369, Decemb. 19, translatus ad monasterium Bolbonae (Reg. Aven. Urbani V, vol. XXIII, f. 17 b). — 3. Ottoni de Boysharano, monacho dicti monast., qui an. 1370, Januar 30, factus est abbas (Reg. Aven. Urb. V, vol. XXII, f. 68 b). Omittitur in *Gall. christ.*, XIII, 224, ubi abhinc usque 1430 omnes abbates hujus monasterii desiderantur — 4. Guillelmus Curti, de quo vid. in *Chartul.*, II, *Indicem*. Obiit an. 1361, Junii 12 (Contelori).

1401. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Radulphum Marcelli, Ord Praed., qui philosophiam et librum Sententiarum legit ac in solennioribus locis dicti Ord. citra Parisios provinciae Franciae lector fuit principalis et per Ordinem suum ad legendam Bibliam in studio Parisiensi dispositus est et nunc actu lector in ecclesia Lugdunens., et usque ad multa tempora juxta cursum ejusdem Ordinis Sententias legere non potest in studio Parisiensi, consideratione Roberti, XII Apost. presb. cardin.*[1], *in hieme proxime futura ordinarie in altera scholarum fratrum Paris. Ordinis praedicti ad legendas Sententias admittat et aliis baccalareis in hujusmodi lectura Sententiarum quantum ad inchoationem nullatenus postponat.* Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. iiij id. Maii, anno quinto. « Viri sacre ».

1375, Maii 12, apud Villamnovam.

Reg. Vat Aven. Gregorii XI, vol. XXIII, fol. 360 b.

1. Ab an. 1371, Junii 8 (Arch. Vat. Obl. nº 35, fol 150, in *Vit. Greg.* apud Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 427, « die sexta Junii »), an. 1378, Sept. 20, Clementis papae VII.

1402. *Carolus V, rex Francorum, in curia Parlamenti, praesentibus pluribus episcopis nobilibusque et Universitate Paris., querelam principissae Moraeae contra Eduardum de Belloludo admittit.*

1375, Maii 21, Parisiis.

Lundi xxj^e May. Ce jour le roy nostre seigneur teint son Parlement et lui assistèrent le patriarche d'Alixandrie[1], les arcevesques de Reins[2], de Sens[3], de Tholouse[4], d'Embrum[5], les évesques de Laon[6], de Meaulx[7], de Paris[8], d'Ausseurre[9], d'Évreux[10], le duc

d'Anjou[11], le conte d'Alançon[12], le conte de la Marche[13], le conte de Brene[14], mess. Raymon de Turenne, et furent aussi presens les seigneurs de parlement, les chambellans et maistres des requestes de l'ostel du roy, le recteur et l'Université de Paris[15], et plusieurs autres prélas, barons et sages, et lors fut plaidoiée la cause entre la princesse de la Morée d'une part et mess. Édouart de Beaujeu, seigneur de Perreux d'autre part, en cas de saisine et de nouvelleté, sur le fait contenu en la complainte de la dame qui conclut afin que inventaire soit premièrement fait et aussi restablissement avant que Édouart soit en riens ouy, et considéré la rébellion, désobeissence et violence de Édouart, que la dame soit creue par serment, a ce conclut et advanges intérest et despens a retenue faite.

Arch. nat. Paris. X[1a] 1470 (*Cons. et Plaid.*), fol. 146[b] — Hoc documentum inseruimus, quippe quo appareat honor a rege factus, rectorem Universitatemque in Parlamento cum maximis personis convocante.

1. Johannes Cardaillac, 1371, Jul. 18, antea archiep. Bracharens (Reg. Av. Greg. XI, vol. III, f. 68), prius ep. Auriens., legum doctor. — 2. Ludovicus (Tézart), 1374, Apr. 14, antea ep. Bajocens. (Reg. Vat. Greg. XI, nº 273, f. 60), utr jur. professor. — 3. Guillelmus de Meleduno (vid. *Chartul.*, II, nº 961, not 1). — 4. Goffredus, 1361, Mart. 10 (Reg Av. Inn. VI, vol. XXVII, f. 149[b]), antea ep. Carcassonens., Carpentoratens., Lausanens. Factus est ep Lausanens. an. 1342. Nov. 20 (Reg. Vat. Clem. VI, nº 147, ep. 63), cum esset cancell. eccl. Caturcens. et lic. in legibus. In *Gall. christ.*, XV, 367, perperam asseritur, « Gotofredum » an. 1346 defunctum esse. — 5. Petrus Amelii. Vid. *Chartul.*, II, p. 628, not. 12; card. an 1378, Dec. 16 (non 17, ut ibid. dicitur). Vid. Arch. Vat. Obl nº 43, f 52[b]. — 6. Petrus (de Montaigu), 1371. Jan. 8 (Reg. Aven. Greg. XI, vol. I, f. 151), antea ep. Nivernens. (1361, Aug 2), tunc prior prioratus S. Salvatoris O. S. B. dioec. Viennens., decr. doctor.; a Clem. VII prom. ad cardin. (sine tit., ut videtur), 1383, Dec. 23 (Contelori). — 7. Johannes (Royer), 1361, Sept. 6 (Reg. Aven. Inn. VI, vol. XXVII, f. 197[b]), cum esset cantor eccl. Rotomagens — 8. Aymericus (de Maignac). Vid. nº 1351. — 9. I. e. Auxerre. Nicolaus de Archeiis (d'Arcies), 1372, Nov. 17 (Reg. Aven. Greg XI, vol. XI, f. 65[b]), cum esset can. Parisiens. et lic. in utr. jure. — 10. Guillelmus d'Estoutevilla, 1375, Febr. 7 (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXV, f. 427[b]), tunc can. eccl. S. Quintini dioec. Noviomens. et lic. in utr jure, postea ep Autissiodorens., Lexoviens. — 11 Ludovicus, ab an. 1356. — 12. Petrus II le Noble, ab an. 1361. — 13. Johannes de Bourbon, ab an. 1361. — 14. Ms. primo . « Rocy ». Tunc temporis Simon de Rouci fuit comes de Braine — 15. In Arch. nat. Paris. X[1a], 8602, fol. 76[b], afferuntur ad istum diem « rector ac plures magistri in theologia et doctores decret. ac plures alii prudentes viri Univers. Paris.. cancellarius ».

1403. *Gregorius XI permittit Guillelmo Carnificis, medico uxorato, Parisiis in facultate medicinae legere.*

1375, Maii 24, apud Villamnovam.

Dilecto filio Guillelmo Carnificis, cler. Paris. dioc., in artibus et medicina magistro, salutem, *etc.* Litterarum scientia.... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat quod licet olim tu, qui in facultate medicine in Parisiensi studio primo licentiatus et deinde statutis et consuetudinibus ejusdem studii observatis magistratus extitisti, postquam hujusmodi magisterii honorem adeptus fueras, lecturam ordinarie in predicta facultate continuaveras : tamen dilecti filii decanus et magistri ejusdem studii in facultate predicta pretextu cujusdam statuti olim per ipsos, ut asseritur, facti, quo cavetur ut nullus uxuratus durante matrimonio admitteretur in dicto studio ad legendum in facultate predicta, te pro eo, quod matrimonium cum quadam unica et virgine postmodum contraxisti, ab hujusmodi lectura et aliis legendi et regendi actibus ejusdem studii nituntur excludere... Nos itaque .... tecum, ut in prefato studio in predicta facultate legere et alios quoscunque actus regendi etiam constante matrimonio hujusmodi libere exercere valeas ....

auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia dispensamus. Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. viiij kal. Junii, pontificatus nostri anno quinto.

Reg Vat. Aven. Gregorii XI, vol. XXIII, fol. 551b. — Vid. *Chartul.*, II, nis 565, 909.

1404. *Gregorius XI renovat privilegium septennale a Clemente VI, « qui dum minor status eum haberet in prefato studio in theol. facultate magisterii honorem susceperat et ibidem diutius fuerat conversatus », magistris et scholaribus Paris. concessum usque ad septennium percipiendi fructus beneficiorum suorum, quamvis non resideant in ecclesiis*[1]. Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. x kal. Julii, pontificatus nostri anno quinto. « Ad perpetuam rei memoriam. Quasi flumen ».

1375, Junii 22, apud Villamnovam.

Orig. in Arch. nat. Paris. L. 314, n° 32. Reg. Vat. Aven Greg. XI, vol. XXIV, f. 463. Ibid. (Arch. nat. n° 32*bis*) episcopi Belvacens.[2], Meldens.[3] et Silvanectens.[4] exsecutores statuuntur.

1. Vid. *Chartul.*, II, n° 1120. Cf. supra n° 1261. — 2. Tunc Milo (de Dormans), qui, archidiac. Meldens. et utriusque jur. doctor, an. 1371, Martii 3, fit ep. Andegavens. (Reg. Aven. Greg. XI, vol. I, f. 157b), an. 1374, Jun. 16, episc. Bajocens. (Reg Vat n° 273, f 68), an. 1375, Januar. 31, ep. Belvac. (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXV, f. 6). — 3. Isto tempore Johannes (Royer). Vid. supra n° 1402, not 7. — 4 Adam de Nemours, Ord. Praed., de quo n° 1261, not. 3.

1405. *Gregorius XI (Johanni de Calore) injungit ut Arnoldum Grilli, Ord. Min., in scholis ordinariis Ord. Paris., ubi jam alius frater Sententias legit, post ipsum per duas aestates ad legendas Sententias deputet, eique postea legendi et regendi ubique licentiam concedat.* Dat. Avenione vij kal. Novembris, pontificatus nostri anno quinto. « Religionis zelus ».

1375, Octobris 26, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Gregorii XI, vol. XXIII, fol. 502b. — An. 1381, licentiatus est e *Catal. licent.* (ms. lat. 5657a « Guerellij », ms. 12850 . « Guerelli »). In Reg. Vat. Greg XI, n° 286, f. 205b « Grille ».

1406. *Inquisitio facultatis theol. Paris. quisnam librum Marsilii de Padua et Johannis de Janduno in linguam Gallicam traduxerit.*

1375, Sept. 1-Decemb. 31, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Universis et singulis presens publicum instrumentum inspecturis pateat evidenter, quod anno a Nativitate ejusdem millesimo CCC° septuagesimo quinto[1], indictione tertia decima more Romane curie, mensis Septembris die prima, circa horam prime diei, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Gregorii divina providentia pape undecimi anno quinto, in mei notarii publici et testium subscriptorum presencia, sacre pagine venerabiles doctores et magistri, prudentissimique viri infrasc[ripti] certa de causa infrascripta accessi (*sic*) et congregati in camera domus claustralis venerande discretionis viri domini et magistri Johannis de Calore, canonici et cancellarii ecclesie Parisiensis : videlicet reverendus in Christo pater et dominus dominus Gaufridus Militis[2], Dei gratia Corisopitensis episcopus, venerabilesque viri magistri Symon Freron[3], Nicolaus Oresme decanus Rothomagensis, et Richardus Barbe[4], et nonnulli alii in theo-

logia magistri, asserentes ad eorum auditum nuper rumores devenisse, et sibi per quosdam certos nuncios dudum pro parte facultatis theologie studii Parisiensis, ad dominum nostrum summum pontificem supradictum ob certa negotia dicte facultatis destinatos, et inde Parisius reversos, relatum extitisse, predictum dominum nostrum papam graviter conqueri, et non sine causa male contentari super eo, quod quidam liber dudum condempnatus per sedem apostolicam, nuncupatus *Liber magistrorum Marsilii de Padua et Johannis de Janduno*, translatus extiterat de latino in gallicum, seu tale ydioma, quod in favorem et complacentiam imperatoris et quorumdam principum terrenorum, et in dicti domini pape, Jhesu Christi domini nostri vicarii, dedecus et displicentiam, ac contemptum ecclesie cedere videbatur : quodque suspicio habebatur, ne aliquis theologus de studio generali, quisquis sit, transtulisset dictum librum, in quo errores nonnulli contra fidem catholicam, olim per predictos dicti libri conditores pullulati (*sic*) dicuntur contineri, et qui errores conscripti lacius in quadam cedula papirea michi notario publico, coram subscriptis testibus, per manum dicti magistri Symonis Freron fuerunt exhibiti, qui tales sunt prout in dicta cedula per me visa et perlecta continetur; videlicet, quod illud, quod de Christo legitur in Euvangelio b. Mathei, quod ipse solvit tributum Cesari, quando staterem sumptum ex ore piscis illis, qui petebant didragma, jussit dari, hoc fecit non condescensive et liberalitate sue pietatis, sed necessitate coactus. Item, quod b. Petrus apostolus[5].....

Que quidem cedula papirea continens dictos errores, sic incipit : « Johannes episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Parisiensi, salutem et apostolicam benedictionem. Cum processum, per quem nonnullos pessimos errores et hereses, quos dampnati heretici, Marsilius de Padua et Johannes de Janduno, dogmatizare et predicare publice, tam in Bavaria, quam in aliis locis », etc. Et sic ante datam terminatur : « Si quis autem doctrinam predictam deffendere vel approbare presumpserit, cujuscunque sit dignitatis, ordinis, condicionis aut status, tanquam hereticus ab omnibus confutetur », etc.

Et dicentes se congregationem in dicta theologie facultate ob hoc fecisse fieri generalem, ac in ipsa et per ipsam certos commissarios pro tota dicta facultate ex se ipsis et inter se elegisse ex eadem ad investigandam hujusmodi translatoris, si quis esset, inter ipsos veritatem et pro suspicione predicta ab aliquo vel aliquibus de dicta facultate amovenda. Qui suas primitus mutuo invicem, et exinde omnium aliorum magistrorum dicte facultatis theologie Parisiensis conscientias diligenter perscrutarent sigillatim per eorum juramenta, ut melius posset esse et fieri, tam hac die quam aliis subsequentibus, quoadusque hujus rei comperta veritate, quicquid inde scire possent, dicto domino nostro pape veraciter valerent quam citius per publica documenta intimare, prout decet. Quod opus aggredientes, me notario publico et testibus infrascriptis presentibus, examen suum fieri inceperunt de seipsis, et exinde de aliis infrascriptis, isto modo.

Et primitus supradicti tres magistri, videlicet Symon Freron et Nicolaus Oresme, ac Richardus dictus Barbe, insimul et concorditer supradictum dominum episcopum

Corisopitensem, in theologia doctorem, accersentes ipsum jurare fecerunt ad sancta Dei Euvangelia, libro tacto manu nuda, et eum interrogaverunt examinantes diligenter, inquirendo ab eodem in vim sui prestiti juramenti : (1) Utrum ipse dictum librum de latino in gallicum, aut alias transtulisset; (2) aut si aliquem sciret vel novisset, aut loqui de aliquo audivisset; (3) vel suspicionem haberet de aliquo, qui eundem librum transtulisset, prout fertur. Qui quidem dominus episcopus sic juratus, interrogatus et examinatus, respondit per suum juramentum, in veritate se nunquam dictum librum transtulisse, nec illum vidisse, nec scire aut scivisse, quis sit ille, qui transtulit, nec suspicionem habere de aliquo aut contra aliquem de hoc facto; et aliud se nescire de hoc dixit diligenter requisitus per predictos. Deinde idem dominus episcopus sic primo examinatus et predicti magistri Symon Freron et Nicolaus Oresme ac Richardus Barbe insimul et indivise alloquentes magistrum Johannem de Calore supradictum, eccl. Paris. cancellarium, ipsum jurare fecerunt similiter[6].... Mag. Johannes Forbissoris, Ord. Pred., alter suorum coelectorum, examinatus.... Mag. Symon Freron.... Mag. Nicolaus Oresme, decan. Rotomag.... Mag. Richardus Barbe. . Attamen deposuit, quod ipse dici audierat a quibusdam, quod illemet qui fecit librum transtulerat eumdem in gallicum; quodque ipsemet loquens investigaret et inquireret ulterius pro posse et verius, quis sit ille; et si hoc sciret ipse, quam cicius posset, revelaret, et aliud dixit se nescire. Magister Petrus Brevis, doctor, etiam juratus, interrogatus....

Item, eisdem anno, indictione, mense ac loco et pontificatu, et die tertia dicti mensis Septembris, testibus eciam suprascriptis, meque notario publico, presentibus, supradicti tres commissarii, videlicet domini episcopus Corisopitensis, et Johannes de Calore cancellarius, ac Johannes Forbissoris, examinatores in hac parte a tota predicta facultate et pro ipsa deputati ad examen hujusmodi subsequenter procedentes, magistrum Johannem Mauricii, can. Paris., jurare fecerunt. .. Magister Johannes de Corbolio, Ord. Carmelit., juratus etiam interrogatus.... Mag. Johannes [de] Kerleoret[7].... Mag. Johannes de S. Nazareo, Ord. frat. Min.... Mag. Dionysius de Montina[8], Ord. Heremit. S. Aug.... Mag. Johannes Regis[9], Ord. frat. Min.... Mag. Guillermus de Salvarvilla, cantor Paris. eccl.... Mag. Nicolaus de Laigniis[10], can. Paris ... Mag. Girardus de Vervino, can. et penitent. eccl. Paris.... Mag. Johannes de Cruone, Ord. frat. Carmelitarum.... Mag. Johannes Thome, Ord. Predic....

Item, anno, indictione, mense et pontificatu predictis, videlicet tertiadecima dicti mensis Septembris, predicti domini et magistri, Johannes de Calore cancellarius, et Johannes Forbissoris, examinatores, et una cum ipsis magister Stephanus de Calvomonte, doctor, curatus paroch. eccl. S. Severini Paris., absente tunc domino episcopo supradicto, congregati hora prime diei vel circiter, in loco capitulari Parisiensis ecclesie simili modo, quo supra, jurare fecerunt, interrogaverunt et examinaverunt diligenter mag. Guillermum de Lumbris, can. Paris., decanum predicte theologice facultatis.... Mag. Stephanus de

Calvomonte antedictus juratus eciam interrogatus . . Mag. Adam de Dompno Martino[11], Ord. frat. Min . Mag. Nicasius de Regalimonte[12], Ord. Cisterc . . Mag Petrus Julioti, Ord. Cluniac. Mag. Galeranus de Pendref.... Mag. Stephanus Gaudeti . .. Mag. Alanus de Lambalia[13], Ord. frat. Heremitarum S. Aug ... Mag. Petrus Borronis, Ord. frat. Pred...

Item, eisdem anno, indictione et pontificatu, vicesima prima die mensis Decembris subsequentis, me notario publico et testibus infra et supra scriptis presentibus, supradicti tres commissarii generales et examinatores deputati, videlicet dominus episcopus Corisopitensis, et Johannes de Calore, cancellarius, et Johannes Forbissoris, congregati et accessi in camera domus claustralis ipsius domini cancellarii supradicti, procedere ad examen predictum insequendi intendentes, ibi jurare fecerunt, interrogaverunt et examinaverunt diligenter, super et de premissis, mag. Richardum Guernonis[14], monachum prioratus S. Martini de Campis juxta Parisius, Ord. Cluniac.... Mag. Johannes de Dyodona, juratus, interrogatus.... Et insuper quod multum miratus fuit, quando audivit de hoc loqui, quod nunquam audierat, nec aliud scit de premissis diligenter requisitus. Mag. Johannes Mercerii[15], alias de Avenis.. .

Item, die ultima predicti mensis Decembris, videlicet anno a Nativitate Domini millesimo CCC° septuagesimo sexto[16] intrante, indictione quartadecima more Romane curie et pontificatus prefati domini nostri pape Gregorii anno quinto, facta congregatione per magistros et doctores predicte facultatis theologie Parisius in loco capitulari domus seu prioratus frat. Ord. S. Trinitatis, nuncupatis *Les Maturins,* situatis in magno vico S. Jacobi, circa horam prime, me notario publico, et testibus etiam supra et infra scriptis presentibus, absente tamen supradicto domino Corisopitensi episcopo, venerabiles doctores et magistri, Johannes de Calore, cancellarius eccl. Paris., et Johannes Forbissoris, generales examinatores seu commissarii, ut prefertur, deputati, et cum ipsis eo tunc loco dicti domini episcopi absentis, mag. Guillermus de Salvarvilla, cantor Paris. eccl., superius nominati, inceptum examen hujusmodi insequi et complere pro posse satagentes, mag. Johannem de Pontecrucis, can. Paris., doctorem in dicta facultate, propter hoc ibidem cum aliis convocatum jurare fecerunt.. . Mag. Johannes, dictus Goulain, de Ord. Carmelit. juratus .... Postmodum vero, ipsis magistris sic in dicto loco capitulari congregatis, sciscitantibus inter se, an aliquis seu aliqui ipsorum unquam de predictis magistris Marsilio de Padua et Johanne de Janduno, aut cujus scientie titulo ipsi insigniti fuissent, notitiam habuisset vel haberet, nonnulli ex ipsis affuerunt doctores et magistri asserentes, se jamdiu a suis antiquioribus doctoribus didicisse et intellexisse, quod predicti Marsilius et Johannes de Janduno nunquam fuerunt doctores nec eciam graduati in predicta theologie facultate[17]. Nec aliud scire se dicebant de premissis. De et super quibus omnibus et singulis assercionibus, interrogacionibus, examinacionibus, juramentorum prestacionibus, et singulorum deposicionibus, et aliis premissis sic dictis et actis supradicti domini commissarii et exa-

minatores pro se et omnibus aliis, quorum interesse potest et poterit, voluerunt et petierunt a me notario publico sibi dari et fieri unum vel plura publica instrumenta, *etc.*

Et ego Guido dictus Quatremains de Chailliaco, Paris. dioc. clericus, *etc.*

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67^{b}, nº 48. — D'Argentré, *Coll. jud.*, I, 397-400, « e magno volumine censurarum, fol. 6 », cum nominibus saepe adulteratis, et duobus omissis — Supra, cum episcopo Corisopitensi, triginta duo magistri in theol. nominantur, quorum aliqui jam in superioribus exscripti sunt, propter quod in notis de ipsis non verba facimus.

1 D'Argent. perperam « sexto ». — 2. Scil Gaufridus Le Marhec, de quo in *Chartul.*, II, 631, not. 9. — 3. De istis jam in *Chart.*, II. — 4. Vid. ibid., p. 528, 529. An. 1369-1380 provisor Collegii Harcur. Vid Bouquet, *L'ancien Collège d'Harcourt*, p. 98 sq. — 5. Errores quatuor sequentes invenies apud Bulaeum, IV, 216 At minime errores sunt ab Universitate an. 1330 damnati, ut Bulaeus scribit, sed a Johanne XXII in sua bulla, quae incipit *Cum processum, per quem nonnullos pessimos errores*, etc., ad episc. Paris. directa, ut supra in instrumento exprimitur, et quae in « cedula papirea » continebatur. — 6. Quilibet sequentium magistrorum examinatur sicut episcopus Corisopitens. de tribus quaestionibus, et quilibet *negative* respondit, quae omnia opportune omittimus. — 7. D'Argentré : « Lilerret ». Joh. de Kerloret (Finistère) jam an. 1371, Januar. 27, mag. in theol. et can. Cenomanens fuit (Reg. Aven. Greg. XI, vol II, f. 128^{b}) — 8. In *Catal. licent.* Bibl. nat. Paris. ms. lat 5657^{a}, additur perperam ad an. 1374 (1375) « Dionysius de Murcia, August. Hisp., fuit episc. Messanens. ». Nam Dionysius de Murcia jam an 1363, Martii 20, quando nominatus est archiepisc. Messanens. (Reg. Aven Urb. V, vol. VI, f. 146^{b}) « in s. pagina mag. » fuit. In ms. 12850 (in alio 1ma manu) tantum « Mag. Dionysius, August. ». Iste idem esse videtur atque supra allatus, et fuit an. 1375 actu regens Augustin. — 9. An 1374 (1375) licent. e *Catal. licent.* An. 1375 fuit actu regens Ord. Min. — 10 In *Chartul*, II, 632, vocatur « de Lanus ». Vid. p. 636, not. 2, et supra nº 1265. Launoius, *Navarr. gymn. hist.*, p. 896, scribit « Laginius ». — 11. Ms. « Dampno-Martino » (Dammartin), qui an 1384 nominatus est episc. Eugubin., de quo jam supra nº 1287, not. 1, ubi in Reg. Vat. clare « de Dompno-Martino » (Dommartin) — 12. I. e. e monast Regalismontis, Belvac. dioec., et vocatur Jossiaume. Licent. est e *Catal licent.* an. 1374 (1375). An. 1379, post Maii mens. circiter, factus est abbas de Eleemosyna Carnot (Blesens.) dioec. Deest provisio in Arch. Vat — 13. Seu « Lambale », licent. an. 1374. — 14. Cum esset subsacrista S. Martini de Campis, an. 1384, Jun. 1, fit abbas S. Maglorii post obit. Britii (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXXIII, f 419). — 15. Seu Mercerius, licent. an. 1374 (1375), de quo jam supra nº 1265. — 16. Sic in orig. — 17. Si haec vera sunt, Ludovicus Bavarus ipse Johannem de Janduno ut episcopum Ferrariensem, ita etiam magistrum in theol. creavit, nam instrumentum, quo eum episc. Ferrar. facit, inscribitur « Ludovicus . .. venerabili viro mag. Johanni de Genduno, Remens. dyoc., sacre theologiae doctori » (Arch. Cast S Angeli, arm. XV, caps. 6, nº 51. Vid. *Chart. Univers.*, II, p. 718 add ad p. 186).

1407. *Juramentum et praestatio satisdationis unius e quatuor superioribus librariis Universitatis Paris.*

1376, Januarii 21, Parisiis.

Universis presentes literas inspecturis officialis curie Parisiensis, salutem in Domino. Notum facimus quod coram nobis Herveo Saillanant et Johanne Conversi, clericis notariis nostris juratis, propter hoc personaliter constitutus Petrus de Porta clericus Parisiensis et auctoritate apostolica et imperiali notarius, commorans in magno vico S. Jacobi Parisius, stacionarius juratus, et unus de quatuor librariis superioribus[1] juratis ab Universitate Parisiensi quoad taxandum, cognoscendum et appreciandum libros magistrorum et scolarium cujuslibet facultatis, quocienscumque a dicta Universitate vel aliquo ab eadem seu a quocumque alio requisiti fuerint, deputatis, volens et cupiens[2] sub protectione matris sue Universitatis predicte vivere et officium librarie, stacionarie, et officium predictorum quatuor librariorum superiorum juratorum bene et fideliter in villa Parisiensi gerere, nolens nec intendens aliquem magistrum seu scolarem per culpam et factum ipsius dampnum aliquod incurrere, nec eciam detrimentum, nec quod magistri seu scolares dicte Uni-

versitatis per amissionem, celacionem vel taxacionem seu appreciacionem librorum suorum ab ipsis eidem traditorum vel per eum cum aliis juratis taxatorum, per culpam vel dolum ipsius defraudarentur vel in aliquo lederentur, ut dicebat : promisit[3] coram nobis per ipsius juramentum, quod dictum officium stacionarie et librarie in villa Parisiensi bene et fideliter et solicite faciet et exercebit, et libros appreciandos fideliter appreciabit et taxabit secundum quod justicia suadebit, et omnia alia dicto officio annexa seu pertinencia fideliter faciet pro posse suo, secundum quod hactenus in talibus est fieri consuetum. Pro quibus omnibus et singulis adimplendis et eciam observandis dictus Petrus de Porta obligavit omnia bona sua heredumque suorum mobilia et immobilia, presencia et futura. Et cum hoc Johannes de Porta[4], ejus pater Parisiensis burgensis, Michael Godofredi pelliparius ejus cognatus, commorans in vico dicto des Gravelliers, Johannes d'Acy illuminator librorum, commorans in vico novo Nostre Domine, et Tatino de Ciure freppario, commorans in Quadruvio S. Severini Paris., coram nobis notariis juratis propter hoc personaliter constituti, pro premissis omnibus et eorum quolibet tenendis et observandis, obligaverunt se coram nobis notariis ac juratis predictis, fide data in manibus nostris in plegiis et fidejussoribus, pro dicto Petro usque ad summam ducentarum librarum paris., obligantes eciam omnia bona sua heredumque suorum mobilia et immobilia, presencia et futura, usque ad predictam summam peccunie pro dicto Petro reddendam, et si necesse fuerit, persolvendum. Et quoad hoc supposuerunt se jurisdictioni curie Parisiensis, ubicumque se duxerint transferendos; renunciantes in hoc facto omni exceptioni doli, mali, fraudis, lesionis, accioni et omnibus aliis exceptionibus, defensionibus et cavillacionibus quibuscumque, que contra premissa dici possent vel opponi. In cujus rei testimonium sigillum curie Parisiensis presentibus literis duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, xxj die mensis Januarii.

H. SAYLLANANT. J. CONVERSI.

Arch. nat. Paris. M. 68, nº 51. Pertinebat ad Arch. Univers. D. 18. oo. — Sub eadem forma an. 1377, Octob. 21, juravit mag. Guidomarus Senis (non « de Sienne[5] »), qui fuit mag. artium et notarius, de quo jam supra (M 68, nº 53, *Actes concernans le pouvoir et la direction de l'Université de Paris sur les escrivains*, etc., p. 14; Bul., IV, 449; Kirchhoff, *die Handschriftenhändler des Mittelalters*, p. 177). Antea, an 1371, Martii 10, Henricus Luillier (Olearii) coram praeposito Paris. se obligavit, qui « de nouvel » institutus est in unum librariorum quatuor principalium, et pro ipso librarii Robertus l'Escurier et Radulphus d'Orliens 200 libr. fidejusserunt (ibid., nº 46; *Actes concernans*, etc., p. 13; Bul., IV, 435; Kirchhoff, p 176; P. Delalain, p. 50, nº XIV). Ad an. 1384, Decemb. 14, notatur librarius principalis Guillelmus Guenon (nº 67, de quo jam supra nº 1336), ad an. 1389, Sept 13, Robertus l'Escurier (nº 82) — De aliis librariis vid. supra n^is 1336 et 1346.

1. Vid. de ipsis *Chartul.*, II, p. 191, 532, ubi vocantur « quatuor principales librarii ». — 2. Orig. : « concedens » Corr. e M. 68, nº 53. — 3. Orig. add. « quod ». — 4. Librarius etiam fuit, ejusdemque mentio fit in *Lib. procur. nat. Anglic.* ad an. 1359, Febr. 14 (vid. *Auctar. Chartul*, I). — 5. Guidomarus fuit francigena, dioec. Corisopit. (vid. supra p. 130, Turon.). « Senis » significat « *Vieux* », ut etiam scribitur : « Guymart le *Viel*, autrement dit Senil, » qui perperam a Guidomaro Senis distinguebatur.

1408. *Gregorius XI (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Johanni de Montesono, Ord. Praed., qui in diversis locis dicti Ordinis multis annis et temporibus theologiam legit, et ad legendas Sententias in studio Oxoniensi Lincoln. dioec., et exinde gradum magisterii assumendum in Capitulo generali*[1] *dicti Ord. per magistrum*[2] *Ordinis deputatus est, certis ex causis vero ad Angliam accedere non sit ausus*[3] *desideretque Parisiis hoc facere, ad legendum librum Sententiarum in aestate post proxime futuram vel alia subsequenti post illam in scholis praefati Ordinis locum assignet et deinde magisterii honorem et docendi licentiam largiatur.* Dat. Avinione iij non. Aprilis, anno sexto. « Viri sacre ».

1376, Aprilis 3, Avenione.

Reg Vat. Gregorii XI, n° 287, fol. 9. — Licentiatus est an. 1386 (e *Catal licent.* in Bibl. nat. mss. lat. 5657ª et 12850) secundum stilum Gallicanum, i e. an. 1387 (verisimiliter ante Purificationem vel in Quadragesima), nam hoc anno, et quidem in medio anno, in Universitate Paris. contentio et inquisitio contra ipsum incipiebat propter propositiones in suis *vesperiis* et *in prima lectione magistrali* enuntiatas, quod ediscimus e tractatu Petri Ailliaci (vid. infra), e monacho San-Dionysiano in *Chronique du religieux de Saint-Denys*, ed. Bellaguet, I, 490, e prima Vita Clementis VII (apud Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 521), ubi scribitur Johannem de Montesono « noviter magistratum » suas propositiones asseruisse, et ex epistola Georgii de Rain, mag. Paris., ad quemdam in Universitate Vindobon. (vid. ad an. 1389, post Martii 25), ubi asseritur : « in vesperiis suis ». Iste magister causa fuit, cur Praedicatores per 15-16 annos « via quadam indirecta » ab Universitate exclusi essent, ut loquitur Gerson, *Opp.*, ed Dupin, I, 112, de quo infra *Processus contra Johannem de Montesono.* De scriptis ejusdem vid. Quétif-Echard, *Script.*, I, 692.

1. Utique in Capitulo an. 1374 Florentiae celebrato — 2. Eliam Raymundi Tolosanum — 3. Vid. Wood, *Hist. Univers Oxon.*, I, 185.

1409. *Assignationes baccalareorum Ord. Praed. pro lectura in studio Paris.*

1376, circa Junii 1, Bituricis.

Assignamus ad legendum Sententias Parisius pro anno presenti fratrem Johannem de Castro Theodorici[1] de provincia Francie, cui substituimus fratrem Johannem Balbini de eadem provincia.

Et quantum nostra interest, pro primo anno extraneis debito post illum qui nunc legit, quantum nostra interest, assignamus ad legendum Sententias ibidem fratrem Geraldum de Burens de provincia Saxonie; pro secundo vero similiter extraneis debito, assignamus ibidem ad legendum Sententias fratrem Gotfredum[2] de provincia Theutonie[3]; pro tercio vero modo consimili extraneis debito, quantum nostra interest, assignamus ibidem ad legendum Sententias fratrem Arnulfum de Lasteria[4] de provincia Tholosana, et in casu quo aliquem de duobus predictis in primo loco assignatis contingeret impediri, eidem substituimus pro eodem anno prefatum fratrem Arnulfum, quem eis de presenti pro studente honorario ibidem assignamus cum gratiis et privilegiis bacallariis ibidem fieri consuetis.

Ad legendum Bibliam post illum qui nunc actu legit, assignamus fratrem Guilermum de Roseriis[5] de provincia Francie

Fragmenta Capp. general. Ord. Praed. (e cod. olim in conventu Barcinon. conservato transsumpta) ad Ord. Praed. pertinentia.

1. Licent. an. 1379, e *Catal. licent.* in Bibl. nat. Paris. (mss. lat. 5657ª et 12850). — 2. Ms. addit « iis pro letri »,

nomen corruptum. — 3. Ms. « thetonie ». Sed vid. infra nº 1416 — 4. Ms. « de Sastria » Vid. infra ad an. 1380. Significatur « Lasteyrie » (Cantal, vel Corrèze). Ipse in *Catal. licent.* inter licentiatos an. 1381 affertur ut « Arnoldus Lastria, Pred. ». — 5. Per duos annos Parisiis Bibliam legit, et postmodum in duobus Capitulis generalibus ad legendas Sententias ordinarie ibidem erat deputatus (an 1378 et 1380; vid. infra), sed Parisios accedere propter infirmitatem non potuit, et Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario injunxit, ut eum an. 1383 in alia e scholis conventus ad legendas Sententias « estivaliter » admitteret et postea licentiaret (Reg. Aven. Clem. VII, vol XXX, f. 277[b], an 1382, Dec 5. « Illis qui »). An. 1383, Novemb. 6, jam duos primos libros perlegit, et Clemens eidem cancellario injungit, ut eum admittat ad legendos ultimos libros « tempore Ordinarii studii, quod terminatur in vigilia apost. Petri et Pauli; ita ut tot lectiones tali Ordinarii tempore legere valeat, quot estivaliter legeret, si lecturam Sententiarum estivalium in estate sequenti continuaret », et postea praesentari debet ad magisterium (ibid., vol XXXII, f. 351[b] « Sicut debetur »). An 1384, Aug. 19, Clemens iterum cancellario mandatum misit, ut Guillelmo « non expectata rigorosa baccalariorum theol. facult. expeditione, que de biennio in biennium more Paris. studii fieri consuevit », licentiae gradum largiatur (ibid., f. 504). In *Catal. licent.* inter licentiatos an 1386 (1387) tantum affertur Revera an. 1385 adhuc baccalareus fuit, ut apparet infra e *Processu contra cancell.*

1410. *Gregorius XI ad episcopum Paris., ut inquirat de facto Guillelmi Boudreville, officialis Paris., contra Guichardum scholarem Paris.*

1376, Septembris 3, Avenione.

Venerabili fratri episcopo Parisiensi[1] salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Guillermi Boudreville[2], officialis Parisiensis, petitio continebat quod olim ad audientiam dicti officialis fama publica referente deducto, quod dilectus filius Guichardus Meraudi, scolasticus ecclesie Noviomensis, omicidii et raptus et nonnulla alia crimina et excessus etiam expressa in civitate et diocesi Parisiensi commiserat, idem officialis habens super inquirendis, corrigendis et puniendis excessibus subditorum tuorum specialem a te potestatem, ac volens contra eundem Guichardum super premissis ex officio inquirere, dictum Guichardum in dicta civitate repertum (cum de fuga timeretur ipsius) capi fecit et carceribus mancipari; quodque cum dilecti filii Universitas studii Parisiensis asserentes quod idem Guichardus scolaris dicti studii existebat et quod vigore privilegiorum eis a sede apostolica indultorum (de quibus nullam fidem faciebant) dictus Guichardus eis reddi debebat, prefatum officialem requiri fecissent ut ipsis eundem Guichardum redderet, idemque officialis eisdem Universitati gratiose respondisset quod si ipsi aliquod privilegium super premissis haberent, quin statutis dicti studii obviaret (cum secundum eadem statuta dictus Guichardus, qui adeo gravia commiserat, eis reddi non deberet), illud idem officialis servaret libenter : prefati Universitas eundem officialem, licet de dicta Universitate juratus non esset, tanquam juratum dicte Universitatis a communitate ipsius Universitatis de facto privaverunt ac perjurum et infamem in scolis, sermonibus, ecclesiis et locis publicis, etiam in sede sua Parisiensi, nunciaverunt, propter que prefatus officialis sentiens exinde indebite se gravari, pluries ad sedem apostolicam appellavit, et ad prosequendum appellationes suas hujusmodi ad predictam sedem accessit. Sed postmodum dicti Universitas, etiam spretis hujusmodi responsione et appellationibus, contra dictum officialem etiam absentem ipsum excommunicatum de facto nuntiando et alias diffamando inique processerunt; et demum, quia tu pro parte ipsorum requisitus dictum Guichardum

eis reddere denegasti, a lectionibus suis et aliis actibus scolasticis, prout asseritur, proposuerunt et decreverunt cessare.

Nos igitur, nolentes quod crimina et excessus hujusmodi dicti Guichardi premissorum pretextu diu maneant inpunita, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus legitimis per dictum officialem et alios in hujusmodi inquisitionis negotio habitis [et] servatis processibus, in eodem inquisitionis negotio summarie et de plano ac sine strepitu et figura judicii, prout justum fuerit, auctoritate nostra procedas. Et si per hujusmodi inquisitionem ipsum Guichardum culpabilem reppereris in premissis vel aliquo premissorum, ipsum punias secundum canonicas sanctiones. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo[3]. Non obstantibus, *etc.* Dat. Avinione iij non. Septembris, pontificatus nostri anno sexto.

Reg. Vat. Gregorii XI, nº 288, fol. 326.

1. Aymerico. — 2 An. 1371, Jan. 27, bacc. in decret., Parisiis decretales actu legit, et quidem in secundo anno suae lecturae, per tres annos jura civilia, per quinque jura can. audivit (Reg. Aven. Greg. XI, vol. VII, f 485), si idem est ac qui supra. Vid etiam infra rotulum an 1378-1379. Postea can. Paris. In Reg. Aven Clementis VII, vol. XXXIV (f. 120 sqq). XXXVIII (f. 1 sqq.), ann. 1384 et 1385, exstant plures epp., quibus Guillelmo de Boudrevilla, lic. in decr., providetur ut nuntio apost. et collectori in Hispania et Portugallia. — 3 Sed episcopus partes sui officialis tenuit, iratusque contra Universitatem interdixerat conservatori privilegiorum, ne curiam exerceret. De quo vid. infra ad an. 1378, Octob. 10, nº 1419.

1411. *Guillelmus de Gardino rector Universitatis electus.*

1376, Junii 23-Octobris 10 circiter.

Anno Domini 1376, in vigilia sancti Johannis Baptiste, fuit magister Guilhelmus de Gardino[1] electus in rectorem Universitatis Paris. nationis Normannie. In cujus rectoria fuit privatus[2] Guilhelmus de Boud[r]eville se gerens pro tunc officialem Parisiensem, propter demerita ipsius.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol 149 b. — Bulaeus, IV, 447

1. De nat. Normann « Guillelmus du Jardin, alias de Jardino », e *Catal. licent* in Bibl. nat. licent est in theol. an. 1386 (1387). — 2. I. e. privatus ab Universitate, exclusus ab ipsa Vid. causam hujus poenae in documento praecedenti quod fugit Bulaeum, scribentem IV, 959 « quam ob causam privatus fuerit, reperire non potui »

1412. *Gregorius XI ad Jacobum Divitis, decanum, Johannem de Calore, cancellarium Paris., et officialem Paris., ut abbatem S. Petri Gandens. compellant Johanni de Atrio pensionem solvere.*

1377, Martii 7, Romae.

Dilectis filiis decano et cancellario ecclesie Parisiensis ac officiali Tornacensi salutem, etc. Que laudabili, *etc.* Dudum siquidem fe. rec. Benedictus papa XII predecessor noster in constitutionibus et ordinationibus, quas super reformatione status monachorum

nigrorum edidit, inter alia statuit[1], *etc.* Nuper autem pro parte dilecti filii Johannis de Atrio, monachi nigri monasterii sancti Petri Gandensis, Ord. S. Ben. Tornac. dioc., bacall. in decretis, nobis exhibita petitio continebat quod licet olim ipse ad studium in facultate canonum per quondam Johannem[2] abbatem dicti monasterii (ad quem pertinebat electio monachorum ejusdem monasterii ad generalia et solemnia studia mittendorum juxta ipsarum constitutionum tenorem) electus ad studendum in dicta facultate canonum et ad generale studium Parisiense destinatus fuisset, ipseque in eodem studio in facultate predicta studendo per plures annos commoratus fuerit, et in eo *bacallariatus gradum* receperit, et in tercio anno legendi in eadem facultate jam extiterat: tamen idem Johannes dubitat[3], per dilectum filium Balduinum[4] abbatem dicti monasterii ejusdem Johannis immediatum successorem ab eodem studio revocari et pensionem sibi debitam . .. sine qua non haberet de quo lecturam hujusmodi sic inceptam continuare ac doctoratus gradum recipere valeret in facultate predicta, sibi subtrahi et indebite denegari, quamvis abbas ejusdem monasterii existens pro tempore duos monachos ejusdem monasterii aliquandiu consueverit tenere in eodem studio Parisiensi ac eos de condecenti pensione juxta tenorem constitutionum ipsarum providere, et nullum alium ibidem teneat de presenti, licet monasterium ipsum locuplex et opulentum existat. Nos igitur .... discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, quatinus si est ita, eundem Balduinum abbatem et dilectos filios conventum ejusdem monasterii et omnes alios et singulos, quibus solutio hujusmodi pensionum imminet facienda, ad satisfaciendum eidem Johanni vel ejus procuratori .. . compellatis. Non obstante, *etc.* Dat. Rome apud Sanctum Petrum non. Martii, anno septimo.

Reg Vat. Aven. Gregorii XI, vol. XXIX, fol. 264 b

1. Scilicet in Statutis an. 1336, de eligendo uno apto de quolibet vicenario ad studium, et providendo, in *Chartul.* II, nº 1002, p. 463. — 2. Pitthem, abbatem ab an. 1337. Vid. *Gall. christ.*, V, 203. — 3. Potius « timet ». — 4. De Grutere, abbatem ab an. 1376, April. 2, cum esset prius praepositus monast. (Reg. Vat. Greg. XI, nº 289, f. 68).

1413. *Deliberatio Universitatis Paris. et nat. Picard. de contributione pro facto communi Universitatis.*

1377, Maii 4, Parisiis.

Anno Domini 1377, die lune, 4 Maii, congregatione celebrata apud S. Maturinum more solito, per rectorem[1] fuit positum in deliberatione quod pro facto communi Universitatis, videlicet pro advocato, procuratore et aliis in curia, quelibet natio daret decem francos. Quod fuit concessum concorditer. Presentes erant magistri Jo[hannes] de Beka, locumtenens procuratoris[2], Ja[cobus] de Serra, Jo[hannes] de Augia, Alnoldus de Emelisse, Jo[hannes] de Chyniaco et plures alii.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 12847 (apograph. rec.), fol. 401; 12849, fol 82.

1. Hervaeum Sulven. — 2. Nat. Picardorum.

1414. *Adam dictus Aghathe, mag. Paris., testatur se recepisse a rectore Universit. quasdam res pertinentes ad Andream de Florentia, decret. doctorem.*

1377, Maii 16, Parisiis.

Noverint universi presentes litteras inspecturi quod coram nobis, officiali Paris., propter hoc personaliter constitutus vir discretus et honestus magister Adam dictus Aghathe magister in artibus, studens Parisius in facultate decretorum, procurator et procuratorio nomine venerabilis et discreti viri magistri Andree de Florencia[1], decretorum doctoris, Attrebatensis et Beate Marie Andwerpiensis ecclesiarum canonici, per litteras procuratoris sigillo curie Attrebatensis, ut prima facie apparebat, sigillatas coram nobis judicialiter exhibitas et ostensas, recognovit et confessus fuit nomine procuratorio predicto, se habuisse et recepisse a venerabilibus et circomspectis viris magistris Herveo Sulven[2], rectore Universitatis Paris., et quatuor procuratoribus ejusdem Universitatis ea que secuntur :

Et primo unam capam doctoralem rubeam[3] de scallato foderatam de muritis[4] variis, duos libros de papira coopertos de corio clausos cum quibusdam latis corrigiis; item duos alios parvos libros coopertos de pergameno et scriptos italice, que omnia idem magister Andreas posuerat in depositum seu custodiam penes magistrum Michaelem Damerée, tempore quo vivebat. De quibus omnibus supradictis predictus magister Adam nomine quo supra dictos dominum rectorem et procuratores quittavit et quittos clamavit, necnon omnes alios ad quos quictencia de premissis pertinet seu pertinere potest, vel quomodolibet pertinere poterit in futurum; ac eciam promisit et promittit per fidem suam nomine quo supra et sub obligacione omnium bonorum dicti magistri sui ipsos dominos rectorem et procuratorem de premissis garentizare adversus et contra omnes et ipsos indampnes servare. In cujus rei testimonium sigillum curie nostre Paris. presentibus litteris duximus apponendum in testimonium premissorum. Datum anno Domini millesimo CCC° septuagesimo septimo, die sabbati in vigilia festi Penthecoustes ejusdem Domini.

A. DE SANCTO AMANDO.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 68, n° 52. Pertinebat ad Arch. Univ. (D. 18. hh). Appendet taeniolum membr., avulso sigillo.

1. Infra in Rotulo decret. an. 1378-1379 vocatur « de Malpillis ». — 2. Fuit nat. Gallic. in domo Navarrae, determinavit in art. an. 1365; proc. nat. an. 1368, Octob. 16 (Bul., IV. 963); licent. in theol. an. 1382 (1383), Januar. 7, e *Catal. licent.* Vid. de ipso Launoium, *Nav. gymn. hist.*, p. 898. — 3. Doctor decretum legere non potuit sine cappa rubea. Vid. *Chartul*, II, 465, et not 3. — 4 Seu « muretis ». Vid. Ducange-Henschel, IV, 582.

1415. *Ulricus de Constantia, rector Universitatis electus.*

1377, Junii 23-Octobris 10, Parisiis.

Anno Domini 1377, die xxiij Junii, videlicet in vigilia beati Johannis Baptiste, facta congregatione facultatis more solito apud S. Julianum Pauperem ad eligendum novum

rectorem per venerabilem et discretum virum magistrum Herveum Sulven[1], fuit electus in rectorem Universitatis magister Ulricus de Constancia[2] in Almannia nationis Anglice, qui multa habuit agere super impositionibus et super tractatu pacis et concordie inter episcopum Parisiensem et ejus officialem et Universitatem[3].

Mus. Britan. ms. add. 17304, fol. 146b. — Bulaeus, IV, 449.

1. Ms. : « Silven », de quo supra nº 1414. Rector a Martii 24. — 2. Vid. infra p. 269. — 3. Anno sequenti solum pax facta est et concordia. Vid. ad num 1419.

1416. *Assignationes baccalareorum Ord. Praed. pro lectura in studio Paris.*

1378, circa Junii 6, Carcassonae.

Assignamus ad legendum Sententias Parisius pro anno presenti fratrem Johannem Balbini[1] de provincia Francie, cui substituimus frat. Nicholaum Vitalis[2] de eadem provincia..... Pro primo anno extraneis debito post ipsum, qui nunc legit, assignamus ad legendum Sententias fr. Goufredum ....[3] de provincia Theutonie, pro secundo vero anno extraneis similiter debito assignamus ad legendum Sententias quantum nostra interest fr. Arnulfum de Lesteria[4], de provincia Tholosana.

Ad legendum Bibliam ibidem post istum qui nunc legit actu quantum nostra interest [assignamus] fr. Oliva[riu]m[5], et post dictum fr. Oliva[riu]m, quantum nostra interest, fr. Johannem Ade[6].

Fragmenta Capp. gener. Ord. Praed. (e cod. olim in conventu Barcinon. conservato transsumpto) ad Ord. Praed. pertinentia.

1. Ms. · « Baldonens. ». — 2. Eumdem ac Nicolaum Vales (de Valle) in *Catal. licent.*, licent. an. 1382 (1383). — 3. Ms. : « biscolim, de prov. Tholosana ». Vid. supra nº 1409. Minime Gaufridus de S. Martino (de quo infra ad an. 1389). — 4. De quo jam supra nº 1409. — 5. Olivarium Maillard, qui an. 1386 (1387) licentiatus est e *Catal. licent.*, et utique idem est atque Oliverius Went seu Woant, Vent (de quo infra), qui an. 1393 provincialis prov. Franciae factus est. — 6. An. 1380 deputabatur pro an. 1381 ad legendam Bibliam (vid. infra). Nihilominus obtinuit a Clemente VII epistolam ad cancellarium directam an. 1380, Jul. 1, ut in hieme anni 1381-1382 Sententias in secunda schola conventus legere et postea promoveri posset (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XX, f. 339b). Revera eodem anno « quo legit librum Sententiarum » licentiatus est, « quod est bene absurdum in dicto studio », ut dicit, in *Processu contra cancell.* Johannem Blanchart, mag. Guillelmus de Gardino (vid. infra nº 1513, test. 1). In *Catal. licent.* inter licentiatos an. 1382 (1383) affertur. An. 1385, Jun. 3, a Clemente VII obtinet, ne a conventu Paris amoveri possit, quamvis ad conventum Pruvinensem pertineat (Reg. Vat. Clem. VII, nº 296, f. 92). De ipso infra ad an. 1389.

1417. *Walterus de Delf testatur se recepisse quamdam summam pro Henrico de Thenis ad Curiam misso.*

1378, Junii 7, Parisiis.

Ego Walterus de Delf, procurator magistri Henrici de Thenis[1] ad recipiendum et quittandum debita, etc., confiteor recepisse a venerabili et discreto viro mag. Johanne

Cherton decano facultatis medicine, pro et nomine dicte facultatis, summam quinquagentorum francorum regalium debitorum predicto mag. Henrico occasione certe legationis si (*sic*). In cujus rei testimonium hanc cedulam propria manu scripsi presentibus venerabilibus et discretis viris magistris Thoma de Voyenna[2] et Johanne de Marla. Datum die septima mensis Junii, anni septuagentesimi (*sic*) octavi.

Arch. nat. Paris. MM. 266, p. 168^b — Walterus de Delf, nat. Anglic., an. 1376 licentiatus est in medic. Vid. *Auctar. Chart.*, I, 489, 40.

1. An. 1368 factus est mag. artium (vid. *Lib. proc. nat. Angl.* in *Auct. Chart.*, I); an 1371, Januar. 27, dioec. Traject. cler., per tres annos in theol. studuit (Reg. Av. Greg. XI, vol. IX, fol. 236). Sed eodem tempore medicinae studuit in eaque licentiatus est. Vid. supra nº 1396. An. 1378 cum Marsilio de Inghen in curia Rom. morabatur, de quo vid. *Lib. procurat. nat Anglic.* in *Auctar. Chartul. Univers.*, I, et infra *De Schismate*, an. 1378, Jul. 27. In *Lib. proc. nat. Anglic.* semel « Heinricus de Athenis » scribitur « Thenis » hodie « Tienen », e prov. Brabantiae — 2. De isto et sequente vid. n^{um} 1432

1418. *Clemens VII (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Radulpho de Bonavilla, Ord. Praedicat., capellano papae, qui in studio Parisiensi lecturam Sententiarum explevit in theologiae facultate, ab olim hujusmodi scientiae insistens studio, docendi, legendi et regendi ubique in facultate praedicta plenam et liberam licentiam publicam tribuat necnon honorem magisterii suscipiendi in praefato Parisiensi studio.* Datum Fundis iiij id. Decembris, pontificatus nostri anno primo. « Sedis apostolice ».

1378, Decembris 10, Fundis.

Reg. Vat. Clement. VII, nº 291, fol. 84. — In *Catal. licent.* legitur ad an. 1378 · « qui fuerat licentiatus per bullam, donatus est laurea magisterii die S. Eligii », i. e. Decemb. 1, quod cum nota temporis bullae non concordat. — Post Nicolaum de S. Saturnino in card. creatum (1378, Dec. 16), videtur factus fuisse magister scholarum palatii apost. Avenion. (deest apud Quétif-Echard, *Script.*, etc., I, p xxi), saltem an. 1385 et an. 1386, Februar., ut mag. s. palatii occurrit (Arch. Vat. *Intr. et exit.*, nº 360, f. 50^b, 78; nº 361, f. 95 sqq.) Eodem anno 1386, Martii 28, factus est episcopus Vasionens. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XLI, f. 63^b). Erratur in *Gall. christ.*, I, 932.

1419. *Electio rectoris Universitatis. De rotulo ad Urbanum VI misso. Pax inter Universitatem et episcopum ejusque officialem.*

1378, Octobris 10-Decemb. 16, Parisiis.

Anno Domini 1378, in crastino S. Dyonisii, fuit electus concorditer via Spiritus Sancti in rectorem Franciscus de S. Michaele[1] pro secunda vice, scilicet anno denario revoluto a prima sua electione.

In cujus rectoria fuerunt multa alias inaudita, de controversia scilicet duorum, quorum se quilibet dicebat summum pontificem. Nova electio domini Clementis septimi. Nec habuit rotulum propter discordiam rotuli facti in rectoria Pasche mittendi ad Urbanum sextum, ut pretendebat rector paschalis[2]. Item rex scripsit Universitati super discordia duorum rectorum, sed Universitas nichil curavit.

Item tunc fuit pax facta inter Universitatem de una parte, et episcopum et ejus officialem Paris. de altera parte[3] et ad arbitrium regis, quia voluit, et nomine suo pacem fecit Universitas, quam [alias] non factura erat.

Item reaperta fuit curia conservatoris que fuerat clausa fere per annum cum dampno Universitatis, et aperta fuit cum utilitate ejus.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 147b — Bulaeus, IV, 480. — Urbanus VI electus est April. 8; Clemens VII, Sept. 20.

1. Ms. et Bul. : « d'Estele ». Franciscus de S. Michaele an. 1368 primum rector fuit. Vid. num 1348. — 2. Guillelmus Gorien, nat. Normann., rector Martii 24-Junii 23. Certum est Universitatem Paris. post mortem Gregorii XI (Martii 27) rotulum destinasse « ad papam creandum », et rotulum conclusum esse eodem an. 1378, April. 17 (vid. *Lib. proc nat. Anglic.* in *Auct. Chartul. Univers.*, I, ad h. an.), ut mitteretur ad Urbanum VI. In *Inventar. nat. Picard.* an. 1382, Octob. 6. (vid. num 1470), mentio fit rotuli Picard. « facti immediate post mortem Gregorii XI ». Iste rotulus tamen non signatus est, cum minime ad curiam pervenerit. Nuntii an. 1378, Junii 12, adhuc Parisiis manserunt (vid. *Lib. proc. nat. Anglic.* ad h. an.), sed utique non multo post profecti sunt, et quidem Avenionem, quamvis Urbanus VI Romae vel in partibus vicinis moraretur. Cum Avenione frustra papam Avenionem reversurum exspectassent, nuntii dissociati sunt. Aliqui Romam profecti sunt, ut Guillelmus de Oesterzeele, nuntius fac. med. (vid. infra *De Schismate* ad an. 1378, Jul. 27); alii Parisios non multo post iter arripuerunt, ut Gerardus de Kalkar, nuntius nation. Anglic., qui jam Septemb. 30 in congregatione apparuit (vid. *Lib. proc. nat. Angl.*); alii versus fines Italiae iverunt, ut nuntius nat. Picard., Arnoldus de Emelisse, qui ad an. 1379, Sept. 7 (vid. no 1424), narrat, se cum aliis nuntiis Parisios de *Nicia* et Avenione rediisse, et Johannes Danton senior, bed. nat. Gallic., qui in rotulo infra edito narrat, se « pro presenti rotulo » cum aliis nuntiis *ante* electionem Clementis VII missum fuisse, et stetisse et exspectasse per quinque menses circiter *Niciae*, *Massiliae* et *Avenione;* sed cum rotulum *Clementi VII* praesentare non potuisset, Parisios rediisse (vid. p. 258). Certe Johannes Danton senior, quem an. 1379, Maii, Parisiis videmus (vid. infra *De Schismate*), non fuit in istis civitatibus cum Clemente VII, qui an. 1379 tantum, Maii 22, ex Italia recessit; Junii 1 Niciae morabatur, Junii 10-12 Massiliae, ubi ei Junii 10 (minime Jun. 25, ut Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 1252, 1269, scribit) cardinales Ebredun. et Nicolaus de S. Saturnino occurrerunt (Arch. Vat. Obl. no 43, fol. 56); Junii 20, Avenionem intravit (vid. Sauerland, *Hist. Jahrb*, XIII, 193), sed Johannes Danton, fortasse cum Arnoldo de Emelisse, versus fines Italiae ivit, ibique post electionem Clementis VII pro partibus hujus papae stetit, speravitque papam cito Italiam relicturum et in Franciam profecturum. Clementi VII tunc etiam Stephanus Galdeti adhaesit, qui nuntius theol. videtur fuisse (vid. infra no 1430). Notandum, duos istos *nationis Gallicanae* supposita fuisse, cujus rotulum Petrus de Ailliaco jam ante declarationem ab Universitate pro Clemente VII factam isti papae praesentavit (vid. *Introduct.* ad num 1428 et infra *De Schismate*). — 3. Vid. supra nis 1410, 1411.

1420. *Clemens VII Bertrando*[1]*. episcopo Ostiensi, ut Matthaeo de Crema, Ord. frat. Min., per Johannem Blanchardi*[2]*, decanum Leodiensem, familiarem, et Raymundum de Bona, Ord. Praed., confessorem papae, sacrae paginae magistros, examinato, docendi, legendi et regendi ubique in facultate praedicta plenam et liberam licentiam publicam tribuat, necnon honorem magisterii praedicti.* Dat. Fundis viij kal. Aprilis, anno primo. « Sacra theologia ».

1379, Martii 25, Fundis.

Reg. Vat. Clementis VII, no 291, fol. 113b. — An. 1380, Maii 19, jam magister, cum Bartholomeo de Padua, ejusd. Ord., a Clemente VII in Lombardiam missus est (Arch. Vat., *Introit. et Exit.*, no 352, f. 61b). Nescimus an sit iste Matthaeus de Agaciis, Ord. Min., mag. in theol, qui an. 1381, Decemb. 16, factus est episc. Bergomens. (Reg. Aven. Clement. VII, vol. XXIV, fol. 38). Deest apud Ughelli et Gams.

1. Bertrandus Augerii, Ord. Min, episcop. Glandatens, an. 1371, Jun. 8, card. S. Priscae, 1378 episc. Ostiens. (Contelori ex Arch Vat. Obl. no 45. f. 150). — 2. Postea cancellarium Paris.

1421. *Johannes de Beke rector Universitatis electus.*

1379, Junii 23, Parisiis.

Anno Domini 1379, in vigilia beati Johannis Baptiste, facultate artium congregata apud Sanctum Julianum Pauperem Parisius, advocata per venerabilem virum magistrum Johannem de Stralen[1], rectorem Universitatis Parisiens., ad eligendum novum rectorem more

solito juxta tenorem privilegiorum et statutorum electionem rectoris Universitatis predicte concernentium, electus fuit concorditer et pro secunda vice[2] in rectorem sepe dicte Universitatis magister Johannes de Beke Brabantinus existens, intrantibus magistris venerabilibus et circunspectis viris Lamberto de Marchia. Johanne de Wasia[3], Guilhelmo Amelline[4] et Philippo Pin[g][5], Gallicane, Picardie, Normannie et Anglicane nationum, qui onera rectorie acceptavit multum invite. In cujus rectoria que sunt acta continentur in registro seu papiro existente in prefate rectorie coufreto.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 144[b]. — Bulaeus, IV, 578.

1. Nat. Anglic., de quo in *Auctar. Chartul.*, I, p. 421, 20, etc.; rector Martii 24-Junii 23. — 2. Primo an. 1373, Martii 24. Vid. supra. — 3. Ms. et Bul. · « Wusia ». Corr. e Reg. Suppl. Clem. VII, an. 1, p. 6, fol. 241. Fuit dioec. Tornac. et Sorbon. atque an. 1379 baccal. formatus in theol. An. 1392, jam licentiatus, intitulatus est in Universit. Colon., an. 1393 rector, an. 1394 primus decanus facult. theol. Vid. Keussen, *Die Matrikel der Universität Köln*, I, p. 57, not. ad n[um] 21, et Bibl. nat. Paris. ms. N. a. l. 2165, fol. 1. — 4. Infra in rotulo n° 1433 (Normann.) · « Aimeline ». — 5. Ms. et Bul. : « Johanne Pin ». Sed in *Lib. proc. nat. Angl.* Philippus de Ping tantum invenitur. Vid. *Auctar. Chartul.*, I.

1422. *Decretum nat. Picard., quo magistris et scholaribus de Maclinia oriundis conceditur licentia sub sigillo nationis procuratores constituendi ad disponendum redditus cujusdam capellaniae ibidem fundatae.*

1379, Augusti 13, Parisiis.

Anno Domini 1379, mensis Augusti die 13, universitate magistrorum Parisius studentium et regentium in S. Maturino hora tertiarum congregata, et nationibus et facultatibus ad partem subtractis, ut moris est, ad super propositis per rectorem Universitatis predicte deliberandum; et natione Picardorum in suo loco consueto ad deliberandum substracta, supplicavit venerabilis et discretus vir mag. Rumoldus Weens[1] in dicta natione pro et nomine magistrorum et scolarium Parisius studentium oriundorum de Machlinia, ut ipsi magistri et scolares possent sub sigillo nationis predicte constituere unum vel plures certos procuratores, qui disponere haberent in Machlinia reditus certe capellanie fundate in dicta villa Machliniensi, cujus et quorum de more et consuetudine plena dispositio ad dictos magistros et scolares de Machlinia Parisius studentes noscitur pertinere. Et fuit illi in forma concessum concorditer et ab omnibus presentibus magistris Johanne de Beke, rectore Universitatis predicte pro tunc, Jacobo Juvenis, Johanne de Trelon, Johanne Bardoul[2], Richardo de Loos, Girardo de Oesterwiic[3], Roberto de Racourt, Arnoldo de Emelisse[4], Waltero Belle[5] et multis aliis.

Bulaeus, IV, 580, e *Lib. proc. nat. Picard.*

1. Bul. : « Rameldus Ubeens ». Corr. e Reg. Suppl. Clement. VII, an. 1, p. 6, fol. 241 (ad an. 1379) in rotulo Sorbon. Rumoldus fuit dioec. Camerac. et baccal. in theol. — 2. An. 1371, Januar. 28, jam per undecim annos rexit et adhuc regit domum collegii schol. cler. Morinens. de Becoud, et per idem tempus continue studuit in theol. (Reg. Av. Greg. XI, vol. VII, f. 374). Vid. infra rot. Picard. — 3. Bul. : « Restuunc ». Corr. e Reg. Suppl. Clem. VII cit., fol. 242[b], in rot. Sorbon., ubi cognominatur « Mathie », Leod. dioec., bacc. medic. — 4. An. 1375 confraternitatem cum magistris nat. Anglic. iniit. Vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 474, 43. — 5. Sorbonico, bacc. decret., ut apparet e rot. Sorbon. in not. 1 citato.

1423. *Clemens VII concedit Yvoni de Lamaderu, Ord. frat. b. Marie de Monte Carmeli, ut in proximis duabus aestatibus immediate sequentibus in civitate Paris. in loco Ord. b. Mariae de Monte Carmeli absque prejudicio cujuscumque libros Sententiarum tanquam baccalareus in theologia legere et omnes scholasticos et alios actus exercere libere ac licite valeat, cancellario Paris. mandans ut ipsum ad lecturam admittat.* Dat. Avinione ij non. Septembris, anno primo. « Illis libenter ».

1379, Septembris 4, Avenione.

Reg. Vat. Aven Clement. VII, vol. XI, fol. 127. — An 1382, Junii 4 (ij non. Jun. an. IV), Yvo de « Lamedem » jam baccalareus formatus fuit, « ac responsiones de ordinaria, vesperarum et aula complevit, et ad faciendum responsiones in domo scolarium de Sorbona Paris in estate immediate sequenti deputatus ». Si per cancellarii et saltem quatuor magistrorum theol. examinationem sufficiens repertus extiterit, « legendi et regendi ubique licentiam » hinc ad festum Nativit. seq. cancellarius ei largiatur. « Viri sacre » (Reg. Vat. Aven. Clem. VII, vol. XXV, fol. 267). Profecto in *Catal. licent.* (Bibl. nat. Paris. mss. lat. 5657[a], 12850) inter licent an. 1382 (« Yvo Medent ») annumeratur. Anno 1385, Novemb. 26, a Clemente VII licentiam obtinuit « certis ex causis de Ord. frat. b. Marie de Monte Carmeli ad Ord. S. Benedicti se transferendi » (Reg. Vat. Clem. VII, n° 297, fol. 40[b]). Vid. de eo intra pluries n[is] 1511 et 1513.

1424. *Deliberatio nat. Picard., ne procedatur a rectore ad sigillationem rotuli Universitatis ad Clementem VII mittendi quousque caput et articuli communes lecti fuerint.*

1379, Septembris 7, Parisiis.

Anno Domini 1379, mensis Septembris die 7, natione Picardorum sollenniter congregata in S. Juliano Paupere Parisius hora primarum Beate Marie super aliquibus tangentibus honorem nationis et super aliquibus requisitionibus factis matri mee nationi per venerabilem virum magistrum Arnoldum de Emelisse, etiam petivit procurator nationis predicte consilium, an vocatus per rectorem pro sigillatione rotuli Universitatis deberet cistam Universitatis cum clave pertinente ad predictam nationem aperire, et an ejus apertioni consentire tanquam procurator et representans nationem Picardorum predictam. Fuit deliberatum concorditer super 1° articulo (qui fuit, quod cum aliqui intellexerunt quod in capite rotuli Universitatis Paris. mittendi ad dominum Clementem expresse cavetur, quod rotulus ille fuit et est conclusus per unanimem, concordem et communem consensum totius Universitatis singularum facultatum et nationum[1], quod tamen non est verum, quia nunquam due nationes, scilicet predicta Picardorum et natio Anglicana, consenserunt in ipsius rotuli conclusione nec missione ad dictum dom. Clementem, qualiter vellent talibus factis et gestis in grande prejudicium nationis predicte et gravamen suppositorum ipsius obviare), fuit quoad istum articulum, ut prefertur, concorditer deliberatum, quod dominus rector requireretur ex parte nationis per procuratorem, quod nullo modo procederet nec permitteret quod procedatur ad rotuli predicti sigillationem, quousque caput et articuli communes ipsius essent lecti in plena Universitate ad hoc congregata et vocata, maxime cum hoc sit statutum Universitatis, quod nulle debent littere sigillo Universitatis sigillari, nisi prius lecte fuerint, ut prefertur. Etiam quod eodem modo requirere[n]tur rector et depu-

tati Universitatis simul congregati et[iam] per procuratorem sepedicte nationis cum protestatione quod si oppositum attentaretur, de appellando a gravamine per hoc nationi predicte et suppositis ipsius illato.

Super requisitionibus factis per predictum magistrum que tales sunt, quod cum alias ipse una cum aliis nunciis reversus fuerat de Nicia et Avenione, et in natione sepedicta ad hoc solenniter congregata supplicaverat, quatinus natio vellet ipsum et legationem suam habere gratum et commendatum, et illi fuit formaliter concessum, ut superius in presenti papyro scribitur : natio vellet illius concessionis illi litteras testimoniales sub sigillo nationis concedere.

Secundum fuit, quod cum natio nondum a dicta legatione revocaverat ipsum nec revocat, quod natio vellet illi sub sigillo suo litteras, quod non eum revocavit a dicta legatione nec revocat, testimoniales illius concedere, et fuit concorditer ab omnibus formaliter concessum, exceptis aliquibus, et paucis addentibus hoc scilicet quod antequam prefatas obtineret, nationem pecunie recepte a suppositis nationis pro legatione facienda in plena natione ad hoc congregata [indempnem] redderet, vel de hoc faciendo, cautionem idoneam nationi daret.

Super tertio puncto, scilicet pro consilio quod petivit procurator, consuluit illi natio quod attenta deliberatione nationis ipse non consentiret in rotuli sigillatione, vel quoad hoc in ciste apertione, imo quando vocatus esset, iret sine clavibus, munitus notario publico et testibus, protestando ex parte nationis de appellando a gravamine, et casu quo procederetur ad sere fractionem, [2]etiam a violentia per hoc facta nationi predicte et suppositis ipsius illata. Acta fuerunt hec omnia, ut preferuntur, presentibus venerabilibus viris magistris Johanne de Beke, rectore tunc Universitatis predicte (qui statim congregatione predicta finita requisitus fuit per procuratorem ex parte nationis predicte, ut non procedatur ad rotuli sigillationem), Johanne Rousse[3], Johanne de Ponte[4], in theologia baccalareis formatis, Roberto de Racourt[5], Johanne Walkier[6], Johanne de Monstreings (*sic*), Johanne Bardoul, Gerardo de Oesterwiic[7], Rumoldo Weens[8], Waltero de Belle, et pluribus aliis magistris.

Bulaeus, IV, 579, e *Lib. proc nat. Picard.*

1. Ut ex *Articulis communibus* infra rotulo Univers praefixis apparet, hoc initium postea mutatum est. — 2. Bul. add. : « et ». — 3. An. 1373, Nov., primum cursum fecit (Bibl. nat. Paris. ms. lat. 5657 a, fol. 8), an. 1375, Jun. 1, can. Morin , in theol. cursus suos complevit, et infra annum librum Sentent. legere proposuit (Reg. Av. Greg. XI, vol. XXVI, f. 339). An. 1379 « Johannes Rusci (ms. . « Rusti »), cardinalitius » licent. est in theol. e *Catal. licent.* In *Chronique du religieux de Saint-Denys,* I, 86, ad an. 1381 « Johannes Rouce, de Abbatisvilla, in Collegio cardin. Monachi » vocatur excellentissimus in theol. professor. An. 1375 in collegio praedicto prior fuit. Circa idem tempus (an. 1365) Johannes Rusche nat. Anglic. in artibus determinavit (vid *Auctar. Chartul.*, I). — 4. Bul. . « Ponse ». Sed quandonam in theol. licentiatus est? Certe in theol. studuit. Vid. supra nº 1384, not. 8. — 5. Bul. « Raincourt ». — 6. Bul. . « Walrier ». — 7. Bul. · « Ostllye ». Vid. supra nº 1422, not. 3. — 8. Bul « Ubeens ». Vid. ibid., not. 1.

1425. *Johannes de Roncuria, rector Universitatis electus.*

1379, Octobris 10, Parisiis.

Anno Domini 1379, die x Octobris, electus fuit in rectorem Universitatis Paris. mag. Johannes de Roncuria, Tullens. dioc., et hoc pro secunda vice[1]. In cujus rectoria que facta sunt, in papiro continentur.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol 145.

1. Primum an. 1373, Oct. 10.

1426. « *Rotulus nunciorum Universitatis Parisiensis.* »

Vid. ad sequentia introductionem ad num 1428, nam rotulus nuntiorum intime cohaeret cum rotulo Universitatis.

1378, Novemb. 14-1379, Octob. 28.

Iste sunt supplicationes nunciorum Universitatis Parisiensis qui humiliter vestre sanctitati supplicant quatinus ipsas dignemini signare sicut sunt et de data familiarium ejusdem sanctitatis.

Motu proprio providemus[1] Johanni de Sanctis[2], can. reg. S. Crispini in Cavea prope Suessionem, Ord. S. Aug., mag. in theol. Parisius regenti ac nuncio pro eadem.

Symoni de Cramaudo[3], lic. in leg. Aurelianis rigorose, et doctori decret. Parisius regenti, nuncio pro facultate decretorum [de can. eccl. Paris].

Nicholao de Olivis, cler. Remens. dioc , in art et med. Parisius mag. ac ibidem regenti in facultate medicine, nuncio pro eadem facultate [de can. eccl. Remens]

Guillermo le Dos, cler Briocens. dioc., mag. in art., scolari in decret. Parisius in quarto anno, qui alias in fac. theol. fuit scolaris per sex annos et ultra, nuncio nat. Gallic. [de can eccl. Cenomanens.].

Petro Bertrandi de Bievra, Laudunens. dioc., mag. in art. et bac. in decret. in quarto anno lecture, nuncio pro mag. nat. Picard. [de can. eccl Laudunens.]

Egidio de Campis[4], Rothomag subdiac , mag. in art., alias rectori Universitatis Paris., quondam scolari in leg. in tertio sue auditionis anno, bacc formato in theol , nuncio pro nat. Normanie [de can. eccl. Rothomag.].

Guillermo de Trebron[5], Moraviens. dioc., mag. in art., bacc. in theol. Parisius formato, nuncio pro magistris nat. Anglic [de can. eccl. Glascuens.].

Radulpho Odonis, cler. Constanciens. dioc., bedello principali nat. Normanie Universit. Paris., misso cum nunciis. [8]

Fiat motu proprio pro omnibus prout in supplicationibus continetur. G. — Datum Fundis decimo octavo kal. Decembris, anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Clementis VII, an. 1, p. 1, fol. 204b. — Unaquaeque petitio in fine signatur « G. » — Ibid., fol. 181b, exstat « Rotulus nuntiorum Univers. Paris. », in quo nuntii pro diversis (scholaribus etiam) supplicant.

1. Haec formula ante quemque sequentium repetitur, quam nos consulte omittimus. — 2. Fuit licentiatus in theol. an. 1374 (1375), et an. 1378-1379, quando fuit nuntius, praesentavit etiam rotulum 38 petentium studentium Paris., qui tamen in sequentibus rotulis repetuntur (Suppl. Clem. VII, an. 1, p. 5, f. 81, ad an. 1378, Nov 22). An. 1379, Novemb. 10, cum esset prior prioratus S. Lamberti, Laudun. dioec., factus est abbas S. Vincentii Silvanect. (Reg. Av. Clem. VII, vol. XVII, fol. 39) Non debet confundi cum Johanne de Sanctis, cancellario eccl. Ambian., qui an. 1404, Dec. 17, factus est episc. Vapinens. (Reg. Aven. Ben. XIII, vol. XL, f. 109b), nec etiam cum Johanne de Sanctis, qui an. 1353, Maii 11, in art.

Parisiis determinavit (vid. *Lib. proc nat. Anglic.* in *Auctar.*, I, 165, 34). — 3. Providetur Nov. 22 ejusd an. (Reg Aven. Clem. VII, vol. I, f. 380[b]). Consiliarius regis Franciae (Suppl. Clem VII, an. 1, p. 1, f. 187[b]), cum jam an. 1375, April. 25. fuisset can. Remens., decret. doct (Reg. Av. Greg. XI, vol XXVI, f. 188[b]), Jun. 15, scholast. Aurel. (ibid., vol. XXVII, f. 180). Celeber orator schismate durante. An. 1382, Maii 30, fit episc. Agennens. (ibid , vol. XXIV, f. 46), an. 1383, Aug. 7. episc Biterrens. (ibid., vol. XXIX, f. 150), an. 1385, Nov. 24, episc. Pictavens. (ibid., vol XLI, f. 83), an. 1390, Maii 27, archiep. Senon. (ibid., vol. LVIII, f 33), sed haec ultima translatio effectum non habuisse videtur, nam an. 1390, Oct. 17, Guillelmus ep. Meldens. fit archiep. Senonens et Simon de Cramaud ep. Pictavens (ibid., vol. LVII, f. 102). An. 1391, Mart. 17, patriarcha Alexandrinus et administrator eccl. Avenion. (ibid , vol. LXI, f. 202, 206), qua administratione revocata Sept. 19, fit administrator eccl. Carcasson. (l. c., f. 184, 206, cf. Vat. nº 303, f. 20); an. 1409, Jul. 2, ab Alexandro V ante coronationem ejusdem (Jul. 7), primus omnium episcoporum nominatus archiep. Remens. (Arch. Vat., XII, 121, p 5), an. 1413, April. 13, card. tit S. Laurentii in Lucina a Joh. XXIII (Contelori), et April. 14 episcopatum Pictavens. recipit in commendam (Reg. Lat. Joh. XXIII, an. 3, nº 162, f. 297) — 4. Vix minus celebri schismate durante quam Simon de Cramaud. Fuit primo scholaris collegii Harcuriani (vid. Bouquet, *L'ancien Collège d'Harcourt*, p. 110 sqq.). « Nuper Universit studii Paris rector fuit », scribitur ad an 1371, Januar. 28, schol in theol. (Reg. Av. Greg. XI, vol. VI, f. 419[b]). An. 1373, in hieme, fecit Parisiis primum cursum, ut scribitur in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 5657[a], fol. 8; an. 1377 incepit lecturam Sentent Parisiis, an. 1383 (1384) licentiatus est e *Catal. licent.* (mss. lat. 5657[a] et 12850). An. 1389 post Petrum de Ailliaco mag. domus Navarrae (Launoius, *Reg. Nav. gymn. hist.*, 1677, p. 99). « Die mercurii 2 Octob. (an. 1409) dominus noster (Alexander V) publicavit, absolvit et dispensavit cum magistro Egidio de Campis, s pag. professore, et de ejus persona providit eccl. Constantiens. » (Arch. Vat. XII, 121, p. 15). An 1411, Jun. 6 (sabbato, viij id. Junii), a Johanne XXIII creatus cardinalis, sed retinuit ut administrator eccl. Constant. (Reg. Lat. Joh. XXIII, an. 2, (olim), f. 49, 50), cui successit post ejus obitum Johannes de Marla an 1414, April. 2 (Reg Lat. Joh. XXIII, an. 4, nº 166, f. 214). Vid. de Egidio Launoium, l. c., p. 904 sqq — 5. Licent. in theol an. 1382 (1383) in crastino Regum (Jan. 7) e *Catal. licent.* (ubi perperam « Crebron »). Fuit Sorbonicus. Frater ejusdem, Andreas de Trebron, nuntius Universitatis ex parte nationis Anglicanae fuit an. 1383 pro rotulo secundo Universitatis. Vid. infra ad n[um] 1477. Nil mirum, tam pro uno quam pro altero rotulo nuntium nat. Anglicanae Scotum fuisse. In ista enim natione soli Scoti et pauca admodum alia supposita Clementistae fuerunt.

1427. « *Rotulus nunciorum scolarium Universitatis Parisiens* »

1378, Novembris 16-1379, Octobris 28.

Supplicant sanctitati vestre devoti vestri oratores nuncii pro rotulo Universitatis Parisiensis eidem sanctitati destinati, qui tam in itinere quam in propria Paris. civitate multos labores, minas et injurias maximas pro dicto rotulo sustinuerunt....

Et primo Guillermo Chambellani de Muxeyo, cler. Lingon dioc., licent. in leg. et in decret. bacall [de can. in Lingon et Cathalaun. ecclesiis].

Item Guillermo Fabri de Pirono, cler. Gebennens. dioc , studenti Parisius in decr. [de can. in eccl. Carnot. vel Baiocens.]

Item Petro de Migiaco, presb. Bellicens. dioc , studenti Parisius in jure can. [3]

Fiat. G. — Sine alia lectione. — Fiat. G. — Dat. Fundis sextodecimo kal. Decembris, anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Clementis VII, an. 1, p. 8, fol. 83. — Nescimus ad quosnam rotulorum sequentium isti nuntii pertineant. Guillelmus Fabri de Pirono infra nº 1436 ut connuntius affertur.

« Rotulus Universitatis Parisiensis »

Ad Clementem VII missus.

Quo tempore rotulus iste, qui in Reg. Suppl. nos 1428-1433 sine intervallo complectitur, compositus et expeditus fuerit, haud facile dijudicatu. In ejus fine hanc legimus temporis notam : « Dat. Fundis xv kal. Decembris, an. primo », id est 1378, Novemb. 17. Clemens VII Fundis morabatur ab an. 1378, Sept. 20, usque ad 1379, Mart. 30; ast intra hos menses rotulus minime missus est. Hac tempestate Universitas nondum definiverat utri papae, Urbano VI vel Clementi VII, adhaerendum esset, quod declaratum est solum in congregationibus an. 1379, mense Maio, factis. Praeterea in rotulo decretistarum p. 249 alluditur istis aliisque congregationibus Parisiis habitis; quod memorat etiam petitio magistri Simonis Freron in rotulo theolog p. 247, ubi refertur has congregationes « hiis diebus » habitas esse. E *Lib. procurat. nat. Anglic* (*Auctar.*, I, p. 569, 17) scimus insuper eumdem rotulum an. 1379, Febr 12, nondum conclusum fuisse.

Post mensem Maii tantum an. 1379 rotulus expeditus est. Hoc ex jam dictis de congregationibus mense Maii habitis liquet. Praeterea Nicasius de Regalimonte, qui iis congregationibus aderat, tunc nondum abbas fuit, dum in rotulo theologorum jam ut abbas Elemosinae significatur. Inter magistros nationis Picardicae affertur Johannes de Beke, qui dicitur « bis rector »; sed tantummodo an. 1379, Junii 23, « secunda vice » in rectorem electus est. Vid. supra no 1421. Immo rotulus solummodo post Septemb. 7 anni 1379 missus est. Nam sub hac temporis nota nationes Picard. et Anglic. adhuc difficultates movebant, et agebatur de *articulis communibus* (no 1424). Vid. praeterea no 1633.

Sed *ante* an. 1382, Maii 30, rotulus expeditus est; sub hac enim temporis nota Simon de Cramaudo factus est episc. Agenn., cum tamen in rotulo nuntiorum et in rotulo fac. decret. adhuc, et quidem ut doctor decret inscriptus sit. Immo ante an. 1381, qui annus a Simone Freron in rotulo ut futurus designatur (p. 247), et Petrus Regis hoc anno factus est abbas S. Taurini. Praeterea Johannes de Calore eodem anno defunctus est (vid. no 1460), cum tamen in rotulo theologorum adhuc ut cancellarius designetur (no 1429). Immo *ante* an. 1380 rotulus ad curiam portatus est Johannes Laurentii, nat. Gall., et Johannes Rousse, nat. Picard., in rotulo sperant se licentiatum iri in theol. « in instanti anno », « in proxima futura expeditione », amboque licentiam an. 1379 receperunt. Freron etiam in rotulo exponit, se « presenti anno » ab anticardinale (Pileo) Ravennatensi citatum esse ad 11 Octobris, « eo quod tenet conformiter ad ecclesiam Gallicanam et Universitatem de canonica electione ad summum pontificium » Clementis. Quod an. 1379 evenit (Reg. Suppl., l. c., f. 129). Et quidem inter Sept. 7 et Novemb. an. 1379 rotulus missus est. Johannes de Sanctis in rotulo ut prior tantum designatus (nis 1426 et 1429), an. 1379, Nov. 10, factus est abbas. Sed et ante Octob. 28 rotulum in curia Clementis VII praesentatum esse nobis videtur et conjicimus e tempore in *articulis communibus* notato « Concessum Avenione v kalend. Nov. » Nulla fuit causa in curia Avenionensi cur « concessum » petitionum in his articulis ad initium pontificatus transferretur, ut fiebat quantum ad rotulos ipsos, ubi agebatur de beneficiis eorumque fructibus percipiendis. Immo insanum fuisset aliquibus in eisdem articulis petitis notam temporis anteriorem apponere. Sic v. g. pro collegiis Becodiano et Boissiacensi petitur ut in eorum capellis possint divina celebrari, quae petitio concessa est an. 1379, Oct. 28 (vid. p. 245). Scimus insuper ex alio documento unum vel alterum nuntiorum no 1426 allatorum mense Nov. ejusdem anni Avenione stetisse. Nam eo anno, Nov. 15 (Avinione xvij kal. Dec., an. secundo), quo Clemens VII ecclesiam parochialem vacantem S. Martini de Martilheyo, Abrincensis dioec., Aegidio de Campis confert, dicit papa inter alia de illo : « qui nuntius Universitatis studii Paris. existit » (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XVII, fol. 96).

Rotulus igitur noster inter Sept. 7 et Octob. 28 an. 1379 expeditus et ad curiam Avenionensem portatus est.

Sed attendas gravem difficultatem. Namque in *Lib. proc. nat. Anglic.* ita de rotulo fit sermo, quasi tantum sub rectore Aegidio de Asperomonte, an. 1383, mense Febr., missus esset (vid. num 1477), Marsilio de Inghen non contradicente (vid. infra no 1648). Sed in *Auctar. Chart.*, I, p. 581, not. 5, annotavimus, *Lib. proc.* hic mancum esse. De Marsilio, hic obscuro, vid. infra, l. c. Revera, si solum an. 1383 portatus esset rotulus, quomodo eos in rotulo sub veteri designatione inscriptos Universitas relinquere potuisset magistros, qui tunc vel mortui erant (ut Johannem de Calore), vel ad alium ordinem transierant (v. g. Symonem de Cramaudo, Johannem de Sanctis, Petrum Regis), vel ad majores gradus in Universitate pervenerant (v. g. Johannem Rousse, Johannem Trelon, Johannem Laurentii, Petrum de Ailliaco, Johannem de Quercu, aliosque, in rotulo baccalareos in theol. designatos, ante an. 1380-1383 magisterium in theol. adeptos), vel tunc partes Urbani VI secuti sunt (v. g. Johannem Rousse)? Universitatem ea omnia an. 1383 conservavisse putare possemus, si rotulus eodem anno non de novo scriptus fuisset. At quomodo hoc admittendum, cum sciamus rotulum an. 1383 Avenionem missum paulo antea « grossatum », i. e. de novo, nitidiusque scriptum (vid. not. ad num 1474)? Res tota enucleatur, si fontem habemus e quo apparet, rotulum anni 1383 posteriorem esse rotulo infra edito, et diversum ab ipso. Jam scimus, pro an. 1383 alium nuntium rotuli e parte nat. Anglicanae designari, quam an. 1379 (vid. p. 241, not. 5).

Revera talem fontem invenimus, e quo patet, inter an. 1379, Octob., et 1383, Febr., duos rotulos communes Universitatis Clementi VII missos esse (quod omnes hucusque fugit) . *primus* seu *coronationis* est infra nis 1428-1433 editus ; *secundus* nunc deperditus est. Tam « primi », quam « secundi » vel « ultimi » saepe mentio fit in rotulo an. 1387, quem nis 1537-1541

edemus. Ibid. etiam iterum iterumque scribitur, rotulum secundum confectum esse « anno quarto pontificatus Clementis » (potius Octob. 1382), et pro pluribus signatum « sub data primi rotuli », i. e. Fundis xv kal. Decemb., an. primo. *Primus* rotulus certe inter annos 1379, Septemb , et 1381 ad curiam missus est, immo, *ut nos opinamur, an. 1379, Octob* , nisi Marsilio de Inghen fidem adhibeas, ex cujus sententia rotulus non multo ante an. 1381 missus fuisset (vid. infra *De Schismate*) De *secundo* rotulo vid. notam ad num 1474.

Rotulus *nat. Gallicanae*, a Petro de Ailliaco ad Clementem VII portatus, et infra p. 252-259 editus, ante rotulum Universitatis Clementi VII praesentatus est, et quidem « antequam Universitas Paris. esset pro parte Clementis declarata » (vid. infra rotulum an. 1387), i. e. ante finem Maii an. 1379, quanquam mense Maii, proindeque antequam Clemens VII Avenionem intraret. Notatu dignum!

Rotuli ab aliis Universitatibus Franciae ad Clementem missi similes difficultates praebent, et restat adhuc de illis inquirere.

1428. *[Articuli communes.]*

1379, Octobris 28.

Beatissime pater, vestre dignissime apostolice sanctitati, cujus gratia exuberans toti orbi diffunditur et copiose redundat, in sanctissimis Syon montibus solidissime stabilita orthodoxam ecclesiam matrem nostram ab excelso prospiciens .... humilime supplicat quantum potest vestra obedientissima filia et alumpna Parisiensis Universitas juxta sententiam Carnotens. Yvonis ad ducem Britanie rescribentis : primogenita studiorum, amplitudinem erudiens doctrinaliter, universi vestrique humillimi filii et oratores devoti, in quadro positi, magistri quatuor facultatum, theologi, decretiste, medici et artiste, ex quibus dicta Universitas filia vestra integratur ad plenum, hactenus stabiliter sine scandalo perseverans et Deo dante perseverabit in evum, in solidis et probatis sententiis et doctrinis, eluminans toto posse singulas barbaras disciplinas, quatinus ..... dictam vestram amantissimam filiam, quam primus affectus oblivisci non potest, in suis petitionibus gratiosis tam communibus, medullam et radicem fundationis dicte vestre filie tangentibus, quam particularibus et propriis pro dignitatibus, officiis, beneficiis et prebendis inferius ... ascriptis .... dignemini misericorditer exaudire....

Et primo cum fe. re. Clemens papa VI predicte filie vestre concesserit, ut magistri et scolares actu studentes ibidem in quacunque licita facultate fructus, redditus et proventus dignitatum, prebendarum et beneficiorum suorum .... cum ea integritate perciperent .... cum quibus illos perciperent si in hujusmodi beneficiis personaliter residerent ....[1] et tunc Gregorius (XI), revocato in dubium an hujusmodi privilegium expirasset per lapsum primi septennii a data ipsius computandi, *ad futuram rei memoriam*[2] hujusmodi privilegium concesserit perpetuo duraturum, episcopis Belvacensi, Meldensi et Silvanectensi, cum clausula *quatinus vos vel duo* etc. executoribus deputatis, ipsorum potestate quoad locorum distantiam per tenorem ejusdem privilegii minime limitata; et extunc ipsi magistri et scolares fuerint involuti diversis processibus pro eo, quia allegabatur, *primo* quod non poterant trahere dictos detentores [fructuum] seu debitores extra eorum diocesim, cum ejus diocesis vel ultra dietam cum diversarum diocesum partes existebant, *secundo* quod ex quo dicti studentes fuerant in dicto studio per septennium, non poterant etiam

post magisterium uti privilegio predicto, *tertio* quod ipsi magistri et scolares non poterant petere fructus etc. debitos ante tempus scolaritatis, *quarto* quod per statuta et consuetudines locorum perdebant fructus etc., si non interessent in synodali vel in beneficiis suis seu aliis certis locis, ex quibus privilegium predictum pro majori parte frustraretur effectu, et dicta filia vestra personis notabilibus frauderetur : quatinus dignetur vestra sanctitas *ad perpetuam rei memoriam* et per modum constitutionis in perpetuum valiture decretalem Honorii *Super specula*[3] sub ampliationis munificentia recencentes (*sic*) dicte filie vestre concedere, ut ipsius magistri quamdiu docuerint sine fraude, scolares vero per septennium, fructus, redditus, proventus et arreragia dignitatum etc. predictis executoribus deputatis cum clausula *summarie et de plano,* etc.... — Concessum ut petitur, dum tamen ultra quatuor dietas non trahantur.

Item [cum] nonnulli archiepiscopi, abbates, capitula, collegia, conventus et alie ecclesiastice persone, duces, comites, barones, milites, universitates et communitates et alie persone seculares dicte Universitatis filie vestre collegiorum pro magistris et scolaribus ipsius fundatorum ac ipsorum magistrorum et scolarium castra, casalia, terras, vineas, possessiones, jurisdictiones, fructus, redditus et proventus, bona mobilia et immobilia et cetera jura, ad ipsam Universitatem, magistros et scolares spectantia et eis debita, occupare et retinere, ipsam Universitatem, collegia, magistros et scolares in suis libertatibus, franchisiis et privilegiis inquietare, in eorum personis, familiaribus et bonis injuriari non formident, de juribus et actionibus eisdem competentibus satisfacere recusent, et serenissimi principes Francie reges qui pro tempore fuerint dederint predictis magistris et scolaribus prepositum Paris. et certorum privilegiorum executorem, et coram eo traxerint et trahere consueverint et adhuc trahant suos adversarios laycos, de quibuscunque partibus eisdem regibus subjectis, absque restrictione seu limitatione locorum etc., illust. Karolus rex modernus supplicando scribat pro dicta filia vestra, attento quod ex hoc de bono in melius jurisdictio vestra ecclesiastica prosperabitur, cum soli conservatori dicte filie vestre permittatur cognicio illorum, in quibus concluditur per media realia : dignetur sanctitas vestra predicte filie vestre concedere conservatoriam perpetuam, cum clausulis.... — Concessum ad tempus quod concessit dominus Gregorius, inchoandum a data presentium, dum tamen ultra quatuor dietas non trahantur.

Item cum bo. me. .. episcopus Cameracensis pro fundandis certis scolaribus dicte filie vestre concesserit et in depositum tradiderit quatuor milia florenorum[4], et imminente quadam necessitate devotus filius vester Karolus rex Francorum illust. predictos florenos mutuo receperit et se obligaverit per litteras suas ad ipsos restituendum, et dominus Bernardus Cariti, nunc episcopus Ebroicensis[5], apostolice sedis nuncius et collector, extorserit predictas litteras obligatorias, dicens illos florenos camere apostolice reservatos ....[6], quatinus dignemini ordinare quod dicte litere predicte filie vestre restituantur.... — Concessum.

Item cum in dicta Universitate .... sint plura collegia religiosorum, pro majori parte fundata per constitutiones sanct. re. Benedicti pape XII[7], et religiosi in ipsis collegiis destinati propter librorum deffectum proficere nequeant ut deceret, quatinus eidem filie vestre concedere dignemini, ut in singulis monasteriis libri theologie, juris canonici et civilis, religiosorum eisdem monasteriis mediate vel immediate subjectorum decedentium ibidem ad collegia sub ipsis monasteriis fundata perveniant, ita quod nec distrahi nec commutari valeant, nisi per deliberacionem predicte filie vestre.... — Concessum de libris eis datis vel eorum industria acquisitis.

Item cum predicta filia vestra plura et diversa privilegia obtineat, olim a predictis predecessoribus vestris et quibusdam apostolice sedis legatis indulta, super quibus nundum fuit de executore provisum, placeat eidem sanctitati vestre dare et deputare executorem seu executores omnium et singulorum privilegiorum, in vestra vicecancellaria declarando.... — Concessum in forma.

Item sicut fe. re. pretacti sanctitatis vestre predecessores eandem filiam vestram propter ingentiorem ipsius excellentiam potioribus attollentes insigniis, ut primam et primogenitam studiorum ceteris studiis generalibus pretulerunt, et hactenus prerogativa decoraverunt gratiarum : sic dignetur[8] effusa felicissime beatitudinis vestre liberalitas, ex celestis irrigui fonte progrediens, ipsam sicut hucusque semper obtinuit quoad datam ceteris preferre Universitatibus[9], ut a vestre dignissime felicitatis auspicio consuetam se gaudeat retinere prerogativam et ampliora gratiarum percipiat incrementa.

Item supplicat eidem sanctitati vestre predicta devota filia vestra Universitas, quatinus in personam devotorum oratorum vestrorum magistrorum et scolarium collegii Cameracensis, collegii Turonensis, collegii de Becoud ac collegii de Boysiaco, missas et alia divina officia cum nota et etiam sine nota quotiens eorum devotioni occurrerit, in oratorio seu capella aut in loco mundo et honesto domus cujuslibet ipsorum collegiorum celebrandi per sacerdotes ydoneos seculares vel religiosos, celebrari faciendi et eucharistiam recipiendi....[10] perpetuo licentiam impertiri. — Concessum.

Item cum sanctissimus dominus Innocentius papa quartus sanctitatis vestre predecessor, juris lucerna et studentium propagator mirificus, eidem filie vestre certa privilegia gratiose concesserit, et inter cetera indulserit ....[11] ac cuilibet ipsorum trium privilegiorum rev. in Christo patrem dom. episcopum Silvanectens. deputaverit, ex qua sepissime contigerit, sicuti et nunc, quod vacante dicta sede episcopali[12] predicti studentes carentes conservatore antedictis nequeant gaudere privilegiis, quatinus una cum dicto domino episcopo duos alios conservatores seu collegas in sanctitatis vestre vicecancellaria declarandos cum illa clausula *quatinus vos vel duo,* etc., dignetur[13] ejusdem beatissime sanctitatis vestre benignitas in unoquoque dictorum trium privilegiorum specialiter deputare. — Concessum.

Item cum monasterium prioratus S. Juliani Pauperis Paris., Ord. Clun., in quo sepe-

dicta filia vestra, presertim artium facultas, suas consueverit facere congregationes, adeo magnis indigeat reparationibus, quod a religiosis inibi Deo servientibus, qui propter redditum tenuitatem vix habent unde possint sustentari, reparari nequeat sine suffragio et gratia apostolice sanctitatis, ymo sit in tantum ruinosa (*sic*) ut ipsi religiosi vix audeant officium celebrare divinum seu quisquam alius habitare, quatinus sepedicte filie vestre contemplatione dignetur vestre sanctitatis liberalitas ad dictum monasterium tantis ruinis desolatum oculos pietatis apostolice convertere, ac omnibus vere penitentibus et confessis qui de bonis a Deo sibi collatis ad dicti monasterii restaurationem manus porrexerint adjutrices, et qui dictum monasterium in festivitatibus Natalis domini, Circoncisionis, Epyphanie, Pa[s]che, Ascensionis, Penthecostes, Trinitatis, Eucharistie, beati Johannis et Omnium sanctorum ac in festo Virginis beate Marie et per eorum octabas, necnon in festis sanctorum Juliani Ferieoli, Eutropii, Blasii et Fiacri, quorum ibidem memorie venerantur, in sex dominicis Quadragesime ac per totam ebdomadam sanctam personaliter et devote visitaverint, aliquas indulgentias perpetuas, prout sanctitati vestre congruum videbitur, misericorditer elargiri.... — Concessum de anno et quadragena in perpetuum. — [Dat.] Avinione v° kal. Novembris, anno primo.

Reg. Vat. Suppl. Clementis VII, an. 1, p 5, fol. 127.

1. Vid tom. II *Chartul.*, n° 1120. — 2. Minime *ad futuram*, sed *ad perpetuam rei memoriam* Vid. supra n° 1404. — 3. In *Chartul.*, I, n° 32. — 4. Vid. supra n° 1348, ubi loco « florenorum » dicitur « francorum ». Episc. Cameracens. fuit Petrus Andreae. — 5. Ex *Instrum. miscell* Arch. Vat apparet, Bernardum Cariti, qui etiam can Paris . jam an. 1359, April. 23, collectorem apostol. fuisse; ibid. documentum an. 1365, April. 24, in quo designatur nuntius et collector. Cum esset archidiac. Augi in eccl. Rotomag., an. 1376, Novemb. 12, factus est episc. Ebroic. (Reg. Vat. Gregor. XI, n° 290, fol 133) — 6. In ms. spatium. In margine scribitur « Simile spatium est in originali ». — 7. Scilicet Ord. S. Benedicti, Praemonstrat., Hospitalariorum, et quorumdam domorum O. S. Benedicti et reg. Ord. S. Aug. — 8. Ms. « dignemini ». — 9. Quod et factum est. Vid infra ad temporis notam n¹ 1433, in fine nat. Anglicanae. — 10. Collegiis Becodiano et Boissiacensi Octob. 28, an. 1379, a Clemente VII, privilegia supra impetrata concessa sunt (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XI, fol. 221ᵇ, XII, f. 208). — 11 In sequentibus Universitas tria privilegia ab Innocentio IV concessa affert, quae scilicet in *Chartul.*, I, n° 209, n° 211, n^is 142 et 235 exstant. — 12. Quod utique verum est, nam Adamo de Nemours (de quo supra n° 1261, not. 3) xj kal. Decemb., i e. Novemb. 21, an. 1377 (erratur in *Gall. christ.*, X, 1430) defuncto, ei successit adhuc sub Gregorio XI Petrus quidam, quem tamen mors impedivit ad possessionem venire, ut narratur in Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXIX, f. 148. et solummodo an 1379, Febr. 11, confirmatur successor Johannes de Diodona (vid. supra n° 1310, not 1), defunctus an. 1409, Sept. 8. — 13. Ms. clare · « de gratia ».

« ROTULUS [PRIMUS] UNIVERSITATIS PARISIENSIS. »

Omnes sequentes rotuli usque ad num 1433 unicam tantum temporis notam, i. e. « Dat. Fundis xv kal. Dec., an. primo » (1378, Nov. 17), et quidem in fine nat. Anglicanae, in Reg. Suppl. praebent. Vid p. 269. Caeterum animadvertas ad *Introductionem* principio n[i] 1428 adjectam.

1429. « *Sequuntur supplicationes magistrorum in facultate theologie.* »

1378, Novembris 17-1379, Octobris 28.

Primo Symoni Freron, presb. Suession. dioc., mag. in art. et in theol., actu regenti in ea a viginti quatuor annis citra, de antiquioribus theolog. facultatis, et decano ejusdem, qui temporibus re. fe. dominorum Urbani V et Gregorii XI .... per ... Paris. Univers. bis nuncius ad curiam pro factis notabilibus et utiliter expeditis extitit destinatus, utraque vice solemniter predicans coram eis; et nuper pro veritate vestre in summum pontificium electionis canonice in populo et in clero monstrando plurimum laborasse (*sic*), et specialiter hiis diebus, primo in filia vestra natione Gallicana, postmodum vero in tota Universitate, filia vestra predicta, et tandem adhesionem ipsius Universitatis in presentia domini nostri regis et quatuor dominorum cardinalium, prelatorum, principum, doctorum et baronum valde multorum publicavit ad plenum, prout in instrumentis publicis super hoc confectis plenius continetur[1]; ecclesiarum Cameracens. et Suessionens. canonico prebendato, Paris. semiprebendato ad xxv libr. paris. ad taxum, cujus primum grossum recipere habet anno LXXXI.... (vid. p. 242).

Item Radulpho Glachardi[2], presb. Ambian. dioc., mag. in theol. a triginta septem annis citra, et regenti Parisius in fac. theol. [de can. Paris.].

Item Johanni de Keroullay[3], presb., mag. in art. et in theol. actu regenti Parisius, qui tempore fe. re. domini Urbani et domini Gregorii .... Rome et Avinione diu stetit, eisdem dominis et curie serviendo, fuitque legens theologiam in Narbona multis annis in societate bo. me. domini Petri[4], quondam archiepiscopi Narbonen., postea cardinalis, can. prebendato [de can. Rotomag.].

Item Gerardo de Vervino[5], presb., mag. in art. et in theol. actu regenti Parisius a multo tempore in fac. theol., penitentiario Paris. et can. Laudunens.

Item Johanni de Calore, presb., in art. et in theol. mag., actu regenti Parisius in theol. fac. [de beneficio eccl., non obstantibus in Paris. et Laudunens. ecclesiis canonicatibus ac in dicta eccl. Paris. cancellaria].

Item fratri Petro Julioti, presb., monacho expresse professo monasterii Cluniacens., Matiscon. dioc., qui fuit in collegio scolarium Cluniacens. Parisius studentium mag. in sacra pagina regens per duodecim annos et adhuc est.

Item Johanni de Kerleoret, presb. Leonens. dioc., in theol. et in art. mag.

Item Stephano de Calvomonte[6], presb., rectori archipresbyteratus Sancti Severini Paris., mag. in art. et in theol. actu regenti in dicta fac. [de can. eccl. Paris.].

Item Ricardo Garnonis, religioso Sancti Martini de Campis prope Parisius, Ord. Clun., actu regenti Parisius in fac. theol.

Item Johanni Martini de Etunayn, presb. et can. professo in eccl. Pampilon. Ord. S. Aug., mag. in theol.

Item Henrico Herout, presb. Baioc. dioc., mag. in art. ac in theol. actu regenti Parisius.

Item Johanni de Sanctis, Laudun. dioc., can. reg., sacerdoti et expresse professo monasterii S. Crispini in Cavea prope Suession., Ord. S. Aug., in s. theol. professori actu regenti Parisius ... priori S. Lamberti Laudun. dioc.

Item Nicasyo Jossiaume, Ord. Cist., abbati de Elemosina in dioc. Carnot.

Item Johanni Cillardi, presb., in art. necnon in sacra pag. mag. ac in eadem Parisius regenti, can. reg. beate Marie Belli portus, Premonstrat. Ord., Briocens. dioc. [14]

Reg. Vat. Suppl. Clementis VII, an. 1, p. 5, fol. 129.

1. De his omnibus vid. infra *De Schismate*, nis 1624-1627. — 2. Qui jam in tom. II *Chartul.*, et etiam infra. — 3. Vid. *Chartul.*, II, p. 632 et 636, not. 1. — 4. Petri Judicis, cum esset abbas monast. Crassens. O. S. B., dioec. Carcasson., an. 1345, Martii 2, nomin. episc. Caesaraugust. (Reg. Vat. Clem. VI, nº 163, fol. 73b), an. 1347, Januar. 10, archiepisc. Narbonn. (ibid., nº 177, fol. 63b), an. 1375, Aug. 27, archiep. Rotomag. (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXVI, f. 36b), an. 1375, Decemb. 20, card. S. Clementis; defunct. an. 1376, Novemb. 2 (Arch. Vat. Oblig. nº 43, fol. 40, antea fol. 12), in *Gall.*

christ.. XI, 84, Novemb. 21. — 5. De isto et plerisque sequentibus jam in superioribus agebatur. — 6. Chaumont. Vid. supra p. 83, nº 1345, p. 225, et Delisle, *Cab des mss.*, II, 175; III, 393. Ante an. 1373 licentiatus est in theol. Inter traductores Bibliae in linguam gallicam annumeratur. Vid Samuel Berger, *La Bible française au moyen âge*, p. 242

1430. « *Sequuntur supplicationes magistrorum in facultate predicta non regentium de presenti.* »

Primo Monrardo de Martigni, presb., mag in art. et in theol. [de can. eccl. Carnot.].

Item fratri Johanni Goulein, Ord. B. Marie de Monte Carmeli, a xvij annis in theol. mag.

Item Stephano Escaillart[1] de Chalendry, presb. Laudunens. dioc , mag. in art. et in theol. [de can. eccl. Noviomens.].

Item Stephano Galdeti, curato eccl S. Crucis de Monasterio-Villari Rothomag. dioc et can. prebendato eccl. S. Petri Insulens. Tornac. dioc. ac can. eccl. Tornac., sexagenario et amplius . . qui alias coram vobis Fundis predicavit[2] [de preb. in eccl. Ebroic.].

Item Nicolao Thome, presb., bedello dicte facultatis.

Item Egidio Imperatoris, subbedello ejusdem fac

Item Johanni Manssion, servitori ejusdem fac. [7]

Reg. Vat. Suppl. Clementis VII, an 1, p. 5, fol. 131. — De plerisque jam in superioribus.

1. Curiam Romanam secuti sunt aliqui sequentium eundo cum Clemente VII a Fundis usque ad Avenionem. Ad num 1419 jam verba fecimus de quibusdam, qui an. 1378 cum aliis magnum rotulum Universitatis ad Urbanum VI Romam portaverunt, postea tamen, cum partes Clementis VII tenuissent, Clementem VII secuti sunt. Unus illorum nominatur, Guillelmus de Oesterzeele, nuntius Universitatis, qui jam medio anno 1378 Romae stetit (cf. supra nº 1419, not. 2). Iste rotulus, qui an. 1379 compositus est et non confundi debet cum rotulo an. 1378 ad Urbanum VI misso, certe adhuc an. 1379, fortasse Avenione cum temporis nota supra relata, signatus est, quando rotulus magnus supra editus Clementi VII postea praesentatus est, Guillelmus de Oesterzeele non fuit nuntius fac. medicinae. — 2. Sententia hic et in sequentibus cum « quatinus » construitur — 3. Haec temporis nota postea adjuncta est, et in margine scribitur « Hec data est concessa predictis magistris per dominum nostrum et hic posita de mandato domini Egidii B., regentis cancellariam. B. St. ». — 4. Praeter hos magistros et scholares alii etiam curiam Clementis VII an. 1378 secuti sunt Vid infra rot. an. 1387, Senon., Norman.

1438. *Clemens VII (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Jacobo Castilionis, Ord. S. Aug. Eremit., baccalareo formato in theol. fac., qui in studio Parisiensi in conventu fratrum praedictorum*[1] *Sententias legit per triennium jam transactum, si in primis expeditionibus propter brevitatem temporis instantis interesse non posset, infra duos menses a die praesentationis praesentium post rigorem examinis, docendi, legendi et regendi ubique in fac. praedicta plenam et liberam licentiam publicam tribuat necnon honorem magisterii.* Dat. Avinione xv kal. Decembris, anno secundo. « Sedis apostolice. »

1379, Novembris 17, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clement. VII, vol. XX, fol. 307b. — E *Catal. licent.* an. 1380 (1381) licentiam in theol. obtinuit.

1. Ms. perperam « predicatorum ».

1439. *Nicolaus de Vaudemonte in rectorem eligitur.*

1379, Decembris 16, Parisiis.

Anno Domini 1379, die 16 mensis Decembris, fuit electus via Spiritus Sancti in rectorem mag. Nycolaus de Waudemonte. Que acta sunt in rectoria sua, patent in registro seu papiro rectorie.

Mus. Britann. ms. add 17304, fol. 145. — Eodem tempore duo ejusdem nominis, Nicolai de Vaudemonte, in artium facultate Paris. florebant, senior et junior. Vid. infra nº 1518.

1440. *Clemens VII (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Nicolaum Coste, Ord. fr. Minor., baccalareum in theol., olim in Capitulo generali Ord. ad legendum librum Sentent. in studio Cantabrigiae Eliens. dioec. deputatum (qui eumdem librum, jam sunt duo anni vel circiter, ibidem legit, et magisterii honorem in fac. theol. inibi suscipere de proximo exspectabat, ex certis tamen causis illuc accedere de praesenti non potest*[1]*), ad legendum librum praefatum in studio Parisiensi in aestate proxime secutura admittat, eique libro praedicto perlecto in fine aestatis praedictae et examinato per tres vel quatuor magistros*[2] *magisterii honorem et docendi licentiam concedat.* Dat. Avinione vj kal. Januarii, pontificatus nostri anno secundo. « Viri sacre. »

1379, Decembris 27, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XX, fol. 313.

1. Vid. num 1442. — 2. In 55º articulo *accusationis* contra cancellarium Joh. Blanchart (infra nº 1511), et a 71º teste

(ibid. nº 1513) asseritur, Nicolaum fuisse licentiatum, « non requisitis votis seu depositionibus magistrorum ». Licentiatus est, ut apparet e *Catal. licent.* (Bibl nat. Paris. mss. lat. 5657[a], 12850), an. 1383 (1384) Nicolaus « de Costa » postea minister provincialis prov Aragoniae fuit, et an. 1389 ut confessor Iolandis reginae Aragon. affertur (Reg. Aven. Clem. VII, vol. LV).

1441. *Universitas Parisiensis ab oppido de Hasselt justitiam petit pro Johanne de Breyne, scolari Paris., qui in carceres dicti oppidi injuste detentus fuerat.*

Ante an. 1380, Parisiis.

Venerabilibus et discretis viris .. villico, scabinis, consulibus et magistris oppidi de Hasselt, Leodiens. dyoc., rector et universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium salutem et ad beneplacita se paratos. Ordo rationis expostulat nostrique collegii debitum nos excitat et inducit, magistris et scolaribus dicte Universitatis indebite pregravatis de convenientibus remediis providere, et eosdem contra injuriantes quantum suadet justicia confovere. Cum igitur nuper in nostra congregatione generali ad nostram noticiam, quod dolentes res[c]ivimus, sit perventum quod ad nonnullorum emulorum et malignantium dilecti nostri Johannis de Breyne, clerici, ante et nunc scolaris Parisiensis, perniciosam et falsam suggestionem idem scolaris in vestro oppido fuit et plures dies et noctes vilibus carceribus et cum vinculis mancipatus, bonisque et rebus suis depredatus, super quibus, licet fuit nota, publica, notoriaque et manifesta, nundum sibi extitit satisfactum; que omnia in dicti scolaris dampnum, injuriam et gravamen matris nostre Universitatis predicte, et ejus privilegia, redundant lesionem non modicam et contemptum. Verum licet virtute privilegiorum nostrorum ipsos propter hoc Parisius posset facere conveniri, nichilominus vobis volens in hac parte deferre et mitius agere cum eisdem, nobis humiliter supplicavit ut super hoc vobis scribere dignaremur. Hinc est quod nos attente vos rogamus, nichilominus civiliter requirentes, quatenus de predictis malefactoribus consiliariis et fautoribus in hoc casu eidem scolari dignemini exhibere justicie complementum (de eorum personis poteritis per latorem presencium plenius informari), ipsosque compellatis ad sublata restituendum et predictas injurias emendandum, tantum inde facientes quod apud Deum et homines possitis de bona justitia commendari; nosque vobis teneamur ad gratias et in consimilibus obligari. Et ne ob vestri defectum eos Parisius nos persequi oporteat, quia talia sub dissimulacionis pallio transire non intendimus nec possemus, personas vestras venerabiles conservet Altissimus feliciter et votive.

Minuta pergam. in Arch. Univ Paris., theca IV, A 21. b. — Hoc documentum, sine temporis nota, certe ad aetatem anteriorem an. 1380 pertinet.

1442. *Clemens VII (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Theodericum de Montigniaco, Ord. fr. Eremit. S. Aug., lectorem Paris. (qui olim per decem annos et ultra in diversis generalibus studiis lector existens libros Sentent. pluries legit et postmodum per generale Capitulum ultime celebratum*[1] *ad lecturam Sententiarum et deinde ad magisterium suscipiendum in studio Oxoniensi in regno Angliae fuit nominatus, quod tamen adimplere non potuit neque potest praesertim occasione guerrarum inter Carolum Franciae et Eduardum Angliae reges), ad legendos libros Sententiarum in studio Paris. in aestate proxime futura tempore vacationum, alioquin quotiescumque sibi placuerit, admittat, eique libris praedictis perlectis in fine aestatis vel in primis expeditionibus magisterii honorem et docendi licentiam in ipsa facultate concedat.* Dat. Avinione iiij non. Januarii, anno secundo. « Viri sacre ».

1380, Januarii 2, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XVIII, fol 563b.

1. Ultimum Capitulum generale *totius* Ordinis an. 1377 Veronae celebrabatur.

1443. *Clemens VII Johanni de Caron, canonico Moraviensi in utroque jure licentiato, qui etiam in art. magister existit, in Aurelianensi in civili, et in Parisiensi studiis in canonico juribus licentiatus fuit ac de observandis statutis et consuetudinibus studiorum ipsorum juramenta corporaliter praestitit, concedit, ut in Avenionensi vel alio quocumque maluerit studio generali doctoratus insignia in praedictis juribus recipere valeat illaque elargiri.* Dat. Avinione vj id. Januarii, anno secundo. « Litterarum scientia ».

1380, Januarii 8, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XVIII, fol. 362b.

1444. *Clemens VII ad (Joh. de Calore) cancellarium Paris., ut Nicolaum de Lingonis, Ord. Praed., qui Aurelianis jam philosophiam et librum Sentent. legit, an. 1381 vel 1382, tempore aestivo in interioribus, et hiemali in exterioribus scholis domus frat. Praed. Paris. ad legendum librum Sentent. admittat, ita ut gaudeat eisdem libertatibus, quibus ibidem ordinarie legentes.* Dat. Avinione v kal. Marcii, an. secundo. « Viri sacre ».

1380, Februarii 26, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol XX, fol. 421. — An. 1384, Maii 7, Sententias jam legit, et Clemens cancellario (Johanni Blanchart) mandat, ut eum ad licentiae gradum et magisterii honorem promoveat (ibid., vol. XXXII, f. 429b. « Viri sacre »). An. 1386 (1387) licentiatus est e *Catal. licent.* (Bibl. nat. Paris. mss. lat. 5657a, 12850). An 1392. Febr. 19, factus est episc. Argoliens. (Reg Vat. Clem. VII, no 303, f 14).

1445. *Clemens VII Johanni de Calore, cancellario Paris., injungit, ut Christianum de Altarippa, Ord. Eremit. S. Aug., ad legendas Sententias et ad magisterium admittat.*

1380, Martii 17, Avenione.

Dilecto filio cancellario ecclesie Parisiensis salutem, etc. Viri sacre lectionis, etc. Cum itaque sicut accepimus dilectus filius Cristianus de Altarippa, Ord. Heremit. S. Augustini professor, qui ..... diu circa facultatem sacre theologie in diversis generalibus studiis per longa tempora insudaverit studendo etiam et legendo, ac deinde Parisius *gradum lectorie* in ipsa theologie facultate adeptus fuerit, et postmodum in civitate Rothomagensi in studio generali dicti fratrum Ordinis Sententias legerit, et tandem per ipsius Ordinis generale Capitulum .... ad legendum Bibliam ordinarie in Universitate Parisiensi fuerit ordinatus, quam quidem lecturam idem Cristianus complevit biennio jam elapso, et multos alios

actus fecerit, et in tantum in hujusmodi facultate profecerit quod alios meruit edocere.... Nos igitur .... discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus eundem Cristianum ad legendum libros Sententiarum Parisius infra scolas conventus sui Ord. vel extra in studio Parisiensi predicto in yeme proxime immediate ventura, alioquin, si forsan tunc non posset, impedimento legitimo prepeditus aut infirmitate detentus, quotiescunque sibi placuerit et pro parte fratris requisitus, absque tamen prejudicio ordinariorum legentium sui Ord., auctoritate apostolica recipias et admittas seu recipi facias effectualiter et admitti. Contradictores etc. Et demum libris Sententiarum per eundem Cristianum perlectis in dicto conventu vel studio Parisiensi predicto in fine yemis predicte vel in primis expeditionibus, postquam dictam suam lecturam expleverit, dummodo ipse per tuam et aliorum magistrorum dicti studii in eadem facultate diligentem examinationem ad hoc ydoneus et sufficiens repertus extiterit, eidem Cristiano in prefato Parisiensi studio magisterii honorem et docendi licentiam in eadem facultate servatis constitutionibus Concilii Viennensis ..., largiaris .... ita tamen quod ex hoc prefatus Ordo ad prestandum aliquid eidem Cristiano pro suis expensis vel aliis ratione susceptionis dicti magisterii ultra quam antea minime teneatur, non obstantibus, *etc.* Dat. Avinione xvj kal. Aprilis, anno secundo

Reg. Vat. Aven. Clem. VII, vol. XX, fol. 499[b]. — An. 1383 (1384) licentiatus est (*Catal licent.*). An. 1404, Nov. 7, nominatus episc. Tarviens. (Reg. Aven. Bened. XIII, vol. XL, f. 98; mancum in *Gall. christ.*, I, 1236); an. 1408, Sept. 17, factus est (etiam Cistranus, Tistrinus) episcopus Trecorensis, et affuit Concilio Pisano (Arch. Vat., arm. LXIII, vol. LXXXV, fol. 70). De ipso pluries infra.

1446. *Jussu Guillelmi de Salvarvilla, cantoris Paris., leguntur juramenta magistrorum et magistrarum in arte grammatica coram 41 magistris et 21 rectricibus scholarum.*

1380, Maii 6, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Per presens publicum instrumentum pateat universis, quod anno Domini MCCCLXXX, indictione iij, mensis Maii die vj, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape VII anno secundo, in domo quam habitat in claustro Parisiensi circumspectus vir magister Guillelmus [de] Salvarvilla[1], sacre pagine professor, cantorque Parisiensis, in aula inferiori ejusdem domus, constitutis prefato domino cantore, virisque venerabilibus, providis et discretis personis ac honestis mulieribus, scolas in arte grammatica, in villa Parisiensi et intra banleucam, exercentibus, regentibus et tenentibus, quorumque et quarum nomina et cognomina subsequuntur : et primo dominus Robertus Vuitart, Nicolaus de Monte Cornuti, Jacobus Edalart, Robertus de Balla, Laurentius Josses, Gallerius Gorassy, bacchalareus in decretis, dominus Petrus Vitiary bacc. in decr., Nicolaus Mabere, Johannes Ciffleot, dominus Johannes Lambert, magister Johannes Taignon, magister in artibus, Guillelmus Constant, magister Johannes de Moreveo, magister in artibus, dominus Guillelmus Hervey, Petrus de Fluvet, magister Michael le Drapier, magister in artibus, magister Guillelmus Avis, magi-

ster in artibus, Radulphus de Astella, dominus Johannes de Colengiis, Johannes Ol[i]varii, dominus Nicolaus de Bincellier, Guillelmus Boulon, dominus Petrus Cabert, magister Nicolaus de Valle, magister in artibus, Bertrandus Seguin, dominus Johannes Milet, magister Guillelmus Gouloch, magister in artibus, Johannes de Jocis, Johannes Rouget; Johannes la Crouche, Stephanus Troucheli, dominus Robertus Estat, dominus Petrus Davidis, dominus Yvo de Porta, magister Guillelmus Parin, magister in artibus, Johannes de Paello, dominus Bernardus de Piseyo, dominus Johannes Bernardi, Johannes Asselin, Johannes de Haye, dominus Stephanus de Molendino, tam clerici quam laici; Johanna de Vieneria, Johanna Pelleperia, Sersiva la Berangière, Mariana de Porta, Johanneta la Mercière, Pereta la Verierre, Johanneta du Deluge, Martineta la Thomasse, Jacqueta la Denise, Johanneta la Morelle, Johanna de Castellione, Jacquelina de Transvecio, Johanna la Feronna, Maria de Lingon[is], Johanna de Ballières, Deniseta de Nerel, Johanna de Asino radiato, Edeleta la Jujote, Marguareta la Choquette, Johanna la Bourgeoise, Maheuta la Bernarde; tam rectores quam rectrices scolarum grammaticalium.

Prefatus dominus cantor fecit legi explicite juramenta contenta in quodam libro, quem penes se retinuit, et quilibet asseruit se alias ipsa juramenta prestitisse, quorum juramentorum tenor in predicto libro sequitur in hec verba:

« Quilibet magister vel magistra tenetur ad ista per juramentum : 1. Quod fideliter exercebit officium docendi pueros. » *etc. ut supra* nº 1237.

Acta fuerunt hec anno, indictione, mense, die, loco et pontificatu quibus supra, presentibus discretis viris domino Johanne Guery, presbitero capicerio ecclesie S. Stephani de Gressibus Parisiensis, et Ivone de Fageto, clerico Corisopitens. dioc., testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Ivo Mareschalis Leonens. dioc., clericus publicus, apostolica et imperiali auctoritate notarius, *etc.*

Statuts et règlemens des petites écoles de grammaire de la ville, cité, Université, faux-bourgs et banlieue de Paris, p. 177. Philibert Pompée, *Rapport historique sur les écoles primaires* (Paris, 1839), p. 156. Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 449.

1. Guillelmum de Salvarvilla fautorem primo Clementis VII, deinde Urbani VI (vid. *Vit Clem.* apud Baluze, *Vit. pap Aven* , I, 560), an. 1382, Martii 12, Clemens VII cantoria privavit; de quo in Reg. Av., vol. XXV, f. 198 : « Ad fut. rei mem. Ad audientiam nostram, fama publica referente, pervenit quod Guillelmus de Servavilla, cantor ecclesie Parisiensis, scelerato viro Bartholomeo olim Barensi archiepiscopo, qui sedem apostolicam per impressionem et violentiam presumptione dampnabili nititur occupare, adhesit et adheret notorie de presenti. Cum autem nobis de adhesione hujusmodi plene constet, nos, attendentes quod propterea prefatus Guillelmus nedum cantoria ac Rothomag. et ipsius Paris. eccles. canonicatibus et prebendis quos obtinet reddidit se indignum, ideoque ipsum Guillelmum eisdem cantoria, canonicatibus et prebendis ex nunc motu proprio non ad alicujus super hoc nobis oblate petitionis instantiam, sed de nostra certa scientia, auctoritate apostolica privamus et amovemus penitus de eisdem .... Dat Avinione iiij id. Marcii, anno quarto. » (Vid. etiam *Chartul.*, II, p. 641, not. 15.) Ipse, Johannes Rousse, cum mag. Johanne Egidii aliisque suppositis Universit. Paris. Francigenis Romam ad Urbanum VI aufugerunt, ut nos edocet Marsilius de Inghen in suo tractatu . *Rationes, cur Urbano VI sit adhaerendum*, et *Chronique du religieux de Saint-Denys*, I, 88, ad an. 1381, de quo infra *De Schismate*. Successor Guillelmi in cantoria Paris. non fuit magister Johannes Egidii, ut Philibert Pompée, l. c., p. 156, ad an. 1376 (!) contendit, aliique scribunt, sed mag. Philippus de Molinis, licent. in leg. et can. Paris., qui cantor a Clemente VII renuntiatus est an. 1382, Martii 15 (Reg. Av. cit., fol. 479), ex parte vero regis circa idem tempus mag. Guillelmus de Bracone, utr. jur. professor, nominatus

est, et, coram Parlamento inter duos praetendentes re agitata, eod. an., Nov. 29, sententia pronunciata est, « quod dictus mag Philippus dicte cantorie statum habebit lite presente durante » (Arch nat. Paris. X[1a] 32, fol. 101[b]). Philippus an. 1383, Octob. 7, nominatus est episcopus Ebroicens. (Reg. Av. Clem. VII, vol. XXVIII, f. 131). Tunc, eod. anno, Decemb. 2, Nicolaus de Villamaris, licent. in leg. , a Clem. VII nominatur cantor (ibid., vol. XXXII, f. 362) et remansit. In quodam documento apud Von der Hardt, *Magn. oecum. Constant. Concil.*, II, Prolegom., p. 13, Guillelmus de Salvarvilla ad an. 1382, Septemb. 2, adhuc ut cantor affertur. Vid. etiam Franklin, *Les anc. Biblioth. de Paris*, I, 242.

1447. *Assignationes baccalareorum Ord. Praed. pro lectura in studio Paris.*

1380, circa Maii 13, Lausannae.

Assignamus ad legendum Sententias Parisius pro anno presenti fr. Arnulfum Lasteria[1]; cui substituimus fr. Bernardum de Boscarello[2] de provincia Tholosana, quem etiam quantum nostra interest pro primo anno extraneis debito juxta determinationem domini Caroli[3], quam inquirant universi, ad legendum Sententias ibidem assignamus. Pro primo anno intraneis debito juxta determinationem domini memorati assignamus ad legendum Sententias ibidem fr. Guillermum de Rosseriis de provincia Francie. Volumus autem et ordinamus quod quicumque frater qui legat Sententias Parisius vel Tholose per gratiam, solvat pro anno quolibet conventui ubi legit sub precepto sancte obedientie quadraginta francos, quos presidens ejusdem conventus sub precepto eodem exigat realiter ab eodem, alias dictam summam per suum provincialem de proprio solvere compellatur.

Ad legendam Bibliam ibidem immediate post istum qui nunc legit actu, fr. Johannem Ade, cui substituimus quantum nostra interest fr. Johannem Alberti de Joredo de Lotaringia[4].

Fragmenta Capp. general. Ord. Praed. (e Cod. olim in conventu Barcinon. conservato transsumpta), ad Ord. pertinentia. — In hoc Capitulo, in quo « fratres numero circiter ducenti octoginta » congregati erant, pars Ordinis in ditionibus Clementis VII sub mag. generali Elia Raymundi Tolosano solemniter Clementem VII verum papam declaravit, « habita deliberatione diligenti cum multis in s. theol. magistris », qui et medio juramento asseruerunt, fere omnes antiquiores et indubitatos cardinales, qui post obitum Gregorii XI in partibus Italiae remanserunt « rev. in Christo patrem et dom. Robertum .... et non aliquem alium, rite et canonice elegisse et recepisse », ideoque fratres Clementem ut verum papam, et non alium, recipiant etc., quod late in actis dicti Capituli enarratur. Celebre evasit hoc factum, quod eodem anno, Junii 10, domus Cartusiae major regi Aragonum nuntiavit. Cartusienses enim etiam in Capitulo generali 22-27 April. celebrato receperunt Clementem VII tanquam verum papam, quod et factum est « ab Ord. Pred. in ejus Capitulo gen. statim post Cartusiensium predictum celebrato in Lausana » (Arch. Vat., lit. orig. cum vestigiis sigilli in Reg. Aven. Clem. VII, vol. XIX, f. 177).

1. Ms. « Lateyra », aliud exemplar · « Lasterjvia » — 2. Licent. an. 1383 (1384), e *Catal. licent.* in Bibl. nat Paris. (mss. lat. 5657[a], 12850). An. 1386, Octob 27, factus est inquisitor in Vasconia et Occitan. partibus (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XLI, f. 484). — 3. Sic. in ms. — 4. Infra ad an. 1386 additur « de provincia Provincie ».

1448. *Clemens VII (Johanni de Calore) cancellario Paris. injungit ut Johannem de Attigniaco, Ord. Min., qui in solemnibus studiis Ord. lector et in domo Paris. « Biblie corrector principalis extitit, ac inibi coram Universitate studii Paris. pluries clero solempniter predicavit », ad legendos libros Sentent. in scholis ab ipso designatis admittat in hieme proxime sequenti, servatis servandis, et postea ei magisterii honorem largiatur.* Dat. Avinione ij kal. Junii, anno secundo. « Viri sacre ».

1380, Maii 31, Avenione.

Reg. Vat Clementis VII, nº 292, fol. 116[b]. — In *Catal. licent.* (Bibl. nat. Paris. mss. lat. 5657[a], 12850) inter licent. an. 1383 (1384) affertur.

1449. *Clemens VII (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Christoforo de Cugneriis, Ord. frat. Min., olim gardiano conventus Parisiens. (qui post auditionis cursum in theol. in pluribus studiis solemnibus Ordinis lector et in conventu Paris. corrector exstitit principalis, et ibidem ordinarie Bibliam legit ac per provinciam Franciae electus cursum lecturae Sententiarum in eodem conventu perfecit, in quo pluries coram magistris, doctoribus et scholaribus Universitatis solemniter praedicavit), magisterii honorem et docendi licentiam concedat.* Dat. Avinione iiij non. Junii, pontificatus nostri anno secundo. « Viri sacre ».

1380, Junii 2, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XVIII, fol. 376[b]. — Licentiatus est an. 1381 (1382) e *Catal. licent.*

1450. *Clemens VII (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Johannem Merici*[1]*, Ord. frat. Praed. conventus Pictavensis, ad legendas Sententias extraordinarie in aestate proxime futura in scholis exterioribus conventus Paris. Ord. Praed. et continuandi ibidem lecturam licentiam concedat.* Dat. Avinione iij id. Julii, anno secundo. « Viri sacre ».

1380, Julii 13, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XVIII, fol. 559[b]. — An. 1383, Junii 27 (v kal. Julii an. v), jam omnes « actus per baccalareos in facultate theol., antequam in ipsa facultate licentiaturam suscipiant, fieri solitos fecit ». Si per cancellarii et saltem « trium » magistrorum examinationem idoneus repertus fuerit, cancellarius ei licentiam largiatur (Reg. Aven. Clem., vol. XXX, fol. 391 « Viri sacre »). Revera reperitur inter licentiatos an. 1383, i. e. 1384 (*Catal. licent.*, Bibl. nat. Paris. mss. lat. 5657[a], 12850).

1. Scribitur etiam « Meriti », « Merxi ». Perperam « Merier ». Vid. praeterea Quétif-Échard, *Script.*, I, 691. Alius, G. « Meriti », apud Delisle, *Cab. des mss.*, II, 245.

1451. *Clemens VII (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Francisco Martini, Ord. fr. B. Mariae de Monte Carmeli, baccalareo in theol. formato et per Capitulum generale dicti Ord. ad honorem magisterii suscipiendum praesentato, infra sex mensium spatium ab insinuatione praesentium computandorum magisterii honorem et docendi licentiam in eadem facultate concedat.* Dat. Avinione iiij id. Augusti, anno secundo. « Viri sacre ».

1380, Augusti 10, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XX, fol. 508[b]. — Franciscus Martini fuit Catalanus, conventus Barcinonens. An. 1372 a Capitulo Aquensi Ordinis ad Parisios ordinabatur pro Biblia tertio anno, in Capitulo Podiensi an. 1375 ordinabatur lector Sententiarum pro secundo anno, i. e. ut legat 1376 vel 1377 (Lezana, *Ann. Ord. Carmel.*, IV, 691 sq.). In *Catal. licent.* affertur ad an. 1380 (1381) ut licentiatus in theol.

1452. *Clemens VII Guiberto de Celceto*[1]*, canon. ecclesie S. Germani Paris., presbytero, mag. in medic., concedit, ut medicinae studio Parisiis vel alibi actus scholasticos, legendo, regendo, docendo, disputando ac omnes et singulos actus dictae facultatis consuetos ac omnia alia huic facultati incumbentia faciendo exercere licite valeat.* Dat. Avinione kal. Novembris, anno tertio. « Litterarum scientia ».

1380, Novembris 1, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXII, fol. 172. — Similem favorem idem Guibertus de « Saliceto », medicus Caroli Francorum regis, jam an. 1377, Sept. 25, a Gregorio XI obtinuerat (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXIX, f. 396[b]).

1. I. e. Celseto. Vid. supra p. 46, not. 7; p. 251, not. 1.

1453. *Clemens VII (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Guillermo de Piciaco, Ord. fr. Eremit. S. Aug., olim in domo fratrum ejusdem Ord. Metens., deinde in Parisiensi et in aliis diversis studiis lectori et studenti in theologia, licentiam legendi librum Sententiarum anno 1383 vel 1384 tempore aestivali concedat.* Dat. Avinione iij id. Novembris, anno tertio. « Viri sacre ».

1380, Novembris 11, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXII, fol. 156[b]. — Guillelmus de Pizy deest in *Catal. licent.*

1454. *Articuli accusationis ab Universitate Parisiensi regi Carolo VI praesentati contra praepositum Hugonem Aubriot.*

1380, Novembris 25, Parisiis.

Au roy nostre sire, supplie humblement vostre fille, le recteur et Université des maistres, licenciez, bacheliers et escoliers de l'estude de Paris, et espécialment maistres Pierre Juliot, Jehan de Saint-Nazar, Jehan Rousse, maistres en théologie; maistres Pierre Le Roy, Gieffroy Chapon, Thierry de Loupi, docteurs en décret; maistres Guy Guérin, Pierre Coquel, Jourdain Clives, maistres ès arts[1], et autres estudians en vostre dicte Université, consors en ceste partie; que comme lesdiz supplians, en chief et en membres, soient notoirement en vostre espécial sauvegarde, et aient pluseurs privilèges, franchises et prérogatives a eulz donnés et octroiés par vos prédécesseurs roys de France, et lesquelx messire Hugues Aubriot, chevalier, à présent vostre prevost de Paris, conservateur d'iceulx privilèges, a juré par pluseurs foiz tenir, observer et garder, sanz les enfraindre ne venir encontre en aucune manière par lui ne par autre. Et pour la bonne amour et affection que vostre dicte fille a eu touz jours à vos prédécesseurs, roys de France, nosseigneurs, et à vous, ont et auront touz jours, se Dieu plaist, le recteur et Université et les singuliers d'icelle ont usé et accoustumé de touz temps à aler en procession à l'enterrement des corps de voz prédécesseurs, roys de France, et les convoier à grant dévotion et sollennité, en leurs habiz et chappes de leurs facultés; et aient aussy usé et accoustumé à estre près du corps du roy, d'un costé, et les doyen et chappitre de l'église de Paris, d'autre[2]. Et en persévérant en l'amour et affection dessus dicte, fussent dernièrement lesdiz supplians alez en procession, à grant dévotion, et en leurs habis et chapes de leurs facultés, à l'église de Saint-Anthoine lez Paris, pour convoier le corps de feu nostre sire le roy Charles de bonne mémoire[3], vostre père, dernièrement trespassé, dont Dieu ait l'âme; et eussent volu le recteur[4] et autres de ladicte Université eulx mettre en leur lieu, et aler simplement et honnestement, en la manière qu'ilz avoient accoustumé à faire ou temps passé; néantmoins ledit prévost, qui de long temps a en indignation vostre dicte fille, si comme il a dit et monstré de fait par pluseurs foiz et manières, meu de mauvaise volenté, acompaignié de pluseurs sergens et autres armez, vint à l'encontre dudit recteur et autres maistres en théologie, en décret et autres facultez; et demanda ledit prévost au recteur, que il et les autres de l'Université queroient et où ilz aloient; lequel recteur respondit que ilz aloient

au lieu où ils avoient accoustumé à estre autrefois, quant l'en portoit les corps des roys de France[5]. Après laquelle response, ledit prévost, par manière de dérision, demanda audit recteur et autres de l'Université, se ilz vouloient aler avecques les prélas? Auquel le recteur respondi moult humblement que non, mais que il leur suffisoit d'avoir leu lieu accoustumé, en disant audit prévost : « Sire, vous estes nostre defenseur et protecteur; je vous suppli, de par l'Université, que vous nous veilliez garder nostre droit, et que nous ne soions point boutés hors de nostre lieu. » Après lesquelles choses, ledit prévost bouta injurieusement ledit recteur, et depuis le print par le menton en lui disant que mal pour lui, et que encores auroit il pis, ainçois qu'il dormist, en le menassant moult fortement. Et combien que ledit recteur li dist qu'il faisoit mal de lui prendre par le menton, et qu'il le rappelloit en son courage, néantmoins ledit prévost reprint par le menton icelui recteur, et le bouta moult rudement, et aussy pluseurs de ses sergens et autres frapèrent pluseurs coups sur ledit recteur; et dist ledit prévost ces paroles : « Tuez, tuez tout; au recteur, au recteur! » Et tant fut frapé et bouté ledit recteur, que a peu qu'il ne chey en un fossé, et aussy furent pluseurs maistres en théologie, décrès, et autres personnes notables de ladite Université; et qui pis fut, furent pluseurs batuz, navrez et injuriez d'espées, de haches et de bâtons, chaciez par les champs, foulez aux piés des gens et des chevaulx, et tant qui failly que pluseurs se boutassent en la rivière de Saine, pour sauver leurs vies, et dont les aucuns passèrent la rivière à no. Et non content de ces choses, les sergens et autres de la compaignie dudit prévost emportèrent pluseurs chappes, housses, manteaulx, houpelandes, barètes, saintures, bourses, cousteaux, or et argent monnoié de pluseurs desdiz supplians; et aussy ostèrent à deux des bedeaus leurs deux verges d'argent, que ilz portoient par devant ledit recteur et autres de l'Université. Et entre les autres furent batuz, injuriés et navrés jusques à grant efusion de sang, et les aucuns en pluseurs parties de leurs corps et en péril de mort, maistre Pierre Juliot, de l'ordre de Saint-Benoît, maistre Jehan Nasart, cordelier, et maistre Jehan Rousse, touz docteurs en théologie; maistre Pierre Leroy, maistre Geffroy Chapon, maistre Thierry de Loupi, docteurs en décrès; maistre Jordain de Clivis, et Perre le Flamain, son varlet, et pluseurs escoliers; c'est assavoir Jehan Guynot, Jehan Garnement et Raoulet le bedeau[6]; et aucuns autres furent batus, tirez, boutez et chaciez, si comme Nicolas Dubourt, Jehan Goulée, et pluseurs autres. Et avecques ce, lesdiz complices ostèrent audit recteur sa chape, que son varlet portoit, et audit maistre Jehan Rousse, sa chappe et son bonnet, et audit maistre Jordain, sa chape; et à Jehan Guynot fut ostée une sainture d'argent qui valoit trois frans ou environ, et deux cousteaux du pris de deux frans, avecques sa bourse de soie où il avoit quatre souls et iiij deniers; et fu geté par iiij foiz à terre par pluseurs en disant : « A mort, ribaus clers! estes vous venus contre nous? vous morrez tous. » Et lui dessirèrent sa chappe et li trairent son chaperon de la gorge si lourdement, que à peu que ilz ne l'estranglèrent, et le getèrent à terre, et puis le foulèrent aus piez; et fu batu moult énormément. Et oultre,

Guillaume Divadan fut chacié jusques à Saine à espées nuez par les sergens; et tant qu'il failli, que tout vestu, et en son mentel, il passast la rivière de Saine; et aussy firent pluseurs autres. Et avecque ce ledit prévost, pour plus injurier lesdiz supplians, fist mener pluseurs d'iceulx supplians ignominneusement en leurs habis par pluseurs sergens, depuis le lieu du conflit, jusques ou Chastelet de Paris; et là les fist mettre et tenir en prison. C'est assavoir maistre Jehan d'Angusse[7], à présent recteur; maistre Jehan Rousse, en sa chape: maistre Guy Garin, maistre en médecine; et maistre Pierre Coquel, licencié en médecine; et Thibaut de Hermonville, qui portoit la chape du recteur, et pluseurs autres. Et en i ot pluseurs qui furent chaciez à espées nues, dont les aucuns se laissèrent cheoir; et par les champs les autres entroient ès fossez, pour eulx sauver; et les autres s'en vindrent à Paris, dont il en y a eu i mort dedens ij jours après, ou environ. Et depuis ledit prévost, en persévérant en son mauvais propos, fist aler armer pluseurs sergens et autres, lesquelx revindrent avecques lui, et lesquelx firent depuis lesdiz supplians par force et violence passer hors de leur lieu, au devant de pluseurs religieux. Et fist faire pluseurs autres excès et injures auxdiz supplians; lesquelx, après ces choses, suyvirent au plus honnestement qu'ils peurent le corps du roy jusques en l'église de Nostre-Dame.

Et ce jour mesmes lesdiz supplians eust envoié audit prévost, en son hostel, certains de leurs députez, sages et notables personnes, lesquelx le saluèrent moult revéremment; mais il ne tint compte d'eulx; ainçois par paroles hautaines et orgueilleuses leur dist avant : « Que voulés-vous ? » Et adoncques l'un d'iceulx li dist moult revéremment : « Monseigneur, nous venons par devers vous, de par le recteur et l'Université de Paris, pour vous requérir que vous veilliés rendre les maistres et escoliers de ladite Université, la chape du recteur et pluseurs autres biens qui leur ont esté ostez; et que lesdiz prisonniers estoient gens de bien et d'onneur, et les aucuns, maistres en théologie, en médecine, en ars, licenciez, bacheliers et gens de bien. » Mais ainçois qu'il eust finé sa parole, ledit prévost dist par pluseurs fois : « Ha! ceste ribaudaille, truendaille! Je reny Dieu, il me desplaist quant il n'en est pis alé, et je reny Dieu, il me desplaist quant il n'en a plus en prison, et que le recteur n'est avecques eulx. Venez, venez demain, et vous verrés qu'il sera fait. Ha, ha, venez demain querre vostre lieu, et vous verrés que ce sera; les besoingnes ne demourront pas ainsy. Alez, alez, et je renie[8] Dieu, se je ne vous fais mener en chastel avecques les autres, se vous ne vous en alés. » Et failly que les emprisonnés jeussent toute la nuyt en prison; et ne peurent avoir la chappe du recteur ne les autres biens; ne oncques il ne vost nulz délivrer, à la prière du recteur ne de l'Université, combien que le lendemain il en délivrast aucuns à la prière d'aucuns leurs bons amis; et les autres y geurent deux nuyz; ne ne les voult délivrer, hors que par la main de l'évêque de Paris auquel ilz furent renduz, pour plus injurier et traviller lesdiz supplians.

Et pour ce, le mardi ensuyant, qui fu que le corps du roy nostre sire devoit estre porté à Saint-Denys, ledit recteur et aucuns députez de l'Université se trairent par devers

monseigneur le duc d'Anjou, vostre oncle, lors régent, et lui exposèrent certaines choses, après lesquelles il les mist habundament en sa suite; et depuis ilz alèrent à l'église Nostre-Dame, bien et dévotement, en habiz de leurs facultez, et convoièrent le corps du roy jusques à Saint-Ladre; mais ledit prévost, en persévérant à son malvais courage, avoit fait assembler pluseurs sergens et autres armés à armes descouvertes. Lequel et ses complices boutèrent et fâchèrent lesdiz supplians; les firent aler, l'un çà et l'autre là, par force et contre leur volenté, et leur dist le prévost ces paroles : « Estes vous revenus de par le deable! Je renie Dieu, se vous mouvez et se ne passez si n'estez si bien batuz que deables vous emporteront. » Et tantost, il et ses sergens boutèrent le recteur; et mesmes ledit prévost appela messire Guillaume Du Marois, prebstre, notaire de l'Université, qui estoit en la compaingnie du recteur Ruaut, prebstre, et avecques ce li donna un grand coup d'une boulaye par la teste, tant que par ledit coup il bouta le recteur. Et depuis, il fist tenir vint ou trente sergens armez qui estoient derrière ledit recteur; lesquelx de son commandement boutoient et frapoient et aussy pluseurs autres de l'Université; par espécial batirent d'une taloche ledit maistre Jehan Nazart. Et quant l'en leur demandoit pourquoy ilz leur faisoient ces choses et non pas aux autres, ilz respondirent, que l'en ne leur avoit pas commandé que ilz boutassent, fors ceulx de l'Université. Et avecques ce ledit prévost a depuis dit par pluseurs foiz qu'il avouoit tout ce qui avoit esté fait esdiz lieux contre lesdiz supplians.

Lesquelx choses avecques pluseurs autres déliz et excès ont esté faictes par ledit prévost et ses complices, en enfraignant vostre sauvegarde, en grant esclandre et lésion de justice, et ou grant contempt, dommage et vitupère desdiz supplians. Qu'il vous plaise mander à deux de nosseigneurs de vostre Parlement, telz qu'il vous plaira, qu'ilz facent informacion des excèz et maléfices dessus diz; et que touz ceulx qui par ladite informacion seront trouvez coulpables, ou véhémentement soupeçonnez, ilz adjournent à comparoir, en personne et de mainmise, à certain jour extraordinaire de vostre présent Parlement[3], nonobstant qu'il sie, pour respondre ausdiz supplians et à chascun d'eulx, pour tant qu'il li puet toucher, sur les excès et maléfices dessus diz et circonstances et dépendences d'iceulx, et à tout ce qu'il leur vouldront demander à fin civile, et à vostre procureur à tel fin qu'il vouldra eslire : en certiffiant, au dit jour, deuement nosseigneurs tenant vostre dit Parlement, dudit adjournement et de tout ce qui sera fait des choses dessus dites; et qu'ilz leur envoient l'information, qui par eulx sera faite, enclose soubz leurs seaulx; et mander à nos diz seigneurs, tenant vostre dit Parlement, que aus parties, icelles oies, facent sommèrement et de plain, sans figure de jugement, bon et brief accomplissement de justice.

Originale in Arch. Univ. Paris., theca IV, A. 21. v. — Jourdain, nº 791, perperam ad finem mensis Septembris. — Nota temporis supra posita liquet e *Lib. procur. nat. Anglic.* ad an. 1380, Novemb. 24 (vid. *Auctar. Chartul.*, I), ubi de his articulis ad regem directis agitur.

1. Hi deputati Universitatis fuerunt, ut e *Lib. proc. nat. Anglic.* apparet. — 2. Vid. supra nº 1293. — 3. Defuncti

an. 1380, Septemb. 16. — 4. Dominicus Parvi seu Petit, a Junii 23 (vid supra p. 162, not.). — 5. Rem sic narrat auctor coaetaneus libri *Chronique des quatre premiers Valois*, ed. Siméon Luce (Paris, 1862), p. 288 : « Le corps dudit roy, comme il fut trespassé, fut ouvert, embasmé et ordonné comme il est accoustumé de faire aux roys de France, et fut apporté à Paris. Et comme le corps deubt partir de Saint-Anthoine à venir à Paris, là estoit tout le clergié de Paris, les frères du roy et grant foison de barons. L'Université de Paris, le recteur et les maistres des quatre Facultés vouldrent aler devant au plus près du corps du roy devant le chappitre de Nostre-Dame de Paris et le chappitre de la Saincte Chappelle du palais du roy. Là sourdi un grant debat dont le prévost de Paris, Hugues Aubriost, ungs homs crueux, luy et ses sergens armés, coururent sus aux clercs, et en navrèrent plusieurs, et bien plus de trente-six en mistrent en prison. Les clercs n'estoient pas armés, si furent pour ce jour les plus fiebles. » Cf. *Les grandes chroniques de France*, ed. P. Paris, VI, p. 469. — 6. De his jam supra, vel in *Auctar*. — 7. Johannes de Angusia, Scotus, fuit nat. Anglic., et rector ab Octob. 10 circiter. — 8. Orig. : « et se je ne renie Dieu ». — 9. Exstat de hoc instrumentum an. 1381, April. 6, in Arch. nat. Paris. X1a-1471 (*Cons. et plaid.*), fol. 532b, in quo « les noms de ceux qui seront adjornez à comparoir en personne en parlement à la requeste de l'Université de Paris et de maistre Dominique Petit, jadis recteur, et aucuns autres singuliers d'icelle Université contenus et dénommez ès lettres du roy par euls empétrées ». Inter illos primus nominatus « messire Hugues Aubriot, prevost de Paris », et 21 « seigneurs » et « sergens ». Vid. praeterea infra nº 1457.

1455. *Clemens VII (Joh. de Calore) cancellario Paris., ut Johannem Gaii Xanctonens. dioec., Ord. frat. Praed., nostri sacri palatii apostolici baccalareum, qui diu circa facultatem s. theol. per longa tempora in diversis generalibus studiis insudavit, legendo in villa de Ruppella, in Pictavensis et Andegavensis civitatum conventibus, ad legendos libros Sententiarum Parisiis in secundis scholis conventus in hieme videlicet anni Domini proxime futuri 1382, alioquin quotiescunque post dictum terminum sibi placuerit, admittat.* Dat. Avinione v kal. Januarii, pontificatus nostri anno tertio. « Viri sacre ».

1380, Decembris 28, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXI, fol. 519b — An. 1384, Julii 15, Sententias jam legit, et Clemens VII cancellario injungit, ut post diligentem examinationem Johanni magisterii honorem et docendi licentiam concedat (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXXIV, fol 540. « Viri sacre »). Licentiatus est tamen solum an. 1386 (1387) e *Catal licent.* in Bibl. nat. An. 1394, Julii 9, factus est, post mortem Jacobi de Moreyo (de quo supra nº 1271), « qui paulo antea in curia obierat », mag. scholarum palatii apost. Aven. (« magister palacii pro theologia »), eodemque die juramentum praestitit (in Reg. Aven. Clem. VII, vol. LXIV, f. 592b). Omittitur apud Quétif-Échard, *Script.*, etc., I, p. XXI.

1456. *Statuta nationis Gallicanae sub procuratore mag. Johanne Luqueti*[1] *de missis, de festo celebrando Conceptionis B. Virginis, de scholis.*

1380, mense Novemb.-Decemb., Parisiis.

[Quo procuratore] remoti sunt merelli[2], et fuit deliberatum quod amodo procurator in quolibet mense haberet nomina omnium regentium et poneret illos qui interessent in missis et vesperis, ut posset videri facile quibus natio teneretur, et qui tenerentur refundere.

Eodem anno, die 12 mensis Decembris, fuit facta congregatio nationis per juramentum regentium et non regentium, Johanne Luqueti existente procuratore, ad statuendum si opus esset, super festo celebrando in natione in Conceptione gloriose Virginis Marie, et de scolis, etc. Quibus positis in deliberatione per eundem procuratorem fuit deliberatum concorditer nullo reclamante, quod amodo celebraretur festum Conceptionis gloriose Virg. Marie eodem modo quo et alia festa solent celebrari, sive per modum statuti vel alias.

Quoad statuendum de scolis dedit natio deputatos ad visitandum librum nationis et procuratoris, et quidquid inveniretur boni, poneretur in una cedula, scilicet quod possit tangere ordinationem scolarum sive statuta, et quidquid inveniretur mali, etiam extraheretur in una cedula, et etiam vocaretur natio ad statuendum, si opus esset, et etiam destatuendum.

Bulaeus, IV, 963, e *Lib. proc. nat. Gallic.*

1. Procuratore ab an. 1380, Novemb. 19. Licent. est an. 1374, et an. 1375, April. 7, primo procurator fuit. — 2. Seu « meralli », tesserae, quae in pluribus ecclesiis canonicis aliisque dabantur in praesentiae signum. Vid. Ducange-Henschel, IV, 365.

1457. *Johannes de Salice in rectorem eligitur. Praepositus Paris. Hugo Aubriot incarceratus.*

1380, Decembris 15-1381, Martii 24.

Anno Domini 1380, die quinta decima mensis Decembris, magister Johannes de Salice de Miteraco fuit electus in rectorem. Et tempore rectorie Hugo Aubriot miles prepositus Parisiensis fuit incarceratus[1] Parisius in curia episcopali per dominum Parisiensem episcopum et inquisitorem heretice pravitatis propter factum heresis, regnante Karolo rege Francie etatis 12 annorum.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 142. — Bulaeus, IV, 584.

1. An. 1381, Januarii 21, ut legitur in *Grandes chron. de France*, ed. P. Paris, VI, 474, comparere debuit coram Aimerico episc. Paris., et mag. Jacobo de Moreyo, Ord. Praed. inquisitore. Sed non comparuit usque ad Februar. 1, exinde excommunicatus tunc incarceratus est. Universitas Paris. episcopo Paris. libellum accusationis de criminibus ab ipso commissis, et de haeresi ejusdem circa sacramentum Altaris praesentavit (vid. d'Argentré, *Coll jud.*, I[2], p. 60), ut etiam in *Chron. du relig. de S. Denis*, ed. Bellaguet, I, 104, narratur, ubi praeterea exponitur, dictum praepositum odium inexpiabile contra omnes ecclesiasticos, praecipue tamen contra Universitatem Paris., concepisse, in cujus contemptum in Castelleto duos « teterrimos carceres composuerat, uni *Claustri Brunelli*, alteri *Vici Straminum* adaptans nomina », ibique scholares pro qualibet levi causa projiciens. Remansit nihilominus in carcere praepositus Paris. Maii 17 vero « prope hospitale atrii ecclesie Paris. », ut scribitur in *Lib. proc. nat Angl.* (vid. *Auctar.*), Hugo « in alto appendiculo stans » coram episcopo, inquisitore et Universitate tanquam haereticus ad perpetuos carceres condemnatus est. Vid. insuper *Chron. des quatre premiers Valois*, ed. Siméon Luce, p. 294; Le Roux de Lincy in *Bibl de l'École des chartes*, sér. V, t. III (1861-2), p. 173. Maii 31 solum novus praepositus, Audoinus Chauveron, factus est, de quo infra n° 1459. An. 1382 Hugo Aubriot a carcere liberatus est, ut infra n° 1465, not. 6, explicatur.

1458. *Clemens VII (Johanni de Calore) cancellario Paris., ut Richardum Bigot*[1], *Ord. fr. Praedicat., tempore hiemali ad legendum librum Sententiarum in studio Parisiensi in altera scholarum conventus fratr. Praedicat. pro anno Domini 1383 vel postea admittat.* Dat. apud Pontem Sorgie Avinionens. dioc. ij non. Maii, anno tertio. « Viri sacre ».

1381, Maii 6, apud Pontem Sorgiae.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXII, fol. 285[b].

1. An. 1385 adhuc Parisiis ut baccalareus morabatur, sed minime ibid. licentiatus est.

1459. *Juramentum novi praepositi Paris., Audoini Chauveron, Universitati Paris. praestitum.*

1381, Junii 30, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Universis presens instrumentum publicum inspecturis pateat evidenter et sit manifestum, quod anno ejusdem millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indiccione quarta, mensis Junii die ultima, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Clementis divina providencia pape septimi anno tercio, congregatis in capitulo seu loco capitulari monasterii Sancti Bernardi Parisiensis pro infrascriptis peragendis venerabilibus et circonspectis viris dominis rectore, necnon in sacra theologia, decretis, medicina et in artibus doctorum et magistrorum atque scolarium famosi studii Universitatis Parisiensis multitudine copiosa ex parte una; ac provido et honesto viro domino Audoyno Chauveron, legum doctore, preposito Parisiensi[1], domini nostri regis consiliario, parte ex altera; ibidem existente me notario publico, testibusque presentibus infrascriptis, prenominati domini rector et Universitas eidem domino Audoyno preposito predicto per organum venerabilis ac religiosi et honesti viri fratris Johannis Goulain, ipsius sacre theologie professoris, palam et publice, altaque et intelligibili voce dici et exponi fecerunt in effectu quod inclite et recolende memorie domini quondam Francorum reges dictam Universitatem ipsiusque supposita volentes in transquillitate et pace totis conatibus et desideriis confovere, plura et diversa laudabilia privilegia retroactis temporibus concesserant, per dictum nostrum regem modernum sui gracia confirmata. Et inter cetera Philippus quondam Francorum rex unum privilegium eis concesserat, quod et in eo contenta prepositus Parisiensis, qui est pro tempore, in sua nova recepcione et institutione primeva in officio prepositure Parisiensis se servaturum de puncto in punctum jurare tenebatur et tenetur, ut ex ipsius privilegii serie et tenore dicebant apparere manifeste. Quapropter eumdem dominum Audoynum prepositum antedictum instanter requisierant, quatinus privilegium supradictum, cujus lecturam sibi fieri offerebant, quamdiu hujusmodi prepositure officio presideret, juraret, et illud promitteret observare secundum ipsius seriem et tenorem, prout et secundum quod sui predecessores prepositi Parisienses retroactis temporibus promiserunt. Qui quidem dominus Audoynus audita requisicione premissa et multis aliis dictis et prolocutis tunc ibidem per fratrem Johannem Goulain superius nominatum, ignorans quasi novus eorum privilegia, et presertim illud, de quo sibi fiebat tunc mencio, eos requisivit instanter, ut coram ipso dictum privilegium in publico legeretur, promptus et paratus omnia facere et complere, ad que de jure et racione teneretur.

Quo privilegio in gal[l]ico et latino alta voce et intelligibili perlecto, et attento tenore ipsius, consideratisque contentis in eodem, ipsis dominis rectori et Universitati idem dominus Audoynus benigniter et humiliter dixit et respondit, quod ipse multis de causis et racionibus studentes diligere tenebatur, juraque, privilegia et libertates eorum conser-

vare, et presertim quia a puerilibus exordiis ipse fuerat Aurelianis studens et gradus suos licet indignus obtinuerat in eodem, offerens se (salvis et exceptis juribus prefati domini nostri regis, cui juramentum de dicto prepositure officio, quamdiu prepositus existeret, fideliter exercendo [prestiterat]) paratum eis favere juxta posse, eorumque privilegia, libertates et jura, prout de jure fuerit, et eciam racionis, secundum ipsorum formam, continenciam et tenorem amodo illesa servare et contra ipsa nullatenus atte[m]ptare. Dictum privilegium sic, ut premittitur, sibi lectum observare promittit et juravit in modum qui sequitur et in formam :

« Obediencia et omnibus juribus domini nostri regis per omnia semper exceptis et salvis, premissa, quatinus me tangunt, fideliter observare pro posse juramento promitto. »

De et super quibus premissis omnibus et singulis supranominatus dominus Audoynus pro se et ad opus suum per me, notarium publicum infrascriptum, sibi fieri voluit et petiit publicum instrumentum unum vel plura, si sit opus, ejusdem tamen substancie et tenoris, astantes et presentes invocando in testimonium premissorum.

Acta fuerunt hec anno, indiccione, mense, die, pontificatu et loco predictis, presentibus venerabilibus et discretis viris magistris Johanne de Chatonis, Odone de Senonis, Alberico Rousselli advocatis, Drocone d'Ars, Egidio de Drocis, Stephano Carpentarii, Johanne de Barro, Girardo de Haya, Guillermo de Muervis, commissariis Castelleti regii Parisiensis, cum pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Guillelmus Siquardi, clericus Sagiensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, *etc.*

Arch. nat. Paris. Y^2, f° 86 (LXXVI), sub rubrica « Du serment que monsieur le prevost fist à l'Université ».

1. Ab hoc anno, Maii 31. Vid. supra ad n[um] 1457.

1460. *Nicolaus de S. Saturnino, tit. S. Martini in Montibus presb. card., recipit cancellariam eccl. Paris. per obitum Johannis de Calore vacantem.*

1381, circ. Maii 26-Julii 15.

Nicolaum de S. Saturnino, de quo supra n° 1280 et not. 5, cancellar. Paris. fuisse, omnes hucusque fugit, etiam Quétif-Échard, *Script.*, I, 683, et Duchesne, *Hist. des card. Franç.*, II. Cancellarius Joh. de Calore ad an. 1380, Octob. 8, adhuc occurrit in quodam instrumento pro Collegio Camerac. (vid. Jourdain, n° 792). In actis capitul. eccl. Paris. (Arch. nat. Paris. LL. 107, 108[a]) desunt anni 1372-1392; in collectione Sarrazin vero Johannes de Calore ultimo ad an. 1380, Aug. 13, affertur (ibid. LL. 310, fol. 68[b]). Si verba Gersonii mox citanda ad rigorem essent accipienda, Johannes de Calore an. 1381, Junii, etiam inter vivos et cancellarius fuisset, scribit enim, Henricum de Hassia vicecancellarium sub mag. Johanne de Calore, « tunc Parisiens. cancellario », suum *Consilium pacis* scripsisse (Bibl. nat. Paris. ms. lat. 1573[a], f. 29[b], *Opp. Gerson.*, II, 126), quod post Junii 15 evenit (vid. infra *De Schismate*). Certe an. 1381 et quidem inter Quadrages. (postquam munere licentiam dandi functus esset) et Maii 26 Johannes de Calore mortuus est, et postea cancellaria per aliquod temporis spatium vacabat, cum Hemeraeus, *De acad. Paris*, p. 133, ex Actis eccl. Paris. ad an. 1381 notet : « Vacante cancellaria episcopus, decanus et capitulum commiserunt communiter et absque prejudicio utriusque partis cuidam (Hem. : « quemdam ») ad magistrandum quemdam in theol. » In Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXII, f. 57, epistola quaedam ad Johannem Blanchart directa registrata est sub an. tertio, 7 kal. Junii (1381, Maii 26), qua Johanni « per Johannis de Calore obitum vacans cancellaria eccl. Paris. » confertur. Sed, epistola deleta, in margine scribebatur · « Cassata de mandato ». Opinamur, papam jam Johanne de Calore defuncto cancellariam Paris. Johanni Blanchart conferre voluisse; ast consilio mutato eam card. Nicolao de S. Saturnino,

sub eadem temporis nota, obtulisse. Sed infeliciter. Brevissimo enim temporis spatio elapso Nicolaus se abdicavit hoc officio, Clemente VII eodem an. 1381, Julii 15, ad Nicolaum scribente « Cum itaque tu hodie cancellariam eccl. Paris., quam ex concessione et dispensatione sedis apost. obtinebas, et de qua optabamus alicui persone ydonee provideri que in ea personaliter residendo per se ipsam incumbens sibi officium exerceret, votis nostris hujusmodi liberaliter te conformans in manibus nostris sponte et libere resignaveris, nosque resignationem hujusmodi duxerimus admittendam, nos volentes tibi », *etc.* (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXIII, f. 49b). Ex quo etiam apparet, Nicolaum non resedisse, nec licentiam contulisse; propter quod, et cum tempore exiguo cancellarius fuisset, in Actis semper Johannes de Calore, minime Nicolaus, ut praedecessor immediatus Johannis Blanchart designatur, quod etiam a Petro de Ailliaco fit in *Tract. II contra cancell.* (*Opp. Gerson.*, I, 759).

1461. *Clemens VII magistro Johanni Blanchart cancellariam eccl. Paris. confert.*

1381, Julii 15, Avenione.

Dilecto filio mag. Johanni Blancart, canonico et cancellario eccl. Paris., sacre pagine professori, capellano nostro, salutem, *etc.* Grata tue devotionis, *etc.* Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia .... apud sedem apost. tunc vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostre reservavimus .... Cum itaque postmodum cancellaria eccl. Paris. per liberam resignationem dilecti filii nostri Nicolai[1] tit. S. Martini in Montibus presb. cardinalis, per eum de illa (quam ex concessione et dispensatione predicte sedis tunc temporis obtinebat) in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud sedem ipsam vacaverit et vacare noscatur ad presens, nullusque preter nos hac vice de illa disponere potuerit neque possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis : nos volentes tibi premissorum obsequiorum et meritorum intuitu gratiam facere specialem canonicatum ejusdem eccl. ac cancellariam predictam ut prefertur .... nostra mera liberalitate apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis etiam providemus[2]. Prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, quam tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam, conferendam tibi post acceptationem hujusmodi cum omnibus juribus et pertinentiis suis donationi apostolice motu simili reservamus .... Datum Avinione id. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXII, f. 63. — Ibid. archiepisc. Turon.[3], episcopi Tullens.[4] et Lingonens.[5] executores constituuntur. — Notarius et scriba Capituli Paris., Stephanus Boussardi, an. 1385, Sept. 15, fidem facit, Johannem Blanchart an. 1381, Aug. 14, ad officium cancellariatus in Capitulo Paris. admissum et receptum esse, atque jurasse ea omnia quae Gregorius IX in sua Bulla *Parens scientiarum,* per cancellarium in sua receptione jurari ordinavit (Arch. Vat. Collect. nº 440, f. 150).

Circa idem tempus vel postea idem cancellarius recepit etiam mandatum apostolicum, quod nullum suspectum de adhaerendo Bartholomaeo seu Urbano VI admitteret ad licentiam (Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 88 et infra p. 358, art. 45).

1. Nicolai de S. Saturnino, Ord. Praed., de quo supra nº 1460. — 2. Johannes Blanchart a Clemente VII plurimi aestimatus est, eodemque anno adhuc, Januarii 29, thesaurariam eccl. Camerac. recepit. (Reg. Vat. Clem. VII, nº 293, f. 61). — 3. Alelmus, praepositus S. Deodati Tullens. dioec., lic. in leg., archiepisc. Turon. an. 1380, Jun. 20 (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XIX, f. 62b), post quem Seguinus, patriarcha Antiochenus, administrator eccl. Turon. ab an. 1383, Octob. 8 (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXIX, f. 160). — 4. Johannes de Novo-Castro, episcopus Nivernens., an. 1372, Aug. 27, fit episc. Tullens. (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XI, f. 44), an. 1383, Dec. 23, card. Quat Coronat. (Contelori). — 5. Bernardus (de la Tour), abbas Trenorchiens. Cabilon. dioec., fit episc. Lingon. an. 1374, Jul. 14 (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXI, f. 45b).

1462. *Clemens VII Johanni de Basilea*[1], *rectori frat. Ord. Erem. S. Aug., in theol. mag., facultatem confert nominandi et deputandi fratres baccalareos in s. theol. ad legendas Bibliam et Sententias in Paris. et aliis « Universitatibus generalibus ».* Dat. Avinione xvj kal. Aug , anno tercio. « Religionis zelus ».

1381, Julii 17, Avenione.

Reg. Vat. Clem. VII, n° 293, fol. 179.

1. Vocatur Hiltalinger. An. 1379, Septemb. 18, nominatus est a Clemente VII, contra Bonaventuram Badoaro (seu potius Nicolaum Amatricens.) Urbano VI adhaerentem, prior gener. Eremit. S. August. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XV, f. 460), eodem anno a Clemente VII pro Ordinis negotiis destinatus erat ad partes Germaniae, « ubi pauci magistri in theol. fore dicuntur »; Octob. 28, mandatum recipit magisterium conferendi Marquardo de Lindowia (celebri Marquard de Lindau) Min., et Theobaldo de Altki[r]ch (in Alsatia), seu de Basilea, Praed., et duobus aliis (Reg. Clem. VII, vol. XI, f. 200[b]). An. 1384, Jul. 24, a Clem. VII destinabatur ad provinc. Remens. causa reducendi clerum et populum Bartholomaeo papae intruso (Urbano VI) adhaerentes (Reg. Vat. Clem. VII, n° 295, f. 20). An 1389, Martii 10, episc. Lombariens. (ib., vol. LII, f. 69[b]), obiitque an. 1392, ante Octob. 10, ut e nominatione sui successoris, Petri, decani Cathalaun. (non Raimundi, ut in *Gall. christ.*) apparet (Reg. Vat. Clem. VII, n° 303, f. 22). Perperam in *Gall. christ.*, XIII, 324, asseritur, Johannem Ord. Praed. adscriptum esse et usque ad an. 1410 circiter vixisse.

1463. *Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario Paris., ut Petro de Candia, Ord. frat. Min., baccalareo in theol., qui in diversis studiis*[1] *legendo, disputando et alios actus scholasticos exercendo cursus suos in sacra pagina perfecit, si per ejus examinationem et aliorum saltem quatuor magistrorum in theol. depositionem sufficiens repertus extiterit, legendi et regendi ubique in fac. praedicta licentiam largiatur.* Dat. Avinione xvij kal. Octobris, anno tertio. « Sicut debetur ».

1381, Septembris 15, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXII, fol. 286. — Petrus de Candia, natione Graecus, an. 1380 tantum lecturam super Sententias Parisiis complevit, ut legitur in fine ms[ti], Bibl. Amplon., in Fol., n° 94 (ibid., fol. 204-226, ejusdem principia super Sententias), et Marcian. Venet., Bess. n° 107. Postea sub cancellario Johanne Blanchart, datis eidem octoginta francis, licentiam obtinuit, ut ex 52[mo] articulo *accusationis* contra cancellarium (infra p. 359) liquet; in *Catal licent.* (mss. 5657[a], 12850 Bibl. nat. Paris) inter licentiat. an. 1381 (1382) affertur. An. 1386, ante Octob. 5, ab Urbano VI factus est episc. Placent.; 1388, ante Januar. 23, episc. Vicent.; an. 1389, ante Sept 18, episc Novariens. (Arch. Vat. Oblig., vol. XLVIII, fol. 41, 63[b], 89); 1402, ante Julii 20, archiep Mediolan. (Obl. Bonif IX, vol. LVII, fol. 37[b]); an. 1405, Junii 12, ab Innocent. VII creatus card. XII Apost (Contelori); 1409, Junii 26, papa Alexander V. De ejus vita et moribus vid. *Theoderici de Niem De schismate libri tres*, ed. G. Erler (Lipsiae, 1890), p. 319 sqq.

1. Oxonii etiam per plures annos. Vid Erler, l. c., p. 320.

1464. *Clemens VII Johanni Blanchart, cancellario Paris., injungit, ut fr. Vitalem de Cosdinerii, Ord. Praed., ad legendas Sententias et postea ad gradum baccalareatus admittat.*

1382, Januarii 22, Avenione.

Dilecto filio cancellario ecclesie Paris. salutem, etc. Viri sacre lectionis, *etc.* Cum itaque, sicut exhibita nobis pro parte dilecti filii Vitalis[1] Cosdinerii Claromontensis dioc. Ord. frat. Predicat. professoris, nuncque lectoris in conventu Claromont. dictorum fratrum, petitio continebat quod idem Vitalis, qui circa fac. theol. per longa tempora in diversis generalibus studiis insudavit, studendo etiam et legendo, videlicet primo artes, philosophiam naturalem, et postmodum in conventu Rothomag. fratr. ipsorum Sententias et deinde duobus annis theologiam, in dicto Claromont. conventu lector principalis existens, sub-

sequenterque per dilectum filium Helyam, magistrum dicti Ord. generalem, ad lecturam Biblie primo loco debito nationi Burgundie extitit deputatus.... Nos igitur.... discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus.... ipsum ad legendum libros Sententiarum Parisius in scolis dicti conventus interioribus vel exterioribus in hyeme vel estate, anni videlicet millesimi trecentesimi octuagesimi quinti proxime futuri, alioquin.... quotiescunque post dictum terminum sibi placuerit, et pro parte sua fueris requisitus, necnon *post complementum* dicte lecture *ad gradum bacallariatus* in facultate predicta et omnes actus scolasticos dicti gradus, si tamen ad hoc repertus fuerit ydoneus, auctoritate apostolica recipias et admittas seu recipi facias et admitti.... Dat Avinione xj kal. Februarii, anno quarto.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXVI, fol. 285.

1. Estne idem ac fr. Vitalis, qui post mag. Jacobum de Moreyo ab an. 1386, et postea, lite pendente contra Johannem de Montesono, inquisitor haereticae pravitatis in regno Franciae fuit?

1465. *Henricus Brekerevere in rectorem electus. Universitati coram rege datur locus primus ante episc., decanum et capitulum Paris.*

1381, Decembris 18-1382, Martii 24, Parisiis.

Anno Domini 1381, mensis Decembris decima octava die, facta congregatione facultatis artium apud Sanctum Julianum Pauperem per venerabilem virum magistrum Petrum Reginaldi, tunc rectorem Universitatis Parisiensis, ad eligendum novum rectorem, electus fuit in rectorem Universitatis predicte Henricus dictus Brekerevere Brabantinus, pro tunc procurator nationis Picardorum, actu regens Parisius in predicta facultate. Que autem in rectoria sua acta sunt, patent in registro seu papiro rectorie.

Non est tamen sub silentio pretereundum quod anno Domini premisso [1382], mensis Martii die xiij, Universitate una cum episcopo in presentia domini regis, dominorum Burgundie[1], de Valoys[2], fratris regis, de Borbonio[3], de Couchi[4], d'Albret[5], ac plurimorum aliorum nobilium, et etiam sex de archiepiscoporum vel episcoporum existentibus, et supplicante veniam et gratiam pro populo Parisiensi[6] super tunc forefactis, non obstantibus quibusdam altercationibus prehabitis inter dictum rectorem et episcopum[7] Paris. in pontificalibus existentem super preminitate propositionis faciende coram domino rege et de loco stationis, dictus rector obtinuit locum dextrum et propositionem primam, quam fecit magister Johannes Gouleyn, doctor in theologia, Ord. B. Marie de Monte Carmeli. Et tam in responsionibus regis, quam in faciendo edictum per villam de pace et gratia dicto populo facta ad instantiam Universitatis, episcopi et cleri, semper prenominabatur Universitas episcopo et clero, sic quod in omnibus mater nostra Universitas in comparatione ad episcopum, decanum, capitulum et clerum Parisiens. tam conjunctim quam divisim obtinuit principatum[8].

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 144b. — Bulaeus, IV, 585.

1. Philippi le Hardi. — 2. Ludovici. — 3. Ludovici II. — 4. I. e. de Coucy; tunc Enguerandi VII. — 5. Ms. . « de

laberet »; tunc Arnaldi-Amanieu. — 6. Culpabile propter commotionem Parisiensium occasione subsidiorum, de qua commotione vid. *Chron. du rel. de Saint-Denys*, ed. Bellaguet, I, 128 sqq, aliosque historiographos coetaneos. Martii 1, an. 1382, populus seditiosus etiam Hugonem Aubriot e carceribus liberavit (vid. l. c, p. 140). Idem factum enarrat Clemens VII in sua epistola « Ad fut. rei mem. » an. 1383, Octob. 26, in qua, postquam observavit, in quadam turri domus episcopalis detentum esse et sub poena relapsus in haeresim jurasse se nunquam de dicta turri absentare, ita prosequitur : « quodque postmodum, cum prefatus Hugo in dicta turre maneret, ut prefertur, inclusus, quadamque die in civitate Parisiensi magnus popularium tumultus existeret, populares civitatis ejusdem, tunc *Mailleti* seu *Malleatores* nuncupati, ad dictam turrim magno numero non ad petitionem seu requestam dicti Hugonis, sed pocius eo inscio et ignorante et nullatenus procurante, sed ymo timente quod causa occidendi eum inibi convenissent, portas turris predicte frangentes, ipsum Hugonem non voluntarium sed invitum de eadem turre seu carcere cum violencia extraxerunt eumque ad hospicium in quo morari antea consueverat conduxerunt, ac voluerunt quod ipse eorum esset capitaneus, et capitaneatum assumeret eorumdem. Et quod idem Hugo advertens, quod facta ipsorum contra statum et honorem carissimi in Christo filii Caroli regis Francorum illustris redundabant pariter et cedebant, et quod pro tunc propter metum mortis ad dictam turrim ausus regredi non fuisset, aufugit et recessit ab eis et iter arripuit veniendi ad sedem apostolicam, ejusdem sedis preceptis et mandatis quibuslibet in premissis et aliis humiliter pariturus..... Nos .... declaramus eumdem Hugonem pro et ex eo quod a dicta turre extractus extitit et ad sedem predictam, ut prefertur, accessit apud eamque aliquamdiu moram traxit, contra juramentum et obligationem predictam minime attemptasse, ipsumque propterea relapsum in heresim minime reputari debere, nec in penas aut sententias aliquas incidisse. Et insuper attendentes quod prefatus Hugo, qui dudum prepositus Castelleti Parisiensis extitit, pro extirpatione scismatis quod, proch dolor, humani generis inimicus in Dei ecclesia suscitavit, labores varios subivit hactenus, prout adhuc est solicitis studiis sustinere et subire paratus, ac quod ipse grandia grata plurimum et accepta probitatis obsequia clare memorie Carolo regi Francorum illustri ac civitati prefate in officio prepositure predicte tam ministrando justitiam quam actus alios quamplurimos laudabiles exercendo ferventer prestitit et impendit nos ex hiis et aliis causis moti eidem Hugoni apostolica auctoritate concedimus quod ipse Hugo premissorum, et cujuslibet eorumdem occasione ad dictam turrim aut alios carceres episcopi memorati vel alterius cujuscumque ad ulteriorem penitenciam peragendam redire minime teneatur,..... juramentum predictum penitus relaxantes ... Dat. apud Villamnovam Avinionens. dioc. vij kal. Novembris, anno quinto. » (Reg. Av. Clem. VII, vol. XXX, fol. 245). Per hoc corrigitur quod Le Roux de Lincy in *Bibl. de l'Ecole des Chartes*, s. V, t. III, p. 201, scribit. — 7. Aimericum. — 8. Sic etiam in *Lib. proc. nat. Anglic.*, mense Martii.

1466. *Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario Paris., ut Petro de S. Martino, Ord. frat. B. Mariae de Monte Carmeli, qui Parisiis per plures annos in fac. theol. studuit, studendi in eodem studio per duos annos sequentes, et demum post diligentem examinationem, legendi librum Sententiarum aestivali tempore licentiam concedat.* Dat. Avinione ij kal. Julii, pontificatus nostri anno quarto. « Viri sacre ».

1382, Junii 30, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXV, fol. 293. — E *Catal. licent.* licentiatus est in theologia an. 1389.

1467. *Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario Paris., ut Nicolao Piquier, Ord. frat. Min., qui per plures annos Parisiis et alibi in theol. studuit ac lector principalis in domo fratrum Rotomagens. existit, licentiam legendi librum Sententiarum in domo fratrum tempore aestivali anni futuri auctoritate apostolica concedat.* Dat. Avinione ij kal. Julii, anno quarto. « Viri sacre ».

1382, Junii 30, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXVI, fol. 179 b. — Licentiatus est in theol (e *Catal. licent.* in Bibl. nat.) an. 1391, ubi scribitur . « Michael Piquier ».

1468. *Parlamentum Parisiense jus candidatos in theol. et in art. licentiandi et examinatores nominandi abbati et cancellario S. Genovefae Paris. confirmat, contra oppositionem nationum Anglic., Picard. et Normann.*

1382, Julii 12, Parisiis.

Cum dilectus noster abbas[1] monasterii Beate Genovefe Parisiensis nec non cancellarius dicti monasterii Beate Genovefe et procurator magistrorum et scolarium nationis Gallicane

in Universitate Parisiensi studentium, prout quemlibet eorum tangebat, coram certo Casteleti nostri Paris. examinatore ad hoc per prepositum nostrum Paris.[2] deputato conquesti fuissent, super eo quod licet religiosi, abbas et conventus dicti monasterii Beate Genovefe fuissent et essent in possessione et saisina soli et in solidum ponendi, instituendi et habendi auctoritate apostolica in ecclesia seu monasterio predictis unum cancellarium, dicti monasterii religiosum, deponendique et destituendi dictum cancellarium, dum et quotiens dicto abbati placebat, ac alterum cancellarium, presertim quando causa rationabilis subest, ponendi et instituendi; in possessioneque et saisina, quod dictus abbas aut cancellarius possunt habere temptamen pro temptandis scolaribus in artibus, ut licentiam valeant obtinere, eligendique quatuor temptatores in artium facultate, qui sint magistri in artibus de qualibet natione dicte Universitatis Paris., unum pro dictis scolaribus licentiandis temptandis; in possessioneque et saisina, quod dicti temptatores sic electi predictos scolares in certo loco dicti monasterii per dictos abbatem et conventum, aut per dicti monasterii cancellarium eisdem temptatoribus assignando temptare possunt ad videndum et sciendum an dicti scolares sint ydonei et sufficientes ad dictam licentiam in predicta artium facultate obtinendam; in possessione insuper et saisina, quod nullus alius preterquam dictus abbas et cancellarius dictum temptamen apperire possunt, nec ponere seu eligere temptatores predictos, quodque nulli alii dictis temptatoribus electis per dictos abbatem et conventum seu cancellarium modo et forma predictis exceptis, aliquos scolares recipere seu admittere vel temptare seu ad temptamen dictorum scolarium vel ad quicquam aliud ad dictum temptamen spectans procedere non poterant, et si quid in contrarium factum fuerat, nullum erat ac nullius valoris reputari debebat; dicebant insuper quod licet dicti abbas et cancellarius fuissent et essent in possessione et saisina soli et in solidum ponendi et pro dicto temptamine necnon examine et licentia scolarium predictorum eligendi vicecancellarium, qui debet esse magister in theologia, quando predicti monasterii cancellarius magister in artibus non extabat, et quod nullus alius vicecancellarium ponere aut instituere poterat, et si quid in contrarium factum fuerat, totum erat nullum aut saltem anullari debebat; quodque licet dictus cancellarius sic ut predicitur positus vel electus fuisset et esset in possessione et saisina, quod dicti vicecancellarius et temptatores in presentia dicte facultatis artium juramentum faciebant quod juste dictum officium exercerent, quos dignos pro licentia in predicta artium facultate obtinenda reperirent approbando, ceteros indignos repellendo; licet insuper dicta natio Gallicana fuisset et esset in possessione et saisina, dum et quotiens dictum temptamen in predicto monasterio Beate Genovefe appertum fuerat, habendi ibidem quendam magistrum in artibus dicte nationis Gallicane modo et forma predictis electum, qui quidem temptator et, ut predicitur, electus dictum temptamen appertum intrare ac dictos scolares temptare poterat ac omnia facere ad dictum temptamen spectantia cum ceteris tribus temptatoribus et cancellario seu vicecancellario debite ac modo et forma predictis electis, in possessioneque et saisina quod alius nullus ad pre-

dictum temptamen procedere poterat, alioquin quod secus factum fuerat nullum erat, ac impediri et anullari debebat : nichilominus mag. Jordanus de Clivis, nationis Anglie, magister in artibus et bachalarius in theologia, se gerens pro vicecancellario monasterii Beate Genovefe predicte, temptamen dicti loci Beate Genovefe apperire, ac plures scolares qui ibidem ire et accedere voluerant, dictumque temptamen claudere necnon plures scolares temptatos pro intrando examen, ut licentiam in dicta facultate artium obtinerent, vocari facere nisus fuerat, quanquam per dictum abbatem vel cancellarium electus non fuisset, quanquam etiam non esset magister in theologia, nec cancellarius magister in artibus, ac dictus mag. Jordanus juramentum predictum non fecisset; et insuper magistri Johannes Trouillet Picardie, Johannes de Vallibus Normanie et Guyso Anglie nationum, se dicentes magistros in artibus ac se pro temptatoribus dicti temptaminis Beate Genovefe gerentes, dictum temptamen Beate Genovefe cum predicto magistro Jordano apperierant, scolaresque, qui ibidem accesserant, in pluribus et diversis locis dicti monasterii temptaverant, predictumque temptamen clauserant, pluresque scolarium per ipsos temptatores vocaverant seu vocari fecerant, ut dictum examen Beate Genovefe intrarent ac ibidem licentiam in artibus obtinerent, absque eo quod prenominati magistri Jordanus, Trouillet, de Vallibus et Guyso per dictos abbatem et cancellarium Beate Genovefe ibidem positi vel electi fuissent, et absque eo quod predictum juramentum modo predicto fecissent, que omnia prenominati et eorum quilibet injuste et contra rationem ac contra voluntatem, inhibitionem et defensionem dictorum abbatis et conventus, cancellarii ac nationis Gallicane fecerant, dictos conquerentes in eorum possessionibus et saisinis perturbando et impediendo indebite et de novo, ut dicebant. Et quia dictus examinator Castelleti plures inhibitiones et defensiones prenominatis fecerat, dicti Jordanus et Trouillet ad nostram Parlamenti curiam appellaverant, et dicti de Vallibus et Guyso se opposuerant; quibus opponentibus certa dies coram dicto preposito nostro Paris. per dictum examinatorem fuerat assignata. Demum dicta causa fuerat in dicta Parlamenti curia introducta.

Constitutis igitur propter hoc in dicta curia nostra partibus antedictis seu earum procuratoribus, ordinatoque per eandem curiam quod appellatio dictorum Jordani et Trouillet oppositionem valeret, dicti conquerentes hec et alia latius proponendo, omne factum pertinens proponebant, ac omnes conclusiones ad casum novitatis spectantes faciebant, petendo recredentiam sibi fieri in casu dilationis, et quod dicti opponentes in dampnis, interesse et expensis dictorum conquerentium condempnarentur. Dictis opponentibus ex adverso proponentibus et dicentibus, quod Parisius in Universitate sunt quatuor nationes, videlicet Gallicana, necnon Picardie, Normanie et Anglie, quodque dum studium Universitatis Parisiensis per clare memorie Karolum Magnum predecessorem nostrum de civitate Romana ad civitatem nostram Parisiensem translatum fuerat, in predicto monasterio Beate Genovefe creatus et ordinatus fuerat cancellarius alter religiosorum monasterii predicti. Qui quidem cancellarius, si non sit magister in artibus, debet vicecancellarium magistrum in

theologia, et si dictus cancellarius sit magister in artibus, potest vicecancellarium magistrum in theologia vel alium, prout eidem cancellario placuerit, ordinare. Parisiusque in predicta artium facultate solebat esse duntaxat examen monasterii Beate Genovefe predicti, licet in ecclesia Parisiensi nunc examen existat. Dicebant insuper, quod eorum intentionis nunquam fuerat nec erat aliquid dicere seu proponere contra partem summi pontificis Clementis pape moderni, quinymo sibi adherebant et adherere volebant, sed ea que fecerant et faciebant in hac parte, hoc fuerat et erat dumtaxat pro eorum privilegiis substinendis; quodque mag. Judocus Ghisilius religiosus dicti monasterii Beate Genovefe erat magister in artibus et predicti monasterii cancellarius, et secundum tenorem privilegiorum suorum, quando temptamen debet apperiri, cancellarius Beate Genovefe debet quatuor temptatores quatuor nationum predictarum eligere, ac ipsos debet Universitati presentare; et hoc peracto, nationes dicte facultatis quatuor examinatores, unum videlicet de qualibet natione, eligunt, qui nationibus faciunt juramentum. Dictusque mag. Judocus, dicti monasterii Beate Genovefe cancellarius ut prefertur, dictum mag. Jordanum vicecancellarium fecerat et ordinaverat, qui quidem mag. Jordanus dictos temptatores predictis nationibus presentaverat; per tres vero nationes predictas, videlicet Picardie, Normanie et Anglie, quatuor examinatores quatuor nationum predictarum electi fuerant, qui dum secundum tenorem dictorum privilegiorum procedere voluerant, predicti conquerentes modo et forma predictis se conquesti fuerant. Dicebant insuper, quod dicte tres nationes, videlicet Picardie, Normanie et Anglie, contra dictam querimoniam se opposuerant, et eisdem tribus nationibus opponentibus non contradixerant nec contradicebant omnes scolares nationis Gallicane predicte, sed decem vel duodecim dicte nationis dumtaxat, contra eorum juramenta veniendo, qui dictis opponentibus impedimentum apposuerant, propter quod impedimentum triginta quatuor scolares ydonei et sufficientes impediti fuerant licentiam obtinendi. Quare requirebant quatinus res contentiosa per manum nostram tanquam superiorem regeretur et gubernaretur juxta casum et naturam novitatis. Dicebant insuper quod querimonia dictorum conquerentium erat inepte formata; nam in majore dicte querimonie dicti conquerentes dicebant quod dictus abbas erat in possessione et saisina destituendi cancellarium Beate Genovefe, et loco ipsius novum instituendi; et in minore dicte querimonie non dicebant quod dictum magistrum Judocum destituisset. Quodque attento quod dicte tres nationes Picardie, Normanie et Anglie erant major pars facultatis artium predicte, et pro dicta facultate jus in curia ista deducebant, dicti conquerentes non erant admittendi; et si erant admittendi, proponebant ulterius dicti conquerentes omne factum pertinens, et conclusiones faciebant ad casum novitatis spectantes, petendo recredentiam fieri in casu dilationis. Sicque dici et pronunciari petebant, et quod per advoamentum dictarum trium nationum Picardie, Normanie et Anglie dicti Jordanus, Trouillet, de Vallibus et Guyso extra processum ponerentur, et quod dicti conquerentes in expensis hujusmodi cause condempnarentur.

Dictis conquerentibus replicantibus et dicentibus quod ipsi contra dictos Jordanum, Trouillet, de Vallibus et Guyso dumtaxat et nichil contra Universitatem seu facultatem artium predictam hujusmodi prosecutionem faciebant, omnesque de natione Gallicana predicta, et non solum sexdecem vel duodecim dicte nationis, se conquesti fuerant, quodque dictus mag. Judocus dicta cancellaria Beate Genovefe privatus fuerat, et hoc omnibus notum extabat; nec ad dictos opponentes spectabat scire causas privationis mag. Judoci predicti. Quodque magistri Johannes Mauberti[3] in Remensi et Armandus Jausserandi[4], in Senonensi provinciis dicti summi pontificis collectores ac ipsius summi pontificis in hac parte commissarii, magistros Judocum dudum cancellarium, Balduinum Agni, vicecancellarium dicti monasterii Beate Genovefe, necnon Johannem de Roncuria pro Gallicana, Jacobum de Sorra pro Picardie, Thomam Mi[e]lle pro Normanie et Jordanum predictum pro Anglie nationibus examinatores seu temptatores in examine Sancte Genovefe tam novos quam antiquos se dicentes a predictis officiis cancellarie, vicecancellarie et examinis seu temptaminis auctoritate apostolica destituerant et amoverant, eademque auctoritate apostolica cassaverant et adnullaverant omnia et singula que tempore discencionum inter dictos religiosos, abbatem et conventum et nonnullos studentes dicte Universitatis et facultatis pendente a tempore retroacto usque ad diem date litterarum dictorum dicti summi pontificis commissariorum facta fuerant, ac fratrem Egidium de Vannis, canonicum regularem ac religiosum dicti monasterii Beate Genovefe in cancellarium, necnon magistros Johannem de Avenis in sacra pagina doctorem vicecancellarium, Johannem de Roncuria pro Gallicane, Thomam de Bencuria[5] pro Picardie, Thomam Mi[e]lle pro Normanie (vel Johannem Britonis in ejus absentia) et Arnoldum de Arnhem[6] pro Anglie nationibus magistros in artibus quatuor examinatores in examine predicto pro anno presenti et illa vice auctoritate apostolica predicta creaverant, fecerant, ordinaverant et deputaverant, et ob hoc eisdem commissariis supra nominatis dictus summus pontifex mandaverat et commiserat absque prejudicio privilegiorum dicte Universitatis. Et pro dictis religiosis, necnon pro cancellario per dictos commissarios auctoritate apostolica facto et ordinato, ac pro dicta natione Gallicana se conquesti fuerant. Dicebant insuper, quod ipsi contra privilegia dicte Universitatis nec contra eorum juramenta quicquam fecerant; quodque dicta Universitas, necnon dicta facultas artium cum predictis opponentibus hujusmodi prosecutionem facere minime deliberaverant : quinymo deliberaverant pro conquerentibus predictis, nec poterant dicte tres nationes Picardie, Normanie et Anglie dictam artium facultatem ligare aut eidem prejudicare. Et dato sine prejudicio, quod dicta facultas artium cum predictis opponentihus prosecutionem facere deliberasset, hoc eisdem conquerentibus nocere non debebat, presertim cum scolares prius eorum nationibus quam facultati juramentum prestare sint soliti. Ex quibus apparere dicebant dicti conquerentes, quod dicta natio Gallicana ad hujusmodi prosecutionem faciendam erat admittenda, eratque eorum querimonia apte formata, et erant dicti conquerentes ad suam querimoniam predictam, et non dicti

opponentes ad eorum proposita admittendi. Et attento quod presens causa in brevi poterat terminari, dicte res contentiose non debebant per manum nostram tanquam superiorem regi seu gubernari lite pendente. Dicebant etiam, quod dicti Jordanus, Trouillet, de Vallibus et Guyso per advoamentum dictarum nationum Picardie, Normanie et Anglie non debebant extra processum poni[7], et ad hec et alia prout supra dicti conquerentes concludebant.

Dictis opponentibus duplicantibus et dicentibus, quod in dictis quatuor nationibus dicte facultatis artium erant et sunt quatuor procuratores, quodque tres procuratores dictarum trium nationum, videlicet Picardie, Normanie et Anglie, hujusmodi prosecutionem contra dictos conquerentes faciebant : quare dicebant quod censebantur esse facta per totam facultatem de jure et ratione. Dicebant insuper, quod prosecutionem contra dictos de natione Gallicana facere non intendebant, sed eorum privilegia que juraverant, sustinere et observare volebant; quodque dictus magister Judocus a predicto officio cancellarie nunquam privatus fuerat; et dum ille qui nunc cancellarium se dicebat, in predicto officio admitti voluerat, dicte nationes hoc contradixerant, et tandem fuerat apud sedem apostolicam quedam appellatio interjecta. Et attento quod dicta querimonia de cancellario per dictum abbatem facto et non de cancellario per dictos commissarios ordinato mentionem faciebat, dicti opponentes obtinere debebant in hac causa, debebant etiam dicte res contentiose per dictam manum nostram lite pendente gubernari juxta casum et naturam novitatis. Ex quibus et aliis per ipsos propositis dicebant, quod ipsi erant ad sua proposita admittendi, et ad hoc et alia, prout supra, concludebant.

Tandem auditis partibus antedictis in omnibus que circa premissa dicere et proponere voluerunt, visis insuper certis litteris, actis et munimentis per ipsas partes eidem curie nostre exhibitis et traditis, consideratisque et attentis diligenter omnibus circa hec attendendis, et que dictam curiam nostram in hac parte movere poterant et debebant : per arrestum ejusdem curie dictum fuit quod dicti conquerentes ad bonam et justam causam se conquesti fuerant, dictique opponentes ad malam causam se opposuerant; manutenebunturque et conservabuntur dicti conquerentes in suis possessionibus et saisinis predictis, amoto abinde omni impedimento per dictos opponentes in dictis rebus contentiosis apposito. Et per idem arrestum dicta curia nostra manum nostram in dictis rebus contentiosis appositam levavit atque levat ad ipsorum conquerentium utilitatem, dictos opponentes in expensis dictorum conquerentium condempnando, dictarum expensarum taxatione ipsi curie reservata. Pronunciatum die xij Julii, anno octogesimo secundo.

PHILIBERT.

Arch. nat. Paris. X^{1a} 30 (*Jugés*), fol. 406 b. — Cf. Bulaeum, IV, 587, ubi documentum in forma chartae Caroli VI. — Rector Universitatis tunc temporis fuit Johannes Waquelot, nat. Gallic. (Bul., IV, 972). — Natio Anglicana jam ab an. 1370 conquerebatur de injuria sibi illata per nationem Gallicanam in examine et licentia apud Sanctam Genovefam. Vid. *Lib. proc. nat. Anglic.*, imprimis ad Maii 13 et 18 ejusdem anni, in *Auct. Chart. Univers.*, I. Postea duae aliae nationes etiam nationi Anglicanae se adjunxerunt, iisque duravit usque ad an. 1382.

1. Johannes de Bassemain, de quo supra n° 1326, p. 155, not. 2. — 2. Audoinum Chauveron. — 3. An. 1384 est can-

cellarius eccl. Noviomens. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXXIV, fol. 119). — 4. An. 1384 decan. eccl. Camerac. (l. c, fol. 114b), Fuit etiam collector in provincia Rotomag., de quo et Johanne Mauberti in Arch. nat. Paris. X1a 32, fol. 339b. — 5. Ms. : « Bancuria ». — 6. Ms. : « Harnen ». Designatur Arnoldus de Gise, alias de Arnhem, licent. in art. an. 1375. — 7. Ms. « extraponi processum ».

1469. *Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario Paris., ut Guillelmo Poularderii, Ord. frat. Praedic., qui juxta regularia instituta ipsius Ord. in Turonensi, Cenomanensi, Pictavensi et Andegavensi studiis secundum morem dicti Ord. lector fuit principalis et in theol. fac. annis pluribus tam in Parisiensi quam in diversis aliis studiis quamplurimum laboravit, licentiam legendi librum Sententiarum in domo fratrum Paris. anno futuro tempore aestivali cum omnibus et singulis libertatibus et privilegiis fratrum dictum librum ordinarie legentium concedat.* Dat. Avinione iiij id. Julii, pontificatus nostri anno quarto. « Viri sacre ».

1382, Julii 12, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXVI, fol. 156. — Verisimiliter est ille « Guillelmus Poullardi », qui an. 1383, Maii 9, recepit licentiam se transferendi ad Ord. S. Benedicti (Reg. Vat. Clem. VII, n° 294, f 111b), de quo negotio postea plures epistolae Clementis. Non pervenit ad magisterium in theol.

1470. *Inventarium bonorum et jocalium repertorum in arca nationis Picardicae.*

1382, Octobris 6, Parisiis.

Fuit factum inventarium bonorum et jocalium repertorum in arca dicte nationis in claustro S. Maturini Paris. existente, etc.

Primo una imago beate Marie argentea deaurata.
Item calix et patena deaurate et parvum coclear non deauratum
Item duo disci argentei.
Item duo candelabra argentea
Item duo vascula argentea.
Item una pax argentea.
Item thuribulum cum navi argenteum,
Item tria superpellicia.
Item quinque cappe, scilicet due antique, due nove et una melior pro presbytero.
Item tria ornamenta rubea presbyteri, diaconi et subdiaconi.
Item tria alia ornamenta alba presbyteri, diaconi et subdiaconi completa cum omnibus pertinentibus ad officia divina celebranda.
Item sigillum magnum nationis Picardie argenteum cum contrasigneto et catena argentea, positum in parva arca.
Item unus magnus liber papyreus, ubi continentur facta et deliberationes nationis
Item duo parvi libri in quibus continentur vigilie mortuorum, cooperti asseribus
Item tres parvi libri cantus in quibus continetur officium sancti Nicolai
Item duo pallia ad sepeliendos mortuos.
Item quidam rotulus nationis Picardie factus immediate post mortem bo. me. domini Gregorii pape XI[1].
Item due parve arce lignee continentes diversa instrumenta unacum diversis aliis literis sigillatis sigillis diversis, in quarum una sunt magne litere sigillate magno sigillo nationis Picardie.
Item sex alii libri papyrei antiqui cum pluribus aliis literis seu instrumentis existentibus in parvula arca existente in magna prenominata.

Acta sunt hec in claustro Sancti Maturini, hora decantationis vesperarum ipsius diei sub anno, indictione, etc., presentibus venerabilibus et discretis viris magistris prenomi-

nato procuratore, Thoma de Bencuria, Gerardo de Beksigni clavigeris habentibus claves ipsius ciste, Johanne de Monasteriis, Simone de Lienchon, Guidone Cultelli, Petro Mignot magistris in artibus, Johanne Amantis clerico, cum pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Defense des droits de l'Université de Paris (Paris, 1657, 4°), Additions, p. 41, e *Lib. proc. nationis Picardicae.*

1. Vid. supra n° 1419, not. 2.

1471. *Clemens VII concedit universis et singulis magistris, doctoribus, licentiatis, baccalareis et scholaribus studii Parisiens. praesentibus et futuris, quandiu in studio Parisiensi legunt et inibi causa lecturae hujusmodi principaliter sine fraude insistunt, ac scholaribus, usque septennium a tempore, quo inibi in qualibet alia licita facultate quam alias scholares esse inceperint, computando, fructus, redditus, etc., beneficiorum ecclesiasticorum, quamvis in ecclesiis non resideant.* Dat. Avinione v id. Octobris, anno quarto. « Dum attente ».

1382, Octobris 11, Avenione.

Orig. in Arch. nat. Paris. L. 364, n° 18. Reg. Vat. Aven. Clem. VII, vol. XXVII, fol. 139. Ibid. episcopi Bellovacensis, Meldensis et Silvanectensis (de quibus in n° sequenti) ut conservatores constituuntur sub eadem temporis nota. Arch. nat., n° 19. — In Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14643, fol. 193 (e quo Bul., IV, 595) eadem epistola « episcopo Silvanectensi » solo inscribitur.

1472. *Clemens VII Belvacens.*[1], *Meldens.*[2] *et Silvanectens.*[3] *episcopis contra occupatores bonorum magistrorum et scholarium Paris., quae ad eos ratione beneficiorum pertinent; tres episcopi ut conservatores magistris et scholaribus contra occupatores assistant nec permittant ut extra suam dioecesim et civitatem litis causa evocentur.* Dat. Avenione v id. Octobris, an. quarto. « Militanti ecclesie ».

1382, Octobris 11, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clem. VII, vol. XXVII, f. 148. — Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14643, fol. 162^b, e quo Bulaeus, qui epistolam bis imprimit, IV, 113, eam Clementi V; p. 593, Clementi VII ascribens. Vid. ad hoc *Chartul.*, II, n° 1120, not.

1. Miloni (de Dormans), de quo jam supra. — 2. Guillelmo (de Dormans), qui, archidiac. Meldens. et legum doctor, an. 1379, Febr. 11, fit ep. Meldens. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XIII, f. 517), 1390, Oct. 17, archiepiscopus Senonensis (Reg. Aven. Clem. VII, vol. LVII, f. 102^b). — 3. Johanni (de Diodona), de quo jam supra n° 1311.

1473. *Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario Paris., ut Guillelmo Viviani, Ord. frat. Praed., qui in Constantiensi, Redonensi, Nannetensi et Lugdunensi studiis lector fuit principalis, legendi tempore aestivali librum Sententiarum in studio Parisiensi in altera scholarum conventus frat. Praedicat. anno Domini 1384*[1] *vel an. 1385 licentiam concedat.* Dat. Avinione vij kal. Novembris, anno quarto. « Viri sacre ».

1382, Octobris 26, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXVI, fol. 139^b.

1. Ex articulo 28 *accusationis* contra Joh. Blanchart, cancell. Paris. (vid. infra p. 355), scimus, Guillelmum per annum integrum exspectare debuisse.

1473a. *Deliberatio Universitatis de poena librariis infligenda, qui in venditione librorum non satis fideliter se gerunt. Appellatio facultatis decretorum in nat. Anglic. inanis reputata*[1].

1382, Novembris 23, Parisiis.

Lib. proc. nat. Anglic., 5, fol. 37b (vid. *Auctar. Chartul. Univers.*, I). Textum integrum invenies supra no 1361 ad an. 1370, Novemb. 23, ubi jam temporis notam, ab *Actes concernans*, etc., Bulaeo, Kirchhoff, allatam, in dubium vocavimus. Certum nunc etiam habemus ibidem agi de natione Anglicana.

1. Vid. infra no 1475.

1474. *Johannes Luqueti in rectorem electus. Rotulus secundus Universitatis ad Clementem VII destinandus concluditur.*

1382, Octobris 10-Decembris 16, Parisiis.

Anno Domini 1382, die decima mensis Octobris[1], fuit electus in rectorem Universitatis concorditer per iiijor intrantes, scilicet Guilhelmum Le Dos, Flamingum de Martroy[2], Adam Carnificis et Johannem [de] Hoclem, Johannes Luqueti de Sancta Manahilde[3] Cathalaunensis dyocesis. In cujus rectoria fuit conclusus rotulus concorditer[4] per omnes facultates et nationes ad dom. Clementem papam septimum.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 148b. — Bulaeus, IV, 592.

Supra minime agitur de rotulo *primo* seu de *rotulo coronationis*, seu *creationis* Clementis VII, jam nis 1428-1433 exscripto et an. 1379, Octob., ad curiam misso, sed de rotulo *secundo* Univers., ut in *Introductione* ad num 1428 observavimus. Istius rotuli (a quo rotulus primus, et rotulus nat. Gallic., et rotulus baccalareorum, et rotulus scholarium, *etc.*, semper distinguuntur) in rotulo an. 1387 infra nis 1537-1541 edendo saepe mentio fit et quidem sub nomine « secundi » vel « ultimi rotuli », « rotuli ultimo presentati » Universitatis Paris. Sic etiam ibid. Johannes Breviscoxe narrat, suum nomen minime secundo rotulo insertum fuisse, bene autem primo, et tempore signationis primi rotuli nondum obtinuisse gradum baccalareatus. Similiter alii loquuntur. Secundum rotulum an. 1382 confectum esse, scribit Johannes de la Bonnerie (Normann.), qui loquitur de « secundo ipsius Universitatis rotulo, pontificatus Clementis confecto anno quarto, de data xv kal. Decemb. an. primi ». Clementi VII placuit enim « in signacione secundi rotuli Universitatis Paris. expectationis gratias sub data primi rotuli ejusdem Universitatis concedere magistris, qui alias gratiam non habuerant in primo rotulo », seu qui non fuerant in primo (Matthaeus Magni, Johannes de la Bonnerie, aliique) Pro novissime graduatis in isto rotulo similiter concessa est « data » xv kal. Decemb. an. primo. Generatim vero supplicationes concessae sunt « sub data quarti anni vestre creationis, videlicet sub data presentationis ipsius secundi rotuli » (Aufredus Saisiz, Gallic.). Saltem magistri Universitatis nominati in secundo rotulo, quibus per primum provisum erat, sub « data » posteriori receperunt, ut apparet e suppl. Bernardi de Oratorio (ibid. Decret.). Opinamur rotulum secundum in fine portasse notam · « pontificatus nostri anno quarto », i e., nota temporis anticipata fuit, quod etiam e nis 1471 et 1472 supra editis concludere debemus, qui referuntur ad quosdam *articulos communes* rotulo praefixos, signatos in curia « v id. Octob. an. quarto », i. e, sub temporis nota circiter, qua rotulus Parisiis conclusus est. Sed ut in rotulo an. 1387 (in fine ni 1541) observatum erat : « Fiat pro omnibus secundum ordinationem datam in cancellaria in signatione *secundi* rotuli », et quaedam supplicationes ad haec se referentes annectebantur : ita rotulo secundo an. 1382 seu 1383 adjuncta erat quaedam declaratio in favorem quorumdam magistrorum, ut gauderent privilegiis existentium in rotulo *primo*.

Sed, heu! rotulus secundus nunc deperditus est[5]. Caveas ne illum confundas cum aliquo supra nis 1434-1437 edito. Notae secundi rotuli nobis per rotulum an. 1387 oblatae istis non conveniunt. Scimus e *Lib. proc. nat. Anglic.*, facultates in dissensione, an. 1382, Octob. 12 (pontif. Clement. VII an. quarto), rotulum conclusisse, « et tunc rector (Joh. Luqueti) habita ampliori parte Universitatis conclusit rotulum mittendum ad papam » (vid. *Auctar. Chartul.*, I). Solummodo an. 1382, Decemb , et an. 1383, Januarii, iste rotulus « grosssatus », i. e. iterum nitideque scriptus (vid. *Lib. proc. nat. Anglic.* in *Auctar.*, I), et Febr. ad curiam missus est. Vid. num 1477.

Sicut an. 1379 praeter rotulum Universitatis integrae alii particulares rotuli ad curiam missi erant, sic etiam an. 1383, Et sicut tales rotuli an 1379 unus vel alius rotulorum per epitheton « primus » designabatur (vid. supra ad num 1435), sic unus vel alius, ut opinamur, talium rotulorum an. 1383 per « secundus ».

1. Ms. perperam : « Novembris ». Vid. *Lib. proc. nat. Anglic* in *Auctar. Chartul.*, I. — 2. Ms. et Bul : « Mareroy ».

Vid. supra p. 262. — 3. Vid. supra p. 255, et not. 41. — 4. Quod minime verum est. Natio Anglic. concorditer « duobus suppositis demptis » deliberavit, « quod pro tunc non expediebat facere seu mittere aliquem rotulum ». Facultas etiam decretorum « peciit maturius consilium ». Vid. *Lib. procur. nat. Angl.* ad an. 1382, Octob. 12. — 5. Nec in Indice coaevo ad Suppl. Clement. VII in Arch. Vat. istius rotuli mentio fit. Qui ibid. ad an. primum, lib. 6, afferuntur : « Rotulus canonistarum et quarum[dam] aliarum facultatum scolarium Universitatis Paris., fol. I-XXIII; rotulus alius scolarium Par., fol. XXIII-XXVI; rotulus graduatorum studiorum Paris. et Aurelian. in civitate Avinion. presentium, fol. CIIII-CVI », nunc desiderati, confundi non possunt cum rotulo secundo Universitatis integrae.

1475. *Clemens VII committit Aymerico, episc. Paris., causam Petri Regis, decret. doctoris, quem collegium decret. doctorum ad legendum admittere noluit.*

1383, Januar. 24, Avenione.

Venerabili fratri .. episcopo Parisiensi salutem, *etc.* Exhibita nobis pro parte dil. fil. Petri[1], abbatis monasterii S. Taurini in suburbiis Ebroicens., Ord. S. Ben., petitio continebat quod, licet nulla rationabilis causa subesset quare ipse (qui decretorum doctor existebat ac honorem doctoratus in decretis eisdem in studio Parisiensi receperat et in eodem studio in facultate decretorum ipsorum alias aliquandiu rexerat) ad regendum et legendum in dicto studio in facultate predicta admitti non deberet, quia tamen dilecti filii decanus et collegium facultatis ipsius dicti studii, qui ad se admissionem persone regentis et legentis in eodem studio in facultate predicta de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine asserunt pertinere, eundem Petrum abbatem ad regendum et legendum in dicto studio in facultate eadem admittere contra justitiam recusabant : prefatus Petrus abbas eosdem decanum et collegium super hoc, petendo ipsos condempnari et compelli ad admittendum ipsum Petrum ad lecturam hujusmodi, coram dilecto filio rectore Universitatis dicti studii (ad quem cognitio causarum, que occasione lecturarum hujusmodi in facultate predicta contra quoscunque moventur pro tempore de simili consuetudine noscitur pertinere, non ex delegatione apostolica) traxit in causam, idemque rector cognitis hujusmodi cause meritis et juris ordine observato diffinitivam contra prefatos decanum et collegium sententiam promulgavit, a qua pro parte dictorum decani et collegii, eam iniquam fore falso asserentium, fuit ad sedem apostolicam appellatum[2]. Quare pro parte dicti Petri abbatis nobis fuit humiliter supplicatum ut (cum ipse decanus et collegium appellationem hujusmodi, ut ipsum Petrum a lectura hujusmodi retardarent, interposuerint) providere dicto abbati super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus in hujusmodi appellationis causa procedens legitime sententiam ipsam confirmare vel infirmare appellatione remota procures prout de jure fuerit faciendum. Non obstantibus, *etc.* Dat. Avinione viiij kal. Februarii, anno quinto.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXX, fol. 302[b]

1. Petri « Regis », de quo supra nº 1431, p. 250, not. 1. — 2. Videtur de hac appellatione agi supra in fine nⁱ 1361, seu potius nº 1473[a], et infra p. 321.

1476. *Ad instantiam Universitatis Paris. necnon magistrorum Petri Julioti, in theol., Petri Regis decretorum magistrorum et doctorum, et Guidonis Guerini in medic., Dominici Parvi in art. magistrorum, Guillermus Laloyer propter certas violentias et rapinas contra Universitatem illatas in Parlamenti curia ad comparendum personaliter fuit adjornatus, qui tamen iterato non venit. Curia pronunciavit in favorem actorum.* Pronuntiatum die prima Marcii, anno octogesimo secundo. GRANGE.

1383, Martii 1, Parisiis.

Arch. nat. Paris. X1a 32 (*Jugés*), fol. 132b.

1477. *Aegidius de Asperomonte in rectorem electus. Nuntii ad regem. Rotulus secundus Universitatis ad Clementem VII missus.*

1382, Decembris 16-1383, Martii 24, Parisiis.

Anno Domini 1382, die xvj[1] mensis Decembris, fuit electus concorditer via Spiritus Sancti in rectorem Universitatis Parisiensis Egidius de Aspero Monte Remensis dyocesis, qui multa habuit agere in sua rectoria, quia tunc Universitas sepius adivit[2] regem et dominos duces ad supplicandum pro illis de villa, qui erant in maxima turbatione et afflictione, et etiam pro facto Universitatis, quia aliqui magistri, scolares et servitores Universitatis fuerunt impositi ad taxam cum illis de villa, sed Universitas obtinuit quod nichil solverent[3].

Item in rectoria ipsius rotulus fuit missus ad Clementem, qui fuerat conclusus per alium rectorem[4].

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 149b. — Bulaeus, IV, 592.

1. Ms. perperam : « xix », Bul. : « 15 »; sed vid. *Lib. proc. nat. Anglic.* in *Auct. Chartul. Univers.* I. — 2. Imprimis an. 1383, Januar. 12, deliberatum fuit nuntios solemnes ad regem mittendos pro certis articulis, qui leguntur in *Lib. proc. nat. Angl.* (vid. *Auctar. Chartul Univers.*, I, ad h. an.). Cum rectore (qui supra) excellentiores doctores et magistri regem adierunt eumque ad clementiam inducere conati sunt (vid. *Chron. du rel. de S. Denys*, ed. Bellaguet, I, 238). Tunc temporis multi rege jubente ultimo supplicio traditi sunt, inter eos quidam clerici etiam, quorum bona, indebite occupata per gentes regis, ad episc. Paris. pertinebant. Ratione compositionis octo millia francorum episcopo tradere debebant, sed an. 1383, Decemb. 24, nondum is acceperat, ut apparet e Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXXI, fol. 73. — 3. Vid. *Lib. proc.*, et infra, nº 1479. — 4. De isto rotulo vid. supra nº 1474, not. Februarii 24, an. 1383 (Jourdain, p. 179, not. 2, perperam · « 1384 ») nuntiis rotuli ad Clementem VII injungebatur praestare solita juramenta, et rotulum secum apportare, et tunc natio etiam Anglicana noluit contradicere (*Lib. proc. nat. Anglic.* in *Auctar Chartul.*, I). Rotulus Universitatis Clementi VII praesentatus est cum declaratione Universitatis an. 1383, Febr. 3 et 26 facta, et inter nuntios invenimus mag. Johannem Goulein, Ord. Carmel. (vid. infra rotulum nº 1538), ex parte vero nat. Anglicanae Andream de Trebron (de quo supra p. 269), electum an. 1382, Decemb. 14 (vid. *Auctar. Chartul.*).

1478. *« Diffinitio plura continens de facto collegii [Cluniacens.] Parisiensis, facta anno Domini Mº CCCmo octuagesimo tertio. »*

1383, Aprilis 12, Cluniaci.

Quia fama publica refferente et demum super hoc legitima informacione facta ad nostrum auditum pervenit, quod in collegio Cluniacensi scolarium Parisiens. studentium fuerunt et sunt nonnulli religiosi indoctibiles seu adiscere non curantes, qui bona reli-

gionis[1] ibidem consumunt ac loca illorum qui vellent et possent in scientia proficere[2] impediunt sive tenent occupata[3] in non modicum dampnum et dedecus nostri Ordinis : quapropter nos Raymondus de Cadoena[4], prior major Cluniacensis vicariusque generalis in spiritualibus et temporalibus reverendi in Christo patris ac domini domini Jacobi[5] Dei gratia abbatis Cluniacensis ac diffinitor presentis Capituli generalis consilio et deliberatione prehabitis inter nos et multos alios religiosos et probos de Ordine nostro et consulto super hoc dicto domino abbate existente in Castro-Lurduni[6] causa infirmitatis, de ejus expresso mandato pro salubri reformacione dicti collegii statuendo diffinimus et ordinamus infra sequentia :

Primo quod nullus religiosus qui debeat audire theologiam secundum ordinaciones nostras alias super hoc factas, in dicto collegio recipiatur, nisi prius examinatus per dominum abbatem Cluniac. vel per deputatum seu deputandum ab eo specialiter fuerit repertus sufficiens ad audiendum philosophiam, vel saltem sit ita sufficienter instructus in gramaticalibus quod sit sufficiens ad audiendum logicalia, et super hoc obtineat literas testimoniales a dicto domino abbate seu deputato ab eo.

Et quia sumus sufficienter informati quod, ex quo quilibet est sufficiens gramaticus ad audiendum logicalia, infra biennium audiendo logicalia debet esse sufficiens logicus ad audiendum philosophiam; et audiendo philosophiam infra triennium debet esse sufficiens philosophus ad audiendum theologiam; et audiendo theologiam per quinquennium debet esse sufficiens ad recipiendum *gradum bacalariatus* in theologia; et postquam fuerit bacalarius infra v annos inde sequentes legendo libros Sententiarum et alios actus scolasticos excercendo debet esse sufficiens ad recipiendum magisterium : hinc est quod nos attendentes quod in Ordine Cluniacensi est raritas et paucitas religiosorum literatorum et scientificorum, propter quod expediret in eodem Ordine religiosos literatos multiplicari .... modo premisso statuendo diffinimus et ordinamus quod, ex quo aliquis religiosus fuerit receptus in dicto collegio ut scolaris et audiendo logicalia infra biennium non fuerit repertus sufficiens ad audiendum philosophiam, et audiendo philosophiam infra triennium non fuerit repertus sufficiens ad audiendum theologiam, et audiendo theologiam per quinquennium non fuerit repertus sufficiens ad recipiendum gradum bacallariatus in theologia, et ex quo receperit gradum bacallariatus infra VIII[7] annos inde sequentes legendo Sententias et alios actus scolasticos excercendo consuetos non fuerit repertus sufficiens ad recipiendum magisterium, vel noluerit aut non potuerit propter insufficienciam, quolibet casuum premissorum sit privatus sua pensione et repellatur a dicto collegio, et ad mansionem seu claustrum unde recipiebat pensionem revertatur, et alius scolaris loco ipsius in dicto collegio subrogetur. Si autem aliquis de dictis scolaribus magisterium in theologia in dicto collegio receperit, vel jam de presenti recepit, per duos dumtaxat annos ibidem possit regendo remanere et pensionem consuetam recipere; quibus elapsis revertatur ad claustrum seu mansionem unde recipiebat pensionem, ut ibi deserviat, unde temporibus preteritis

sustentationem in studendo recepit, et alius loco ipsius subrogetur, nisi per dominum abbatem certis de causis fuerit cum eo dispensatum.

Item diffinimus et ordinamus, quod nullus religiosus vel scolaris in dicto collegio recipiatur nec inhabitare permittatur, nisi illi tantum, qui modo et forma superius expressatis fuerint in dicto collegio recepti. Item quod nullus religiosus de dicto collegio, sive sit prior vel alter scolaris, teneat ibidem proprium famulum vel familiarem specialem eciam suis sumptibus propriis vel expensis. Item statuendo diffinimus et ordinamus quod nulle mulieres in dicto collegio introducantur nec introduci permittantur sub excommunicationis pena, nisi fuerint tante nobilitatis et excellencie quibus non debeat aditus denegari, et tunc de licencia prioris in dicto collegio presidentis, excepta die confratrie burgencium Parisiens.[8], et ebdomada sancta.

Item diffinimus et ordinamus quod decetero prior scolarium dicti collegii et subprior dicti collegii sint annuales et per unum annum tantum remaneant in suo officio, nisi dominus Cluniacensis propter eorum bene merita duxerit cum eisdem aliter dispensandum seu ordinandum.... Item quod decetero nullus religiosus habens beneficium quodcumque modici valoris possit in dicto collegio eciam suis sumptibus propriis remanere nec inhabitare, eciam tamquam prior nec ut subprior aut ut scolaris, precipientes in virtute obediencie et sub excommunicacionis pena, quam ferimus in hiis scriptis priori et subpriori et cuicunque alteri benefficiato, quod infra mensem a tempore noticie presentis diffinitionis a dicto collegio recedat, si aliqui sint de presenti vel erunt pro tempore.

Bibl. nat. Paris., nouv. acquis., 2263, fol. 71. — Fol. 92[b] initium hujus documenti fere ut supra affertur, sed ad definitionem an. 1398 pertinet.

1. Fol. 71 « relig. ». — 2. Ibid. : « profiscere ». — 3. Ibid. : « occupant ». — 4. An. 1403, Septemb. 10 (non 1400, ut in *Bibl. Clun.*, p. 1674, et *Gall. christ.*, IV, 1157) confirmatur in abbat. Cluniac., cum esset licentiatus in decret. (Reg. Aven. Bened. XIII, vol. XXX, f. 124). — 5. De Causanis, an. 1363, Martii 1, abbas S. Theofredi Aniciens. dioec. post obitum Amblardi nominatus est, cum esset prior prioratus de Guillestra, Ebrodun. dioec., et licentiatus in decret. (Reg. Aven. Urb. V, vol. VI, f. 137[b]), an. 1375, 10 Januar., transl. ad monast. Cluniac. (Reg. Aven. Greg. XI, vol. XXV, f. 424). Erratur in *Gall. christ.*, II, 768. Jam April. 2, an. 1383, in lecto extremae aegritudinis, cujus supra etiam mentio fit, decumbebat, et Jul. 6 defunctus est (*Gall. christ.*, IV, 1156). — 6. Château-Landon (Seine-et-Marne). — 7. Sic in ms., quamvis paulum antea clare « v » ponatur, quod utique correctius est. Vid. *Chartul.*, II, p. 704, not. 38. — 8. Agitur utique de *Confratria magna B. Mariae Paris.*, de qua vid. Le Roux de Lincy, *Recherches sur la Grande confrérie Notre-Dame aux prêtres et bourgeois de la ville de Paris;* Paris, 1844.

1479. *Carolus VI, rex Francorum, Universitatem, ejus collegia, magistros, scholares, bedellos, librarios Universitatis, eorum domus, scholas a juvaminibus de novo super domibus seu locagiis Paris. pro facto guerrarum indictis quittos et liberos esse mandat.* Dat. Parisius anno Domini MCCCLXXXIII, die xviij Aprilis.

1383, Aprilis 18, Parisiis.

Recueil des privilèges de l'Université de Paris, p. 88.

1480. *Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario Paris., ut Thomae de Guenouvilla, Ord. Praedic. (qui in diversis locis dicti Ord. Logicam ac naturalem et moralem philosophiam, necnon librum Sententiarum legit, et per quinque annos et ultra in Rotomag., Leodiens. et de Rupella, Xanctonens. dioec., domibus lector exstitit principalis, et in partibus Leodiens. pro Romanae ecclesiae negotiis prosequendis quamplurimum laboravit), librum Sententiarum in domo fratr. Ord. anno praesenti tempore aestivali vel alias legendi licentiam concedat de benignitate apostolica.* Dat. Avinione iij kal. Maii, anno quinto. « Viri sacre ».

1383, Aprilis 29, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXX, fol. 551[b]. — An. 1387, Aug. 5 (non. Aug , an. VII), Thomas « de Gronivilla » ordinarie Sententias Parisiis, « jam diu est », legit, et Clemens VII cancellario injungit ut eum post examinationem ad honorem magisterii promoveat (Reg. Vat. comm. Clem. VII, nº 296, fol. 84. « Viri sacre »), sed suborta lite contra Praedicatores occasione Johannis de Montesono minime Parisiis licentiatus est.

1481. *Clemens VII ad Milonem, episc. Belvacens., Guillelmum Marteleti*[1]*, decanum Nivernens., Parisiis commorantes, et cantorem*[2] *Paris. Domus Paris. fratrum Ord. B. Mariae de Monte Carmeli propter multitudinem ibidem causa studendi nimis arcta est. Contigua exstat domus quaedam ab abbate S. Genovefae collegio magistrorum et schol. regni Daciae sub conditionibus tradita, quam vendere vellenl, si esset licitum. Fratres praedicti istam domum emere et loco eorum adjungere cupiunt. Summus pontifex injungit quibus supra, ut inquirant et auctoritate apostolica decidant.* Dat. Avinione non. Maii, anno quinto. « Sincere devotionis ».

1383, Maii 7, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clement. VII, vol. XXIX, fol. 131[b]. — Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 224 (ubi bulla perperam an. 1386, ut et ap. Jourdain nº 816, ascribitur). Propter hoc lis suborta est inter mag. Johannem Basse de regno Daciae et rectorem et Univers. Paris. Carolus VI, an. 1386, Aug. 9, curia Parlamenti sic ordinante, domum magistrorum et scholarium regni Daciae esse tradendam fratribus de Monte Carmeli mandat, sub conditione ut 24 librae annui redditus ad utilitatem dictorum magistrorum et scholarium ab iisdem fratribus assignentur (Félibien, l. c., p. 225). Virtute hujus donationis instrumentum confectum est, quo notum fit domum praedictam traditam fuisse fratribus Ord. Carm. (Félibien, l. c., p. 224-226). In instrumento nominantur : maistre Jehan Goulain, maistre en theologie, maistre Jehan de la Parme, maistre regent et maistre en theologie, frere Yves Bouic[3], fr. Bernard le Texier[4], fr. Pierre de S. Martin[5], fr. Nicole de Reville subz-prieur et procureur dud. convent, fr. Jehan Cherite, fr. Guillaume Quatre-molins, fr. Guillaume Perier, fr. Raymon Chamar, fr. Pierre Ros, fr. Henry Beutart, fr. Jacques de Chasteau-Thierry, tous religieux dud. ordre et dud. convent. Exstat de hoc etiam documentum ejusd. an., Aug. 27, in Arch. nat. Paris. X[1a] 1473, fol. 182-183[b].

1. Qui supra p. 147. — 2. Philippum de Molinis. — 3. Evenus Bohic an. 1388, Maii 2, in theol. licentiatus est. — 4. Licentiatus an. 1391 (Bernardus Textoris), ut apparet e *Catal. licent.* (Bibl. nat. mss. 5657[a], 12850). — 5 Licent. an. 1389. Supra nº 1466.

1482. *Clemens VII (Johanni Blanchart), cancellario Paris., ut Petrum de Bancheio, Bituricens. dioec., Ord. Praedic., qui librum Sententiarum in Metensi conventu legit ac in Aurelianensi lector principalis exstitit, ad lecturam Sententiarum aestivalium vel hiemalium an. 1384 in scholis conventus Paris. Ord. admittat.* Dat. Avinione iiij non. Julii, anno quinto. « Viri sacre ».

1383, Julii 4, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXX, fol. 607[b]. — Licentiatus in theol. e *Catal. licent.* (« Petrus Baucherius ») an. 1386 (1387). Ipse est ultimus frater Praedicator, qui ante an. 1403 (propter separationem Praedicat. a consortio Universitatis) in theologia Parisiis licentiatus est. Si quidam Petrus « Boncherius », ut Quétif-Echard, I, 698, e Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, II, 36. afferunt, episc. Tiniensis fuit, non est confundendus cum supra relato, nec saec. XIV-XV ascribendus.

1483. *Carolus VI, rex Francorum, ut serventur franchisiae et libertates Universitati Paris. concessae, jubet magistros, baccalareos scholaresque in ea legentes vel studentes, necnon servos ac supposita Universitatis praedictae omnibus impositionibus immunes fore, quoties vina vel quaecumque alia ex haereditatibus beneficiisque suis recipient, seu consumenda seu vendenda, et quoties eadem ement ad consumendum. Fidem adhibeant firmarii impositionum signeto rectoris, rectorque in die electionis suae juret, coram quodam magistro artium a rege commisso, se nunquam dicto signeto fraudem vinorum vel alius mercis adjuvaturum esse, sed fraudatores ab Universitatis consortio resecaturum. Praeterea quidquid magistri scholaresque, ratione praedictarum impositionum, persolverint a prima die mensis Februarii proxima elapsi, iis reddatur.* Donné au boys de Vincennes le xj[e] jour de Janvier l'an de grace mil trois cens quatre vins et trois, et le quart de notre regne. « Sçavoir faisons ».

1384, Januarii 11, apud Vincennas.

Originale in Arch. Univ. Paris., theca II, A. 5. z. *primo*. Appendet taeniolum pergam. cum vestigio sigilli. — Arch. nat. Paris., *Livre vert neuf du Chatelet* Y 6[1], fol. 158[b], *Vidimus* an. 1489. — Cod. Harcur., fol. 78. Bibl. Arsen. ms. 1121, p. 343. *Recueil des privilèges de l'Univ. de Paris*, p 86. Bulaeus, IV, 598. — Executionem harum litterarum firmariis mandant generales consiliarii, ejusdem an. Januar. 16 : « Nous vous mandons ». (Arch. Univ. Paris. ibid. cum hac antiqua nota : « non notatum, quippe quod pendet ab anteriori instrumento ».) — *Recueil des privilèges*, p. 87. — Similes franchisias Universitati concessas vid. sup. n[is] 1357, 1367.

1484. *Deliberatio nationis Gallicanae de novo sigillo construendo, cum antiquum cum pecunia furatum esset, et de portanda arca nationis ad collegium Navarrae.*

1384, Januarii, Parisiis.

Deliberatum fuit (Januarii 17) concorditer nemine reclamante, quod quidquid fieret, aut sigillaretur de sigillis nationis, cum pecunia dicte nationis die sabbati de nocte precedente in Navarra[1] furatis, nullius valoris esset ab illa die usque in posterum; immo etiam quod dicta sigilla essent vana, cassa et irrita, et quod fieret novum sigillum quo uteretur natio. De quibus ego Johannes Guioti procurator illo tunc in presentia omnium ibidem existentium a mag. Germano Felicis auctoritate apostolica notario publicum mihi requisivi fieri instrumentum. Item in alia congregatione sequenti 30 Januarii fuit deliberatum in S. Maturino, quod in Navarra servaretur arca nationis, dum tamen peroptime prepararetur dicta arca et fierent bone sere et fortes juxta ordinem artificum aut expertorum. Item quod fieret bona informatio per commissarios curie officialis Parisiensis. Item quod fieret bona monitio publicanda per scolas et lectiones.

Bulaeus, IV, 999, e *Lib. proc. nat. Gallic.* — Sed p. 972 Bulaeus ex eodem libro istud factum aliter narrat, sub rectore scil. Univers. Johanne Voignon (ab an. 1383, Decemb. 16) arcam nat. Gallic., servatam apud S. Bernardum, quam fures nocte Januarii 3 conati sunt effringere, licet irrito effectu, e deliberatione nationis Januarii 7 habita primum in aedes mag. Petri de Seneleyo, Januarii 30 in capellam collegii Navarrae translatam esse, sub procuratore Johanne Moraine, cum tamen supra Johannes Guioti ut procurator nominetur. Opinamur Bulaeum p. 972 errare, et p. 999, ubi tantum instrumentum ad verbum exscribit, recte referre, cum etiam p. 967 dicat, Johannem Moraine an. 1384, Novemb. 18, non autem Januarii, in procuratorem electum esse.

1. Lege « in S. Bernardo », nam arca Januarii 30 tantum in collegium Navarrae portata est, cum et procurator Johannes Guioti scripsisset quatuor solidos persolutos illis, *qui portaverunt magnam arcam in Navarram.*

1485. *Clemens VII Johanni Blanchart, cancellario Paris., injungit, ut inquirat, an bedelli facultatis theol. pro principiis Sententiarum plus quam tres francos recipiant.*

1384, Junii 28, apud Villamnovam.

Dilecto filio .. cancellario ecclesie Paris. salutem, etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Johannis de Basilia, prioris generalis[1] fratrum Ord. Heremit. S. Aug., petitio continebat, quod licet bedelli Universitatis facultatis theologie Parisiensis pro tempore existentes a fratribus dicti Ord. bacallariis in facultate predicta, quando faciunt eorum principia super lectura libri Sententiarum, ultra tres francos auri recipere non debeant, tamen dilecti filii Nicolaus Thome et Egidius Imperatoris, bedelli dicte Universitatis ab hujusmodi bacallariis ultra summam dictorum francorum exigunt et extorquent et alias eos super hiis gravant multipliciter et molestant[2]. Quare pro parte dicti prioris nobis fuit humiliter supplicatum ut providere super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus .... quod justum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes.... Non obstante.... Dat. apud Villamnovam Avinion. dioc. iiij kal. Julii, anno sexto.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXXII, fol. 524 b.

1. Vid. supra nº 1462. — 2. Haec connectuntur cum accusationibus, quae in lite Universitatis contra cancellarium proferebantur. Vid. nis 1504 sqq. Caeterum, ut apparet infra e nº 1521, Johannes de Basilea potius defensor quam accusator cancellarii Johannis Blanchart fuit. Saltem minime partem Petri de Ailliaco secutus est.

Lis inter Facultatem Decret. Paris. et Capitulum Eccl. Paris.

(Continet nos 1486-1489.)

1486. *Querela decani et capituli eccl. Paris. coram curia Parlamenti contra facultatem decretorum de schola decreti in Claustro eccl. Paris.*

1384, Martii 28, Parisiis.

Lundi xxviij^e jour de Mars. Entre doyan et chapitre de Paris d'une part, et le doyan de la faculté et docteurs de decrès à Paris d'autre part, sus le contenu en la complaincte desdiz doyan et chapitre sur ce que lesdiz de la faculté ont empesché le doyan de la dite ecglise, docteur en decrez, à faire les faiz de docteur ou cloistre de l'ecglise. Ceux de chapitre dient que devant l'executeur de la complaincte il ont obtenu deffaut, car ceux de la faculté n'estoient pas souffisamment, et ne valoit riens la procuration, requièrent après ce qu'il ont proposé tout pertinent, que le deffaut soit confirmé ou qui soit donné de nouvel, et concluent tout pertinent en cas de nouvellecté, en cas de delay à recréance, consideré que sont fondé de droit commun et de droit escript et les noblesses de l'ecglise et les darreniers explois, et requièrent que la court commette une bonne personne qui soit en l'examen present de par le roy, avec les autres docteurs, et concluent à domages intérès et despens, et dient que ly en a aucuns qui ne vuelent point procéder et demander restablissement.

Ceux[1] de la faculté dient que en l'estude de l'Université de Paris qui fu à Rome, et depuis translatée à Paris, a quatre facultés, de théologie, de decrez, de medecine et des ars, et y sont, depuis qu'il ot Université à Paris, et est la plus notable et la plus ancianne du monde, car c'est celle que fu à Athènes, et d'Athènes à Romme et de Romme fu translatée à Paris. Et en théologie a un doyan, en decrez doyan, idem en medecine, et en ars le recteur; et a chascune faculté jurisdiccion et cognoissance sus l'escolarité et la regence en la faculté, et a chascune faculté seauls et huche, et doivent les docteurs obéir aux commandemans des bediaus, qui sont de par la faculté, soient regens et non regens. Dient qu'il ont rue où il lisent, c'est assavoir *Clo Brunel*, et[2] y a grant interest pour les collacions que font les escoliers les uns aux autres, où il aprennent moult, et si vont les escoliers plus diligemment à l'escole; car les diligens sont notéz, et les negligens aussin. Et pource que en decrez et es ars a rues, il y a meins de abuseurs de privilèges que es autres facultés.

Dient qu'il a statut en la faculté que les bacheliers doivent lire en la rue de Clo Brunel[3], et le jurent et que il liront es escoles magistrans de leurs maistres, c'est à entendre se elles souffisent, pource qu'il y a plus de bacheliers que de docteurs, et le jurent, ad quelque estat qu'i veignent. Si appert que les docteur le doivent garder, quant de bachelier il sont fait licenciez et maistres, et ceux qui font leurs propos en la faculté, le doivent faire

en la rue de Clo Brunel, et non point es escoles du cloistre de Paris, et onques ni fu fait. Et telles sont les ordenances et status, et ainsin le jurent tous, et jurent obéir au doyan et collège de la faculté et aler aux assamblées.

Dient qu'il est notoire que le doyan[4] fu bachelier; si appert qu'i fist les sermens dessus declarez et confesse qu'il est docteur, et pieça se trahi en l'ecglise de Saint Jehan de l'Ospital[5] devers le doyan et docteurs de la faculté, et li baillèrent congé[6] de lire ou cloistre de Paris comme regent *quamdiu placeret eorum voluntati*. Et par ce appert que l'ut de grace, et leur est conservé tout droit et possession.

Et néantmeins messire Jaques le Riche a leu es escoliers de chapitre contre la voulanté de ceux de la faculté. Dient qu'il ont fait adjorner le doyan devant euls en leur collège et ont revoqué la grace qui li avoient fecte, et li deffendirent que il ne leust comme regent, autrement il le declareroient non regent et parjure. Et se li assignèrent jour pour dire tout ce que bon li sambleroit, messire Jaques ne vint pas à la jornée et fu contumax; iterate fu adjornez et mis en seconde contumace, et adjornez encor; à celle jornée il vint. Le procureur de la faculté proposa ces choses contre lui. Le doyan[7] dist qu'il avoit leu depuis les deffenses et encor liroit et ne respondroit à chose qu'i deissent. *Et sic fuit verus contumax,* et fu declarez non regent; mais il ne fu pas declarez parjur, et n'appella ne reclama, et eust peu appeller à l'Université ou à court de Romme. Et par ce appert que leur jurisdiccion est fondée, et si est avec ce fondée de droit commun par l'autentique *Habita*[8], et si a tout collège jurisdiccion sus ceuls du collège, et si ont jurisdiccion par coustume et usage. Respondent à ce que dit partie adverse qu'il ont escoles et puent lire, etc., — si est voir de théologie et de gramaire, non pas de decrez; et se aucun des chanoines de l'ecglise ont leu es escoles de chapitre, ce a esté par grace, et se il ont leu senz grace, il n'ont pas esté reputé pour regent. Et consideré que la rue ordenée pour lire en decrez, les faiz de partie adverse ne sont pas recevables; et consideré qu'il ont procedé contre le doyan par voye de jurisdiction et ont donné sentence contre lui, dont il n'a appellé ne reclamé, le doyan ne fait à recevoir à soy complaindre. Tesmoin l'arrest de l'arcevesque[9] et doyan[10] et chapitre de Reins contre l'evesque d'Arras[11] pour la chappe, et la sentence qui est sus, « le petitoire actroit a soy le possessoire ». Et si ont receu aucunes foix de l'argent senz le doyan et dont le doyan n'a eu aucune porcion, et par ce appert qu'il n'est pas reputez pour regent, au meins en toutes choses. Dient que le doyan ne fait à recevoir, à dire que ceux de la faculté ne puent faire deffenses et commandemans au doyan, consideré qu'il se confesse subget et docteur, et ne se dit pas exempt en sa complaincte, et deubt estre venus avant par voye d'appel, comme a fait nagaires l'abbé de Saint Taurin de Évreux[12], ou par voye de nouvellecté en soy disant exempt, ce que ne maintient pas en sa complaincte. Dient qu'il ne propose point de fait actuel tortonnier[13], si ne fait à recevoir le doyan; dient oultre que ceux de chapitre ne font à recevoir, car il n'ont point de cognoissance sus le fait de l'escolastrerie et ne pourroient declarer le doyan estre non regent.

Dient quant aux bediaux que ceux de chapitre ne dient pas en leur complaincte qu'i soient en possession et saisine, que les bediaux doivent aler au doyan es escoles du cloistre, mais dient tant seulement qu'il ont droit, et il est question de la possession tant seulement; si ne font à recevoir, et si n'ont pas les docteurs deffendu aux bediaux qu'il ne alassent es escoles de chapitre et se sont folement dolus du soubsbedeau, car il n'a riens fait et n'a en riens empesché le doyan et ne puet riens faire que en l'absence du bedeau; et durant tout ce procès le bedeau n'a point esté absent, si appert que folement se sont complains du bedeau et du soubsbedeau, si doivent avoir congé et despens.

Dient que la procuracion a esté faite en collège soubs le seaul du dit collège et ni doivent riens nommer, car il ont à faire comme collège, non pas comme singuliers; et si ont fait procuracion en leur collège devant ij notaires de Chastellet et ont esté la plus grant et la plus seine partie de ceux de la faculté, et en tant que les singuliers ont esté adjornez, ce a esté folement, et doivent avoir congé et despens. A ce concluent et que la procuracion soit dite bonne et valable et soit dit que à bonne cause se sont opposez, et oultre proposent et concluent tout pertinent en cas de nouvellecté, en cas de delay à recréance, consideré qu'il ont rue, et veus le proces et la sentence, et demandent despens.

Lesdiz doyan et chapitre repliquent et dient que l'estude et Université qui est à Paris fu avant l'incarnacion Nostre Seigneur quant aux facultez des arts et de medicine, et non pas quant à decrez et théologie; car à Athènes, où l'estude fu premierement, on ne lisoit point de théologie ne de decrez; car pour lors il n'estoit point de théologie ne de decrez, et sont ceux de chapitre fondez avant que l'Université fust à Paris et avant que la science de decrez fust; et paravant on lisoit ou cloistre de Paris des sciences qui estoient lors. Et dient qu'i sont sus le cas possessoire. Et à ce que dit partie adverse qu'il a rue, c'est assavoir *Clo Brunel* où on lit de decrez, dient que ceux de théologie et de médicine, qui n'ont point de rue, sont aussin bien privilegiez que ceux de decrez. Se n'i fait riens la rue. Et se en théologie on ne list point en rue pour cause des religieux, afin que ne soient empesché du divin service, ceste raison a lieu en ceux de chapitre, afin que les chanoines et chappellains de l'ecglise ne soient empesché du divin service. Et ce que dit partie adverse que on ne doit point lire hors la rue, c'est *in locis et domibus privatis,* mais le doyan list es escoles de chapitre, lieu acoustumé et honneste. Et quant le pape ou le roy octroyent un privilège à la faculté, le privilège ne dit pas que ce soit pour ceux qui vont en la rue, mais parle generalment et s'extent à ceux qui lisent es escoles de chapitre. Se n'i fait riens ce que dit partie adverse de la rue. Et dient que maistre Pierre de Pacy[14], chanoine de Paris, lut es escoles de chapitre come bacheler, et se les bachelers jurent que liront en la rue, il n'est pas question à present de ce, et ne le jurent pas le docteurs, et se il le jurent, le chapitre est à excepter et ne s'extent pas tel serment à ceux de chapitre, et se il se extendoit encor, demourroient ceux de chapitre en leur possession, *quia possideo, quia possideor,* etc. Et si ont requis veoir la grace que ceux du collège dient avoir faite

au doyan, il ne l'ont voulu monstrer, et se le doyan a requis grace, ce ne doit prejudicier à ceux de chapitre.

Quant à la sentence dont partie adverse se ayde, dient que partie ne fait à recevoir à soy en aydier s'elle n'en fait prompte foy par escript, mesmement à fin de non recevoir. Et oultre dient que la sentence ne vault; car les deffenses furent faites avant que jour li fust assigné pour dire ce que voulroit dire, et *ont mis la charrue devant les buefs,* et ont procedé senz ouyr parties et senz cognoissance de cause, et pareillement ont fait la declaration, et n'est pas gardée l'autentique *Habita.* Et ne sceuent le doyan et chapitre que ceux de la faculté aient jurisdiction, et sont les contumaces nulles *ipso jure* et tout ce qui s'en est ensuy, car ceux de chapitre ne sont point subject de la faculté; aussin n'est le doyan en ce, car il list et est en possession de lire es escoles de chapitre comme membre et chanoine de chapitre. Et[15] n'i fait riens l'arrest de Reins contre l'evesque d'Arras, car l'evesque confessoit en sa complaincte estre subject de l'arcevesque, ce que le doyan et chapitre ne confessent pas, et allèguent l'arrest nagaires pronuncé pour les confrères de la confrarie de la Charité de Chaalons contre l'evesque dudit lieu, et dient que feut à recevoir, car le doyan n'est pas subject de la faculté et si ne souffisoient pas ij contumaces pour faire perdre sa cause au doyan.

A ce que dient ceux de la faculté que le doyan a approuvé taisiblement la sentence pource que n'a pas appellé, dient que non, car il a protesté que ce ne li portast prejudice et aussin a fait le chapitre et le monstreront par instrumens se mestiers est, et si ne devroit valoir la sentence donnée contre le doyan ou prejudice de lui ne de chapitre, consideré qu'elle n'est pas donnée contre chapitre, qui est principal partie en ceste matière, et se le doyan a grâce, ce seroit *in quantum opus est,* et par ce ceux de la faculté n'auroient pas acquis possession et ne seroit pas tollu le droit de chapitre come dit est, et est leur complaincte bien recevable. A ce que dient ceux de la faculté que en la complaincte doyan et chapitre ne maintiennent point de foy, dient que ceux de la faculté viennent contre tous les principes des cas de nouvellecté, car pour droit incorporé on se puet complaindre en cas de nouvellecté et ne vault ce que dit partie adverse *quod petitorium attrahit possessionem,* etc., non fait en ce cas, car tout est nul come dit est, et se les docteurs ont receu de l'argent senz ce que le doyan en ait eu sa part, il ne l'a sceu, et tel exploit clandestin ne leur doit valoir, ne porter prejudice auxdiz doyan et chapitre. Dient qui se sont dolus des bediauls et ont esté empesché par euls et si leur ont fait deffense, ceux de la faculté ont aussin à recevoir quant au soubsbedel, et dient que le bedel et le soubsbedel viennent et vont es escoles excercer leurs offices, et si se sont dolus de la deffense faite à soubsbedel, puet estre que qui voulroit faire un grant fait notable, on le devoit faire es escoles, et n'est pas a present question de faire propos ne harangues, et dient que doivent avoir la recréance, car tout ce que dit partie chet en cognoissance de cause.

Quant à la procuracion, dient qu'elle ne vault et est faite soubs le scel de Chastellet, et

se n'i a aucun nommé dedans, et ne dient pas les notaires qui fussent en collège; et supposé que ly fussent, encor ne vault elle puisque ceux de college ne parlent. Dient que dès le commancement de ce procès, les singuliers sont adjornez, si ne doivent avoir le congé et despens par euls requis; à ce concluent et que facent à recevoir et autrement come dessus.

Ceux[16] de la faculté et le bediau et soubsbediau dupliquent et dient que ou temps de Charlemeigne il estoit estude de théologie et de decrez, dient que la faculté de decrez a cognoissance et jurisdiccion sus les subgez de la faculté, et est le doyan leur subget, et est la faculté de Paris plus ancienne que l'ecglise de Paris. Et ne fait à recevoir le doyan à dire que lit come chanoine et qu'il est subject de chapitre, non de la faculté, et n'est pas recevable, se il et ceux de chapitre ne dient qu'il en a autrefoix esté débas et il ont contredit et l'ont obtenu, car en choses qui sunt de faculté, aucuns ne acquiert possession, se ce n'est par contradiction. Dient que le doyan ne se dit pas exempt de la faculté, si non fait à recevoir à dire que on ne li puisse faire les deffenses dont parlé est cy dessus, et si ne dient pas ceux de chapitre en leur complaincte que le doyan soit leur subject en fait scolastique, ne le doyan ne le maintient pas; si ne font a recevoir les complaignans à leur complaincte negative. Et ne vault ce que dient ceux de chapitre que c'est en partie *ne servicium divinum impediatur,* etc., et à ce ne font à recevoir, car le doyan lit à heure que les autres docteurs et quant on fait le divin service, et ne vont[17] pas a l'escole les chanoines ne les chapellains, et n'i a cellui *qui ne aymast mieuls iij sol. en sa bourse, que la lection du doyan.* Dient que les bachelers jurent comme dit est et que le serment que font les lie, quant il sont fait docteur, pource que jurent quant il sont bacheler : *ad quemcumque statum pervenerint,* etc., et s'extent le serment à ceux de chapitre, et dire le contraire n'est pas recevable. Dient que la sentence contre le doyan est enregistré devers euls, et si la confessent doyan et chapitre en leur complaincte, si ne la doivent monstrer par escript ceux de la faculté et a la sentence bonne et valable, et li fu jour assigné pour dire ce qu'il voulroit dire avant les deffenses à lui faites, et deubt avoir appeller, et consideré qu'i ne l'a pas fait et que la jurisdiction de ceux de la faculté est notoire, la sentence est passée en force de chose jugée. Et ne vault ce que dit partie adverse qu'il n'i a que ij contumaces; car le doyan n'en a appellé ne reclamé et ne sont pas les parties devant le juge qui puet cognoistre de la nullité de la sentence, et si fu le doyan *verus contumax,* come dit est; et dient que la sentence doit prejudicier à ceux de chapitre, car le doyan est principal partie en ceste matière, au meins en tant que touche le doyan, la sentence doit sortir son effect. Et ne puet dire que on l'ait empesché en sa possession, que l'a perdue par la sentence.

Quant à l'arrest de Reins et d'Arras, il fait pour euls, car ceux de chapitre ne dient pas qu'il aient justice sus le doyan, et n'i fait riens l'arrest de Chaalons. Quant aux bedeaux, il n'ont fait aucunes deffenses, et la deffense des docteurs ne donne pas cause

d'eux complaindre des bedeaux. Et dient que l'exploit de l'argent distribué entre euls senz le doyan n'est pas clandestin et l'a sceu le doyan. Quant à la recréance, dient que la doivent avoir, car il n'est debas que de la puissance des docteurs *negative* et non pas de la regence du doyan, et sont mieuls fondé, en ce qui est contentieux, que partie adverse, car leur jurisdiction est notoire. Et dient que la procuration est bonne et valable et n'i convient riens nommer, et sont les singuliers folement adjornez et n'a[u]ra point l'estat partie adverse, mais il l'auront, et concluent qui facent a recevoir et autrement come dessus.

Appoincté est que la court verra la complaincte desdiz doyan et chapitre, l'exploit du sergent[18], la procuracion de ceux de la facultate (*sic*), le statut et ordenance, se les parties en vuelent aucun bailler en ceste matière, le congé que ceux de la faculté dient que bailleront au doyan, et s'enformeront messire Pierre Boschet et maistre Sy[mon] Foison comment ceux de chapitre et aussin ceux de la faculté, se il vuelent, ont usé de ce que maintiennent; considérera les raisons des parties et fera droit aux fins dessus diz par ordre du congé et despens de la recréance ou estat, se la court commectra de par le roy aucunes personnes souffisant, qui soit en ce present examen avec les autres docteurs en lieu du doyan, et aussin sus le restablissement et sus la fin de recevoir et de non recevoir et sus les autres conclusions des parties, et a la court deffendu aux docteurs qui sont en ce présent examen que de cy a juedi prochain il ne elisent les bachelers qui sont en l'examen, et lesdiz doyan et chapitre ont requis qu'i soit enregistré *infra die crastina ibi,* en la cause.

Arch. nat. Paris. X[1a] 1472 (*Cons. et Plaid.*), fol. 62[b]. — Documentum est magni momenti, in quo plures usus et traditiones in scholis Paris. vigentes explicantur. Ut rationem sententiarum intelligas, primum lege partem priorem n[i] 1488.

1. Quae sequuntur, X[1a] 32 (n° 1488), repetuntur, multis omissis. — 2. Sequentia usque « Dient » desunt ibid. — 3. Vid. *Chartul.*, II, n° 1040. — 4. Scil. Jacobus Divitis. — 5. Seu eccl. S. Johannis Hierosolimit. — 6. In n° 1488 : « propter ipsius senectutem congedium et licentiam legendi in scolis dicti claustri Paris. precario seu de gratia speciali concesserant ». — 7. Scil. Jacobus Divitis. — 8. In n° 1488 loco supra dictorum « sed transiverat dicta sententia in rem judicatam ». Auth. *Habita,* Friderici I, an. 1158, Novemb., vid. in Cod. *Ne filius pro patre* (4, 13). Primum hic Auth. *Habita* in actis Universit. Paris. affertur. — 9. Richardi Pieque, de quo supra n° 1435, not. 2. — 10. Nicolai d'Hermonville. — 11. Petrum Masuyer, de quo supra p. 260, not. 65. Agitur de lite an. 1380 inter archiepisc. Remens. et episc. Atrebat. in curia Parlamenti pendente de casula, quam sibi deberi ab episcopo aiebat archiepiscopus, episcopus vero negabat. Causa tot dialecticis acuminibus ventilata est, ut scribitur in *Gall. christ.*, IX, 131, « ut adagio Francico locum dedisse videatur, *disputer de la chape à l'évêque* ». Litis quaedam instrumenta in Bibl. nat. Paris., ms. franç. 19 616, fol. 58-64. Quae supra afferuntur desunt in n° 1488. — 12. Petrus Regis. de quo supra n° 1431, not. 1; de appellatione vid. n° 1475. — 13. I. e. tortionarium (in n° 1488 : « torconnerium »), gallice *injuste*. — 14. Quod hic de Petro de Paciaco scribitur, omittitur in n° 1488, ubi : « plures canonici tanquam baccalarei in dicto claustro legentes ». — 15. Sequentia de lite et de fratribus Charitatis desunt in n° 1488. — 16. Quae sequuntur, desunt in n° 1488. — 17. Ms. : « vonlt ». — 18. Infra p. 328 . « hostiarii, dictarum litterarum executoris. »

1487. *Puncta tractanda in curia Parlamenti.*

1384, Aprilis 20, Parisiis.

Mercredi xx[e] Avril. Item entre mess. Jaques Le Riche doyan et chanoine de Paris en son privé nom, et doyan et chapitre dudit lieu d'une part, et les docteurs et collége de la faculté de decrez à Paris d'autre part, sus le plaidoyre nagaires entre lesdites parties, veues les lettres des parties et tout considéré.

Item sera dit que ledit messire Jaques en son dit privé nom ne fait à recevoir et le condampne la court es despens desdiz docteurs et college de ladite faculté, la taxation reservée[1].

Item il sera dit que lesdiz docteurs et college de ladicte faculté sont bien et deument fondez et font a recevoir lesdictes parties, et sont contraires et ne puent estre delivrées senz faiz, si les feront; et l'enqueste fecte et rapportée, la court fera droit.

Item, il sera dit quant à la recreance des choses contentieuses que lesdiz docteurs et collège de ladite faculté pendant le plet et aussin ceux de chapitre demandent que la court y aura plus grant adviz, et permet la court aux docteurs de ladicte faculté et ordene que puissent proceder à lection des bacheliers à licentier senz ledit messire Jaques.

Arch. nat. Paris. X^{1a} 1472. (*Cons. et Plaid.*), fol. 171^{b}.

1. In margine : « pronunciatum xxij Aprilis, octogesimo quarto. Corbie ». Vid. infra nº 1488.

1488. *Origo litis, quae in curia Parlamenti controversa manet, latius enarratur*

1384, Aprilis 22, Parisiis.

Cum dilectus et fidelis consiliarius noster et magister requestarum hospicii nostri magister Jacobus Divitis, decanus et canonicus Parisiensis, decretorum doctor, actu regens Parisius in predicta facultate, suo nomine privato et ut decanus dicte ecclesie, et predicte ecclesie capitulum nuper conquesti nobis fuissent super eo quod dicebant, quod ipsi decanus et capitulum ad causam dicte eorum ecclesie et dictus decanus suo nomine et ad causam suorum beneficiorum habebant plura jura, franchisias et prerogativas, fuerantque et erant in nostris proteccione et salva gardia speciali, ac eorum ecclesia predicta de fundacione regia extabat, et inter alia eorum jura et nobilitates dicti decanus et capitulum ab antiquo scolas, domum et locum in eorum claustro pro scolis institutum et ordinatum habebant, in quibus quidem scolis publice legere et legi facere per nonnullos canonicos vel alios in predicta ecclesia beneficiatos ad hoc habiles et sufficientes de sciencia theologie et de sciencia decretorum et de qualibet earundem, omnibus ad lecciones et lecturas ire volentibus, presertim beneficiatis in dicta ecclesia, consueverant; quodque ab omni tempore magistri in dictis scolis legentes ut magistri in dictis facultatibus regentes Parisius et alibi tenebantur et reputati fuerant, usique et gavisi fuerant privilegiis, honoribus, juribus, libertatibus, proficuis et emolumentis, quibus utebantur et gaudebant ceteri magistri in predictis facultatibus in dicta Universitate Parisius regentes; consuetumque fuerat quod bedelli dictarum facultatum ibant ad scolas dicti claustri et ad domum dicti decani quando decebat, festa ac tempora et horas quibus legi et cessari debebat, et quod dictus decanus in congregationibus, propositis, harengis et ceteris factis et negociis studium tangentibus

interesset, dicturi et significaturi; ad que omnia legentes in dicto claustro convocati fuerant ac vocem et audienciam habuerant, quemadmodum ceteri magistri in predictis facultatibus regentes; et insuper quod ad causas predictas et alias debite dicti conquerentes, prout quemlibet eorum tangebat, fuerant et erant in possessione et saisina, quod doctores et magistri in dicta facultate decretorum regentes vel alii quicunque dictos conquerentes ac magistros in dicta facultate decretorum regentes dicte ecclesie canonicos aut in eadem ecclesia dignitates vel beneficia habentes et in scolis dicti claustri legentes in premissis vel in altero eorundem impedire seu per citaciones, monociones vel inhibiciones vexari non poterant nec debebant; in possessioneque et saisina, quod dicti conquerentes non tenebantur nec tenentur a magistris in dicta facultate decretorum regentibus licenciam seu congedium super premissis requirere vel habere; et quod dicti magistri in dicta facultate decretorum regentes ullas defensiones validas dictis conquerentibus, quod ipsi in scolis dicti claustri non legant, facere aut ipsis suas lecciones suspendere vel ipsos a dictis suis lecturis et a ceteris eorum juribus et franchisiis, quibus magistri et doctores in dicta facultate decretorum in vico *Clausi Brunelli* et alibi legentes utebantur, suspendere seu repellere non poterant nec debebant, et si quas defensiones dictis conquerentibus facerent, predictis defensionibus iidem conquerentes obtemperare seu obedire et ab eorum lectura pro dictis de dicta facultate decretorum (nisi ceteri magistri in dicta facultate decretorum regentes propter factum et causam generaliter totam Universitatem tangentes cessarent) cessare non debebant; in possessioneque et saisina quod predicti de predicta facultate bedellis dicte facultatis defendere non poterant, quin ipsi bedelli in scolis dicti claustri et in domo dicti decani festa, examina, congregationes et alia dictam facultatem tangentia non significarent; necnon dicti decanus et capitulum in possessione et saisina tenendi et manutenendi magistrum suum regentem vel alium suum canonicum in dictis eorum scolis legentem in possessionibus, saisinis et franchisiis predictis ac faciendi dictos legentes dictis possessionibus et saisinis uti; ac dicti legentes in possessione et saisina per ipsos decanum et capitulum in dictis possessionibus et saisinis manuteneri et conservari, de dictisque possessionibus et saisinis dicti conquerentes usi fuerant et gavisi per tantum temporis spacium, de cujus contrario hominum memoria minime recordatur, aut saltem per tempus sufficiens ad possessiones et saisinas acquirendas et retinendas.

Et dictis possessionibus et saisinis ac franchisiis utendo, magister Jacobus decanus predictus cum licencia et auctoritate dictorum de capitulo in scolis dicti claustri tanquam magister et doctor decretorum, in dicta regens facultate, per longum tempus legisset et ad causam hujusmodi magister Jacobus decanus predictus omnibus juribus et prerogativis, quibus magistri regentes in studio Parisiensi in predicta facultate decretorum utebantur, usus fuerit et gavisus, et quod premissis non obstantibus doctores et magistri nunc in predicta decretorum facultate regentes ac eorum commissarii et deputati vel alius eorum nomine sua moti voluntate absque causa racionabili nuper dictum decanum monuerant, ut a

dicta sua lectura in scolis dicti claustri cessaret, sibique preceperant et injunxerant quod in scolis dicti Clausi Brunelli legeret. Et hiis non contenti magistrum Jacobum decanum predictum ob causam predictam citari et moneri ac ire fecerant coram ipsis in eorum congregacione in hospitali Sancti Johannis Jherosolimitani vel alibi. Et quia dictus magister Jacobus a sua lectura cessare noluerat ad eorum voluntatem et preceptum, dictis de capitulo minime vocatis, predictum magistrum Jacobum non regentem declaraverant et pro non regente reputaverant, ipsumque coram ipsis citari et moneri fecerant, visurum se perjurum declarari; dictisque bedellis inhibuerant ne ad scolas dicti capituli et ad domum dicti magistri Jacobi decani accederent, festa, examina, congregaciones et cetera consueta significaturi. Qui quidem bedelli ad dictorum de dicta facultate decretorum inhibicionem et preceptum ibidem ire cessaverant, pluraque alia impedimenta dicti de dicta facultate predictis conquerentibus in lectura et scolis predictis fecerant et facere non cessabant, satagentes per obliquum dictos conquerentes a predictis lectura et scolis privare et repellere, in ipsorum conquerentium, prout quemlibet eorum tangebat, maximum prejudicium atque dampnum, ac ipsos in dictis suis possessionibus et saisinis perturbando et impediendo indebite et de novo, ut dicebant. Et ob hoc a nobis certas litteras obtinuerant, quarum virtute dicti magistri et regentes in dicta facultate decretorum, necnon Symon Thome bedellus et Bricius Monachi subbedellus dicte facultatis, qui contra dictarum litterarum execucionem se opposuerant, fuerant ad certam diem lapsam in dicta curia nostra adjornati, de et super premissis responsuri, ac ulterius processuri et facturi ut esset racionis, prout hec et alia ex tenore dictarum querimonie, litterarum ac ex relacione certi dicti Parlamenti nostri hostiarii, dictarum litterarum executoris, dicebantur latius apparere.

Constitutis igitur propter hoc in dicta curia nostra partibus antedictis seu earum procuratoribus, dicti conquerentes petebant certum defectum, quem se coram dicto hostiario contra dictos de predicta facultate decretorum obtinuisse dicebant, confirmasse, aut quod saltem dictus defectus ob defectum minus sufficientis procuratorii concederetur. Proponebant insuper omne factum pertinens, ac conclusiones faciebant ad casum novitatis spectantes et quod in casu dilacionis eisdem conquerentibus recredencia fieret, et non dictis de predicta facultate, necnon et quod dicti de predicta facultate in dictorum conquerentium dampnis, interesse et expensis condempnarentur.

Dictis de predicta facultate ex adverso inter cetera proponentibus et dicentibus quod in studio Universitatis Parisiensis ab antiquo et quamprimum fuerat ibidem studium, fuerant et erant quatuor, videlicet theologie, decretorum, medicine et artium, facultates....[1].

Dictis conquerentibus replicantibus et dicentibus quod procuratorium dictorum predicte facultatis decretorum sub sigillo Castelleti nostri Parisiensis confectum fuerat....[2].

Preterea dicebant quod studium dicte Universitatis Parisiensis quoad facultates medicine et artium ant[e] Domini nostri Incarnacionem, et non quoad facultates theologie et decretorum, cum tunc non essent sciencie theologie et decretorum adinvente Parisius,

fuerat; et priusquam dicta sciencia decretorum adinveniretur, erant scole in dicto claustro Paris. in quibus de sciencijs que tunc erant legebatur....[3].

Tandem auditis partibus antedictis in omnibus, que circa premissa dicere et proponere voluerunt, visis insuper querimonia dictorum conquerentium, expletis seu relacione dicte querimonie executoris, procuratorio dictorum predicte facultatis, ac certis statutis ipsius facultatis, unacum quadam informacione per nonnullos dicte curie nostre commissarios ex ordinacione dicte curie facta, et sentencia predicta ac certis aliis litteris, actis et munimentis partium predictarum, consideratisque et attentis diligenter omnibus circa hoc attendendis et que dictam curiam nostram in hac parte movere poterant et debebant : per arrestum ejusdem curie dictum fuit quod procuratorium dictorum predicte facultatis decretorum erat et est bonum et validum, erantque et sunt dicti predicte facultatis bene et sufficienter fundati in hac causa; per idemque arrestum dictum fuit quod dictus magister Jacobus suo nomine privato non erat nec est admittendus, ipsumque non admisit dicta curia nec admittit, ipsum in expensis dictorum predicte facultatis decretorum condempnando, dictarum expensarum taxacione dicte curie reservata. Et per idem arrestum dictum fuit quod in ceteris dicte partes erant et sunt ad sua proposita admittende, ipsasque admisit dicta curia et admittit, nec poterant neque possunt sine factis expediri. Facient igitur facta sua, super quibus inquiretur veritas; et inquesta facta ac eidem curie reportata fiet jus. In quantum vero tangit recredenciam per utramque dictarum partium supra petitam, dicta curia super hoc pleniorem habebit deliberacionem, et super hoc ordinabit, ut fuerit rationis. Pronunciatum xxij^a^ die Aprilis, anno M° CCC° octogesimo quarto.

CORBIE.

Arch. nat. Paris. X1a 32 (*Jugés*), fol. 343.

1. Quae nunc in instrumento strictim narrantur, a nobis brevitatis causa praetermissa, late invenies supra p. 320-322. — 2. De procuratorio vid. supra p. 323 in fine : « Quant à la procuration », *etc.* — 3. In sequentibus breviter enarratur, quod supra p. 322-323 fusius exscribitur.

1489. *Clemens VII in favorem capituli Paris. statuit, ut deinceps unus canonicus eccl. Paris., decret. doctor, decreta sine licentia facultatis decretorum in scholis claustri ecclesiae Paris. legere possit.*

1384, Augusti 16, apud Castrum Novum.

Clemens episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad Parisiensem ecclesiam, in qua dum minori fungeremur officio canonicatum et prebendam obtinuimus ac residenciam fecimus personalem, specialis devotionis gerentes affectum inducimur, ut ad eam quantum cum Deo possumus intendamus, que summotis quarumlibet discencionum materiis ad personarum ipsius tranquillitatem et pacem fore conspicimus opportuna, illaque favorabiliter concedamus que augmentum honoris ejusdem ecclesie respicere dinoscuntur. Cum itaque, sicut accepimus, inter dilectos filios Jacobum decanum et capitulum predicte ecclesie ex una parte, ac decanum et collegium facultatis decretorum studii Parisiensis.....[1]

ex alia, questionis materia sit exorta, et lis in Parlamento regali Parisius super possessorio pendeat ut asseritur indecisa : nos cupientes questioni hujusmodi finem imponere ipsamque ecclesiam specialis in hac parte prerogativa gratie decorare, motu proprio, non ad ipsorum Jacobi decani et capituli vel alterius pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate predicto Jacobo decano et ejus successoribus decanis ipsius ecclesie et prefatis capitulo auctoritate apostolica presentium tenore concedimus quod deinceps imperpetuum unus canonicus predicte ecclesie prebendam inibi obtinens, decretorum ipsorum doctor, qui in eodem studio insignia susceperit, memorata jura canonica in dictis scolis ordinarie legere valeat, predictorum decani facultatis et collegii vel aliquorum seu alicujus ipsorum licentia super hoc minime requisita, etiam si forsan aliquando per prefatum Jacobum aut canonicum ipsius ecclesie, qui pro tempore in dictis scolis legebat, licentia super lectura hujusmodi a prefatis decano facultatis et collegio vel aliquibus aut aliquo eorundem petita fuerit vel obtenta; quodque canonicus ejusdem ecclesie jura predicta in eisdem scolis pro tempore, ut premittitur, legens verus regens in eisdem juribus perinde reputetur, ac si jura predicta ordinarie in vico legeret supradicto[2]; et quod scolares sui in eisdem scolis perinde tempus ad lecturam decretorum ipsorum per statuta et consuetudines dicti studii diffinitum censeantur complere, ac si in vico predicto sub doctoribus pro tempore in eo regentibus eadem jura audirent; et quod canonicus sic legens illis quibus doctores regentes pro tempore in dictis juribus in vico predicto, scolares vero predicti illis honoribus, privilegiis, libertatibus, franchisiis et immunitatibus quibus scolares sub doctoribus in ipso vico pro tempore regentibus uti et gaudere noscuntur uti valeant et gaudere. Volumus autem quod in ceteris canonicus in dictis scolis, ut premittitur, legens, et scolares sub ipso in eisdem scolis jura audientes predicta, statuta et consuetudines facultatis ejusdem servare ac decano facultatis et collegio supradictis obedientiam in licitis et honestis sicut ceteri doctores decretorum ipsorum et scolares studentes in ipsis dicti studii impendere teneantur. Premissis et aliis quibusvis litibus et causis super premissis vel eorum occasione coram quibusvis judicibus inter partes easdem forsan pendentibus, quas et earum statum presentibus haberi volumus pro expressis (decernentes processus quoslibet, quos in illis decetero haberi contigerit, eisdem presentibus aliquatenus obsistere non debere), necnon statutis et consuetudinibus facultatis et studii predictorum ac privilegiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus facultati, collegio et studio supradictis sub quacunque forma vel expressione verborum concessis contrariis, juramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, etiam si de illis et eorum totis tenoribus de verbo ad verbum esset presentibus mentio fienda, non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo, *etc.* Datum apud Castrum novum Avinionens. dioc. xvij kal. Septembris, pontificatus nostri anno sexto.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 70, nº 2. Deest sigillum. A tergo R̸. — Reg. Vat. Clement. VII, nº 296 (inter epistolas anni VII), fol. 87. — Hemeraeus, *De academia Paris.*, p. 45, e quo Bulaeus, IV, 601. — Exsecutoria praedictae bullae com-

42.

missa est abbati S. Maglorii[3], priori S. Eligii et thesaurario capellae regiae. Arrestum Parlamenti, quo corroborata est amica transactio partium, vid. infra ad an. 1386, nº 1523.

1. Summus pontifex enarrat breviter querelam, nobis jam notam, Jacobi Divitis contra inhibitionem decani facultatis et collegii decretorum Paris. (vid. imprimis nº 1488). — 2. Scil. Clausi Brunelli. — 3. Tunc temporis Richardo Guernonis, de quo supra p. 227, not. 14.

1490. *Clemens VII Henrico Carpentini*[1], *decano ecclesiae S. Marcelli prope Parisios, mag. in medic., permittit, ut usque ad quinquennium a data praesentium computandum in facultate med. legere, regere, disputare et alios quoscumque actus in eadem facultate per magistros in medicina fieri consuetos exercere libere et licite valeat, non obstante quod in presbyteratus ordine constitutus sit.* Dat. apud Castrum novum Avinionens. dioc. viiij kal. Septembris, anno sexto. « Literarum scientia ».

1384, Augusti 24, apud Castrum Novum.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXXIV, f. 546.

1. Decano S. Marcelli ab an. 1383, Maii 28 (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXIX, f. 294).

1491. « *Littera Universitatis publicanda per congregationes, sermones et scolas contra abusus et pecuniarum corruptelas in gradibus seu licentiis abiciendos.* »

1384, Octobris 6, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium, salutem in Domino. Ut abusuum corruptelam de medio nostrum, quantum possumus, extirpemus, nos in congregatione nostra generali apud S. Maturinum nuper facta et per venerabilem et discretum virum magistrum Johannem de Marsono[1] nostre Universitatis prefate tunc rectorem solemniter celebrata, ex communi et concordi deliberatione quasdam clausulas privilegiorum nostrorum pro animarum salute et studentium libertate ordinavimus publicandas, et eas anno quolibet pluries, maxime circa principium ordinarii, in nostris congregationibus tam generalibus quam specialibus, ac etiam per scolas in principiis et lectionibus magistrorum et bachellariorum necnon etiam in sermonibus, precipue quando fiet collatio rectoris ad clerum, publice legendas decrevimus, ne quis decetero propter earum ignorantiam, suam valeat maliciam excusare.

Omnibus ergo notum sit quod in privilegio Gregorii, quod incipit : *Parens scientiarum*[2], talis clausula continetur : « Nec cancellarius a licentiandis magistris juramentum vel obedientiam, seu aliam exiget cautionem, nec aliquod emolumentum seu promissionem recipiet pro licentia concedenda, juramento superius dato contentus. » Est autem hujusmodi juramentum, « quod de bachelariis fidele testimonium perhibebunt[3] ».

Item in privilegio *Servus crucis*[4] habetur clausula generalis quod « nullus incipiat licentiatus a cancellario vel ab alio data ei pecunia, vel fide prestita, vel alia conventione habita ». Et in fine ejusdem privilegii pena excommunicationis late sententie transgressoribus contumacibus imponitur sub hac forma : « Ut autem ista inviolabiliter observentur, omnes qui contumaciter contra hec statuta nostra venire presumpserint, nisi infra quin-

decim dies a die transgressionis coram universitate magistrorum et scolarium vel coram aliquibus [ab Universitate] constitutis presumptionem suam curaverint emendare, legationis qua fungimur auctoritate vinculo excommunicationis innodamus. »

Item, in privilegio Urbani quinti de artistis specialiter statuitur[5], « quod licentiandi in artibus nichil dent, vel se daturos promittant », *etc. ut supra* p. 146 *usque* profutura.

Hec igitur publicare et omnibus notificare curavimus, ut nullus contra mandata apostolica gravem inobedientie culpam et prefatam excommunicationis sententiam, ac Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli indignationem incurrat. Datum et actum anno Domini MCCC octuaginta IIII, die jovis ante festum beati Dyonisii, Parisius in nostra congregatione predicta.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 120, sub rubrica ut supra. — Bulaeus, IV, 599. — Hoc documentum referas ad *Litem Universitatis contra cancellarium Paris. Johannem Blanchart,* de quo infra n^is 1504 sqq. Hanc litem contra cancellarium jam sub praedecessore Johannis de Marsono, videlicet Laurentio Quilleti (qui rector fuit eodem anno, Martii 24-Junii 23), incepisse, ediscimus ex articulis cancellarii contra Universitatem (vid. art. 31) infra nº 1520 edendis. Vid. *Introduct.* ad n^um 1504.

1. Seu Johannem Girardini de Marsonno (supra p. 255), rectorem Junii 23-Octob. 10. Testis 2 infra nº 1521 ipsum et Petrum de Ailliaco ut promotores litis nominat. — 2. *Chartul.*, I, nº 79. Vid. p. 138 circa medium. — 3. Scilicet magistri licentiandi. Vid. ibid., p. 137, post med. — 4. Roberti cardinalis legati, *Chartul.*, I, nº 20. Vid. p. 79 post med. — 5. Supra nº 1319. Vid. p. 146.

1492. *Deliberatio nat. Gallicanae de scholis mag. Johannis de Roncuria, nuntii missi in Flandriam.*

1384, Septemb. 28-Octobris 10, Parisiis.

Mag. Johanne de Marsono[1] tunc supplicante vel requirente pro et nomine mag. Johannis de Roncuria missi ad Flandriam[2] ex parte nationis una cum aliis nunciis Universitatis, quatinus scole sue, videlicet scole inferiores *ad Scutum Francie*, nulli alteri ordinentur, cum idem mag. Johannes de Roncuria more solito in quantum poterat, promisisset in manu predicti procuratoris[3] quod immediate post ejus regressum intendebat bona fide ibi legere; insuper quod in casu, in quo ante principium magni ordinarii non reverteretur de predicta legatione, quatinus pro et nomine predicti mag. Johannis de Roncuria, et non alias, legeret usque ad regressum suum mag. Johannes de Chamineto[4] ab eo substitutus : deliberavit natio predicta, quod predicte scole quoad proprietatem remanerent dicto mag. Johanni de Roncuria. Item quod in loco ipsius ibidem legeret dictus mag. Johannes de Chamineto usque ad regressum dicti mag. Johannis de Roncuria, in casu quo idem non reverteretur ante principium predicti ordinarii, natione ad hoc mota multis rationibus ibidem recitatis.

Bulaeus, IV, 969, e *Lib. proc. nat. Gallic.*

1. Qui tunc rector fuit. — 2. I. e. ad Concilium apud Insulam in Flandria propter schisma congregandum, de quo infra *De Schismate*, ad an. 1384, Sept. 18. — 3. Johannis Moraine, procurat. a 28 Septemb. 1384. — 4. Supra p. 256 scribitur: « de Camineto ».

1493. *Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario Paris., ut Hugonem Stoquer, Ord. Praedicat., qui in philosophiae et theologiae facultatibus in diversis studiis ipsius Ord. lector fuit principalis, ad legendum librum Sententiarum in studio Parisiensi in altera scholarum fratrum Ord. tempore hiemali anno Domini 1385 vel 1386, vel postea admittat.* Dat. apud Castrum novum Avinion. dioc. viij id. Novembris, anno septimo. « Viri sacre ».

1384, Novembris 6, apud Castrum Novum.

Reg. Vat. Clementis VII, nº 300, fol. 305. — Licet Hugo Stoquer Sententias legisset, non tamen, causa exclusionis Praedicat. ab Universitate Paris., licentiam in theologia obtinuit nisi an. 1403 (e *Catal. licent.*), i. e. statim post admissionem fratrum ad Universitatem (quod an. 1403, Aug. 21, evenit), cum jam esset electus episc. Trecorensis (post obitum praedecessoris Petri; « Yvonis » in *Gall. christ.*, XIV, 1128), ab an. 1403, Aug. 20 (Reg. Aven. Bened. XIII, vol. XXX, fol. 82b). In epistola baccalareus formatus in theol. nominatur. Aug. 30 ejusd. anni ei indulgetur consecratio (Reg. Vat. Bened. XIII, nº 323, f. 254b), an. 1404, Aug. 25, translatus est ad Venetens. (Reg. Aven. Ben. XIII, vol. XXXI, fol. 509).

1494. « *Instrumentum continens modum eligendi per facultatem theologie aliquem vicarium seu vicesgerentem decani ejusdem facultatis, qui habeat portare onera officii decani.* »

1384, Novembris 7, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo octogesimo quarto, indictione octava[1], mensis Novembris die[2] septima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi anno septimo, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hec vocatorum specialiter et rogatorum presencia propter hoc personaliter constituti venerabiles et circumspecti viri magistri facultatis theologie notabiliter vocati et solenniter congregati per magistrum Radulphum Glachardi, decanum facultatis predicte, ad providendum quibusdam defectibus et inconvenientibus antea in quadam congregatione generali per dominum rectorem Universitatis Parisiensis, ut dicebant, propositis, de consensu dicti decani deliberavit ea que sequntur :

Primo dicto decano instanter supplicante et requirente, deliberavit dicta facultas quod remaneat antiqua consuetudo de decano, scilicet quod ad supportandum onera et labores ipsius quater in hoc anno eligatur unus vicarius seu vicesgerens ipsius decani, nominandus per quatuor magistros, duos religiosos et duos seculares eligendos per facultatem. Qui quatuor jurabunt eligere bonum et utilem juxta posse. Et si opus est et de hoc requirantur, audiant super hoc vota singulorum magistrorum. Et de predicta requesta dicti decani ipse et tota facultas petierunt publicum instrumentum.

Item deliberavit quod die jovis tunc proxima fieret congregatio ad eligendum aliquem modo predicto, qui electus remaneret usque ad vigiliam Purificationis inclus[iv]e, et alii consequenter eligendi remanerent per tres menses usque ad annum integrum, et circa finem anni deliberaretur utrum talis ordinacio vel observantia sit expediens ad statuendum.

Predicta vero die jovis in congregacione dicte facultatis ad hoc vocate et in presencia magistri Gerardi de Vervino, penitentiarii ecclesie Parisiensis, tunc locum decani tenentis,

electus fuit modo predicto magister Stephanus de Calvomonte, archipresbyter Sancti Severini per scrutinium totius facultatis factum per quatuor magistros, duos antiquiores religiosos et duos seculares antiquiores, qui tunc erant in congregacione, scilicet per magistrum Gerardum predictum, magistrum Jacobum[3], inquisitorem Ordinis Predicatorum[4], magistrum Stephanum Galdeti[5], canonicum Insulensem, et mag. Richardum[6], abbatem Sancti Maglorii Paris. Ord. sancti Benedicti. Item deliberavit dicta facultas dicta die septima mensis Novembris quod quilibet eligendus modo predicto, dummodo eodem anno alias electus non fuerit, teneatur dictum officium acceptare et exercere sub pena viginti solidorum parisiens. applicandorum alteri loco ejus subrogando. Item quod dictus vicesgerens in absencia decani teneatur per juramentum omnia illa fideliter facere, que decanus faceret si presens esset, scilicet ponere in deliberatione, facere inductionem per magistros et deliberationem recolligere ac referre sine prejudicio cujuscunque. Item quod teneatur etiam in qualibet congregacione Universitatis et facultatis vel alium pro se mittere quando esset legitime impeditus. Item quandocunque erit personaliter in congregatione Universitatis, habebit unum grossum antiquum de pecunia facultatis, et quando non intererit nec mittet pro se alium, tenebitur per juramentum tantumdem refundere facultati. Item tenebitur deliberata Universitatis et facultatis diligenter exequi pro posse. Et ut hoc melius facere valeat, poterit super deliberatis aut super dependentiis vel annexis eisdem vocare magistros ad congregationem facultatis, in casu quod decanus per eum requisitus eam facere noluerit[7]. Item teneatur suo successori dare in cedula deliberata Universitatis et facultatis et ea que erunt exequenda, maxime in factis arduis. Item quandocunque aliquis a majori parte facultatis electus fuerit ad proponendum, teneatur proponere sub pena viginti solidorum parisiens. applicandorum dicto subdecano ultra alias penas consuetas in Universitate, nisi sic immediate electus ante proposuerit, vel nisi excusationem legitimam habuerit, de qua juramentum prestare teneatur, et super qua facultas habeat judicare, alioquin sit privatus, nisi premissa impleverit, [et] a lectura, privilegiis, libertatibus et aliis honoribus et emolumentis facultatis per tres menses suspendatur, aut majori pena puniatur, prout eidem facultati secundum casus exigentiam videbitur expedire. Habeat[8] autem proponens dimidium sextarium boni vini valoris trium aut quatuor grossorum. Item in casu quod non esset per facultatem provisum de proponente propter brevitatem temporis aut aliam causam urgentem, tunc in deffectu proponentis tenebitur dictus vicarius proponere sub pena decem solidorum parisiens. per ipsum refundendorum facultati, et tantumdem habebit a facultate predicta in casu, quo non haberet dictos viginti solidos de pena supradicta, scilicet quando deffectus alterius proponentis esset legitime excusatus. Item quilibet deputatus ad aliud quam ad proponendum, quando intererit in factis Universitatis, habeat medium grossum, et tantumdem solvat quandocunque defecerit. Item quicunque tenebitur ad penas pecuniarias predictas, non admittatur ad honores et emolumenta facultatis usquequo solverit. Et nichilominus cogatur per rectorem, si facultati placuerit.

Acta fuerunt hec Parisius in capitulo Sancti Mathurini Parisiensis sub anno, indictione, mense, die, loco et pontificatu predictis. Presentibus ad hec venerabilibus viris domino Nicolao Thome, presbytero, principali bedello, et Egidio Imperatoris, subbedello predicte facultatis Parisius commorantibus, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Coustelli clericus Remensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate ac venerabilis Universitatis Parisiensis studii notarius juratus, premissis omnibus et singulis, *etc.*

Originale in Arch. nat. Paris. M. 69a, no 6. In medio corrosum est. — Bibl. Vat. cod. Reg. lat. 870, fol. 28, ubi rubrica ut supra. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 12849 (apog. saec XVII), fol. 28.

1. Secundum morem Gallicanum. — 2. Orig. . « de ». — 3. De Moreyo. Vid. supra no 1271. — 4. Abhinc usque « Ord. » inclus. deest in Cod Vat. — 5. Seu « Gaudeti », de quo pluries supra. Fuit socius Sorbonae. Vid. Delisle, *Cab. des mss.*, II, 175. — 6. Garnonis seu Guernonis, de quo supra p. 227, not. 14. — 7. Orig. et ms. : « noluerint ». — 8. Ms. Vat. « Habeant ».

1495. *Carolus VI, Francorum rex, approbat sententiam Parlamenti latam in lite mota quondam inter Universitatem Paris. ac Johannem Turpin, equitem. Cum juvenis Johannes Sistelle, xj circiter annorum, clericus scholarisque maneret in domo mag. Guillelmi Felicis, olim licent. decret. conservatorisque sigilli privilegiorum dictae Univ., eum Johannes Turpin rapuerat et procul a Parisius retinuerat, scilicet ut filiae suae conjugem pararet; at, reclamante rectore Universitatis, Turpin se excusavit, ignorans, ut dicebat, Joh. Sistelle fuisse scholarem, promittensque reducere juvenem in domum defuncti mag. Guillelmi Felicis et solvere 105 franc. 8 den. par. pro expensis causae; quibus conditionibus factum est concordatum.* Notum facimus... Comme certain plait et procès ... Dat. Parisius in Parlamento nostro die decima Martii, an. Dom. milles. trecent. octogesimo quarto.

1385, Martii 10, Parisiis.

Originale in Arch. Univ. Paris., theca IV, A. 21. r. Appendet taeniolum membran. — Jourdain, no 811

1496. « *Rotulus Universitatis Parisiensis presentatus per dominum Walterum Trayl*[1]. »

1385, Martii 28.

Beatissime pater, universali ecclesie sancte Dei benemerite presidens clementissimeque monarcha, cujus clementia tam experta super candelabrum militantis ecclesie dedita nullum latet, cuique patet, penetrans orbis fines clementizare non cessans, nos vestri humiles et devoti oratores magistri ac scolares de gremio humilis ac devote filie vestre Universitatis Parisiensis ac nonnulli alii confisi de vestre benignitatis liberalitate, audacter supplicandi propositum assumimus....

Item quod transeant sine alia lectione. Et cum commissione examinis ad partes et cum clausulis opportunis, etc., ut in forma, etc.

Laurentio de Cunis, magistro in artibus et scolari in theologia, cler. Bisuntin. dioc.

Item Mauricio de Kaergourant[2], subdiac. Corisopitens. dioc., curato parroch. eccles. de Mezle dicte dioc., mag. in art. et bac. in decr. in tertio anno sue lecture.

Item Guillelmo Oliverii, cler. Corisopitens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can., cappellano eccl. Paris. [de can. eccl. colleg. S. Maximi de Caynone Turonens. dioc.].

Item Johanni de Divione, cler. Cabilonens. dioc., mag. in art. et scol. in med.

Item Oliverio Ernaudi, presb. Trecorens. dioc., curato parroch. eccl. de Ploenaruat dicte dioc., bac. in jure can. Parisius.

Item Oliverio Deryani, subdiac. Briocens. dioc., mag. in art. et bac. in decr. actu legenti, can. eccl. S. Maximini de Caynone et curato de S. Albano, Turonens. et Briocens. dioc. [de can. eccl. S. Graciani Turonens.].

Item Johanni Coetnon, cler. Corisopitens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can.

Item Nicolao de Molendino, cler. Leonens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can.

Item fratri Deryano Cadioci, alias de Kaerdouar, presb. monacho licet non expresse professo monasterii Vuingaloti de Landegvennenc[3], Ord. S. Ben. Corisopitens. dioc., bac. in decr. Parisius in secundo anno sue lecture.

Item Henrico de Barra, cler. Ambianens. dioc., scol. in jure can. in quarto anno sue audicionis.

Item Johanni Tasseraudi, cler. Bisuntinens. dioc , scol. in jure can. in tertio anno sue auditionis.

Item Johanni de Coytenes, cler. Leonens. dioc., scol. in jure can. in quarto anno sue audicionis.

Item Johanni Stelle, cler. Matisconens. dioc., scol. in jure can. in vj° anno sue auditionis.

Item Herveo Gaufredi, cler. Leonens. dioc., scol. Parisius in art.

Item Johanni Collerii, presb. Lingonens. dioc , bac. in art. et scol. in jure can. in quinto anno sue audicionis, curato parroch. eccl. de Condis, Lingonens. dioc.

Item Hugoni Forestarii, cler. Bituricens. dioc., scol. in art. in tertio anno sue auditionis.

Item Oliverio Acerbi, cler. Trecorens. dioc., bac. studenti in art. Parisius in quarto anno sue audicionis.

Item Ludovico de Palude, cler. Corisopitens. dioc., can. reg. et professo expresse monasterii beate Marie de Doulas, Ord. S. Aug. ejusdem dioc., scol. in theol. in sexto anno sue audicionis.

Item Guillelmo Radulphi, cler. Briocens. dioc., scol. in art. in secundo anno sue audicionis.

Item Yvoni Armigerii, cler. Leonens. dioc , bac. studenti in art.

Item Johanni Pedispassi, cler. Turonens dioc., bac. studenti in art.

Item Yvoni Guidomari, cler. Venetens. dioc., scol. Parisius in art. in tertio anno sue audicionis.

Item Johanni Sorohan, cler. Corisopitens. dioc., scol. Parisius in jure can.

Item Nicolao Calver, presb. Venetens dioc.

Item Henrico Penquelenneuc, cler. Corisopitens dioc., scol. Parisius in jure can.

Item Johanni Remigii, cler. Lingonens. dioc., scol. in art.

Item Guillelmo Guennes, alias Blancardi, cler. Corisopitens. dioc.

Item Johanni Ladent, cler. Briocens. dioc., scol. in art. in secundo anno sue audicionis.

Item Roberto Guillmontet, alias Domini, cler. Cenomanens. dioc., bac. stud. in art.

Item Alano Gouriob, presb. can. reg. professo expresse monasterii beate Marie de Doulas, Ord. S. Aug. Corisopitens. dioc., scol. in jure can.

Item Guillelmo Brieuci, presb. Briocens. dioc.

Item Petro Roveffari, presb. Briocens. dioc., curato parroch. eccl. de Plentel dicte dioc., bac. in jure.

Item Oliverio Formantin, presb. Briocens. dioc., curato parroch. eccl. de Tregoz, Constantiens. dioc., subcollectori camere apost. in dioc. Briocens., scol. in jure can. Parisius in sexto anno sue audicionis.

Item Michaeli Bars, cler. Trecorens. dioc., bac. stud. in art.

Item Oliverio Martate, cler. Briocens. dioc., scol. in art.

Item Iegoto Giquel, cler. Briocens. dioc.

Item Guillelmo le Nain, alias de la Noe, presb. Turonens. dioc.

Item Guidoni Treancon, cler. Leonens. dioc., bac. stud. in art.

Item Guillelmo de Chabaneys, cler. Claromontens. dioc., mag. in art. et stud. in jure can. in tercio anno sue audicionis.

Item Johanni Oliverii, presb. Trecorens. dioc., scol. in jure can. in tercio anno sue audicionis.

Item Gaufrido Hascoet, cler. Briocens. dioc., curato parroch. eccl. de Ploeadgat Vallan, bac. in jure can. Parisius actu legenti in secundo anno sue lecture [de can. eccl. Trecorens. vel Briocens.].

Item Petro Clerici, cler. Briocens. dioc.

Item Alano filio Guidonis Guilloti, cler. Corisopitens. dioc.

Item Olivero Hylarii, cler. Trecorens. dioc., mag. in art.

Item Johanni Adaneti, cler. Verdunens. dioc., scol. in med.

Item Alano Hasaye, cler. Briocens. dioc., scol. in art. in secundo anno sue audicionis.

Item Yvoni Andreu[4], cler. Corisopitens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can.
Item Johanni Fabri, cler. Corisopitens. dioc.
Item Guillelmo Coetnon, cler. Corisopitens. dioc.
Item Guillelmo Guistoch, cler. Corisopitens. dioc., scol. in jure can.
Item Yvoni Lodour, cler. Briocens. dioc., scol. in art.
Item Guillelmo Lodour, cler. Briocens. dioc., bac. stud. in art.
Item Nicolao Besch, presb. Trecorens. dioc., scol. in art. et in theol.
Item Guidoni Ponguern, alias Doch, cler. Leonens. dioc., scol. in art.
Item Henrico Floczenner, cler Briocens. dioc., bac. in art. et stud. in jure can. in tercio anno sue audicionis.
Item Johanni Gaufridi, presb. Briocens. dioc., scol. Parisius.
Item Alano Militis, cler. Trecorens. dioc., bac. stud. in art.
Item Johanni Ruffi, presb. Briocens. dioc., scol. Parisius in art.
Item Johanni de Villanova, cler. Trecorens. dioc., bac. in art. et scol. in jure can.
Item Guillelmo Lessaloris, cler. Corisopitens. dioc., scol. in jure can.
Item Herveo Lessaloris, cler. Corisopitens. dioc., scol. in jure can.
Item Johanni Andereat, cler. Corisopitens. dioc., scol. in jure can.
Item Petro Rioti, cler. Trecorens. dioc., scol.
Item Johanni Lantou, cler. Trecorens. dioc., scol. in art. in quinto anno sue audicionis.
Item Roberto de Kaeralliou, cler. Corisopitens. dioc., bac. stud. in art
Item Ricardo Gaufridi, cler. Bajocens. dioc., scol. in art.
Item Matheo Loychon, alias Briel, cler. Redonens. dioc., scol. in art.
Item Alano Perioci, presb. Trecorens. dioc., scol. in jure can., parroch. eccl. de Behodio Carnotens. dioc. curato.
Item Guidoni Quinioti, presb. Corisopitens. dioc.
Item Yvoni Arcour, presb. Briocens. dioc.
Item Guillelmo Calsat, cler. Venetens. dioc., bac. in art. ac Parisius studenti.
Item Johanni Lalion, presb. Briocens. dioc.
Item Petro Morloni, cler. Lausanens. dioc., scol. in jure can. in quarto anno sue audicionis.
Item Petro Pehin, presb. Cenomanens. dioc., vicario perpetuo eccl. colleg. S. Maximi de Caynone, Turonens. dioc.
Item Michaeli Pehin, presb. Cenomanens. dioc., capellano in eccl. S. Maximi de Caynone, Turonens. dioc.
Item Oliverio Dornou, cler. Trecorens. dioc., bac. in decr. in quarto anno sue lecture. [76]

Fiat pro residentibus in studio et qui aliam gratiam non habuerunt. G. — Sine alia lectione et cum commissione examinis. — Fiat. G. — Datum Avinione quinto kal. Aprilis, anno septimo.

Reg. Vat. Suppl. Clementis VII, an. 7, p. 1, fol. 66. — Iste rotulus potius particularis quam generalis omnium facultatum et nationum est, ejusdemque in rot. an. 1387 minime mentio fit. — In Reg. Suppl. citato, fol. 32, nuntii Univers. Paris. (qui non nominantur) supplicant pro quatuor pauperibus scholaribus (ad an. 1385, Januarii 28).

1. De ipso vid. supra p. 133, not. 17. — 2. An. 1394 jam fuit decanus facult. decret. — 3. I. e. S. Guingaloei de Landevenecho. — 4. Supra p. 284 : « Andree ».

1497. *Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario Paris., ut Michaelem Lucratoris, Ord. Praedicat., qui logicam, philosophiam moralem ac librum Sententiarum pluribus annis legit et de praesenti lector principalis in domo fratrum Aurelian. existit, ad legendum librum Sententiarum aestivali vel hiemali temporibus anno proxime futuro aut alio anno immediate sequenti assignet.* Dat. Avinione viij kal. Junii, anno septimo. « Sicut debetur ».

1385, Maii 25, Avenione.

Reg. Vat. Clementis VII, nº 300. fol. 341

1498. *Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario Paris., ut Guillermo Moteci, Ord. Minorum, qui lecturam in facultate theologiae juxta morem dicti Ordinis usque ad lecturam libri Sententiarum complevit, postquam per eum super hoc fuerit requisitus, legendi librum Sententiarum in studio Parisiensi in domo dictorum fratrum tempore ad hoc congruo licentiam concedat.* Dat. Avinione iiij id. Junii, pontificatus nostri anno septimo. « Viri sacre ».

1385, Junii 2, Avenione.

Reg. Vat. Clementis VII, n° 300, fol. 518b. — Licentiatus est Guillelmus « Moteti » e *Catal. licent.* an. 1391.

1499. *Mag. Johannes de Trelon se excusat de quodam verbo dicto contra mag. Petrum de Alliaco.*

1385, Junii 8, Parisiis.

Notandum quod die 8 Junii anno predicto mag. Johannes de Trelon, magister in artibus et theologia, et subcancellarius S. Genovefe, quedam verba, prima facie injuriam sonantia, dicta alias magistro Petro de Alliaco in quadam congregatione facultatis artium (videlicet, quod non erat mirum si de se Johanne diceret injurias, quia de majoribus mundi obloquutus est), exposuit in predicta facultate apud S. Julianum, vocata ex deliberatione et ordinatione deputatorum ad hoc ordinatorum, dicensque, ut quedam alia verba per eundem mag. Johannem prolata sonabant : dictum verbum intelligebat de majoribus mundi, id est decano theologie[1] et cancellario Parisiensi[2], quos intelligebat esse majores mundi, de quibus, [ut] idem mag. Johannes dicebat[3], secundum videre suum, sive bene sive false, idem mag. Petrus alias obloquutus est. Idcirco si in hoc aliqualiter offenderat dictum mag. Petrum, petebat ab eo veniam. Bene dixit quod ista verba non intellexit de papa vel de rege, sed de theologis, quorum officium est, ut dicebat, fidem gignere in cordibus hominum et genitam defensare; ex quo officio, cum sit magnum, concludebat propositum suum, quamvis non essent majores mundi auctoritative vel potestative. Presentes fuerunt Egidius de Campis, Johannes de Marsono et fere sex viginti[4] magistri.

Bulaeus, IV, 971, e *Lib. proc. nat. Gallic.*

1. Tunc temporis Radulpho Glachardi, octogenario (vid. rotulum n° 1538). — 2. Scilicet lite pendente contra ipsum, de qua infra n° 1504. — 3. Bul. add. « quod ». — 4. I. e. 120.

1500. *Statuta nat. Gallic. sub procuratore mag. Johanne Piscis[1], de bedellis; de quodam Minorita, qui cancellarium Paris. vocavit caput Universitatis.*

1385, mense Maii-Augusti, Parisiis.

1. Ut bedellus et subbedellus rectori et futuris rectoribus in agendis obsequantur. 2. Non esse tradendam virgam bedello novo absque sponsore. 3. Composita est inter nationes Gallicanam et Picardicam concordia post litem ortam occasione scolarum conductitiarum. 4. « Nota quod tempore istius procuratoris accidit quod quidam cordiger[2], baccalareus formatus in theologia, dixit in quodam sermone ad populum in fine sui sermonis :

« Orate pro Universitate et pro cancellario, qui est caput Universitatis. » Postmodum per Universitatem fuit ordinatum quod illud revocaret, dicendo quod ipse cancellarius Parisiensis nec est caput Universitatis, nec alicujus facultatis. Quod et fecit ante dominum cardinalem Laudunensem[3], et in sermone ad populum facto in palatio regio die S. Bernardi[4] (ipso tamen cordigero se apud Universitatem excusante, et dicente quod hoc fecerat ex lapsu lingue, non advertens quod dicebat), et in quodam sermone ad clerum, secundum etiam quod Universitas ordinaverat, de pena residua ulterius per suos deputatos ordinatura.» 5. Curavit in usum reduci vetus statutum nationis Gallicane, quod 8 die Januarii bedelli suas virgas procuratori et nationi submittunt et reddunt, easque recipiunt tantummodo ex gratia nationis.

Bul., IV, 967, e *Lib. procur. nat. Gallic.* — Art. 4 solus a Bul. ad litteram affertur, minime alii, ut etiam in libro *Remarques sur la dignité du recteur*, etc , p. 7.

1. In procuratorem electo an. 1385, Maii 5. — 2. Videtur fuisse Dominicus de Lunarivilla de Lotaringia, qui licentiatus est in theol. an. 1386 (1387) e *Catal. licent.* Meminisse libeat, tunc temporis Universitatem in cancellarium invectam esse ob ejusdem cupiditatem, revera tamen, quia sedem primam, ante rectorem, occupaverat. Vid. infra *Introd.* ad n[um] 1504. — 3. Petrum de Montaigu, de quo supra p. 222, not. 6, et infra pluries. — 4. Augusti 20.

1501. *Johannes Piscis, rector Universitatis magistrorum et scholarium Parisius studentium, verum testimonium perhibet, Johannem Saffredi, magistrum in artibus et in medicina, curatum in paroch. eccl. S. Egidii de Novavilla, fuisse verum et continuum magistrum regentem in praedicta facultate medicinae an. Dom. 1381. Quare ipsum et omnia bona sua sub Universitatis protectione et tutela ponit, ipsumque Universitatis privilegiis gaudere vult.* In cujus rei testimonium sigillum rectorie dicte Universitatis presentibus litteris duximus apponendum. Datum Parisius anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quinto, die tercia mensis Novembris.

1385, Novembris 3, Parisiis.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 70, nº 11. — Jourdain, nº 815. — Joh. Piscis rector Octob. 10-Decemb. 16, et paulo antea procurator nat. Gallic. Bulaeus, IV, 986.

1502. *Clemens VII (Johanni Blanchart) cancellario Paris., ut Guillelmo Caron, Ord. Praedicat., qui per plures annos in diversis locis legit logicam et philosophiam naturalem et moralem, et nunc in loco fratrum Nannetens. Bibliam et librum Sententiarum actu legit, librum Sententiarum in scholis S. Thomae in loco fratrum dicti Ord. juxta morem praedictum legendi tempore aestivo proxime futuro licentiam concedat.* Dat. Avinione vj kal. Decembris, anno octavo. « Viri sacre ».

1385, Novembris 26, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XL, fol. 63[b]. — An. sequenti, Junii 20, Clemens VII idem omnino mandatum ad cancell. Paris. repetit (ibid., vol. XLI, f. 396. « Viri sacre »).

1503. *Clemens VII permittit Petro Regis, alias Oziere, cler. Paris., de presbytero et conjugata genito, ut jura canonica in studio Paris. legere, et post lecturam gradum licentiae et demum doctoratus insignia recipere valeat, quamvis in statutis Universitatis Paris. caveatur, « quod nullus ad legendum ibidem dicta jura admitti debet nisi de legitimo matrimonio procreatus existat ».* Dat. Avinione kal. Decembris, anno octavo. « Sincere devocionis ».

1385, Decemb. 1, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XLI, fol. 338

LIS UNIVERSITATIS PARIS. CONTRA JOHANNEM BLANCHART, CANCELLARIUM PARIS.

(Continet n[os] 1504-1522.)

Litem seu actionem Universitatis contra cancellarium Joh. Blanchart hucusque vix cognoverunt, licet tunc omnem aliam litem fama superaverit. Ab antiqua aemulatione facultatis artium, imprimis rectoris, cum cancellario Paris. originem duxit. Sane negare nolumus, cancellarium Johannem Blanchart in administrando munere suo, praecipue licentiandis baccalareis, in culpa fuisse, malosque usus secutum esse; at minime ipse omnes abusus introduxit, sed saepe adauxit. Causa litigii fuit potius quaestio de prioritate, sive cancellarii, sive rectoris. Occasione cujusdam prandii an. 1384, mense Junii, in quo cancellarius primam sedem, secunda rectori relicta, occupaverat, artistae, imprimis juniores, « ex appetitu vindictae et vanae gloriae », ut amicus partis adversae Johannes Luqueti confessus est (vid. n° 1521, test. 11), consilium inierunt contra cancellarium procedendi et litem contra ipsum provocandi. Hoc luce clarius e n[is] 1520 et 1521 liquet. Coram summo pontifice tamen et coram judicibus in cancellarium invehebantur ob ejus cupiditatem in licentiandis baccalareis, vera causa litigii silentio praetermissa, quae nihilominus ex eorum ore in lucem prolata est. In quadam congregatione, teste jurato Petro Playoul, pronunciatum est : « si cancellarius vellet fateri rectorem esse majorem, et quod deberet praecedere eum, dimitteretur in pace » (vid. infra n° 1521, test. 12). Nil mirum, si tunc quemdam Minoritam persequerentur, qui in sermone cancellarium Paris. « caput Universitatis » nominaverat (vid. supra n° 1500).

Provocavit artistas imprimis Petrus de Ailliaco, mag. in theol., qui, teste Johanne Adae, Ord. Praed., « in hoc capite principalis » fuit (vid. n° 1521, test. 7), et, teste alio Praedicatore, Bonito Litelli, provinciali provinciae Franciae, istam litem unacum rectore Universitatis Johanne de Marsonno indignationis causa agebat (vid. ibid., test. 2). Apparenter utique studium ostentabat ex pura intentione agendi et pro Universitatis dignitate decertandi; et vere iste celeber agitator in Universitate Paris., coram papa, coram rege, in Conciliis, non minus avidus cupidusque fuit quam cancellarius Paris. Johannes Blanchart, quem propter cupiditatem accusabat et persequebatur, eoque ambitiosior, vehementior atque concitatior evasit. Ad Clementem VII properabat pro beneficiis petendis, antequam Universitas Paris. se pro isto pontifice declarasset (vid. supra *Introduct.* ad n[um] 1428). Ipse « in studio penuria et inedia visitatus et vexatus » (vid. Martène-Durand, *Thes. nov. anecd.*, II, 1464), an. 1387 in studio quatuor beneficiis et cantoria Noviomens. provisus erat, obtinuitque acquirere duas dignitates simul, aliaque petebat et exspectabat (vid. rotulum an. 1387). Silentio praeterimus, quae decursu temporis accumulaverit; nam, ut episcopus « plus in reditibus annuatim ipse solus habuit, quam habeat in pecunia tota villa Compendii » (Martène, *l. c.*). Meminisse libet, ex unico volumine Reg. Later. (an. 3, Provis., Johannis XXIII, Arch. Vat.), quod minimam partem an. 1412 (cum Petrus de Ailliaco jam esset cardinalis) continet, apparere illi tunc concessam esse summam 1500 coron. aur. aliaque emolumenta ex mensa episcopali Camerac. (Dec. 18, ibid., f. 90, 92); episcopatum Lemovicens. (Dec. 21, f. 45), deinde Uticens. in commendam recepisse (f. 46[b]); ad minus 14 beneficiis, canonicatibus, prioratibus, *etc.*, simul, annexis praebendis, tempore isto ditatum esse et facultatem obtinuisse plura alia in provinciis Colon. et Treverens. arripiendi (ibid. f. 38-108[b]). An. 1384-1385 ipse unus juniorum magistrorum in theol. (vid. supra p. 259, not. 33) jugum provectiorum et seniorum excutere conatus est. Non solum de cancellario, immo etiam de decano facultatis theologiae, Radulpho Glachardi octogenario, et de Johanne Trelon, Petro antiquiore, male locutus est (vid. supra n° 1499). Si quis e ratione agendi Petri de Ailliaco deduxerit, eum jam an. 1384-1385 cancellariam Paris. appetiisse, forte non multum a vero aberrabit. Certe an. 1389 cupiditati ejus satisfactum est, non per electionem, sed per commutationem cum successore Johannis Blanchart. Ingenium, quo pollebat, scientia atque facilitas oris et morum multum Petro de Ailliaco suffragabantur. Occupata cancellaria, quamprimum cancellariae proventus augendos apud sanctam sedem curavit (vid. infra ad an 1390, Febr. 12). Ecce fautorem artistarum contra cupiditatem cancellarii!

1504. *Statutum Universitatis Paris. contra abusus commissos in receptione ad determinandum et legendum atque in licentiandis baccalareis.*

1385, Januarii 9, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium, salutem in filio Virginis gloriose. Cum sit juri et rationi consonum contra crescentem hominum maliciam nova remedia providere, et crescente morbo crescere pariter debeat et medela, nos Universitas prefata matura deliberatione et digesto consilio prehabitis in pluribus nostris congregationibus generalibus quampluries super hoc celebratis, ad laudem Dei, utilitatem studentium, totiusque nostri collegii honorem, et ad reforma-

tionem abusuum vel excessuum verisimiliter fieri possibilium statuta que sequuntur duximus ordinanda[1] :

Imprimis igitur statuimus seu ordinamus, quod quilibet bachelarius admittendus ad determinandum in artibus vel etiam ad legendum in aliis facultatibus juret in sua facultate, quod nichil dedit aut promisit, dabit aut promittet cuicunque, ut admittatur ad determinandum seu ad legendum, nec etiam pro licencia, nec in receptione signeti, quocunque tytulo, ante licentiam, omni fraude semota.

Item statuimus quod quilibet bachelarius sic admittendus ad determinandum in artibus vel etiam ad legendum in aliis facultatibus, juret in sua facultate honorem rectoris et rectorie, statutaque, libertates et privilegia et consuetudines laudabiles Universitatis Parisiensis observare et defendere, ad quemcunque statum devenerit, et quod celabit secreta Universitatis, nulli ea revelando.

Item statuimus quod in facultate theologie, decretorum et medicine magistri dictarum facultatum ante apercionem tentaminis et examinis domini cancellarii ecclesie Parysiens., seu vocacionem et deposicionem magistrorum ad partem, deliberent inter se et ordinent de bachallariis et sufficiencia eorundem et de ordine licencie seu locorum secundum modum qui unicuique facultati expediens apparebit. Et quod dictam suam ordinacionem tradat quelibet facultas in scriptis dicto domino cancellario[2].

Hec autem, ut ad omnium venirent noticiam, in hanc formam redigi et per scolas et sermones et specialiter in principio ordinarii, in die Omnium Sanctorum, ac[3] dominica ante Carnisprivium ordinavimus[4] publicari, nostrique sigilli magni fecimus munimine roborari. Datum Parisius in nostra congregatione generali apud S. Maturinum celebrata anno Domini millesimo CCC° LXXXIIII°, die nona mensis Januarii.

Arch. Vat. Collect. n° 440, fol. 54b. Bibl. nat. Paris., lat. nouv. acq., 535, fol. 98. Mus. Britann. ms. addit. 17304, fol. 121b. — Bulaeus, IV, 600. — Hoc statutum Universitatis cancellario Paris. maxime displicebat illudque vocabat « destitutum », factum in suum praejudicium. Vid. infra n° 1515.

1. De alio simili statuto vid. supra n° 1491. — 2. Hunc articulum Universitas Paris., sub mag. Johanne Piscis rectore, eodem anno, Octob. 20, in congregatione generali declaravit, dicendo, « quod per illud statutum... prefata Universitas non intendit nunc, nec in preterito intendebat, aliquid statuere contra privilegia cancellario vel cancellarie Parisiensi concessa, nec ipsum arrare contra ea. Item, predictum statutum prefata Universitas intelligit, libertatibus canonicorum ecclesie Parisiensis in omnibus semper salvis; item, salvis libertatibus presentatorum de quatuor Ordinibus quatuor Ordinum Mendicancium et collegii Sancti Bernardi ». Orig. in Arch. Univers., thec. V, B. 3. k. — Bibl. S. Genovefae, Cod. Hf 21 in fol. (Catal. 609) saec. XVII. Jourdain, n° 813. — 3. Ms. Paris. . « ad ». — 4. Ms. Brit. : « mandavimus ».

1505. *Clemens VII Petro cardinali Laudunensi committit inquisitionem in causa Universitatis Paris. contra cancellarium Joh. Blanchart.*

1385, Februarii 8, Avenione.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Petro[1] S. Rom. eccl. presb. card. Parisius commoranti salutem et apostolicam benedictionem. Nuper pro parte dilec-

torum filiorum Universitatis studii Paris. nobis exposito, quod dilectus filius Johannes Blanchardi, cancellarius eccl. Paris. ac nonnulli ejus officiarii sive familiares et sequaces pro locis assignandis ac licenciis dandis in theologie, decretorum, medicine et artium facultatibus personis Universitatis predictorum, quosdam hactenus commiserant et continue committebant abusus et excessus, contra Deum et justiciam ac canonicas xanctiones (*sic*), privilegia quoque, usus et laudabiles consuetudines ipsorum Universitatis temere veniendo : nos dilectis filiis nostris Petro[2] tit. S. Laurentii in Lucina, et Petro[3] tit. S. Marci presb. ac Petro[4] S. Marie in Aquiro dyacono cardinalibus commisimus ut de premissis se plenius informarent. Cum autem per informacionem per eosdem cardinales hujusmodi commissionis vigore receptam, super qua nobis fecerunt relacionem fidelem, de et super premissis abusibus et excessibus non possimus sufficienter informari, nos cupientes litium amfractibus, qui premissorum occasione possent exoriri, obviare partiumque parcere laboribus et expensis, ac hujusmodi questionis materiam etiam extrajudicialiter terminari, tibi (quem dudum a vinculo quo ecclesie Laudunensi, cui tunc preeras, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes te in sancte Romane ecclesie presbyterum cardinalem duximus assumendum) per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus per te vel alium seu alios, vocatis qui fuerint evocandi, summarie, simpliciter ac sine strepitu et figura judicii de premissis etiam extrajudicialiter auctoritate apostolica diligentius te informes. Contradictores, *etc.*, compescendo. Non obstante, *etc.* Et insuper testes, litteras et instrumenta, que Universitas, cancellarius, officiarii sive familiares, sequaces et persone predicti producere voluerint, prudenter recipere ac testes ipsos secundum tue discretionis arbitrium diligenter examinare procures, litteras et instrumenta predicta transcribi fideliter faciendo, depositiones vero omnium testium predictorum fideliter in scriptis redactas una cum transsumptis litterarum et instrumentorum hujusmodi sub tuo sigillo inclusas ad nostram presentiam transmittas[5], significaturus nobis que et quanta sit fides eisdem testibus infrascriptis et litteris adhibenda. Testes autem, *etc.* Quicquid autem super premissis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures, ut super eis consultius agere valeamus. Datum Avinione vj id. Februarii, pontificatus nostri anno septimo.

B. TREPAYRE.

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol 1ᵇ, 9. Reg. Vat. Clem. VII, nº 300, fol. 296.

1. Petro de Montaigu, card. Laudunensi, de quo jam saepius. — 2. De Sortenac, card. ab an. 1375, Decemb. 20, cum esset episcopus Vivariens. — 3. Amelii, de quo supra. — 4. De Fetigniaco, in utroque jure doctore, cardinali ab an. 1383, Decemb. 23. — 5. Transsumpta de quibus supra agitur et depositiones testium exstant in cod. Arch. Vat. Collect. nº 440, eodem sane codice, quem Petrus card. Laudunens. informatione peracta ad curiam Rom. transmisit. Vid. *Introduct.* ad hunc tom. III.

1506. *Clemens VII Petro cardinali Laudunensi quamdam deliberationem Universit. Paris. transmittit, ut se informet.*

1385, Februarii 8, Avenione.

Dilecto filio Petro S. Rom. eccl. presb. cardinali Parisius commoranti salutem, etc. Ad ea ex apostolice servitutis, *etc.* Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Universitatis studii Parisiens. nobis exposito quod ipsi ad obviandum nonnullis abusibus et excessibus, que contra privilegia, usus et laudabiles consuetudines Universitatis predictorum committebantur ac committi possent in posterum, quandam deliberationem habuerant, prout in quodam supplicationum rotulo pro parte ipsorum nobis nuper presentato plenius continetur, quodque iidem Universitas pluribus et diversis reformationibus indigebant, que eis pro ipsorum bono regimine ac statu prospero necessarie erant seu etiam oportune : nos dilectis filiis nostris Petro tit. S. Laurentii in Lucina et Petro tit. S. Marci presb. ac Petro S. Marie in Aquiro diacono cardinalibus commisimus ut de premissis se plenius informarent. Cum autem per informationem per eosdem cardinales, qui dictum rotulum tibi transmittunt sub eorum sigillis interclusum, receptam .... de premissis non possumus sufficienter informari, nos cupientes in eis utiliter et salubriter providere, tibi .... per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus per te vel alium seu alios, vocatis qui fuerint evocandi, summarie, simpliciter ac sine strepitu et figura judicii de omnibus et singulis in dicta deliberatione contentis, et que deliberationem ipsam concernunt, et per quem modum Universitas predicti pro ipsorum bono regimine sive statu prospero hujusmodi melius, utilius et salubrius poterint reformari, auctoritate apostolica diligentius te informes. Contradictores, *etc.* Et insuper informatione hujusmodi per te recepta cum aliquibus discretis habentibus notitiam de premissis, de quibus tibi videbitur expedire, mature super eis deliberes, et quicquid per informationem et deliberationem tuam hujusmodi reppereris et per quem modum tibi videbitur in eis utilius fore providendum, nobis per tuas litteras tuo sigillo sigillatas harum seriem continentes quamtocius intimare procures, ut tuis super hiis informatione ac deliberatione instructi super eis consultius agere valeamus. Datum Avinione vj idus Februarii, anno septimo.

Reg. Vat. Clementis VII, nº 300, fol. 296ᵇ.

1. Sine dubio statutum supra nº 1504 (et fortasse etiam nº 1491) editum.

1507. *Instrumentum et procuratorium, quo rector et Universitas Paris. suos procuratores constituunt in causa contra Johannem Blanchart, cancell. Paris.*

1385, Aprilis 14, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis rector et Universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium, salutem in Domino. Notum facimus quod nos Philippus Parentis[1], rector Universitatis predicte, Johannes de Karolay dictus Maurycii theologie, Petrus de

Agnevilla, prior prioratus Sancti Vigoris[2], decretorum, Stephanus de Tullo, medicine, facultatum predictarum decani; Stephanus Gaudeti, Richardus abbas Sancti Maglorii, Johannes de Chanalis, Petrus de Ailliaco, in theologia; Petrus de Temericuria, Johannes Balduini, Johannes de Fragiis, Radulphus de Lesya, Johannes de Marchia, in decretis; Thomas Graffardi[3], Petrus Beret, in medicina; ac alii magistri et doctores predictarum trium facultatum ibidem presentes et ad infrascripta passanda, facienda et ordinanda collegialiter ibidem more solito convocati suum consensum pariter et assensum prestantes, ac majorem et saniorem partem magistrorum et doctorum ac dictarum trium facultatum theologie, decretorum et medicine facientes et representantes; Johannes Guioti Gallicane, Albencius Divitis Picardie, Johannes Vauqueleti[4] Normanie, Petrus de Anstredam Anglie nacionum procuratores et in artium facultate magistri; Johannes Solacii, Johannes de Guignicourt, Johannes Filiastri, Dominicus Parvi, Johannes de Marsonno, magistri in artibus nacionis Francie; Girardus de Versigniaco, Symon de Hoves, Nicolaus de Bello-Ramo, Henricus Roucelli[5], Johannes Caronis, Johannes de Molannes, Nicolaus de Ponte, Petrus Lucie, magistri in artibus nacionis Picardie; Petrus Giberti, Johannes Barbe, Petrus Wouart[6], magistri in artibus nacionis Normannie; Johannes de Brandebourc, Johannes de Austria[7], Johannes de Angusia, Robertus Scoti, magistri in artibus nacionis Anglie, et quamplures alii magistri in quatuor nacionibus artium ibidem presentes et collegialiter more solito congregati et convocati et ad infrascripta facienda et ordinanda suum consensum ut prefati magistri et doctores prestantes, super infrascriptis et quibusdam aliis negociis dictam Universitatem tangentibus, sub debito juramento, quo firmius erant eidem Universitati astricti, apud ecclesiam seu conventum Sancti Maturini Paris. in congregatione generali more solito convocati et in capitulo dicte ecclesie collegialiter congregati, ac totam Universitatem et facultates predictas representantes, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc vocatorum specialiter [et] rogatorum presentia in causa seu causis, que vertuntur seu verti sperantur coram reverendissimo in Christo patre et domino domino Petro sacrosancte Rom. eccl. presb. cardinali Laudunensi Parisius commoranti, commissario deputato per sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum dominum Clementem papam septimum inter nos ex una parte, et magistrum Johannem Blanchardi ac officiarios suos sive familiares et sequaces ex altera parte, communiter vel divisim, aut altero quocunque judice vel judicibus subrogatis vel subrogandis a dicto domino cardinali, dilectos suos et fideles venerabiles et discretos viros dominos et magistros Johannem de Milly, Andream Grangerii, Petrum de Tornodoro, Herveum Costroti, Petrum Forteti, Johannem de Barra, Guillelmum de Marchia, Aufredum Saisy, Petrum de Boyaco, Johannem Melleti, Bernardum de Oratorio, Johannem de Ulmonte, Petrum de Bievra, Thomam le Pourry, absentes tanquam presentes, citra tamen aliorum quorumcunque procuratorum nostrorum alias per nos quemlibet constitutorum et ordinatorum revocatorum, fecimus, constituimus et ordinavimus, facimus, constituimus et ordinamus nostros veros et legittimos procura-

tores, actores, factores, deffensores negotiorum nostrorum, gestores ac nuncios, tam generales quam speciales, et eorum quemlibet in solidum, ita quod generalitas specialitati non deroget, nec e contra, et ita quod non sit melior condicio occupantis, sed quicquid unus eorum inceperit, alter prosequi valeat, mediare et finire cum effectu, *etc*....[8].

In quorum omnium et singulorum testimonium presentes nostras procurationis litteras per notarium infrascriptum stipulantem et recipientem in premissis, vice et nomine quorum interest et interesse poterit in futurum, fieri et publicari mandavimus, sigillique dicte Universitatis fecimus appensione muniri. Voluimus etiam et mandavimus per eundem subscriptum notarium fieri et grossari tociens quociens opus fuerit similes litteras, unam vel plures. Datum et actum in generali congregacione nostra in capitulo ecclesie Sancti Maturini predicte anno Domini millesimo CCC octogesimo quinto, indictione viij, mensis Aprilis die xiiij, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi anno septimo, presentibus discretis viris Radulpho Odonis, Radulpho Boneti, Parisiens. et Sagiens. dioc., cum pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Jacobus Preudoul, cler. Tornac. dioc., apost. auctoritate notarius, curieque Paris. juratus, *etc*.

Arch. Vat. Collect. n° 440, fol. 3^{b}-8.

1. Rector Martii 24-Junii 23. — 2. Fuit Ord. S. Ben. In *Chron. du rel. de S. Denys,* I, 514, scribitur « de Allainvilla ». An 1391, Decemb. 4, fit abbas S. Eligii Noviomens. (Reg. Vat. Clement. VII, n° 302, fol. 114^{b}). — 3. Ms. . « Raffardis ». Vid. p. 265. — 4. Seu potius : « Vauquelot ». Vid. supra p. 264. — 5. Qui hoc ipso anno a Junii 23 usque ad Octob. 10 rector fuit. — 6. Alias « Wuart », « Waart » seu « Vouardi », de quo supra p. 265. — 7. Johannes Albertus de Austria, licent. in theol. an. 1398 e *Catal. licent.* — 8. Sequuntur solitae formulae adhibitae in constituendo procuratore seu syndico.

1508. « *Processus informationis super infrascriptis per reverendissimum in Christo patrem et dom. dom. Petrum miseratione divina s. Rom. eccl. presb. card. Laudunensem vulgariter nuncupatum, auctoritate apost. judicem et commissarium in hac parte specialiter deputatum, facte inter partes infrascriptas summarie, simpliciter et sine strepitu et figura judicii eciam extrajudicialiter agitatus Parisius.* »

1385, Aprilis 15, Parisiis.

Et primo.

Anno Domini millesimo CCC^{mo} octuagesimo quinto, indictione viij, die xv mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri dom. Clementis divina providentia pape vij^{mi} anno vij°, in presentia reverendissimi in Christo patris et dom. dom. Petri miseratione divina s. Rom. ecclesie presb. card. Laudunensis vulgariter nuncupati, existentes et personaliter constituti venerabilis et discretus vir magister Philippus Parentis, mag. in art., rector Universitatis studii Parisiensis, necnon venerabiles viri, in Christo pater abbas[1] monasterii S. Maglorii Parisiensis, Petrus de Ailliaco in theologia, Petrus Bidaudi[2], Bernardus de Oratorio in decretis, Guillelmus Carnificis, Stephanus de Tullo in medicina doctores et magistri se asserentes, necnon magister Petrus Forteti licentiatus in utroque

jure, et nonnulli alii tam magistri in art. quam alii ad hoc per Universitatem dicti studii specialiter deputati, ut dicebant, exhibuerunt et presentaverunt nomine et pro parte dicte Universitatis dicto domino cardinali quasdam patentes litteras apostolicas, vera bulla plumbea sanctissimi in Christo patris et domini nostri pape Clementis predicti cum cordula canapis more Rom. curie bullatas, sanas et integras, non cancellatas nec in aliqua parte corruptas vel suspectas, ut prima facie apparebat. Quarum tenor talis est : « Clemens episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Petro sancte Rom. eccl. presb. cardin. Parisius commoranti salutem, etc. Nuper pro parte », *etc. ut supra* nº 1505.

Quibus litteris ut premittitur presentatis, humiliter et reverenter supplicarunt quo supra nomine eidem domino cardinali, quatinus ad execucionem contentorum in dictis litteris apostolicis juxta formam earum procedere dignaretur. Unde idem dominus cardinalis predictis litteris apostolicis cum reverencia quanta decet receptis earumque percepto tenore, ipse tanquam verus obedientie filius dictam supplicationem tanquam justam et rationi consonam admittendo, se obtulit juxta prescriptum mandatum apostolicum sibi directum processurum et facturum, citatoriumque contra magistrum Johannem Blanchardi, cancellarium eccl. Paris. et alios, de quibus in dictis litteris apostolicis fit mentio, quos pars Universitatis predicte voluerit citari, decrevit faciendum, litteras opportunas super hoc concedendo, adhibens et recipiens in scribam cause hujusmodi Guillelmum Symonelli de S. Salvio, Nivernens. dyoc. clericum, publicum apostolica et imperiali auctoritate notarium, ibidem presentem.

Acta fuerunt predicta in domo habitationis predicti domini cardinalis Parisius sub anno, indictione, mense, die et pontificatu predictis, presentibus ad hec magistris Aufredo Saisy, mag. in art., licent. in utroque jure, et mag. Petro de Boyaco, eciam magistro in art. et licentiato in jure canonico, Raouleto Boneti, Firmino Oliverii, Radulpho Odonis, notariis apostolicis et bedellis dicte Universitatis, ac pluribus aliis testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 1.

1. Richardus Garnonis. — 2. Fortasse idem ac supra nº 1431 Petrus « Blondi » nominatus.

1509. *Petrus, card. Laudunens., mandat, ut citentur cancellarius Johannes Blanchart, subcancellarius Petrus Playoul, et quatuor examinatores.*

1385, Aprilis 15, Parisiis.

Petrus miseracione divina sacrosancte Romane et universalis ecclesie presb. card. Laudunensis, commissarius in hac parte a sede apostolica specialiter deputatus ad infrascripta, omnibus et singulis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, cantoribus ecclesiarum cathedralium, canonicis, presbyteris, curatis et non curatis ceterisque ecclesiarum rectoribus et tabellionibus publicis ad quem vel ad quos presentes littere nostre pervene-

rint, salutem in Domino et mandatis nostris ymo verius apostolicis firmiter obedire. Litteras sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis vij^mi divina providentia sacrosancte Romane ecclesie predicte summi pontificis vera sua bulla plumbea more Romane curie in filis canapis bullatas pro parte rectoris Universitatis Parisiensis et venerabilium virorum dicte Universitatis studii noviter nobis presentatas nos recepisse noveritis cum ea qua decuit reverentia in hec verba : « Clemens episcopus », *etc. ut supra* n° 1505. Quibus siquidem litteris sic presentatis et receptis fuimus pro parte dictorum rectoris et Universitatis seu deputatorum ejusdem cum instantia requisiti quatinus ad ulteriorem prosecucionem contentorum in dictis litteris apostolicis juxta ipsarum continentiam et tenorem procedere dignaremur, mandantes citari dictum cancellarium et sequaces suos subscriptos ad certam et competentem diem processuros seu procedi visuros coram nobis seu deputandis a nobis cum dictis rectore et Universitate seu Universitate et rectore eorundem deputatis vel procuratoribus. Unde nos cupientes mandatis apostolicis reverenter parere ut tenemur, dictam requestam juri[1] et rationi consonam extimantes, vobis omnibus et singulis in virtute sancte obedientie et sub penis et excommunicationis, quam seu quas in vos et singulos vestrum ferimus nisi feceritis quod mandamus, districte precipiendo mandamus quatinus, alter vestrum alterum non expectans, citetis peremptorie coram nobis vel dictis deputandis aut deputatis a nobis in domo habitacionis nostre Parisius ad diem xij^mam instantis mensis Maii, nisi fuerit feriata, etc., venerabilem virum magistrum Johannem Blanchardi cancellarium eccl. Paris., mag. in theol., magistros Petrum Plaul[2], subcancellarium suum se dicentem, Nicolaum de Vaudemonte, Flamingum du Martroy, Guillelmum Gorren et Johannem Hoclen, dicentes se temptatores et examinatores pro dicto cancellario in suo temptamine et examine in facultate artium, ad personas ipsorum, si ipsos apprehendere personaliter poteritis, alioquin ad loca habitacionum seu domicilium ipsorum vel ad personas procuratorum suorum si quos habeant, visuros per nos procedi vel deputatos aut deputandos predictos super informacione facienda summarie, simpliciter ac sine strepitu et figura judicii de prenarratis, etiam extrajudicialiter juxta formam dictarum litterarum apostolicarum continenciam et tenorem prout fuerit racionis; necnon et super ipsis prenarratis dictis rectori et Universitati vel deputatis seu procuratoribus ipsorum quod justum fuerit responsuros, nobis fideliter rescribentes infra dictam diem cum inserta forma presentium de hiis que feceritis in premissis. Datum Parisius in predicta domo habitacionis nostre die xv Aprilis anno Domini millesimo CCC^mo octogesimo quinto, indictione viij, pontificatus predicti domini nostri pape anno vij.

Arch. Vat. Collect. n° 440, fol. 8^b-11.

1. Ms. . « iniri ». — 2. Fuit dioec. Leodiens. et Sorbonicus. An. 1393 licenc. in theol. est e *Catal. licent.* Exstat in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 15897 ejus Scriptum super Sententias. De libris ejusdem Sorbonae legatis vid. Delisle, *Cab. des mss.*, II, 169. An. 1409, Octob. 2, factus est ipse « s. pagine eximius professor » episc. Silvanectens. (Arch. Vat. XII, 121, p. 15). « Plaoul » seu potius « Playoul », non Plaou, verum nomen est, nec scribi debet « *de* Plaou », cum non sit nomen alicujus loci.

Relatio historiae. An. eodem, April. 20, Jacobus Preudoul, notarius, ad requestam Petri de Boyaco et Auffredi Saisy, sindicorum Univers. Paris., accessit ad domum Johannis Blanchardi, ipsum citans ad Maii 12. Deinde ad Johannem de Valle, officialem cancellarii, et Stephanum la Caille, notarium officialis, tanquam procuratores cancellarii, qui dixerunt « quod non erant procuratores nec se intromittebant de negociis suis contra predictam Universitatem ». Postea accessit ad Petrum Plaul, subcancellarium, Nicolaum de Vaudemonte, Guillelmum Gorren, Johannem Hoklen, temptatores et examinatores pro cancellario. Maii 12 comparuerunt Johannes Blanchart et Petrus Plaul, petentes distributionem consilii et procuratorum, « cum nullum reperiant, qui eorum causam postulare et prosequi vellet contra Universitatem predictam, eo quia de sacramento Universitatis se fore asserunt excusantes ». Cardinalis assignavit diem Maii 17 utrique parti, assumens sibi in assessorem Guillelmum de Gandiaco, legum doctorem, decan. Ebroicens.

Maii 15 sindici Universitatis proposuerunt coram commissario, cum magister Bernardus de Boscarello, Ord. Praed., mag. in theol., ad partes remotas recedere debeat, ubi guerrae vigent, « cujus testimonio juvare se intendunt in informatione per dom. cardinalem facienda », proindeque citetur ad dandum testimonium veritati. Eadem die cardinalis tabellionibus aliisque injungit, ut Bernardum citent ad diem Maii 16, hora quarta post meridiem; qui tamen ista hora comparere non potuit, nec postea.

Maii 17 cardinalis prohibuit ne una pars alteri injurias verbo vel facto facere praesumat. Universitas in advocatos et consiliarios mag. Petrum Forteti, decanum Nivernens., et mag. Guillelmum de Marchia per distributionem recepit, cancellarius vero Odardum de Molinis, Radulphum de Ulmonte et priorem Carnotens.[1]; quibus replicantibus ipsos ut juratos Universitatis non posse esse advocatos cancellarii, cardinalis obtinuit ut a juramento solverentur.

Maii 18 rector Universitatis cum certis deputatis et duo sindici « exhibuerunt commissario extrajudicialiter quemdam librum Universitatis copiarum quarumdam bullarum et aliarum litterarum Universitatis, in quo erat inter alias copias copia cujusdam bulle fe. re. Gregorii » (*Parens scientiarum*).

Maii 22 Aufredus Saisy procurator Universitatis comparuit, minime tamen cancellarius, nec aliquis de suis consiliariis.

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 8-21.

1. Johannem de Bornasello seu Bournazel (vid. supra p. 206), qui fuit prior prioratus S. Martini in Valle, Carnot.

1510. *Syndici Universitatis card. Laudunensi tradunt articulos contra cancellarium, et cancellarius tradit supplicationem.*

1385, Maii 25, Parisiis.

Deinde vero anno quo supra, die xxv dicti mensis Maii, dictis partibus in judicio comparentibus, sindici predicte Universitatis sindicario nomine et pro parte Universitatis ejusdem presentarunt et assignarunt predicto domino cardinali commissario recipienti articulos suos, quos secunda die instantis mensis Junii debebant tradere, preveniendo dictam diem. Super quibus articulis petebant examinari testes per eos producendos. Quorum articulorum tenor inferius est insertus.

Et dictus cancellarius tradidit et presentavit eidem domino quandam supplicacionem suam, in qua dicebat quod ipse partem intentionis sue [exponebat], cum nesciret sic bene verbo exprimere, et dubitaret in loquendo deficere. De qua quidem supplicacione pecierunt dicti sindici copiam, protestantes de dicendo contra eam, si et in quantum faciet contra predictam Universitatem. Cujus supplicacionis tenor etiam inferius est insertus.

Quibus sic traditis dictus dominus cardinalis commissarius assignavit ipsis partibus

instantem diem mercurii, hora octava ante meridiem, que erit dies ultima hujus mensis ad audiendum, utrum ipsi sindici debeant habere copiam dicte supplicacionis, vel ne, et ulterius procedendum in causa prout fuerit racionis.

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 21.

1511. *Articuli accusationis ab Universitate Paris. oblati contra cancellarium Paris.*

Principalis compositor horum articulorum, in quibus omnia promiscue miscentur, non distinguendo, sitne aliquid de antiqua consuetudine necnon, ex curialitate vel ex pactu, non semel maleficii magnitudinem adaugendo. aut indicium commutando, videtur fuisse Petrus de Ailliaco.

1385, Maii, Parisiis.

Isti sunt articuli quos tradunt vobis, reverendissimo in Christo patri ac domino domino Petro sancte Romane ecclesie Laudunensi presbytero cardinali, commissario in hac parte a sede apostolica deputato, Auffredus Saysy magister in artibus et licenciatus in utroque ac Petrus de Boyaco magister in artibus et licenciatus in decretis, procuratores et procuratorio nomine venerabilium et discretorum virorum rectoris et universitatis magistrorum et scolarium Parisius studentium contra magistrum Johannem Blancardi, doctorem in theologia, cancellarium ecclesie Parisiensis, et magistrum Petrum Plaul subcancellarium ejusdem, ad finem quod super contentis in dictis articulis vobis placeat vos informare etiam extrajudicialiter, et testes quos dicti procuratores seu eorum quilibet dictorum rectoris et Universitatis duxerint producendos super dictis articulis recipere et eorum juramenta et ipsos examinari facere, et dictam informacionem ... et deposiciones dictorum testium sancte sedi apost. remittere juxta formam et tenorem mandati apostolici vobis facti.

Articulus 1us. Et primo, quod dicti rector seu Universitas doctorum, magistri et scolares ipsius Universitatis, fuit et est, fuerunt et sunt, dotata seu dotati, predicta seu predicti, multis privilegiis sedis apostolice et legatorum ejusdem, necnon multis constitucionibus nonnullorum summorum pontificum et legatorum sedis apostolice et presertim constitucionibus presens negocium tangentibus infra declaratis et articulatis particulariter. Et que quidem privilegia et constituciones, et presertim ille, de quibus infra fit mentio, fuerunt custodita et custodite, observata et observate, non per disuetudinem abolita seu abolite, sed obtenta et obtente, approbata et approbate, in dicta Universitate et per ipsam, ac per supposita ejusdem Universitatis, fuitque ita tentum, habitum et reputatum, tenetur, habetur et reputatur, a tanto tempore et per tantum et tale tempus, de cujus inicio memoria hominum non existit.

2us. Item, et quod inter dicta privilegia seu constituciones apostolica seu apostolicas est quoddam privilegium seu quedam constitucio fe. re. domini Gregorii pape noni[1], quod seu que incipit : *Parens scientiarum* etc., in quo seu qua talis clausula continetur : « Nec cancellarius », *etc. ut supra* nº 1491.

3us. Item quod in quodam privilegio seu quadam constitucione cujusdam legati sedis apostolice, quod seu que incipit : *Servus crucis*, etc., continetur clausula generalis quod « nullus incipiat », *etc. ut supra* nº 1491.

4us. Item et quod inter dicta privilegia seu dictas constitutiones est privilegium seu constitucio fe. re. domini Urbani pape quinti, in quo seu qua de artistis specialiter statuitur quod « ut justicia magis servetur et paupertati scolarium succurratur, licentiati in artibus nichil dent vel se daturos promittant », *etc. ut supra* nº 1491 *et* p. 146.

5us. Item et quod inter dignitates seu officia in ecclesia Parisiensi constitutas seu constituta est quedam dignitas seu quoddam officium, que vel quod vocatur cancellaria, in qua consueverunt institui certi cancellarii, qui pro tempore suo habuerunt et habent exercere officium cancellarie secundum ipsius officii exigentiam et prout tempus occurrit et requirit, ac sic consueverunt facere cancellarii qui pro tempore fuerunt, fuitque ita tentum, habitum et reputatum, tenetur, habetur et reputatur in dictis civitate et diocesi Parisiensi a dicto tempore et per dictum tempus.

6us. Item et quod cancellarii in dicto officio cancellarie constituti, qui vulgariter vocantur cancellarii Nostre Domine, consueverunt racione et ad causam dicti officii sui licenciare baccalarios dicte Universitatis licentiandos in tribus facultatibus, medicine, decretorum et theologie, ac etiam in facultate artium, ex[c]eptis baccalariis qui licenciantur in examine Sancte Genovefe et sub cancellario ejusdem monasterii, fuitque ita tentum, habitum, reputatum et observatum a dicto tempore, et per dictum tempus tenetur, habetur, reputatur. Et de hoc fuit et est communis assertio, communis oppinio, commune dictum, publica vox et fama vulgaris in dicta civitate et diocesi et Universitate Parisiensi a dicto tempore et per dictum tempus.

7us. Item et quod dicti cancellarii Nostre Domine, qui pro tempore fuerint, in sui receptione ad dictum officium cancellarie in capitulo dicte ecclesie Parisiensis decano ipsius ecclesie seu alteri pro tempore in dicto capitulo presidenti de statuto dicte ecclesie per privilegium apostolicum roborato consueverunt jurare et juraverunt quilibet pro tempore suo conservare contenta in dicto statuto, in quo cavetur inter cetera quod cancellarii nichil debent exigere per se vel per alium pro licentia danda in quacunque facultate. Et ita fuit tentum, habitum, reputatum et observatum a dicto tempore, et per dictum tempus tenetur, habetur, reputatur et observatur in dicta ecclesia et capitulo ejusdem.

8us. Item et quod dictus magister Johannes Blancardi, modernus cancellarius dicte ecclesie Parisiensis, inter cetera juramenta, que fecit, juravit publice in predicto capitulo dictum statutum seu juramentum ad sancta Dei ewangelia corporaliter manu tacta, videlicet quod nichil exigeret per se vel alium pro licencia danda in quacunque facultate, et hoc fuit hactenus inconcusse in dicta ecclesia Parisiensi observatum.

9us. Item et quod, quando contingit quod aliqui baccalarii alicujus facultatis sunt licentiandi vel prumpti (*sic*) ad licentiandum, cancellarius qui est pro tempore tenetur ipsos

baccalarios per facultatem approbatos recipere, et ipsos vocari facere ad licentiam, ipsosque licenciare secundum loci seriem et ordinationem sibi traditam vel traditos, et deposiciones magistrorum observare de usu, stilo, consuetudine, more et observancia dictarum trium facultatum (scilicet medicine, decretorum et theologie) communibus notoriis approbatis et observatis incuncusse a dicto tempore et per dictum tempus, nec potest aut debet hujusmodi loca seu ordinacionem mutare, aut aliquem seu aliquos transferre, preponere vel postponere ipsis magistris inconsultis. De dictis usu, stilo, consuetudine, more et observancia hactenus observatis [sunt] fueruntque dicti magistri dictarum trium facultatum et sui predecessores qui pro tempore fuerunt, ac ipsis mediantibus predicta Universitas fuit a dicto tempore et per dictum tempus in possessione (vel quasi) juris ordinandi hujusmodi loca baccalariorum sue facultatis licentiandorum, et illis, qui scientia, moribus et vita et fama laudabili prefulgent, assignare prima loca, prout est juris et racionis.

10us. Item et quod dictus cancellarius ecclesie Parisiensis, qui baccalarios in qualibet dictarum quatuor facultatum secundum scientiam, sufficientiam et merita personarum absque exactione seu receptione premii vel doni seu obsequii cujuscumque, ymo liberaliter, omni amore, favore vel odio, prece seu precio remotis, debet et tenetur ut prefertur ad licentiam admittere et recipere secundum modum premissum ac ipsos licentiare, tam ex debito sui officii quam auctoritate apostolica sibi in hac parte concessa : ipse tam cancellarius per se quam per Petrum Plaul subcancellarium ceterosque alios ipsius cancellarii officiarios, familiares et complices in hac parte abutendo in dicto officio cancellariatus, per plures annos, menses et dies, per multos varios et excogitatos modos, patenter et occulte, pro hujusmodi gradu licentie obtinendo induxit et attraxit, seu induci et attrahi fecit et procuravit baccalarios licentiandos, et presertim in tribus facultatibus, videlicet theologie, medicine et artium, ac etiam baccalarios in theologia jure ordinario seu per gratiam sedis apostolice ad lecturam Sententiarum admittendos per eundem cancellarium, ad dandum tam sibi quam dicto Petro subcancellario, refferendo singula singulis, ad tradendum et realiter numerandum aurum et argentum in pecunia numerata, vasa et jocalia, aurea et argentea, pannos lineos et laneos, furraturas, prandia, cenas, species et vina, et talia hujusmodi premissa, que prenominati cancellarius et subcancellarius ipsiusque cancellarii familiares officiarii et complices a dictis baccalariis indebite exegerunt seu extorserunt, ab aliquibus videlicet in singulari, et ab aliis in communi; ipsique baccalarii suam vexacionem redimentes tradiderunt et numeraverunt per se vel alium seu alios, alias non tradituri, quia nec alias erant expedituri, licentiaturi, nec ad hujusmodi lecturam admissuri. Interque se ipsos pacta, convenciones, promissiones, contractus, stipulationes, obligaciones cum renunciationibus et juramentis intervenientibus inierunt, fecerunt, contraxerunt cum illis baccalariis, qui in prumptu (*sic*) nichil habebant ad dandum, et in quibus argentum et aurum non erat secum. Propter que dona, munera, exactiones et corruptiones nonnulli indigni ad dictum licentie gradum admissi fuerunt; digni vero pauperes et alii

nolentes eorum malis voluntatibus annuere penitus refutati vel saltem postpositi et a locis, in quibus digne collocati fuerant, rejecti et transpositi extiterunt, contra Deum, jus et justitiam, dicta privilegia, constitutiones, statuta, libertates et consuetudines laudabiles Universitatis predicte temerarie veniendo ac crimine ambicionis, avaricie, corruptionis et abusus ac sententiam excommunicationis a dicto legato latam dampnabiliter incurrendo.

11us. Item et quod prenominatus cancellarius in primo adventu suo, hoc est in primo anno[2], in quo fuit cancellarius, circa examen facultatis ARTIUM ordinavit certas audiciones, prout est fieri consuetum, pro quarum examinacione ordinavit quatuor temptatores seu examinatores, videlicet de qualibet nacione unum, quorum aliqui precio apreciato certas summas peccuniarum predicto cancellario pro dicto officio solverunt, videlicet magister Johannes de Augya examinator illo primo anno pro nacione Picardie solvit et tradidit sexdecim francos.

12us. Item magister Flamingus du Mattroy, dicti magistri de Augya in dicto officio successor examinis, eidem cancellario pro dicto officio tradidit xxti francos. Et ut dictus de Augya dicto officio renuntiaret, sibi reddidit predictos sexdecim francos. Et hoc idem refertur de aliis examinatoribus, et maxime de magistro Nycolao de Wadomonte (*i. e.* Vaudemonte) examinatore pro natione Francie, quod dedit pro dicto officio magistri sommam pecunie, videlicet quinquaginta francos vel equivalens.

13us. Item in prima auditione dicti primi anni fuerunt vocati ad licentiandum xijcim baccallarii, qui quidem inducti per quendam baccallarium ejusdem audicionis vocatum Johannem de Burgondia commorantem cum subcancellario fecerunt collectam communem ascendentem ad sex francos, de quibus tradiderunt unum francum familiari ipsius cancellarii, ut citius expedirentur, et residuos quinque francos subcancellario.

14us. Item et quod in secunda audicione dicti anni, in quo fuerunt decem et octo baccallarii vocati in dicta audicione, ipsi sic vocati fecerunt quandam collectam in communi ascendentem ad duos francos, quos tradiderunt famulis dicti cancellarii nomine ipsius cancellarii et pro ipso ad finem, ut citius expedirentur, alias non tradituri.

15us. Item et quod in tercia audicione ejusdem anni fuerunt xxti quatuor baccallarii, qui inter se fecerunt unam communem collectam ascendentem ad quatuor francos, de quibus dederunt familiaribus dicti cancellarii quo supra nomine unum francum ad causam predictam, alias non tradituri.

16us. Item et quod in quarta audicione fuerunt vocati xxvij, qui familiaribus dicti cancellarii dederunt quo supra nomine particulatim duos solidos parisiens., ut brevius expedirentur, alias non facturi.

17us. Item et quod idem cancellarius in secundo anno nonnullas audiciones ordinavit, in quarum secunda fuerunt vocati sexdecim baccallarii, qui inducti per quendam vocatum Adam Scotrelman insimul fecerunt collectam ascendentem ad sommam duodecim franco-

rum, de quibus duodecim francis quinque traditi fuerunt Sygero Baert et Guillelmo Rolins familiaribus dicti cancellarii nomine ipsius et pro ipso sciente et ratum habente. Et duo franci traditi fuerunt predictis familiaribus pro ipsomet, ad finem ut dicti baccallarii citius expedirentur, alias non facturi. De quo dono dictus cancellarius predictis baccallariis in exitu camere examinis graciose fuerit regraciatus.

18[us]. Item et quod in tercia audicione dicti anni secundi fuerunt vocati baccallarii decem et novem, qui sic vocati fecerunt quandam collectam communem ascendentem ad decem francos, quos Sygero Baert et Guillelmo Rolins familiaribus dicti cancellarii nomine ipsius et pro ipso tradiderunt, ad finem ut brevius expedirentur, alias non facturi. Et quia dicti familiares dicebant quod non ita cito expedirentur, iterato eisdem familiaribus tradiderunt quatuor francos quo supra nomine et ad finem predictum. De quo dono dicti familiares predictis baccallariis exeuntibus cameram examinis dixerunt, quod dictus cancellarius regratiabatur eis, ratificando et gratificando hujusmodi abusus.

19[us]. Item et quod in x[a] (*leg.* 4[a]) audicione dicti anni secundi fuerunt xxj baccallarii vocati, qui sic vocati, audientes quod precedentes audiciones fecerunt collectas, fecerunt etiam unam collectam communem ascendentem ad sommam quindecim francorum, de quibus decem fuerunt dati Sygero Bahert et Guillelmo Rolins familiaribus dicti cancellarii, quo supra nomine et pro ipso, ad finem ut citius expedirentur, alias non facturi, ipso cancellario sciente et ratum habente.

20[us]. Item et quod idem cancellarius anno tercio nonnullas ordinavit audiciones, in quarum prima vocati fuerunt duodecim baccallarii, qui fecerunt unam collectam communem de duodecim francis, de quibus duodecim francis traditi fuerunt Sygero Bahert et Guillelmo Rolins familiaribus dicti cancellarii quo supra nomine et pro ipso, ipso sciente et ratum habente, sex franci, et duo franci predictis familiaribus pro ipsismet, ad finem brevioris expedicionis, alias non facturi.

21[us]. Item et quod in secunda audicione anni tercii fuerunt xx[ti] baccallarii vocati, qui inducti per aliquos ad finem brevioris expedicionis et ut essent grati ipsi cancellario, alias non facturi, fecerunt collectam de xx[ti] francis, de quibus decem dati fuerunt cancellario. Quo[d]que, cum quidam de sociis dicte audiencie in orto dicti cancellarii unam rosam cepisset ut dicebatur, et ipse dominus cancellarius, prout eis referebatur, de hoc esset multum iratus, socii dicte audicionis fecerunt emi duo serta rosarum valde pulcra de valore unius franci, que serta fuerunt presentata dicto cancellario, qui cancellarius dicta serta gratanter recepit. Et insuper dicti socii de dicta audicione in exitu camere dederunt familiaribus dicti cancellarii pro ip[s]ismet duos francos auri, ipso sciente.

22[us]. Item et quod in tercia audicione hujus anni tercii fuerunt vocati xx baccallarii licentiandi, qui inducti per quendam Arnaldum de Trajecto, commorantem cum Johanne Hokelem, examinatore pro nacione Anglie, et nonnullos alios societatis sue, ut darent aliquid cancellario ad finem brevioris expeditionis, ut essent grati ipsi cancellario, fecerunt

quandam collectam inter se de xx^ti francis. De quibus decem franci traditi fuerunt Guillelmo Rolins et Sygero Bahert familiaribus dicti cancellarii nomine ipsius cancellarii pro ipsismet ad finem predictum, alias non facturi.

23us. Item et quod nobiles juvenes Galterus et Guillelmus fratres nuncupati de Mommalia, quamquam essent sufficientes ad licentiandum in artibus, quia tamen non dederunt vestes cum furraturis eidem cancellario more nobilium, aut species vel jocalia, licet ex parte ipsorum fuerunt oblati dicto cancellario xxti franci pluries, attamen licentiati non fuerunt, sed fuerunt refutati, quia non sufficienter dederunt.

24us. Item et quod premissa sunt vera notoria et manifesta, super quibus laboraverunt et laborant communis opinio, communis assertio, commune dictum, vox publica et fama vulgaris tam in dicta Universitate et facultatibus ejusdem, quam in dicta ecclesia et capitulo Parisiens. ac locis circumvicinis, ita quod bone, graves et notabiles persone de premissis mirabiliter scandalizantur.

25us. Item et quod dictus cancellarius circa ea que tangunt predictam facultatem THEOLOGIE circa baccallarios ad predictam lecturam Sententiarum, et alios ad licentiam admittendos, et nonnullos admissos licentiatos impeditos, multos abusus et excessus commisit, multas magnas peccuniarum sommas ab ipsis baccallariis extorquendo, per se vel alium indebite recipiendo, tam in presentatione sygnetorum, quam alias, ac admittendo indignos, de quibus magistri dicte facultatis theologie non deposuerunt nec verbum fuerat de eis factum in dicta facultate, ac loca transmutando [3], dignis indignos preponendo, contra vota et deliberaciones magistrorum dicte facultatis theologie ac contra privilegium quod juravit observare, nonnullos etiam licentiatos et baccallarios ejusdem facultatis per minas, preces vel alias cogendo ad recipiendum gradus baccallariatus ac magistratus ipsos sub ipso et non sub altero.

26us. Item et quod frater Guillelmus de Roseriis, Ord. Predic., bac. in theol., licet per Capitulum generale sui Ordinis fuisset ordinatus ad legendum librum Sententiarum Parisius [et] una cum hoc pro hujusmodi lectura obtinenda impetrasset a sede apostolica bullas dicto cancellario directas [4], ipsasque bullas dicto cancellario presentasset : ipse tamen cancellarius ad impediendum dictum fratrem et videndum, an aliquid posset opponi contra dictas bullas, discurrit per advocatos civitatis Parisiensis. Quod audiens idem frater ad redimendum vexationem suam et ut celerius admitteretur ad lecturam Sententiarum, tradidit dicto cancellario xxti francos auri, et una cum hoc fecit sibi presentari unam caudam vini de Belna, precio quindecim francorum. Quos quidem xxti francos et caudam vini dictus cancellarius recepit et habuit, et nichilominus quidam alter frater sui Ordinis, qui non erat rigorosus, fuit prepositus dicto fratri Guillelmo, pro eo quod dicitur dedisse sexaginta francos cancellario.

27us. Item et quod dictus cancellarius in quadam congregacione facultatis theologie, in qua erant plures magistri dicte facultatis, cum fieret mentio de dicta cauda vini de

Belna, non erubuit confiteri se habuisse dictam caudam vini de Belna in presencia totius facultatis, et postea in presentia totius Universitatis.

28us. Item et quod frater Guillelmus Viviani[5], Ord. Predic., bac. in theol., habens litteras apostolicas, presentavit easdem dicto cancellario; qui dictus cancellarius noluit dictum fratrem admittere ad lecturam, sed ipsum vexavit et retardavit per annum integrum. Tandem dictus frater Guillelmus Viviani consilio nonnullorum amicorum suorum sibi dicentium, quod mercatores proiciunt in mare suas merces, sic ad redimendum vexaciones et impedimenta hujusmodi aliquid proiceret cancellario : et in presencia ipsius cancellarii et in domo ipsius dimisit decem francos super quandam tabletam, ipso cancellario hoc vidente et non contradicente, et nichilominus misit eidem cancellario vj capones bonos et pingues, qui recepti fuerunt, postque dictus frater Guillelmus expeditus fuit, alias expeditus non fuisset.

29us. Item et quod, licet frater Johannes Guay[6], Ord. Predic., auctoritate bullarum apostolicarum per magistros dicte facultatis theologie ad lecturam Sententiarum honorifice fuisset admissus, tamen ad hujusmodi lecturam per dictum cancellarium receptus non fuit nec bullas suas, quas eidem cancellario presentaverat et tradiderat, recuperare potuit, que dicebantur perdite, quousque decem francos tradidisset, quibus traditis dicte bulle illico reperte fuerunt et sibi tradite.

30us. Item et quod frater Alanus Tardi[7], mag. in theol., Ord. fr. Min., portanti signetum pro licentia tradidit in quadam burssa sexdecim francos pro cancellario, ipsos cancellario recipiente et ratum habente (et hoc fecit dictus frater Alanus, eo quod audiverat alios licentiandos tantum tradidisse vel circa), ac etiam ipsi portanti signetum pro se ipso duos francos auri, quamquam fama currit quod dederit octuaginta francos dicto cancellario.

31us. Item et quod magister Adam d'Ay[8], mag. in theol., Ord. fr. Min., cum in penultimo jubileo, ut admitteretur ad licentiam, ad dictum cancellarium accessisset et super hoc eidem prolocutus fuisset, idem cancellarius dedit sibi spem sue expedicionis, dicendo eidem quod si expediret eum, bene deberet habere suum capucium furratum, qui magister respondit, quod si expediretur, daret sibi xx^{ti} quinque francos. Et quia parvum erat, repulsum habuit, nec fuit expeditus. Unde postmodum ipse cancellarius dixit fratri Johanni layco converso dicti Ordinis de dicto magistro Adam : « Iste frater voluit dare xx^{ti} quinque francos; vere transsirent xx^{ti} quinque anni antequam esset magister ». Et insuper in ultimo jubileo ante presentationem signeti dictus frater Johannes conversus eidem cancellario pro dicto magistro Adam tradidit xx^{ti} francos, quos grate recepit cancellarius. Et postmodum idem magister Adam in presentacione signeti fecit tradi portatori dicti signeti xx^{ti} francos, et duos francos pro ipsomet portatore.

32us. Item magister Johannes Ade[9], magister in theologia, Ord. Predic., videns quod in Ordine suo erant quatuor licentiandi in theologia concurrentes, procuravit complacere dicto cancellario per omnia media quibus poterat, et eidem multas curialitates fecit. Qui

pluries audivit a dicto cancellario dicere verba sequentia vel similia : « Illi quibus faciam curialitatem, michi non debent rem (*leg.* esse) ingrati ». Et insuper ipse magister Johannes latori signeti pro dicto cancellario tradidit sexdecim francos, et quatuor francos ipsimet portatori, quamquam fama publica laboret in suo Ordine et [in] dicta facultate theologie, quod dederit cancellario centum francos.

33us. Item et quod magister Cirstranus de Altaripa[10], mag. in theol., Ord. fr. Heremit. S. Aug., dedit latori signeti pro dicto cancellario sexdecim francos, ac familiaribus cancellarii robas, licet fama laboret in suo Ordine et sepedicta facultate theologie, quod dederit cancellario xl francos.

34us. Item magister Guillelmus Episcopi[11] prepositus S. Germani de Pratis, mag. in theol., dedit portatori signeti tam pro ipso cancellario quam suis familiaribus xx francos.

35us. Item magister Johannes de Condeto[12], Ord. B. Marie Carmel., latori signeti tradidit pro ipso cancellario quindecim francos, et ipsi latori tres francos pro se ipso, ipso cancellario sciente et ratum habente.

36us. Item et quod magister Johannes de Attignyaco[13], mag. in theol., Ord. fr. Min., portitori signeti pro dicto cancellario tradidit xxti francos in una bursa, que circiter duos francos valebat, et duos francos ipsi latori pro se ipso.

37us. Item et quod magister Petrus Gracilis[14], mag. in theol., Ord. fr. Heremit. S. Aug., latori signeti tradidit xxti francos tam pro cancellario quam pro suis familiaribus.

38us. Item magister Matheus Silvestris[15], mag. in theol., Ord. fr. Heremit. S. Aug., tradidit ante presentationem signeti dicto cancellario duos cutellos precii trium francorum; dedit etiam stuphas familiaribus dicti cancellarii, et insuper tradidit latori signeti tam pro dicto cancellario quam pro suis familiaribus xxti francos.

39us. Item et quod magister Johannes Mericy[16], mag. in theol., Ord. fr. Predic., tradidit in presentacione signeti latori ipsius tam pro dicto cancellario quam pro suis familiaribus quatuordecim francos auri.

40us. Item et quod magister Johannes Solacii[17], mag. in art. et bac. formatus in theol., fuit presentatus per magistrum suum magistrum Stephanum de Calvomonte, doctorem in theol., tanquam bonus et sufficiens moribus et scientia pro licentia obtinenda in facultate theologie. Cui cancellarius persuasit pluribus viis, quod si vellet sub ipso incipere, asserens quod fuerat baccallarius deffuncti magistri Johannis de Calore, sui predecessoris nuper cancellarii, quodque debebat habere baccallarios suorum predecessorum. Et cum dictus magister Johannes diceret quod elegerat predictum magistrum Stephanum, dictus cancellarius fuit inde iratus et habuit ipsum ingratum. Et insuper post predicta quidam frater Predicator accessit ad dictum magistrum Johannem et dixit sibi, quod si vellet dare unum bonum signetum de xl francis, esset licenciatus, et quod haberet bonum locum inter licentiatos; quod quia facere noluit et propter premissam ingratitudinem, fuit per dictum cancellarium indebite et injuste refutatus.

41us. Item et quod magister Bernardus de Boscarello[18], doctor in theol., Ord. fr. Predic., licet perfecisset tempus suum et esset de rigore admittendus ad licentiam, ac pluries fuisset presentatus dicto cancellario : idem cancellarius pluries eum refutavit. Qui percipiens impedimentum, ab aliquibus amicis suis consultus, fecit emi unum ciphum argenteum precii xj francorum, quem ciphum fecit presentari dicto cancellario per magistrum Alnulphum Lasterie[19], mag. in theol. sui Ordinis, et quem dictus cancellarius gratanter recepit. Et scias cito post fecit se iterato presentari ad hujusmodi licentiam obtinendam, qui tunc fuit receptus benigniter et admissus. Et insuper idem magister Bernardus tradidit latori signeti quatuordecim francos, et pro famulis ipsius cancellarii duos mutones.

42us. Item et quod frater Thomas de Guenovilla[20], bac. in theol., Ord. fr. Predic., antequam posset admitti ad lecturam Sententiarum per cancellarium et ut admitteretur, tradidit cancellario unam magnam peciam maparum precii seu valoris sex francorum vel circa.

43us. Item et quod magister Bernardus Calveti[21], mag. in theol., Ord. B. Marie Carmel., quia anno quo fuit expeditus non credebat licenciari, sed habuerat bullam ex precepto magistri Ordinis[22] sui, quod illo anno transsiret cum presentato Ordinis sui, accedens ad dictum cancellarium de hoc locutus fuit sibi. Qui respondit quod habebat personam suam bene recommendatam. Qui consultus per aliquos Ordinis sui, et attendens quod ipse cancellarius volebat habere precium appreciatum, temptavit eum si contentaretur de xxti francis; et noluit contemtari, quia paucum[23] erat. Qui eum [temptavit] ut contemtaretur de xxxta. Cui respondit cancellarius, quod Christus fuerat tantum venditus. Et post plura verba dixit cancellarius, quod si vellet transsiret, etsi non transsiret. Propter que verba finaliter convenit cum eodem precio appreciato in somma xl francorum, et hoc ante presentationem signeti. In cujus signeti presentacione idem magister Bernardus dictos xl francos tradidit latori signeti.

44us. Item et quod magister Yvo Lamederii[24], mag. in theol., Ord. Carmel., ad finem ut admitteretur ad licentiam, promisit dicto cancellario tradere centum francos, de quibus centum francis unam partem tradidit antequam admitteretur et etiam in traditione signeti usque ad valorem xl francorum. Mediantibus quibusdam magistris Yvo fuit admissus ad licenciam in theologia. Post cujus licentiam dictus cancellarius pluries a dicto magistro Yvone petiit et petere fecit residuum de dictis centum francis, videlicet xl francos. Et quia dictus magister Yvo ipsos solvere recusabat, idem cancellarius dictum Yvo Lamederii quantum potuit impedivit in suis vesperiis, et ne ascenderet ad gradum magisteriatus. Et quia ipsum omnino impedire non potuit, idem cancellarius bullas, quarum auctoritate dictus Lamederii licentiatus fuerat, eidem Lamederii restituere noluit, licet de hoc fuerit requisitus pluries, sed ipsas apud se retinet et retinuit indebite et injuste.

45us. Item et quod magister Johannes de Quercu[25], mag. in art. et in theol., dubitans, quia per multa tempora fuerat absens a studio Parisiensi, ne dictus cancellarius ipsum impediret, obtulit se ad baccallarium incepturum sub ipso cancellario, ac eidem promisit

quod ipsum et familiares suos bene et debite vestiret ac multas et magnas peccunias sibi daret, si primum locum obtineret. Qui quidem magister Johannes mediante hac promissione fuit licentiatus et primum locum obtinuit, et latori signeti pro dicto cancellario xij^cim francos tradidit. Et quia promissum non implevit[26], idem cancellarius ne magistraretur quantum potuit impedivit, sumpta occasione, quod Bartholomiste non debebant admitti ad talem gradum, quo[d]que super hoc habebat bullas a domino nostro papa. Tandem dictus cancellarius pulsatus et devictus precibus plurium dominorum, et precipue dominorum episcoporum Lodovensis[27] et Gebennensis[28], cessavit ab hujusmodi impedimento, et ita finaliter dictus magister Johannes nichil dedit et extitit magistratus.

46us. Item quod dictus cancellarius est de istis abusibus infamatus non solum apud clericos, sed etiam apud laycos totius ville et diocesis Parisiens.

47us. Item et quod magister Nicholaus de Costa[29], mag. in theol., Ord. fr. Min., tractavit cum dicto cancellario ut admitteretur ad licentiam dicens eidem : « Si faciatis michi bene, ego faciam vobis bene »; quodque idem de Costa dicto cancellario per quendam campsorem Parisiensem misit xl francos, quibus mediantibus fuit admissus ad licentiam.

48us. Item et quod magister Remondus Augeri[30], mag. in theol., Ord. fr. Heremit. S. Aug., ut admitteretur ad hujusmodi licentiam primo presentavit xij^cim francos, quos refutavit, quia sibi debebat facere gratiam de duobus annis. Et postmodum idem magister Remondus traxit de bursa alios novem francos, de quibus eidem cancellario presentavit viij, quos xij^cim et octo francos cancellarius tunc recepit. Ipseque cancellarius percipiens unum francum restantem, voluit eum habere dicendo per hec verba : « Adhuc illum, adhuc illum! » Et licet dictus magister sibi diceret, quod remaneret sine peccunia, cancellarius subjunxit, quod non erat curandus, quia modicum erat de uno.

49us. Item et quod magister Egidius de Campis[31], mag. in art. et in theol., cui quando erat baccallarius in proximo licentiandus, cancellarius dixit hec verba vel similia : « Vos estis notatus de adherendo Bartholomeo antipape; et quia in anno jubileo proxime preterito compleveratis tempus vestrum et feceratis facta vestra, propter quod merito debebatis licenciari, et noluistis sub me (quem sciebatis ad officium cancellarie a sanctissimo domino nostro papa Clemente fore canonice institutum) gradum licencie obtinere : quare consulo, quod non incipiatis ad magisterium sub aliquo magistro nacionis vestre ad purgandum notam predictam. » Propter que verba dictus magister Egidius turbatus temptavit pluries cancellarium ut sibi diceret, sub quo vellet quod inciperet, offerendo sibi bonum et pingue signetum. Qui[32] cancellarius, quociens super hoc loquebatur dictus magister Egidius eidem, provocabatur ad iram [et] comminatus fuit de accusando eum domino nostro pape ac scribendo in curia super nota predicta. Unde cum quadam vice dictus magister Egidius diceret cancellario : « Domine, essetne bonum quod inciperem sub vobis »? respondit cancellarius, quod non poterat facere melius. Quod attendens dictus magister Egidius ac timens de hujusmodi minis et de honore suo, et ne etiam impediretur per dictum cancel-

larium, consenciit (*sic*) ut inciperet sub eodem, qui portatori signeti pro dicto cancellario tradidit xxiiij francos, et dicto cancellario pro vestibus, quas sibi promiserat, tradidit octuaginta francos vel circa. Et sic fuit licentiatus et magistratus sub eodem.

50us. Item et quod magister Nicolaus Vales[33], mag. in theol., Ord. fr. Predic., licet esset rigorosus et sufficiens, tamen ad hoc ut expediretur celerius sine impedimento, tradidit ultra signetum cancellario decem francos auri.

51us. Item et quod electus Venetensis[34], de Ordine Cisterciensi, quia solus in dicta facultate theologie fuit licentiatus et expeditus, tradidit seu tradi fecit dicto cancellario centum francos auri.

52us. Item et quidam frater Minor, nuncupatus [Petrus] de Candia[35], ut admitteretur ad licentiam tractavit cum dicto cancellario, ac eidem tradidit octuaginta francos auri.

53us. Item et quod magister Philippus[36], mag. in theol., de Ord. Carmelit., qui fuerat absens per quatuor annos vel circa a studio Parisiensi, antequam potuisset audientiam habere super facto suo (*sic*) licentie a dicto cancellario, opportuit quod traderet xx francos auri dicto cancellario.

54us. Item et quod dictus cancellarius nonnullos baccallarios licentiandos per minas, preces vel alias coegit et consuetus est cogere ac inducere ut incipiant curssus, lecturam, magisterium sub eo, subtrahendo dictos baccallarios a magistris suis, sub[37] quibus fecerunt seu facere elegerunt actus suos scolasticos, licentiam et magisterium in dicta facultate theologie, dictos magistros indebite et injuste molestando, prout patet supra de magistro Johanne Solacii, quem nisus fuit subtrahere magistro Stephano de Calvomonte doctori in theologia, quem dictus Johannes Solacii elegerat; et id de magistro Johanne de Quercu, quem induxit ut sub se inciperet, ipsumque nisus fuit subtrahere magistro Symoni Freron, doctori in theologia. Idem etiam est de magistro Egidio de Campis, quem revera subtraxit per minas et alias. Et idem de magistro Guillelmo Trebron[38], magistro Gorrem[39], magistro Johanne [de Florentia][40] de Ordine Servitarum, quos per diversos modos, vias, minas et promissiones de primis locis habendis induxit et coegit ad incipiendum curssum in theologia, recipere licentiam et magisterium in eadem facultate sub ipso, magistros ipsorum indebite deffraudando suis baccallariis.

55us. Item et quod idem cancellarius solitus est et consuevit nonnullos baccallarios licentiandos in dicta facultate theologie recipere et admittere ad licentiam non petita nec obtenta deposicione seu deliberacione magistrorum facultatis theologie seu majoris partis ipsorum super sufficientia, vita, moribus hujusmodi licentiandorum ac de ordine seu collocatione ipsorum, ac ponere in locis quibus vult, ut patet de duobus fratribus Minoribus[41] et in ultimo Augustinensi, magistro Nicolao de Costa fratre Minore, magistro Guillelmo de Costa[42], Ord. Cluniacens., quos licentiavit sine hoc quod de ipsis faceret verbum in facultate theologie, nonnullos contra voluntatem magistrorum omnium vel saltem majoris partis ipsorum dicte facultatis theologie, prout apparet de dicto magistro Yvone Lamederii,

quem admisit ad licentiam contra deposiciones et voluntates majoris valentiorum magistrorum et sanioris partis, ymo omnium dicte facultatis, exceptis quatuor, et quem etiam preposuit indebite multis baccallariis notabilioribus et dignioribus ipso; nonnullosque indignos dignioribus preponens, ordinem deposicionum et deliberacionum magistrorum dicte facultatis ac locorum per ipsos assignatorum pervertendo, contra antiquos ritum, usum, stilum, consuetudinem, morem, observacionem et statuta dicte facultatis theologie temere veniendo, dictos decanum et magistros ipsius facultatis theologie in sua predicta possessione vel quasi approbandi baccallarios, licentiandi, deponendi de sufficientia et meritis ipsorum baccallariorum vocandorum ad licentiam et licentiandorum perperam indebite et injuste molestando, inquirendo ac perturbando.

56us. Item et quod premissa omnia et singula fuerunt vera, notoria et manifesta ac vulgata et publicata per dictas civitatem, ecclesiam et Universitatem Paris., ac super hoc laboraverunt et laborant tanta vox et fama, quod valentes probi et boni homines ac graves non immerito scandalizantur.

57us. Item et quod dictus cancellarius, in quantum tangit predictam facultatem MEDICINE circa baccallarios ejusdem facultatis licentiandos, nonnullos excessus et abusus commisit, multas peccunias indebite extorquendo et recipiendo, ut patet de magistris Thoma Blanchechappe, Radulpho Tabernarii et Nicolao de Ponte, Thoma Graffardi, quos non sine unguento hoc et propter peccunias admisit ad licentiam. Et presertim de dicto Blanchechappe, quem sine deliberatione dicte facultatis admisit, ordinem et assignacionem locorum dictorum baccallariorum per dictos magistros ordinatos pervertendo et mutando et transferendo, et presertim in isto jubileo ultimo, in quo dictus cancellarius fecit de primo tercium, de quarto secundum, et de secundo primum; et etiam de magistro Ingeranno de Sancto Fusciano[43], qui indebite fuit collocatus. Et cum peteretur ab eo, quare non fuit bene collocatus, cancellarius respondit quod ipse non visitaverat eum, et quod si eum visitasset, melius habuisset. Et de magistro Gerardo Pigneti[44], qui indebite fuit collocatus, dictos decanum et magistros facultatis medicine in sua possessione vel quasi approbandi baccallarios, licentiandi, ordinandi et disponendi de ordine et locis baccallariorum vocandorum ad licentiam et licentiandorum indebite molestando, perturbando et inquietando.

58us. Item et quod prenominatus magister Petrus Plaul subcancellarius tam per se quam per alios nomine ipsius et pro ipso abutendo de officio suo subcancellariatus per plures annos, menses et dies, per multos varios et excogitatos modos, patenter et oculte, pro habendo bonum locum in audicionibus et in locis audicionum ac obtinendo gradum licencie in facultate artium induxit et alexit ac induci seu alici fecit seu procuravit baccallarios temptandos, examinandos et licenciandos in dicta facultate artium ad dandum, tradendum et realiter numerandum aurum et argentum in pecunia numerata, vasa jocalia, aurea et argentea, pannos lineos et laneos, fourraturas, prandia, cenas, species et vina et talia hujusmodi. Premissaque predictus subcancellarius exegit et extorsit, ab aliquibus

videlicet in communi, et de aliis in singulari; ipsique baccallarii suam vexacionem redimentes tradiderunt et numeraverunt per [se] vel alios, alias non traditurі, quia nec alias collocaturi et licenciaturi, interque se ipsos pacta, convenciones, stipulaciones et obligaciones cum renunciationibus et juramentis intervenientibus fecerunt, et fecerat cum illis baccallariis, qui nichil in prumptu habebant ad dandum. Propter que dona, munera, exactiones et corruptiones nonnulli indigni ad licencie gradum admissi fuerunt, digni vero pauperes et alii nolentes aliquid dare penitus refutati vel saltem postpositi extiterunt, contra Deum, jus et justiciam ac predicta privilegia, constitutiones, statuta, libertates et consuetudines laudabiles Universitatis predicte temerarie veniendo, ac crimen ambicionis, avaricie, corruptionis et abusus ac sententiam excommunicationis dampnabiliter incurrendo.

59us. Item predictus subcancellarius, qui tempore quo assumptus fuit ad istud officium subcancellariatus erat pauperrimus homo et male induttus, nunc per hoc officium scaleto capuciatus, grossis variis et griseo foderatus, licet nullum beneficium habeat vel patrimonium de quo hoc possit facere, non erubuit in plena congregacione sue nacionis profiteri, se multa munera recepisse a dictis licenciatis, allegans quod Deus nec dyabolus posset facere, quin reciperet dona cum sibi offerrentur.

60us. Item et quod dictus subcancellarius a prima audicione primi anni dicti cancellariatus habuit a baccallariis ejusdem audicionis sex francos; secundo a baccallariis secunde audicionis secundi anni dicti cancellarii quinque francos; tertio a baccallarii[s] quarte audicionis dicti secundi anni quinque francos; quarto a baccallariis prime audicionis anni tercii quatuor francos; quinto a baccallariis secunde audicionis hujusmodi anni tercii decem francos; sexto a tercia audicione hujus anni tercii viij francos.

61us. Item et quod dictus subcancellarius a nonnullis baccallariis temptandis, examinandis et licenciandis extorsit plures summas peccunie et habuit indebite et injuste, et primo a Rolando Ramier quatuor francos, a Thoma le Mauge decem solidos paris., a Roberto de Barris quatuor francos, a decano de Longuione[45], ut haberet recommendatum quendam amicum suum pro licencia in artibus, quatuor francos, a Petro de Burgondia per manum ejusdem Jacobi de Celatis decem francos, a Henrico de Palma quatuor francos, a Johanne de Novavilla quatuor francos, a Thierico Mileti sperante licentiari in examine Nostre Domine quatuor francos (qui sibi nichil profecerunt, quia licenciatus fuit in examine Sancte Genovefe), a Nicolao Robaut nacionis Picardie x francos.

62us. Item et quod magister Johannes Trouillet magister in artibus obligavit se coram magistro Roberto Felicis, tabellione curie conservatoris et testibus presentibus, dicto subcancellario pro et nomine Thome de Borvilla[46], Claudi, baccallarii temptandi, examinandi et licenciandi in artibus, ut procuraret ejus licenciam, in summa xx francorum auri, pro quo dictus Thomas eidem magistro Johanni Trouillet tradidit certos libros in pignus usque ad valorem dictorum xx^{ti} francorum, qua obligatione mediante dictus Thomas fuit licencia-

tus. Post cujus licenciam ipse Thomas fecit tantum, quod libros suos habuerit, obligacionem revocavit, et sic de dictis xx^ti francis dictus Thomas nichil de post solvit, quod sciatur. Et ita prefatus subcancellarius desiderio suo malivolo fuit fraudatus.

63us. Item et quod magister Henricus Ludensche[de][47], mag. in art. nacionis Anglicane, tunc baccallarius temptandus, examinandus et licenciandus in artibus, convencione et pacto expressis convenit cum dicto subcancellario in summa sexdecim francorum pro predicta, pro quibus dictus Ludensche[de] tradidit eidem subcancellario certa pignora ad valorem dictorum sexdecim francorum. Ratione cujusdam contractus seu promissionis dictus Ludensche[de] fuit licenciatus et expeditus, quo expedito dictus Ludensche[de] petiit pignora sua [a] dicto subcancellario, que pignora reddere noluit, propter quod in vico Cerbone[48] egregie verberatus fuit, et sic dictus Ludensche[de] sua pignora recuperavit, fuitque propter hoc scandalizata quasi tota Universitas et vicini.

64us. Item et quod magister Henricus de Univilla, mag. in art. nacionis Gallicane, tradidit dicto subcancellario pro Johanne de Campo, seniore, scolari suo licenciando, post temptacionem et ante vocacionem ipsius ad examen de concenssu ipsius Johannis de Campo unam mediam ulnam panni scaleti precii trium francorum, et pro Roberto de Barris, similiter scolare suo, dedit eidem subcancellario manualiter quatuor francos, ut procuraret eorum licenciam, alias non traditurus.

65us. Item et quod dictus subcancellarius habuit a Symone Ourardi[49], nacionis Gallicane, mediam ulnam panni ad procuracionem et instigacionem magistri Flamingi du Martroy, examinatoris ejusdem examinis, pro causa predicta, alias non traditurus.

66us. Item et quod Richardus Rallardi, nacionis Normanie, eidem subcancellario per convencionem expressam promisit dare dicto subcancellario unam sargiam[50] de Cadomo ut licenciaretur. Qui quidem subcancellarius circa tempus licencie feci[t] dici dicto Richardo, quod non licenciaretur, nisi teneret promissum; qui quidem Richardus fecit dici eidem subcancellario, quod si daret sibi tale impedimentum quod non licenciaretur, tibie sibi scinderentur. Propter quod subcancellarius predictus respondit quod nichil petebat a dicto Richardo, et sic fuit licenciatus nec aliquid dedit.

67us. Item et quod dictus subcancellarius dixit cuidam, vocato Johanni Evelin : « Amice, nichil facies in isto temptamine, nisi habeas peccunias ». Propter que verba dictus Johannes non intravit temptamen illud Beate Marie, sed ivit ad Sanctam Genovefam, ubi fuit licenciatus.

68us. Item et quod dictus subcancellarius una cum aliis sociis suis temptatoribus a nonnullis baccallariis plura prandia et cenas habuit, in quibus omnes insimul aliquando fuerunt, aliquando duo ex ipsis, aliquando tres, aliquando quatuor. Que prandia et quas cenas dicti baccallarii solverunt ad finem, ut haberent unam audicionem et loca bona in audicionibus, citiusque expedirentur et licenciarentur, alias non facturi. Inter quos dictus Richardus Railardi, dum esset in temptamine et examine, fecit preparari quandam navicu-

lam, in qua sumptibus suis propriis fecit causa spaciamenti duci bis per aquam Secane usque ad Parvam Boloniam dictum subcancellarium, Flamingum et Johannem de Hokele, temptatores, et ibidem duo prandia eis dedit, in quibus prandiis et ceteris expensis eundo et redeundo dictus Richardus multas peccunias consumpsit.

69us. Item quod magister Henricus Carpentin, mag. in art. et medic., dedit subcancellario cum aliis sociis suis unum bonum prandium pro duobus amicis suis ad causam predictam.

70us. Item et quod Nicolaus de Rivo, nacionis Picardie, dedit unum prandium dicto subcancellario cum tribus de sociis suis examinatoribus in camera magistri Flamingi, in quo expendit duos francos vel circa.

71us. Item et quod Robertus Tessardi, nacionis Normanie, dedit unum prandium subcancellario predicto cum tribus aliis de sociis suis examinatoribus in domo magistri Johannis Piscis, in quo prandio dictus Robertus expendit tres francos vel circa.

72us. Item magister Johannes Beloti anno tercio cancellarii licenciatus dedit unum prandium dicto subcancellario cum aliis tribus de sociis suis, in quo plures peccunias consumpsit propter causas predictas et sepius tactas.

73us. Item et quod Johannes Basseti et Richardus de Baudribosco[51], nacionis Normanie, dederunt unum prandium dicto cancellario cum aliis duobus de sociis suis in collegio Justicie, in quo multas peccunias expenderunt.

74us. Item et quod Petrus de Burgondia, baccallarius licenciandus, dedit [unum prandium] subcancellario et quibusdam aliis de sociis suis apud Sanctum Germanum de Pratis, in quo expendit duos francos vel circa.

75us. Item et quod Petrus Valleti, licenciatus, dedit unum prandium subcancellario cum aliis quatuor sociis suis, in quo expendit tres francos vel circa.

76us. Item et quod magister Guillelmus Valleti dedit unum prandium dicto subcancellario cum uno de sociis suis in domo sua pro Petro Velleti (*sic*) fratre suo baccallario licenciando, in quo prandio dictus Guillelmus expendit quinque francos.

77us. Item et quod Johannes Tabouret et Petrus de Valle, nacionis Normanie, dederunt dicto subcancellario cum aliis sociis suis examinatoribus ante vocacionem ipsorum et ex causa predicta decem francos.

78us. Item et quod Petrus Reguordi et Guillelmus de Blesis, quia pauperes erant nec habebant aliquid quod possent dare, licet essent sufficientes etate, scientia et moribus, fuerunt tamen repulsi in dicto examine Beate Marie a dictis subcancellario et sociis suis, sed fuerunt admissi in examine Sancte Genovefe.

79us. Item quod licet de privilegio, statuto et consuetudine laudabili facultatis artium et ipsius Universitatis intrantes cameram examinis Beate Marie teneantur jurare nichil dare pro licencia obtinenda et de nonnullis aliis juramentis, et precipue illud Urbani quinti, quod est declaratum supra : ipsi tamen cancellarius et subcancellarius vel alius loco ipso-

rum [a] predictis baccallariis intrantibus[52] cameram examinis hujusmodi juramenta exigere et ipsos facere jurare scienter et fraudulose obmiserunt. Et hoc fecerunt ad finem ut hujusmodi abusus melius et liberius exercere possent, et quod baccallarii a datione hujusmodi minus precaverent.

80us. Item dictus subcancellarius inducebat et procurabat erga baccallarios quod darent non solum sibi peccunias et vestes, sed etiam cancellario. Et precipue induxit duos nobiles viros, videlicet Galterum et Guillelmum de Mommalia, de quibus fit mentio supra[53], per hec verba vel similia, « quod si volebant licenciari, debebant facere sicut nobiles, qui de usu consueverunt et debent dare de panno Brucelle vel alio eque bono cum furraturis, et maxime cancellario qui habet eos licenciare », et talia hujusmodi.

81us. Item et quod prefatus cancellarius, judex et executor privilegii quinquenalis magistris et scolaribus Parisius in facultate theologica studentibus a sede apostolica concessi, participat ac participare cognitus[54] est a tempore, quo in officio cancellariatus institutus fuit, in lucro cum notario seu scriba jurisdictionis dicti privilegii, contra canonicas xanctiones et contra libertates ipsius facultatis dampnabiliter veniendo, ac etiam in grande prejudicium et dampnum omnium magistrorum et scolarium dicte facultatis.

82us. Item et quod premissa sunt vera, notoria et manifesta, super quibus laboraverunt et laborant communis oppinio, communis assertio, commune dictum, vox publica et fama vulgaris tam in dicta Universitate et facultatibus ejusdem, quam in dictis civitate et ecclesia Parisiensi locisque circumvicinis. Que etiam omnia et singula superius articulata dicti cancellarius [et] subcancellarius, in quantum unumquemque ipsorum premissorum articulorum tangit, referendo singula singulis, confessi fuerunt, fuisse et esse vera, pluries et coram pluribus fidedignis.

83us. Item et quod fama publica insinuacioneque clamosa cum gravi scandalo referentibus a probis et fidedignis, non malivolis[55], ortum habentibus hujusmodi ex[c]essus, crimina et delicta per prenominatos cancellarium, subcancellarium et familiares suos continuos perpetratos et commissos, ut prefertur, ad aures ipsius rectoris et Universitatis (attendentes ipsi rector et Universitas quod hujusmodi abusus, corrupciones et ex[c]essus vergebant et vergunt nedum [in] injuriam, opprobrium, convicium, dedecus et villipendium apud bonos et graves, apud dominum nostrum papam, cardinales et curiam Romanam, apud ceteras Universitates magistrorum et scolarium tocius christianitatis, apud dominum nostrum regem et curiam ipsius, apud clerum et populum civitatis Parisiens., regni Francie et etiam totius christianitatis, ymo in ipsius Universitatis et suppositorum ipsius lesionem, oppressionem et dampnum non modicum et gravamen, verum etiam totius boni publici), volentes scire prout ad eos pertinebat, an clamorem, qui ad eos venerat, compleverunt : fecerunt seu fieri fecerunt per se seu deputatos eorundem (non ex odii fomite, non ad injuriam cujuscunque, sed solum zelo moti justicie, ut hujusmodi abusus et ex[c]essus corrigantur) unam secretam et summariam informacionem ad sciendum, an illa que

dicebantur forent vera et quoscunque judices competentes super ipsis latius informandum. Quam quidem informacionem dicti rector et Universitas de jure suo facere potuerunt tam vigore statuti dicti legati, de quo fit mencio in quarto articulo primi generis articulorum, et tam de jure, quam de dictis usu, stilo, consuetudine, more et observancia. Et quia qui juri suo utitur, nemini facit injuriam, patet quod per hujusmodi informacionem nulla facta fuit injuria cancellario antedicto. Et sic dictus cancellarius nullam habuit justam causam appellandi, prout indebite et injuste appellavit contra rectorem et deputatos ipsius Universitatis.

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 22-33ᵇ.

1. Ms. . « decimi ». — 2. An. 1381-1382. Vid supra nº 1461. — 3. Ms. « transmittendo ». — 4. Vid. supra nº 1409, et p. 230, not. 5. — 5. Vid. supra nº 1473. — 6. I. e. Gau, de quo supra nº 1455. — 7. Vid. supra nº 1314. — 8. Adamus de Ayaco, licentiatus an. 1383 (1384), e *Catal. licent.* — 9. Ms. · « qide ». Certe « Ade » scribendum (de quo nº 1416), ut apparet e nº 1513, teste 69. In fine art. 32 ms. : « facultas » loco « facultate ». — 10. Vid. supra nº 1445, ubi : Cristianus. — 11. An. 1383 (1384) licentiatus est e *Catal. licent.* An. 1387, Jul. 22, in abbatem S. Germani electus (*Gall. christ*, VII, 461), Octob. 16 a Clemente VII confirmatus (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XLIV, fol. 172ᵇ). — 12. Patria Hannonens., an. 1379 in Capitulo gen. Paris. designatur lector Sententiarum Parisiis pro tertio anno, i. e. pro 1381, et Bibliae pro primo anno, i. e. 1379-1380 (Lezana, *Ann. Ord. Carmel.*, IV, 702, Villiers, *Bibl. Carmel*, I, 827). — 13. Vid supra nº 1448. — 14. Licentiatus an. 1381 e *Catal. licent.* Ejusdem exstant Recitata super Evangel. b. Lucae an. 1381 in Bibl. Mazarin nº 174 (Catal. nº 251). — 15. Licent. an. 1383 (1384). — 16. Vid. num 1450. — 17. Vid. num 1391. — 18. Vid. num 1447. — 19. Vid. num 1409. — 20. Vid. num 1480 — 21. Licentiatus est e *Catal. licent.* an. 1381. — 22. An. 1381 et antea Bernardus Olerii fuit prior generalis Carmelitarum in partibus Clementis VII obedientibus (vid. supra nº 1285, not. 2), sed an. 1385 hoc officio functus est Raymundus Baquerii, provinciae Narbon., ab an. 1384-1389 (Lezana, l. c., p. 716). — 23. I. e. parum — 24. Vid. num 1423. — 25. Johannes Caillaudi de Quercu. Vid supra p. 259, not. 29. — 26. I. e. quia pauca dedit, et cancellarium familiaresque non vestivit. — 27. An. 1381, cum Johannes de Quercu licentiatus est, Ferricus Cassinelli fuit episc. Lodovens., de quo nº 1375. — 28. Johannis de Murolio, canonici Paris., episc. Gebennens. ab an. 1378, Januar. 27 (Reg. Av. Greg. XI, vol. XXXII, fol. 63), an. 1385, Jul. 12, episc. Tricastrini, eodemque die card. S. Vitalis, de quo Clem. VII in Reg. Av. vol. XXXV, fol. 73ᵇ, ad an. 1385, Jul. 24, quo die fiebat administrator eccl. Tricastrinae. Vid. Albanès, *Hist. des évêques de Saint-Paul-Trois-Châteaux*, p. 43 sq. — 29 Vid. supra nº 1440. — 30. Licentiatus est an. 1383 (1384) e *Catal. licent.*, ubi tamen perperam additur : « canon. regularis ». — 31. Vid. p. 241, not. 4. — 32. Ms. potius . « Cui ». — 33. Ms. perperam · « *Johannes* Vales ». Designatur Nicolaus « Vitalis », de quo supra nº 1416. — 34. Henricus Barbuti (Le Barbu), qui, post obitum Guillelmi, ab an. 1376, Octob. 1, abbas fuit monast. de Precibus, Ord. Cisterc. (Reg. Vat. Greg. XI, nº 290, f. 146 ᵇ). An. 1383, Januar. 23, Clemens VII annuntiavit, Simonem Lingon. O. Praed. (v. *Chartul*, II, nº 1052, not 2), in sede Venetens. resignare, et Henricum praedictum esse designatum ut episc. Venetens., qui et eodem anno, Aug. 3, ibidem per Thomam archiepisc. Neapolitan. praefectus est (Baluze, *Vit. pap. Aven.*, II, 946, iterum in *Gall. christ.*, XIV, *Instrum.*, p. 221). An. eodem, Decemb. 12, ei indulgetur consecratio (Reg. Vat. Clem. VII, nº 295, f. 1ᵇ), an. 1404, Maii 2, transl. ad Nannetens. (Reg. Aven. Bened. XIII, vol. XXXI, f. 443). Henricus, sicut postea Hugo Stoquer, ut electus episcopus licentiam in theol. obtinuit (vid num 1513, test. 56), sed deest in *Catal. licent.* — 35. Vid nº 1463. — 36. De Gottulis, qui licent. est an. 1383 (1384) e *Catal. licent.* — 37. Ms. : « super ». — 38. Ms. . « Trelion ». Vid. p. 241, not. 5. — 39. Fuit tantummodo baccalar. in theol., de quo pluries. — 40 Licent. est an. 1381 e *Catal. licent.* — 41. Magistris Adamo D'Ay et Johanne de Attigniaco, ut testis 42 infra nº 1513 refert. Ultimus Augustinens. verisimiliter est Matthaeus Silvestris. — 42. Sed e *Catal. licent* an. 1386 (1387) licentiatus est. — 43. Ms. « Sussiano ». — 44 Supra p. 256 « Pignoti ». — 45. Scil. Jacobo de Celatis. — 46 Ms potius « Bonvilla », ubi etiam « claudo ». — 47. Utique « Ludenscheide », « Ludenscheid », Colon. dioec. Determinavit in artibus jam an. 1378, Jun., ut e *Lib. procur.* in *Auctar. Chartul.*, I, apparet, ubi « Henricus Ludenschede ». — 48. I. e. Sorbonae. — 49. Oudardi ? — 50. I. e. tegetem. — 51. Ms. « Baudobosco ». — 52. Ms. « iurantibus ». — 53. Scil. p. 354. Ms. hic « Mannalia ». Designatur « Momalle » Leodiens. — 54. Ms. « cognatus ». — 55. Ms « malivosis ».

1512. *Supplicatio cancellarii Johannis Blanchart ad cardinalem Laudunensem ut ea quae Universit. Paris. contra eum aggressa est, annullentur.*

1385, Maii, Parisiis.

Item sequitur tenor predicte supplicationis[1] qui talis est :

Reverendissime pater et domine metuendissime. Cum secundum sanctiones canonicas pariter et civiles omnesque fori communes stilum et consuetudinem spoliatus ante omnia debeat restitui et attemptata post appellationem seu lite pendente cassari deberent, et adversarii devoti vestri oratoris Johannis Blanchart, cancellarii ecclesie Parisiensis, in causa partim coram reverendissimo in Christo patre et domino domino cardinale Vivariensi[2], partim coram eodem una cum reverendissimis in Christo patribus et dominis dominis cardinalibus Ebredunense[3] et de Fitignyaco[4], et partim ac vice coram vestra reverendissima paternitate apostolica auctoritate pendente, post appellacionem per ipsum cancellarium contra dictos adversarios suos factam post causam apostolica auctoritate primo judici commissam, post citationem et inhibicionem a dicto primo judice apostolico emanatas et adversariis dicti cancellarii debite intimatas et executas contra eosdem, ipsum cancellarium suis et sue cancellarie notoriis juribus multipliciter spoliarunt, et contra illa temere attemptaverunt ac cothidie spoliare et attemptare non cessant per modum statutorum (si sic, de quo cui incumbit judicet[5], debeant appellari), ordinando plura notorie et expresse contra jura, usus et consuetudines ipsius cancellarii et cancellarie ipsorum predictorum, que, quos et quas inviolabiliter observare et eis nullatenus contravenire solenniter juraverunt, eorum reverentia salva, dictasque ordinaciones in scriptis redigi et magno Universitatis sigillo fecerunt roborari[6], nitentes in singulis facultatibus singula per eos sic ordinata et roborata per singulos, gradus aliquo[s] in quavis facultate recipientes, priusquam ad illos admittantur, facere jurari, in grave cancellarii et cancellarie ecclesie Parisiensis prejudicium predictorum. Quibus non contenti, sed mala malis accumulando, rector Universitatis cum facultate artium omnes et singulos hoc anno in examine Nostre Domine licenciatos ad magisterium, ad bursas solvendas et ad prestanda[7] solita juramenta recusant admittere, magistrum Flamingum bachalarium in theologia, qui sub cancellario incepit, et per facultatem theologie jam bis solenniter admissus, qui lecturam suam incepit, ad sanctam sedem apostolicam ab eis appellavit, paratus semper existens de omnibus sibi obiciendis stare juri coram quocunque judice competente : tamen sine cause cognicione absque hoc quod in aliquo convictus fuerit vel confessus, ipsum de facto nisi sunt impedire, sibi stricte precipiendo mandantes, quod a lectionibus suis omnino cessaret. Quod quia facere noluit, appellacioni quam ad sanctam sedem apostolicam emiserat inherendo, ipsum magistrum Flamingum in ejus et cancellarii non modicam ignominiam ab Universitate de facto privarunt, non sine gravi prejudicio commissionis ad eorum instanciam vestre metuendissime dominacioni facte. Quare cancellarius antedictus vestre metuendissime paternitatis devotus orator eidem humiliter supplicat, quatinus premissa et cetera per adversarios suos contra eum et suum beneficium attemptata, de quibus paratus est sufficienter docere loco et temporibus opportunis, cassare dignemini et adnullare, aut per eos facere cassari et adnullari, vel causam ad sanctam sedem apostolicam unde emanavit remittere, presertim cum contra vestrum decretum hic non possit habere consilium, propter timorem adversariorum suorum, ut vobis constat[8]. Propter quod verissimiliter dubitat hic non posse consequi debite justicie complementum, et propter plures alias causas racionabiles vestre metuendissime dominationi satis notas, quas hic exprimere non opportet.

Protestor autem ante omnia, reverendissime pater, quod per has supplicacionem et comparicionem non consentio nec intendo consentire alicui processui in hac causa coram reverendissima paternitate vestra facto aut fiendo, ad requestam partis mee adverse vel alias contra me, donec ista supplicacio mea per eandem rev. paternitatem vestram fuerit exaudita.

Post hec autem anno quo supra, die ultima predicti mensis Maii assignata predictis partibus, ut in actis precedentibus continetur, ad audiendum, utrum debeant habere predicti sindici copiam suprascripte supplicacionis comparentibus partibus eisdem : sindici ipsi, eis lecta et per eos audita et intellecta, ut dicebant, predicta cedula, dixerunt quod contenta in ea non impediunt nec impedire debent, quominus[9] ad informacionem dicto

domino cardinali commissam procedatur, cum non fuerint cause appellacionum, de quibus fit mencio in dicta supplicacione, nec revocacio attemptatorum ipsi domino cardinali commissa sit, sed solum informacio etiam extrajudicialiter.

Dictus vero cancellarius nichilominus peciit, ut in dicta supplicacione continebatur.

Quibus sic actis et dictis, prefatus dominus cardinalis viso tenore ipsius supplicacionis, habitaque prius deliberacione matura super contentis in ipsa, attento quod dictus cancellarius non fecit diligentiam de habendo consiliarios sibi per distribucionem datos[10], nec compulsoriam contra eos, si recusarent eidem prebere consilium; attentis etiam per partem dicte Universitatis causis prepositis, cum non sit judex appellationum et attemptatorum, de quibus fit mencio in dicta cedula : decrevit fore procedendum in dicta causa juxta traditam a sede apostolica sibi formam, non obstantibus contentis in dicta cedula, maxime cum in dicta cedula remissionem petitam dictus dominus cardinalis facere non valeat, donec informacio facta fuerit, de qua in dictis litteris apostolicis facta est mentio specialis. Et insuper concessit dicto cancellario copiam articulorum pro parte dicte Universitatis pridie exhibitorum et traditorum ac etiam prescriptorum, si eam habere voluerit; partique Universitatis predicte petenti litteras competentes ad citandum testes per dictos sindicos pro parte ipsius Universitatis producendos et examinandos super articulis predictis.

Dictus vero cancellarius dixit, se nolle habere copiam dictorum articulorum, donec consiliarios habuerit, protestans quod nullus processus sibi noceat donec consiliarios habuerit predictos; ac etiam compulsoriam petens contra dictos consiliarios, quam dictus dominus cardinalis commissarius ei concessit pro die veneris proxima, que erit dies secunda instantis mensis Junii, quam diem assignari mandavit dictis consiliariis ad allegandum causas, si quas habent, quare hoc facere recusant, prout in dicta compulsoria continetur.

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 33b-35.

1. Vid. supra nº 1510. — 2. Petro de Sortenac. Vid. nº 1505. — 3. Petro Amelii, de quo ibid. — 4. Vid. ibid. Ms. « Futignyaco. » — 5. Ms. : « judecens ». — 6. Supra nº 1504. — 7. Ms. potius : « prandia ». — 8. Ms. : « instat ». — 9. Ms « quod minus ». — 10. Vid supra p. 348, *Relatio historiae*.

Maii 17 (*sic*) cardinalis commissarius priori Carnotensi, Oudardo de Molinis et Radulpho de Ulmonte sub poena excommunicationis injungit, « quatinus ad omnem requisitionem cancellarii assistant sibi in causa ipso consilio et auxilio opportunis ». Junii 2 Radulphus de Ulmonte coram cardinale dixit, « se non posse esse de consilio cancellarii sine expresso consensu Universitatis ». Universitas Paris. Junii 7 consensit, ita ut Radulphus promisit consilium dare « mediante salario competenti ».

Maii 31 cardinalis commissarius ad instantiam sindicorum rectoris et Universitatis Paris. omnibus presbyteris, curatis, tabellionibus, etc., injungit ut ad diem Junii 15 testes propriis nominibus nominatos citent. Quosnam horum testium Johannes Guioti, mag. in art. et notarius, Junii 9-15 citare potuit, in instrumento enarrat et enumerat.

Junii 17 card. commissarius Colardum dictum de Lyoni et mag. Nicolaum de Vincellis suis litteris ad diem 20 Junii citat ut testes perhibituros testimonium veritati.

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 36-48.

1513. *Examen testium ab Universitate productorum coram commissariis super contentis in articulis accusationis contra cancellarium Johannem Blanchart.*

Quamvis in ms^{to} hae depositiones inferius alio loco sequantur, hic tamen a nobis commoditatis gratia insertae sunt. cum se ad articulos accusationis n[1] 1511 referant. Cuilibet testi solummodo aliqui, non omnes articuli propositi fuerunt. Nos e depositionibus eas tantummodo publici juris facimus, quae novi aliquid afferunt vel consuetudines et abusus in Universitate vigentes declarant, aliis omissis, cum magistri in suis depositionibus saepe eadem iterato dicant, quae jam ex articulis ipsis nota sunt. Plerique non « ex vera scientia », sed solum ex auditu testimonium dant. Immo accusando profitentur, « se non recordari » Desunt depositiones quatuor priorum magistrorum.

1385, Julii-Octobris, Parisiis.

v. Magister Guillelmus de Gardino magister in artibus et bachalarius formatus in theologia alias juratus, interrogatus et diligenter examinatus super infrascriptis articulis.... Item audivit a magistro Matheo Silvestris, Ord. August., quod ipse dederat cutellos trium francorum cum dimidio predicto cancellario, et familiares ipsius cancellarii duxit ad balnea ac solvit eis expensas, et totum hoc ad finem, ut credit, quod magis esset gratus dicto cancellario ad licenciam habendam, quia fuit anticipatus[1] ad licenciam in facultate theologie per duos annos contra statuta s. mem. Urbani pape quinti, qui statuit quod post lecturam Sentenciarum bachalarii residerent Parisius, priusquam licenciam obtinerent, per tres vel iiij^{or} annos, quod statutum est valde utile propter disputaciones que habebant fieri inter bachalarios, in tantum quod propter anticipationem factam tempore hujus cancellarii hodiernis temporibus communiter non sunt nisi iiij^{or} vel quinque bachalarii arguentes in theologia. Ipse namque cancellarius transponit ordinem bachalariorum, quos aliquando ipse admisit, aliquos qui non fecerant responsiones suas que consueverant fieri in facultate theologie, que reputantur examina bachalariorum predictorum. Interrogatus si novit aliquos de sic prepositis et transportatis de eorum ordine, respondet quod quidam Minor vocatus [Nicolaus] de Costa, de Ordine Minorum, post lecturam Sententiarum absque eo quod resideret per tempus dicti statuti et faceret responsiones consuetas. Et audivit fama publica laborante quod hoc fuit propter donaria plura. Preterea licet secundum statutum papale et consuetudinem Universitatis Parisiensis non debeant aliqui licenciari in theologia, nisi de biennio in biennium, tamen tribus annis preteritis dictus cancellarius fecit singulis annis licenciatos. Et ulterius licet non debeat fieri singulis bienniis nisi unus de quolibet Ordine Mendicantium et Sancti Bernardi, dictus cancellarius in ultimo jubileo contra statutum et consuetudinem hujusmodi tres graciosos admisit, et unum rigorosum de Ordine Minorum; et de Ordine Predicatorum duos, videlicet unum rigorosum et unum graciosum: et de Ordine Augustinencium tres, quorum duo fuerunt graciosi, de tercio ignorat; et de Carmelitis fuit unus graciosus et unus rigorosus. Et ulterius magister Johannes Ade de Ordine Predicatorum fuit admissus ad licenciam anno quo legit librum Sententiarum, quod est bene absurdum in dicto studio et contra dictum statutum. Et credit quod predicti abusus anticipacionis et multiplicacionis licenciatorum potius propter munera quam propter alia evenerunt....

Item super xlix dixit se nichil aliud scire, nisi prout audivit a dicto magistro Egidio, qui confidens se de eo qui erat socius suus, dixit sibi totum negocium sicut se habuit, salvo quod ipse qui loquitur portavit dicto cancellario pro parte dicti magistri Egidii pannum laneum pro persona dicti cancellarii, precii xxxvj francorum vel circa, necnon pelles seu infoderaturas pro dicto cancellario in valore xxxij francorum, ac etiam pro familiaribus dicti cancellarii novem ulnas panni et sex infoderaturas de agniculis parvis, quando dictus magister Egidius debuit magistrari sub ipso cancellario. Interrogatus si credit quod ipse magister Egidius fuerit compulsus per dictum cancellarium ad recipiendum magisterium sub ipso, respondit se credere quod sic, reddens causam credulitatis quia frequenter ivit et rediit ad dictum cancellarium cum dicto magistro Egidio, et audiebat ab ipso quod dictus cancellarius imponendo sibi quod erat Bartholomista, compellebat eum ad recipiendum magisterium sub ipso....

Item super ultimo articulo dixit se scire quod pro parte Universitatis facte fuerunt certe informaciones super abusibus officii cancellarii tam contra dictum cancellarium [quam] ejus subcancellarium et suos familiares, et credit quod dicta Universitas sancte et juste processit pro bono studii Parisiensis, et quod hoc potuerunt facere et debuerunt, et quod papa ad quem dictus cancellarius injuste ut credit appellavit, debuisset correctionem remittere Universitati faciendam per eam. Plura dixit se nescire de contentis in articulo ipso, licet super hoc fuerit diligenter interrogatus, excepto quod est certum quod predicti abusus vergunt in magnum detrimentum, immo quodammodo ad nichilacionem Universitatis Parisiensis studii et suppositorum....

vj. Egidius bedellus theologie juratus alias, interrogatus diligenter super articulis subscriptis, et primo super xxvj^{o}, ipsis sibi prius lectis et per eum ut dixit intellectis, dixit de contentis in dicto articulo xxvj^{o}, se nichil scire de

vera scientia, dixit tamen se audivisse dici a magistro Johanne Kaerleoret, mag. in theol., et a quibusdam[2] aliis, de quibus non recordatur, quod frater Guillelmus in dicto articulo nominatus dedit dicto cancellario unam caudam vini Belne, ut admitteretur ad lecturam Sentenciarum. Et etiam sibi videtur quod audivit dici, sed nescit a quibus, quod dedit etiam dicto cancellario xx francos pro causa premissa, et ulterius audivit dici a predicto de Roseriis. Ipse qui loquitur interrogavit eum quare impediebatur, dicendo sibi (quod forte cancellarius volebat ab eo habere peccuniam) talia verba vel similia : « Per Deum, ipse habuit a me tot, quod non habeo plures. » Qui cancellarius impediebat eum, licet major pars facultatis eum admitteret, sicut ipse qui loquitur vidit et audivit in domo dicti cancellarii, quando fuit vocata facultas per cancellarium ad videndum bullas papales, virtute quarum debebat legere Sentencias. Interrogatus si ipse interfuit in dispositione facultatis facta coram cancellario, respondit quod facta depositione ut est moris fuerunt vocati tam ipse, qui loquitur, quam dictus frater Guillelmus de Roseriis, quam etiam alii qui non erant in deliberatione magistrorum, et tunc vidit et audivit quod cancellarius non admisit dictum fratrem Guillelmum, dicendo quod aliqui eum accusabant de quodam crimine, quod non nominavit, de quo opportebat eum purgare antequam admitteretur. Et audivit ibidem a magistris dici, quod major pars eorum eum admittebat. Et vidit postea eum admitti ipso non purgato de dicto crimine, quod ipse sciat, et credit quod propter dona predicta fuit sic admissus. Plura de contentis in dicto articulo dixit se nescire.

Item super xliiij° dixit se de scientia nichil scire. Audivit tamen a magistro Bernardo Calveti, regente in domo Carmelitarum, quod dictus magister Yvo in dicto articulo nominatus promiserat dicto cancellario centum francos ut licenciaretur, et scit bene quod dictus cancellarius post dictam promissionem impediebat eum ne haberet vesperias suas, et tamen facultas admiserat eum, reddens causam scientie, quia vidit et audivit quod facultas instabat pro eo, et ex post fuit admissus et premissus cuidam alteri, videlicet magistro Herveo Sulven, qui videre suo debebat preponi. Et credit quod omnes cognoscentes ipsum crederent sic. Interrogatus an credat, quod propter dona fuerit antepositus, respondit se nescire quid credere. Plura dixit se nescire.

Item super xlv° dixit se tantum scire de contentis in eo, videlicet quod magister Johannes de Quercu ante principium ordinarii juravit coram facultate ut moris est, ipso loquente presente, quod legeret Sentencias illo anno continue usque ad vigiliam Apostolorum Petri et Pauli, qua incipiunt vacationes, nisi legitimo impedimento impediretur. Et deinde ante predictas vacaciones, cum haberet adhuc legere decem lectiones vel circa, et vellet ire versus partes suas, venit apud Sanctum Maturinum ad presenciam congregacionis Universitatis, que tunc ibidem erat, et peciit licenciam recedendi, offerens se in regressu suo legere dictas legendas lecciones. Quam licenciam ipsa Universitas sibi denegavit, dicens se non habere super hoc potestatem, sicut audivit a magistris dicte facultatis, qui fuerant in dicta congregacione. Quibus non obstantibus predictus bachalarius recessit et rediit postea durantibus dictis vacacionibus. Si vero dictas lectiones complevit in dictis vacacionibus ignorat, sed bene scit quod paulo post recessit a studio, et deinde non apparuit in studio, donec voluit licenciari. Qui fuit ad dictam licenciam admissus per dictum cancellarium per quatuor annos post vel circa, qui dedit sibi primum locum, licet factum fuerit contra consuetudines laudabiles Universitatis, que sunt tales quod bachalarii post lecturam Sentenciarum non debent ad licenciam admitti, quousque per iiij^or annos ad minus continuaverint dictum studium. Et propterea credit quod dicta admissio non fuisset facta contra dictas consuetudines, nisi intervenissent promissiones vel dona contenta in articulo. Scit etiam quod post dictam licenciam dictus cancellarius impediebat vesperias dicti licenciati, et credit quod pro eo impediebat, quia non dederat sibi promissum, reddens causam sue credentie quod dictus cancellarius dicebat eum Bartholomistam. Et tamen ipse qui loquitur novit eum, et nunquam audivit quod esset Bartholomista, nec credit et scit etiam quod dictus de Quercu libenter promittit potius quam adimpleat promissa. Plura de eo dixit se nescire....

Item super lv° dixit se scire quod in jubileo ultimo cancellarius fecit xvj licenciatos in facultate theologie, reddens causam scientie quia ut bedellus in actibus eorum interfuit. Et audivit a magistro Stephano de Calvomonte magistro in theologia, et a pluribus aliis magistris in theologia, de quibus non recordatur, quod dictus cancellarius non peciit deposiciones magistrorum dicte facultatis nisi solum de xij Unde magistri multum mirabantur quomodo erat ausus hoc facere, quia sicut ipse quamdiu bedellus fuit observari vidit, nunquam vidisse licenciari aliquem nisi prius habita deposicione omnium magistrorum dicte facultatis. Et plura nescit.

vij. Frater Matheus Silvestris[3], magister in theologia, alias juratus et interrogatus super infrascriptis capitulis, et primo super xxv° ipso sibi prius lecto et per eum bene intellecto ut dixit, dixit [se] de contentis in dicto articulo nichil de vera scientia scire, nisi solum quod, sicut est consuetum ab omni tempore citra, in presentacione signetorum aliquid dari cancellario. Sic ipse qui loquitur, quando recepit signetum, de sua gratuita voluntate, nulla pactione precedente, misit sibi xx^ti francos et dedit duobus clericis duos francos. Interrogatus si fuit consue-

tum dari certam summam vel incertam, dixit quod non est certa summa dari consueta, sed communiter dantur circa xx[ti] franci. Interrogatus de causa scientie predicte consuetudinis, respondit quod pro eo, quod semper audivit ita dici, et nunquam audivit contrarium. Audivit enim quandoque dari quinquaginta francos predecessori dicti cancellarii, sed a quibus et de quibus non recordatur. Preterea est verum, quod ipse qui loquitur spontanee dedit unum par cutellorum pro mensa precii trium francorum vel circa dicto cancellario, qui multas curialitates fecerat sibi, invitando eum ad suam mensam frequenter. Plura dixit se nescire nisi de auditu.

Interrogatus quid audivit dici, dixit quod audivit dici a fratre Raymundo Rogerii [*i. e.* Augerii] sui Ordinis, dum volebat admitti ad licenciam, quod cancellarius predictus erat sibi durus, quia dictus frater Raymundus post lecturam Sentenciarum tempore intermedio non fuerat in Universitate, sicut debent esse qui volunt admitti ad licenciam. Cui dictus cancellarius dixerat, quod fieret sibi magna gracia, si redimeretur sibi tempus duorum annorum, et quod ipse bene deberet recognoscere. Et deinde, sicut ipse qui loquitur credit et poterat capere ex verbis dicti fratris Raymundi, idem frater Raymundus promissa et inde data peccunia usque ad xx francos fuit ad dictam licenciam admissus. Interrogatus an mutaverit ordinem debitum secundum depositiones magistrorum, dixit quod de hoc deponere non potest, quia non est diu quod ipse fuit magister. Plura dixit se nescire de contentis in dicto articulo, diligenter super hoc requisitus....

viij. Item magister Henricus Herout, magister in theologia, interrogatus super contentis in x° articulo, dixit .... quod inter alia audivit a dicto cancellario in plena facultate post quandam expeditionem, quam fecerat quinque licenciatis, in qua expeditione revera fuit assignatus in ultimo loco magister Johannes Adde, qui notorie erat sufficientior quam tercius, verba sequencia vel in effectu similia : « Multi dicunt quod ego recipio peccunias ultra modum, et specialiter dicunt quod ego habui a magistro Johanne Adde (qui erat ibi presens) xxx vel xl francos », ut eidem loquenti videtur, licet non recordor bene de summa per eum nominata; et addidit ista verba vel in effectu similia, totus turbatus : « Certe ipse non dedit nisi xvj francos, et ipse bene scit, qui est hic presens, et certe displicet michi quod ego non habeo plus », loquendo non solum de dicto magistro Johanne Adde, sed generaliter de aliis. Et alia vice a dicto cancellario audivit de magistro Alnoldo Ordinis Minorum loquendo verba sequencia, vel in effectu similia : « Ille miser non dedit michi nisi unam bursam quinque solidorum, et infra bursam non erant nisi decem franci », conquerendo de eo quia erat modicum.

Item super xxv° respondit, se nichil aliud scire de vera scientia nisi prout supra in decimo articulo deposuit, salvo quod in specie audivit a fratre Johanne Gay Ordinis Predicatorum sufficiente bachalario formato in theologia, quod ipse frater Johannes dedit cancellario xx francos, timens ut ex verissimilibus conjectur[abat] quod impediebat eum cancellarius in lectura Sentenciarum et responsionibus suis, sicut videbat in multis aliis. Et ulterius dixit se audivisse a duobus bachalariis, videlicet a magistro Egidio de Campis, tunc bachalario, et a magistro Guillermo Gorren, quod elegissent eundem qui loquitur in magistrum ipsorum, quia fuerunt scolares sui et de nacione sua; tamen cancellarius predictus per multos modos cogebat eos ad recipiendum gradum sub ipso....

Item super lv° dixit quod sibi constat et est certus quod dictus cancellarius non peciit ab ipso qui loquitur depositionem suam de sufficiencia et aliis (de quibus consuetum est queri, quando debent licenciari bachalarii) cujusdam bachalarii de Ordine Augustinens., qui ultimo fuit licenciatus, de cujus nomine non recordatur, et apparet sibi quod de quibusdam aliis etiam non fuit interrogatus quando debuerunt licenciari, sed de quibus et de quot non recordatur.. .

ix Magister Symon Freron magister in theologia, pridem juratus et interrogatus super infrascriptis capitulis, et primo super sexto, dixit se inde scire que secuntur. Et primo dixit vera esse contenta in dicto articulo, reddens causam scientie sue quia ipse fuit per decem annos vel circa subcancellarius, videlicet de tempore magistri Johannis de Acyaco cancellarii[4], et ita vidit semper et audivit.

Item supe[r] xxv°, aliis omissis de voluntate producentium, dixit se nichil penitus scire de vera scientia nec audivisse per alios quam per partem contrariam cancellario; verum est tamen quod usus et consuetudo fuit semper in studio Parisiensi, quod recepto signeto in facultate theologie per volentes licenciari ipsi mittunt, prout volunt, liberaliter absque pactione sive coaccione quacunque aliquid cancellario. Si vero cancellarius predictus circa dictum usum commiserit abusum, ignorat; si tamen fieret vel factum fuerit, illud dampnaret et reprobaret. Interrogatus quantum communiter consuevit mitti per quemlibet, dixit quod aliquando decem, aliquando plus, secundum status vel facultates licentiandorum. Et ipse qui loquitur, qui fuit licenciatus anno lv° per predictum magistrum Johannem de Acyaco, cujus erat vicecancellarius, misit dicto tunc cancellario recepto signeto xij florenos tunc currentes sua propria voluntate, quia tunc erat solitum et communiter fiebat per omnes licenciandos. Cetera contenta in dicto articulo dixit se ignorare ..

Item super xlvj° .... deposuit verum esse quod dictus magister Johannes de Quercu fuit bachalarius illius, qui loquitur et magistratus sub eo, et tamen nunquam audivit aliquid fuisse promissum seu datum per dictum bachalarium dicto cancellario pro licencia vel loco, quia si idem qui loquitur scivisset, impedisset pro posse. Credit tamen quod recepto signeto tradidit aliquid, ut est moris. Et est verum etiam quod dictus cancellarius debatum aliquod fecit dicto magistro Johanni, quia dicebatur ipsum fuisse in quadam congregacione in Alamen[nia] ex parte Bartholomei facta, et ipse cancellarius habebat mandatum apostolicum, quod per litteras ostendebat, quod nullum admitteret suspectum ad licenciam sui magisterii

Item super lv° ...; si vero predictos bachalarios vel alios licenciavit preter et contra voluntatem ceterorum magistrorum ignorat, quia consueverunt peti vota et depositiones magistrorum segregatim, ita quod unus ignorat depositionem alterius; cetera contenta in dicto articulo dixit se ignorare.

x. Item Johannes Vareti, magister in artibus alias juratus, interrogatus et examinatus ..

xj. Magister Georgius de Castro, magister in artibus alias juratus, interrogatus et examinatus .

xij. Gaufridus de Turribus, magister in artibus alias juratus, interrogatus super decimo articulo aliis omissis de voluntate producentium, ipso prius sibi lecto et per eum intellecto ut dicebat, deposuit verum esse quod, quando ipse fuit factus licenciatus in artibus in tercia audicione primi anni cancellarii, quidam sacerdos nomine magister Nicolaus, qui erat familiaris, et quidam alii familiares dicti cancellarii (quos cognosceret si videret, sed de nominibus eorum non recordatur) monuerunt in camera examinis bachalarios aliquos dicte audicionis, sicut ipsimet bachalarii referebant ceteris, ut facerent collectam inter se, sicut alii fecerant pro dando aliquid dicto cancellario, ut citius expedirentur; et quia bachalarii non fuerunt de hoc concordes, nichil dederunt. Propter quod, ut ipse qui loquitur credit firmiter, longiori tempore fuerunt in examine quam fuissent, reddens causam sue credencie, quia alii in aliis audicionibus precedentibus, qui collectam fecerant et dederant dicto cancellario, fuerant tantum in camera per tres septimanas vel circa, ipsi vero qui erant de tercia audicione predicta, fuerunt per quinque septimanas in audicione predicta, antequam expedirentur. Interrogatus si fuit presens, quando predicti fuerunt moniti, dixit quod non, sed bene presens fuit quando retulerunt, quod sic fuerant moniti. Interrogatus de nominibus dictorum referencium, dixit quod unus vocabatur magister Johannes de Lacu, alter magister Gaufridus de Mans. Plura se nescire dixit, salvo quod semel interfuit in quodam prandio, ubi fuit magister Petrus Plaul subcancellarius et alii examinati, et solvit prandium primus secunde audicionis secundi anni. Audivit tamen dici a pluribus, quod dederant peccunias in communi, dum erant in camera, familiaribus cancellarii. Interrogatus a quibus, dixit quod a magistro Roberto Tesardi et a magistro Johanne de Nibella

xiij. Magister Adam de S. Amando, bachalarius in jure canonico alias juratus

Item super octuagesimo primo, aliis omissis de voluntate producentium, dixit et deposuit omnia contenta in eo esse vera, reddens rationem scientie sue, quia dudum in primo anno, quo ipse cancellarius fuit receptus cancellarius, idem qui loquitur ad preces domini cardinalis de Lucembourc[5], tunc in minoribus constituti, fuit factus et receptus per dictum cancellarium notarius curie sue; et post per aliquod tempus idem cancellarius misit pro eo, et dum fuit ad eum in suo studio, dixit sibi talia verba vel in effectu similia : « Magister Adam, ego habeo modicam utilitatem mei cancellariatus, et habeo jurisdictionem, que est magne utilitatis, non michi, sed vobis. Quapropter intencionis mee est quod vos vel alius, quicunque fuerit notarius meus, tradat michi mediam partem valoris ipsius officii. » Cui idem testis respondit, quod participare non debebat, quia teneretur ad restitutionem secundum jura; nichilominus tamen iterato idem cancellarius replicavit intencionem suam predictam, et in eadem perseveravit in tantum, quod quia ipse testis dictam participationem sibi denegavit, a dicto officio per dictum cancellarium fuit amotus, et magister Stephanus Boussardi loco sui testis subrogatus, a quo magistro Stephano recipiebat mediam partem dicti officii, prout audivit ipse qui loquitur tam a dicto cancellario et familiaribus suis, quam a dicto magistro Stephano subrogato Adiciens, quod dum ipse qui loquitur erat in dicto officio notarii, ipse fecit expensas pro dicto cancellario et de ejus mandato in parando locum audiencie sui judicii usque ad summam xij francorum vel circa, quam peccuniam noluit restituere dicto testi; immo ad hoc vocatus coram capitulo Parisiensi ibidem negavit dictum debitum medio juramento, qui cancellarius eidem qui loquitur antea dixerat, quod plus lucratus fuerat in dicto officio, quam dicte expense ascendebant, volens sic compensare, ut eidem testi videtur, lucrum quod ex dicto officio volebat habere a dicto notario, cum ipsis expensis, invito tamen teste predicto ..

xiiij[6]. Magister Thomas de Baucuria, magister in artibus alias juratus, interrogatus super infrascriptis capitulis, et primo super [lxij°], aliis missuris de voluntate producentium, dixit et deposuit, verum esse quod semel ipse vidit in domo magistri Johannis Trouillet, pro tunc rectoris Universitatis, Thomam Claudum ejusdem (*sic*) canonici capelle regie palatii Parisiensis et petentem libro[s] suos a dicto rectore Et dictus rector dixit sibi talia verba, vel

in effectu similia : « Ego intercessi pro te, non ad requestam meam, sed ad requestam tuam, et tu vis habere libros quos michi dedisti in pignore? » Quos sibi restituere pro tunc recusavit. Et tunc, cum ipse qui loquitur perpenderet ex verbis predictis, quod dictus Claudus, qui fuerat paulo ante licenciatus in artibus, aliquid promiserat pro expeditione sua dicto rectore tractante, dixit dicto rectori, qui erat amicus suus, quod male factum erat, quod ipse esset mediator talium. Et audivit post quod dictus Thomas Claudus fecit citari coram officiali Parisiensi dictum rectorem pro recuperendo (*sic*) dictos libros suos, quos sic rehabuit, ut audivit a pluribus, de quorum nominibus non recordatur. Cetera contenta in dicto articulo dixit se ignorare, licet plura audiverit de contentis in dicto articulo a pluribus, de quorum nominibus non recordatur precise.

Item super lxviij° dixit, se nichil scire de scientia, tamen audivit bene dici omnia contenta in ipso articulo a pluribus, de quibus non recordatur, et in speciali audivit quod Richardus in articulo nominatus, cujus ipse qui loquitur noticiam habebat, quia erat suus socius in domo, erat sufficiens ad licenciam obtinendam secundum judicium ipsius qui loquitur. Cui idem qui loquitur dixerat, quod nullo modo examen Sancte Genovefe intraret, cujus examinis erat temptator et est, quia ipsum insufficientem reputabat. Et post obtinuit licentiam in examine Beate Marie, promissis duabus sargiis de Cadumo, licet ex post non solverat, ut audivit; sed a quibus audivit non recordatur....

xv. Magister Andreas de Gyaco, bachalarius in decretis juratus, etc., interrogatus super xxvj° articulo, deposuit quod dudum tres anni lapsi fuerunt circa festum Penthecostes preteritum, cum frater Guillelmus nominatus in dicto articulo, qui legerat per duos annos Parisius Bibliam antea, et qui propter infirmitatem impeditus fuerat legere[7] Sentencias secundum ordinem sibi debitum, propter quod opportuit eum impetrare bullas apostolicas prout audivit ipse qui loquitur a predicto fratre Guillelmo, ipse qui loquitur dicto fratri Guillelmo infirmo tanquam procurator ipsius fratris Guillelmi unacum dictis bullis accessit ad cancellarium, cui presentavit bullas, et dictus cancellarius sibi gratanter respondit quod faceret quicquid posset, dando sibi diem quod ad eum rediret et sibi responderet. Quiquidem qui loquitur hoc fecit, et pari modo sibi respondit, et ad aliam diem respondere prorogavit. Et pari modo per plures dietas ad eum et cum magnis dominis accessit, in tantum quod quia tantum differebat respondere, et appropinquabatur tempus in lecturam Sentenciarum, opportuit eum qui loquitur litteras regias et domini Burgondie, dicto cancellario propter hoc directas, et ducere multos milites et alios magnates dicto cancellario, ad finem quod sibi responderet. Qui semper gratanter respondebat, sed nichil faciebat. Quandoque tamen quando ipse qui loquitur solus erat cum cancellario, ipse cancellarius eundem qui loquitur increpabat, quia tantum infestabat eum. Tandem cum esset modicum tempus ante lecturam incipiendam, dictus cancellarius respondit quibusdam militibus, quod dictus frater Guillelmus habebat partem se contra eum opponentem, quia dicebatur male vite, propter quod volebat informari de vita ejus. Et ideo dictus cancellarius fecit unam informacionem super vita et fama dicti fratris Guillelmi cum xxxiij testibus, per eum qui loquitur pro dicto fratre Guillelmo productis; et cum predicta non prodessent ad expeditionem, ut ipsi qui loquitur videbatur, idem testis se traxit erga quendam familiarem dicti cancellarii, nomine Nicolaum, et bibit cum eo dando sibi unum francum, querendo consilium ab eo. Qui Nicolaus in crastinum sibi respondit quod opportebat solvere vinum cancellario. Et ideo illamet die[8] ille qui loquitur post prandium portavit in una bursa decem francos dicto cancellario in aula sua, quo ingrediente aulam dictus Nicolaus, qui factum sciebat, exivit aulam, et tunc idem qui loquitur presentavit bursam predictam dicto cancellario. Qua recepta computavit dictos francos, quibus computatis, eos et bursam sibi restituit dicendo hec verba vel alia similia : *Encore n'achappe-il pas de mes mains*. Et sic recessit ipse qui loquitur nichil faciendo. Deinde post duos dies vel tres dictus frater Guillelmus, qui erat in convalescentia, accessit ad cancellarium et sibi portavit xx^ti francos de consilio amicorum suorum, quos dictus cancellarius recepit, prout audivit a dicto fratre Guillelmo. Et nichilominus ipse qui loquitur scit bene, quod dictus frater Guillelmus portavit dictos xx^ti francos, quos eidem qui loquitur ostendit, et eum pro dicta causa asportavit usque ad domum dicti cancellarii; non tamen fuit presens quando eos sibi tradidit. Tamen scit quod in crastinum fuit expeditus, videlicet in vigilia Nativitatis beati Johannis. Preterea est verum quod post festum beati Remigii tunc sequens dictus frater Guillelmus, qui tunc legerat duos libros Sententiarum, impetravit a papa quod posset legere reliquos duos immediate post Natale Domini tunc sequens, et quando idem qui loquitur tanquam procurator dicti fratris Guillelmi presentavit bullas super hoc, dictus cancellarius dixit sibi post aliquos dies visis bullis, quod ipse non expediret eum[9], nisi haberet unam caudam vini sibi per dictum fratrem Guillelmum, ut dicebat, promissam, quam ipse qui loquitur emit et presentavit, et erat precii xv francorum....

xvj. Johannes de Austria, magister in artibus juratus, et interrogatus super infrascriptis articulis, et primo super xxiij° articulo, deposuit, verum esse quod fratres in ipso articulo nominati, tres anni sunt vel circiter, erant

sufficientes ad licenciandum secundum judicium loquentis[10], et scit bene quod volebant licenciari, et audivit ab ipsis quod cancellarius petebat ab ipsis unum pannum laneum de Brussellis; et quia dare noluerunt ipsum, licenciati non fuerunt. Alia contenta in dicto articulo dixit se ignorare.

Item super lviij° deposuit, verum esse quod ipse frequenter fuit in prandiis in quibus erant temptatores invitati ad expensas bachalariorum volencium licenciari in artibus, ut favorabilius expedirentur, et ipsemet qui loquitur ordinavit quandoque prandia pro scolaribus suis, in quibus prandiis intererat vicecancellarius in dicto articulo nominatus. Et est verum etiam quod ipse qui loquitur habebat unum scolarem nomine Johannem de Nassa, qui erat judicio ipsius loquentis sufficiens ad licenciam, et volebat licenciari, et fuit temptatus. Et post temptacionem suam deffunctus Radulphus condam bedellus artium nacionis Francie dixit dicto scolari, quod ipse non erat signatus, tractando quod daret uni officiariorum dicti cancellarii decem francos. Et credit ipse qui loquitur, quod volebat loqui de subcancellario, adiciendo quod ille officiarius se obligaret ad centum francos in casu quo non esset licenciatus, sicut idem scolaris premissa retulit eidem qui loquitur. Qui testis consuluit ipsi scolari, quod non daret ipsos decem francos, quia sperabat quod sine peccunia transiret. Et finaliter non transiit in illo temptamine, et credit bene firmiter, quod si dedisset dictos decem francos, quod transivisset, quia paulo post fuit licenciatus in Sancta Genovefa tanquam sufficiens. Et pari modo fuit de quodam scolari magistri Poncii cantoris Verdunensis, cujus scolaris nomen ignorat, sicut audivit a quibusdam qui audiverant a scolari predicto ut dicebant. Cetera contenta in dicto articulo dixit se ignorare.

Item super lviij° deposuit contenta in ipso articulo esse vera, salvo quod ille Richardus nominatus in dicto articulo non solvit omnes expensas navicule et prandiorum Bolonie Parve, de quibus fit mentio in dicto articulo, quia ipse qui loquitur et quilibet eorum qui fueront (*sic*) in societate preter dictos temptatores, solvit partem, licet dictus Richardus solveret majorem partem, sicut credit, reddens causam scientie quia fuit presens in dictis prandiis Bolonie et in pluribus aliis, sicut supra deposuit....

xvij. Magister Nicolaus de Vaudemonte, magister in artibus juratus, etc., interrogatus....

xviij. Magister Yvo Andreu, magister in artibus alias juratus, examinatus et interrogatus super xix° articulo, deposuit verum esse quod in audicione contenta in dicto articulo fuerunt vocati xx^{ti} bachalarii, quorum ipse qui loquitur erat unus, qui fecerunt collectam communem pro dando cancellario et vicecancellario, sed non recordatur quante summe fuit dicta collecta, nec recordatur quantum datum fuit pro cancellario, nec quantum pro subcancellario; tamen bene recordatur quod non solvit minus pro se ipso quam dimidium francum. Et quia erant duo pauperes, alii solverunt pro eis eorum ratam, sed non recordatur de rata. De qua collecta fuit data una pars Guillelmo nominato in dicto articulo pro cancellario, et alia pars subcancellario, prout Rolandus Ramier, qui levavit dictam collectam, retulit ipsi qui loquitur et aliis sociis suis. Et fuit facta dicta collecta et data ad finem quod citius expedirentur, alias non dedissent. Fuerant enim, antequam facerent dictam collectam, in camera per tres septimanas vel circa, et statim quod facta fuit dicta collecta et distribucio predicta, fuerunt expediti.

xviiij. Magister Nicolaus de Furno, magister in artibus alias juratus, etc., et interrogatus super xxj° articulo, deposuit, verum esse quod in audicione contenta in dicto articulo fuerunt vocati xx^{ti} bachalarii, quorum ipse qui loquitur fuit unus, et fecerunt collectam inter se de xx^{ti} francis, quorum quilibet solvit unum francum, et fuerunt dati decem subcancellario et alii decem familiaribus cancellarii, sicut premissa retulerunt levatores dicte collecte, videlicet Nicolaus de Vaudemonte et Nicolaus de Vaucellis [*i. e.* Vincellis]; sed ipse non fuit presens quando data fuit peccunia subcancellario vel familiaribus predictis. Tamen bene scit quod collectam fecerunt et solverunt ad finem quod citius expedirentur, quia alii de audicione precedenti similiter dederant predictis cancellario et subcancellario ut dicebatur. De rosis vero verum est, quod dictum fuit eis, quod male contentus erat cancellarius, quia unus eorum unam rosam ceperat in orto suo, et ideo sibi fuerunt data serta rosarum ut pacificaretur. Interrogatus si fuit presens, quando fuerunt data serta portata cancellario, dixit quod non, sed concordaverunt inter se quod ita fieret, et quod unus procuratorum sive levatorum aut collectorum predictorum ea portaret predicto cancellario, qui postea retulit quod ea portavit, et erant bene pulcra ut dicebat, pro quibus rosis fecerunt aliam collectam ascendentem ad unum francum....

xx. Magister Droco Raleg, magister in artibus juratus, etc., interrogatus super x^{mo} articulo, deposuit, se nichil aliud scire, nisi quod verum est quod anno tercio ipse voluit intrare temptamen Beate Marie, et accessit ad magistrum Flamingum, qui erat unus de temptatoribus et compatriota ipsius loquentis, rogans eum ut ipsum haberet recommendatum. Qui Flamingus quesivit ab eo si haberet peccuniam. Et ille qui loquitur respondit, quod non, nec ipse daret pro illo facto. Et tunc ipse Flamingus sibi respondit, quod ipse nichil faceret in temptamine nisi haberet peccuniam. Et hoc non obstante idem qui loquitur ivit ad dictum temptamen, ubi fuit examinatus, sed

non fuit postea vocatus ad cameram ut est moris. Interrogatus si scit causam quare non fuit vocatus, respondit se nescire; tamen credit quod si voluisset dare, fuisset vocatus, et habuisset locum sicut alii, reddens causam sue credulitatis, quia predictus Flamingus dixerat sibi verba predicta, subjungens quod fuit licenciatus eodem tempore in Sancta Genovefa Cetera in dicto articulo contenta dixit se ignorare, nisi prout fama publica est de contentis in ipsis in vico Straminum....

xxj. Item magister STEPHANUS DE CALVOMONTE, magister in artibus et in theologia juratus, etc., interrogatus super decimo articulo deposuit, se alias deposuisse coram deputatis Universitatis super materia discensionis orte inter Universitatem et cancellarium, ad quam depositionem se refert, petens eam sibi legi, ut inde deponere valeat secundum quod noverit et memoriam habuerit de contentis in ipsa. Cuiquidem testi sic requirenti fuit lecta quedam scriptura, que dicebatur per producentem esse deposicio dicti testis. Cujus tenor talis est, videlicet :

« Venerabilis vir magister Stephanus de Calvomonte, magister in artibus et theologia, deposuit, audivisse quod frater Guillelmus de Roseriis dedit cancellario unam caudam vini de Belna, prout ipse frater Guillelmus ut dixit bene sciet deponere. Item et quia relatum erat deponenti de uno religioso, quod dederat centum francos, ivit ad eum[11] et peciit si erat verum, cum diceretur publice. Cui cancellarius respondit cum juramento, quod non erat verum. Et postmodum ipse deponens ivit ad illum qui dicebatur dedisse, quem nominare noluit quia habebat in confessione, et modo simili premissa exponens sibi ille religiosus respondit, quod non dederat quartam partem illorum centum francorum. Item et dixit de Augustinensi in ultimo loco anno presenti licenciato, quod de eo dixit in plena congregatione dicte facultatis, quod nunquam deposuerat, de quo male contentabatur et contentatur; et de pluribus aliis credit quod non deposuerit nec deponere fuit requisitus Et quod in conscientia credit, quod dominus cancellarius non ordinaverit de locis licenciatorum prout credebat ordinari debere, quamvis, ut asserit, ipse dominus cancellarius sit bonus et prudens in talibus et multo majoribus. Item et audivit quod magister Johannes Solatii pulsatus fuit ad dandum peccunias, ac credit quod si dedisset, licenciatus fuisset, cum tamen ut credit sit bonus et sufficiens moribus et scientia, et eum sciens esse talem et bachalarium suum, presentavit domino cancellario pro licencia obtinenda; tamen injuste fuit requisitus[12]. Et de magistro Johanne de Quercu dixit, quod magnum scandalum fuit de facto suo, cum fuerit impeditus in magisterio post vesperias, et propter cupiditatem peccuniarum. Interrogatus etiam de facultate artium, audivit quod abusiones et corruptiones fuerunt. Et credit quod de hoc et premissis omnibus et singulis per eum depositis sit fama publica. Dixitque male factum esse quod non legatur bachalariis in artibus, qui debent licenciari, bulla que facit mentionem de informacione et inhibitione abusuum in ipsa facultate artium, quia audivit quod non legitur, sicut fuerat alias consuetum; et credit quod si fuisset lecta, bachalarii se precavissent de dando, etc. Et in ceteris interrogatus dixit se nichil aliud scire nec audivisse. »

Qua sibi lecta et per eum intellecta deposuit dictam scripturam fore deposicionem suam predictam, nichil addito, nichil remoto, salvo quod in parte in qua facit mentionem de magistro Johanne Solacii, ibi ubi habetur, « tamen injuste fuit requisitus », debet esse : « tamen injuste fuit repulsus », ut ipse credit. Et ibi ubi fit mentio de magistro Johanne de Quercu, ubi dicitur « cum fuerit impeditus in magisterio », declarat ipse qui loquitur, quod non fuit totaliter impeditus in magisterio, quia finali[ter] fuit factus magister; multas tamen molestias fecit sibi cancellarius antequam adhipisceretur magisterium, eo quia non dedit sibi peccunias, prout ipse qui loquitur audivit a dicto magistro Johanne de Quercu et a pluribus aliis. Interrogatus de nomine illius Augustini, de quo fit mencio in dicta deposicione sua, deposuit se non recordari. Interrogatus quare credit quod plures licenciati fuerunt per cancellarium, de quibus ipse qui loquitur non deposuit, respondit quod pro eo credit, quia quando ipse fuit interrogatus in ultimo jubileo de licenciandis, debuit interrogari singulariter de quolibet licenciando super iiij^or punctis examinis ut moris est, et tamen in modico spacio dictus cancellarius fecit interrogationes ipsi qui loquitur, quia tempus erat hyemale, pluviosum et serotinum, et in tam modico spacio secundum judicium ipsius loquentis non potuerunt fieri interrogationes et responsiones sufficienter per eundem qui loquitur de xvj bachalariis, qui tunc fuerunt licenciati, prout credit, et quia audivit a pluribus aliis magistris quod non fuerunt interrogati sufficienter de pluribus bachalariis. Interrogatus quid continet illa bulla quam deposuit fore legendam bachalariis in artibus, dixit quod continet inter cetera substantialiter, quod bachalarii jurent se nichil daturos cancellario vel subcancellario aut ejus familie seu temptatoribus pro temptamine, examine et licencia, que bulla consuevit legi in principio examinis, reddens causam sue scientie, quia tempore quo fuit subcancellarius deffuncti magistri Johannis de Calore predecessoris dicti cancellarii, ipse qui loquitur vidit et legit frequenter dictam bullam, et toto tempore quo fuit vicecancellarius, lecta fuit bulla ipsa bachallariis ante tempus licencie, quod sicut supra deposuit hodiernis temporibus communiter non servatur, ut audivit....

xxij. Magister JOHANNES SILVESTRIS, magister in artibus et bachalarius in decretis juratus, etc., interrogatus super xiij° articulo, deposuit, verum esse quod in audicione contenta in dicto articulo fuerunt vocati xij, quorum ipse qui loquitur fuit unus, qui inter se concordaverunt quod facerent collectam usque ad vj francos, scilicet pro quolibet medium francum pro labore, pena et speciebus subcancellarii. Et ita factum fuit, non tamen interfuit in traditione dicte peccunie facta dicto subcancellario; audivit tamen dici a sociis qui fuerant ordinati ad portandum dictas peccunias, quod tradiderant dicto subcancellario vj francos. Interrogatus qui fuerunt ipsi portantes, respondit se non recordari. Interrogatus si ipse qui loquitur induxit alios de faciendo dictam collectam, respondit quod bene fuit locutus inter dictos socios suos, quod fieret dicta collecta, quia dicebatur ita fore consuetum; sed nescit utrum fuerit primus vel alius, nec morabatur tunc cum dicto subcancellario, ut in dicto articulo continetur; sed postea manserunt ad invicem. Interrogatus si fuit aliquid datum familiaribus dicti cancellarii, respondit se non recordari....

xxiij. Magister STEPHANUS LA CAILLE, clericus, notarius publicus curieque cancellarii ecclesie Parisiensis scriba juratus, etatis xxx annorum vel circa, productus, receptus et juratus, examinatus die xxvj^a Julii super octuagesimo primo articulo, etc., dixit et deposuit per suum juramentum diligenter requisitus, quod super dicto articulo scit ea que secuntur, videlicet quod audivit dici quod predecessor suus in officio, videlicet dominus Stephanus Boussardi, qui fuerat scriba dicti cancellarii, eidem domino cancellario solvebat certam peccunie quantitatem, sed nescit ipse qui loquitur summam. Dixit insuper ipse qui loquitur, quod magister Adam de Sancto Amando etiam fuit notarius ipsius cancellarii, et quod pluries audivit quod ipse dominus cancellarius volebat habere aliquam portionem ab eo, sed nunquam dictus magister Adam eam tradere voluit, et ob hoc dictus cancellarius ipsum a dicto officio licenciavit.

Dixit insuper quod quando ipse qui loquitur incepit esse scriba suus, bene dixit sibi ipse cancellarius, si vellet habere officium sui notarii et esse scriba suus, quod opportebat quod ipse cancellarius haberet et reciperet aliquod emolumentum a dicto officio, et tandem convenerunt quod super scriptura dicti testis loquentis ipse dominus cancellarius haberet xij francos auri quolibet anno, nec plus inde scit. Interrogatus quo tempore incepit dictum officium excercere, dixit quod credit quod sit quasi annus. Interrogatus de presentibus in premissis, dixit quod nullus fuit presens. Interrogatus si aliquid solvit de dicta promissione, dixit quod nichil solvit nec aliquid petitum fuit ab eo. Postea interrogatus a quibus predicta audivit dici, que deposuit audivisse, dixit per suum juramentum quod a dicto magistro Stephano, et a dicto magistro Adam....

xxiiij. Magister JOHANNES VALENTIS, magister in artibus alias juratus et examinatus....

xxv. Magister RICARDUS ROUSSELLI, alias juratus, examinatus super infrascriptis articulis....

xxvj. Magister JOHANNES DE MORAVIA, juratus, etc., examinatus... .

Item super lx° articulo deposuit, verum esse quod in audicione, in qua ipse fuit licenciatus, fuerunt dati iiij^or franci subcancellario a bachalariis illius audicionis per manus ipsius qui loquitur aliis sociis suis presentibus in vico Clausi Brunelli in domo, ubi tunc morabatur dictus vicecancellarius, ad quem omnes accesserunt cum capis....

xxvij. Magister ARNARDUS DE TRAJE[C]TO, magister in artibus, examinatus super xxij° articulo, precedentibus omissis de voluntate producentium, suo juramento deposuit, verum esse quod in tercia audicione quarti anni ipse qui loquitur et alii usque ad numerum xx^ti bachalariorum fuerunt vocati ad licenciam, et ipse qui loquitur et quidam alii, de quibus non recordatur, dixerunt ceteris eorum sociis, quod bonum esset quod facerent collectam pro dando aliquid cancellario, sicut fecerant alii de audicionibus precedentibus ad finem brevioris expedicionis. Qui in hoc condescenderunt et fecerunt collectam de xx^ti francis, de quibus fuerunt dati decem Guillelmo Roollini (*sic*) et Sigero familiaribus dicti cancellarii, de quibus octo debebant dari cancellario, ut ipsi familiares dicebant, et duo pro ipsis familiaribus. Plura dixit se nescire....

xxviij. Magister BUVINUS DE BONVILLA, magister in artibus, examinatus et interrogatus super infrascriptis capitulis et primo super decimo ipso sibi prius lecto, etc., deposuit verum esse quod anno preterito, cum ipse haberet unum scolarem vocatum ad licenciam, et ipse scolaris, licet sufficiens esset, timeret examen, ipse qui loquitur recommendavit eum magistro Petro vicecancellario, qui sibi respondit quod ipse faceret pro eo quicquid posset; et deinde ipse qui loquitur pro dicto suo scolari sine paccione predicto vicecancellario voluit dare peccuniam, et ipse vicecancellarius dixit quod nolebat peccuniam, sed quod sibi daret mediam alnam boni panni, quod et fecit de scallato valoris trium francorum. Deinde in tercia audicione habebat unum alium scolarem, qui fuit vocatus similiter ad licenciam, quem idem qui loquitur recommendavit dicto vicecancellario, timens de eo, quia erat impeditus in lingua, licet esset sufficiens; pro quo quando fuit vocatus ipse qui loquitur dedit dicto vicecancellario iiij^or francos.

ut eum haberet recommendatum; nulla tamen fuit facta paccio inter eos. De anno vero precedenti dictum annum habuit unum alium scolarem vocatum ad licenciam in tercia audicione, qui, prout eidem qui loquitur dictus scolaris retulit, dederat cancellario dimidiam libram confeccionum. Cetera alia contenta in dicto articulo dixit se ignorare, licet audiverit dici plura de contentis in eo a pluribus scolaribus ...

xxix. Magister Henricus Chicoti, magister in artibus juratus, etc., interrogatus super decimo, respondit verum esse quod ipse qui loquitur dedit nullo alio presente pro Petro de Marvilla, nepote decani de Longuion, antequam vocaretur ad licenciam, subcancellario iiij^or francos ad finem quod dictum Petrum haberet recommendatum.

Item dedit pro Johanne Tabernarii eidem vicecancellario ante vocationem pro causa simili iiij^or francos in ecclesia Parisiensi, nullo presente.

Item ipse qui loquitur promisit dare dicto vicecancellario decem francos ante vocationem pro Johanne de Reumonte, quia erat insufficiens, qui tamen expeditus non fuit, quia pater suus misit pro eo, et ideo ipse qui loquitur non solvit dictos decem francos nec fuerunt petiti ab eo, et etiam promiserat pro expedicione ejusdem magistris Flamingo et Johanni de Hokelen temptatoribus cuilibet duos francos, quos simili causa non solvit. Preterea dixit se interfuisse pluries in prandiis, in quibus temptatores invitati erant ad expedicionem scolarium examinandorum ut credit....

xxx. Magister Johannes Kaerloret, magister in theologia, testis juratus et interrogatus super infrascriptis capitulis et primo super xxv° articulo aliis omissis, etc., dixit et deposuit verum esse, quod fama publica est, quod cancellarius multos abusus commisit per se, familiares et officiales suos. Interrogatus de quibus abusibus et inter quas personas est dicta fama, respondet, quod fama est in Universitate quod aliquando preponit indigno[s] dignis pro peccunia, et quod pro licencia danda recipit peccunias a licenciandis tam in presentatione signetorum quam alias. Et est verum quod ipse qui loquitur, a quo dictus cancellarius requisivit ejus deposicionem de tribus licenciandis in facultate theologie, quorum unus erat Augustinensis, alius Ordinis Minorum, et de alio non recordatur, respondit dicto cancellario quod personas eorum non cognoscebat, quia non viderat eos facientes aliquos actus in facultate solitos fieri ante licenciam, et propterea de eorum sufficientia deponere non poterat. Nichilominus tamen licenciati fuerunt. Si vero alii magistri requisiti fuerunt et deposuerunt de eorum sufficientia, ignorat, quia consueverunt deponere separatim et secrete. Audivit tamen ab aliquibus magistris, videlicet a magistro Johanne Trelon[13] magistro in theologia et ceteris aliis, de quibus non recordatur, quod aliqui fuerunt licenciati, de quibus ipsi non deposuerunt, licet debeant omnes magistri in theologia tam regentes quam non regentes existentes Parisius interrogari per cancellarium de iiij^or punctis examinis, videlicet de scientia, de facondia, de vita et moribus, et spe proficiendi ex ordinacione antiqua papali[14] et observacione antiqua studii Parisiensis. Preterea quidam Ordinis Servitarum[15], qui fuerat bachalarius cancellarii predecessoris immediati dicti cancellarii moderni, post decessum dicti predecessoris elegit pro magistro magistrum Baldoynum; tamen modernus cancellarius voluit eum habere et de facto habuit sub se, dicendo in plena facultate, quando presentabantur bachalarii per facultatem, quod nunquam dictus religiosus transiret ad licenciam, nisi sub eo, quia fuerat bachalarius predecessoris sui. Et per istum modum coegit eum ad recipiendum gradum sub eo, licet de rigore et consuetudine dicte facultatis sit, quod bachalarii defficientibus magistris morte vel absentia possunt eligere quem volunt de regentibus. Insuper voluit impedire magistrum Yvonem de Lamederii[16] Ordinis Carmelitarum et magistrum Johannem de Quercu post licenciam obtentam[17], sed causam, quare, dixit se ignorare, nisi quod audivit quod aliqui promiserant et non attendebant promissa. Fuerunt tamen magistrati male graciis suis, quia facultas substinuit eos, cum nulla crimina sibi opponerentur, cum etiam cancellarius non valeat impedire magisterium post licenciam, nisi ostenderet justam causam, quare, quam non ostendit nec allegavit. Interrogatus de modo impedimenti, respondit quod post licenciam, quando licenciatus vult magistrari, magistrandus debet facere vesperias et assignare sibi dies per cancellarium et magistrum suum secundum ordinem licencie; quam assignacionem cancellarius recusabat facere, donec facultas ostendit sibi quod male faciebat. Ceterum audivit ab ore dicti cancellarii in plena facultate, quod habuerat unam caudam vini de Belna a quodam bachalario, qui volebat legere Sentencias qui erat Predicator et vocabatur frater Guillelmus de Roseriis, licet priusquam dicta cauda eidem data fuisset, dictus cancellarius, prout ipse qui loquitur certus est, substinebat partem quorundam impedientium dictum magistrum Guillelmum, ut apparebat eidem qui loquitur, in congregationibus facultatis, que facte fuerunt multe propter dictum impedimentum....

Item super xliiij°, aliis omissis ut supra, respondit verum esse quod ipse qui loquitur audivit a magistro Johanne de Karolay, canonico Parisiensi, sub quo dictus magister Yvo fuit magistratus, quod in signeto dederat dicto cancellario xxiiij^or mutones auri, et nichilominus post signetum missum voluit ipsum impedire, sicut ipse qui loquitur certus est, quia vidit et audivit impedimenta dicti cancellarii, et suspicabatur per aliquos de facultate quod

illa impedimenta fierent, ut majorem peccuniam haberet. Et est certus etiam ipse qui loquitur, quod bullas reddere dicto magistro Yvoni nolebat, excusans se quod eas amiserat per Britones, qui fuerant ad domum suam hospitati, quando exercitus regius intravit Parisius veniendo de Flandria[18]. Interrogatus quomodo est certus, respondet quod ideo, quia dictus cancellarius fuit adjornatus in Parlamento pro restitutione dictarum bullarum, et ipse qui loquitur fuit frequenter presens coram commissariis datis per Parlamentum, audiendo controversiam, que super hoc fiebat. Plura dixit se nescire de contentis in dicto articulo, nisi prout supra deposuit....

xxxj. Magister Nicholaus Melambourc juratus, etc., examinatus....

xxxij. Magister Nicolaus Guernapin magister in artibus alias juratus, etc., et examinatus....

xxxiij. Magister Nicolaus de Vaudemonte alias juratus, etc., examinatus super xxj°....

xxxiiij. Magister Nicolaus Decani licenciatus in legibus, scolaris Parisiensis in jure canonico juratus, etc , examinatus super infrascriptis articulis et primo super decimo articulo, deposuit verum esse quod ipse fuit duobus annis vel circa cum cancellario ad expensas ipsius loquentis, dando sibi annuatim xx francos pro expensis. Quo tempore duorum annorum ipse vidit frequentissime portare dicto cancellario de vino, de pullis, perdicibus, cuniculis, caseis et pluribus aliis commestibilibus, tam pro parte bachalariorum, quam licenciandorum, quos nesciret nominare, quia non curabat a quibus mitterentur. Vidit etiam portari unam caudam vini Belne pro parte fratris Guillelmi de Roseriis; vidit etiam fieri prandia et cenas dicto cancellario, tam per bachalarios admittendos ad lecturam Sentenciarum, quam per licenciandos, de quorum nominibus non recordatur. De ceteris vero contentis in dicto articulo nesciret deponere de visu vel auditu proprio, quia dictus cancellarius nolebat in talibus aliquem de familiaribus suis esse presentem. Reddens causam sue depositionis quia audivit a fratre Guillelmo de Roseriis, quod cancellarius sibi inhibuerat, quod non loqueretur cum aliquibus de familiaribus suis; quod si faceret, factum suum impediret. Que verba vel in effectu similia audivit a pluribus, de quibus non recordatur. Audivit tamen pluries a pluribus fide dignis, tam bachalariis quam licenciandis, quod[19] cancellario dederunt peccunias, vasa argentea, et alia jocalia, ut citius expedirentur ad lecturam Sentenciarum et licenciam, et ut melius collocarentur in locis licencie. Et credit ita esse verum. Interrogatus de causa credencie, respondit quod audivit a fide dignis ut prefertur, et quia vidit penes ipsum cancellarium tasseas argenteas et coclearia, que non habebat ipse cancellarius ante ipsum officium assumptum, et scit ipse qui loquitur, quod dictus cancellarius ipsa vasa non emit. Interrogatus de causa, quomodo scit dictum cancellarium non emisse, respondit quia dictus cancellarius sufficientem vaxellam argenteam habebat, et quia ita communiter erat ipse testis cum ipso cancellario, quod non potuisset emere quin scivisset ipse testis. Preterea ipse testis deposuit se vidisse in jubileo proxime preterito certa die, de qua non recordatur, fratrem Guillelmum de Costa, Ord. frat. Min., cum uno mercatore Lombardo, cujus nomen ignorat, in domo dicti cancellarii, quibus ipse testis apperuit portam primam domus, ut intrarent ad dictum cancellarium, quos interrogavit intrando quid volebant, et tunc ipse frater Guillelmus dixit quod faciebat portari per dictum mercatorem dicto cancellario lx francos, ipseque testis dedit ingressum dicto mercatori ad presenciam dicti cancellarii in camera sua paramenti, quos ipse testis dimisit statim solos, quia presenciens materiam credebat dictum cancellarium nolle ipsum interesse. Interrogatus, si dictus frater Guillelmus erat tunc licenciatus vel licenciandus, respondit quod erat tunc licenciandus, et fuit paulo post licenciatus cum aliis. Interrogatus a quibus fide dignis audivit premissa, que deposuit audivisse, respondit se non recordari. Est tamen bene memor quod, dum erat in domo dicti cancellarii, frequenter familiares ad invicem de donis factis cancellario in secreto loquebantur, et ita esse tenebant ipsi familiares inter se firmiter, quia videbant licenciandos et bachalarios admittendos ad lecturam Sentenciarum sepe ingredientes ad dictum cancellarium, quantum poterant caute et secrete cum eo loquentes, et propter hoc quia ita secrete loqui volebant et erant acturi cum dicto cancellario, ipsi familiares suspicabantur, quod causa corruptionis si[c] caute et secrete ingrediebantur ad eum....

Item super xv° articulo deposuit, credere fore vera contenta in articulo pro eo, quia tempore sui servicii predicti nulla expediebatur audicio, in qua non daretur aliquid cancellario et familiaribus suis, ita quod quando unus de familia recipiebat peccunias, eas portabat cancellario, qui de eis quod volebat retinebat, et residuum mandabat distribui inter ipsos familiares, ut ipse ordinabat, et non equaliter. Interrogatus qui de familia recipiebat dictas peccunias et defferebat cancellario, dixit, quod Guillelmus Rolini (*sic*), qui adhuc moratur secum, et quandoque Sigerus consanguineus ipsius cancellarii..

Item super xvij° credit in articulo contenta fore vera, quia audivit a Sigero in dicto articulo nominato quod ipse tradidit dictos quinque francos cancellario; tamen ipse non habuit partem de duobus francis datis familiaribus. Credit tamen habuisse partem duorum dictorum quinque francorum quos cancellarius voluit inter ipsos familiares distribui, retentis sibi tribus. Interrogatus quot familiares erant, dixit quod erant communiter quinque, et aliquando

sex, qui omnes participabant in distribucione predictarum peccuniarum, non tamen equaliter ut supra deposuit, quorum familiarium qui tempore suo erant nomina sunt hec, videlicet Colardus de Leone Leodiens, dioc. scutifer, Guillelmus Rolins clericus, Sigerus Bar, consanguineus, ambo de Gandavo, dictus testis, et coquus, qui frequenter mutabatur....

Item super lxij° deposuit quod in primo jubileo Blanchechape et Radulphus nominati in ipso articulo presentaverunt cancellario dua[s] adaquarias argenti, quas cancellarius noluit recipere, quia sibi modicum videbatur; reddens causam deposicionis, quia ipse dedit consilium dictis bachalariis quod darent aliquid, et postea ipsi retulerunt sibi, quod refutaverat. Et fuerunt refutati ambo. Et postea ipse Blanchechape pro expeditione sua ad licenciam medicine dedit dicto cancellario prout ab eodem Blanchechape audivit x vel xij francos, et tunc fuit expeditus....

Quiquidem testes suprascripti fuerunt examinati per predictum magistrum Guillelmum de Gandiaco, decanum Ebroicensem, unacum predicto Guillelmo Symonelli notario publico et scriba hujus cause.

Item fuerunt subscripti testes examinati per religiosum et honestum virum fratrem Hugonem de Maigniaco, licenciatum in decretis, priorem Sancti Germani, ad hoc electum deputatum et commissum per predictum dominum cardinalem unacum predicto notario et scriba .. videlicet :

xxxv. Religiosus vir frater Evenus Boyc, Ord. Carmelit., studens Parisius, bachalarius formatus in theologia, de Britania oriundus, examinatus super xxv° articulo, aliis omissis, ipso tamen sibi prius lecto et per eum bene intellecto ut dicebat, dixit et deposuit ea que secuntur, videlicet quod sunt duo anni vel circa, magister Yvo dictus Lamadery de nacione Britanie, dum volebat licenciari in theologia, habuit multos impedientes, taliter quod pro tunc non potuit recipere dictum gradum suum, prout dixit ipsi testi, propter quod opportuit ipsum accedere ad partes suas pro querendo peccunias pro faciendo dictum factum suum sibi necessarias. Et dum reversus, apportavit centum francos vel circa, ut dixit ipsi testi. Et post paucos dies dixit eidem testi, quod non habebat peccunias. Et dictus testis peciit ab eo, quomodo sic cito expendiderat (*sic*) dictos centum francos, qui magister Yvo eidem respondit : « O frater, creditis quoniam opportuerit michi aliquid dare cancellario Parisiensi ». Alia die vero, dum reversus fuit de villa, ipse venit ad dictum testem totus calefactus, et ipse testis interrogavit eum quid habebat, qui respondit quod aliqui impediebant eum ad dictum gradum habendum; sed si deberet omnia bona sua vendere et pignorare ad dandum, si posset, ipse haberet optatum suum. Item alia vice dixit dicto testi, prout sibi testi videtur, quod tradiderat dicto cancellario xvj francos, et quod paraverat unam bursam cum duobus francis infra dictam bursam pro dando capellano dicti cancellarii, ut esset intercessor suus apud dictum cancellarium, et reportaret sibi nova de facto suo. Subjungens quod vidit sepissime ipse testis venire dictum capellanum ad dictum magistrum Yvonem. Interrogatus, si post traditionem dicte peccunie et burse fuit admissus ad dictam licenciam, dixit quod sic, si data fuit. Interrogatus quomodo scit, dixit quod vidit eum licenciari cum certis aliis. Interrogatus ubi fuerunt licenciati, dixit quod in aula episcopali Parisiensi.

Interrogatus quomodo vocatur capellanus dicti cancellarii, dixit quod ignorat nomen suum.

Interrogatus si sciret et sciat quod per cancellarium impediretur ante dationem dicte peccunie, respondit quod extimat quod sic, pro eo quia ante dacionem peccunie, si data fuit, dictus cancellarius responderat sibi dure, et postea fecit factum suum, non obstante quod haberet partem adversam fortem et appellantem. Interrogatus que erat illa pars, respondit quod magister Bernardus Cal[v]eti[20]....

xxxvj. Magister Nicolaus de Vincellis, magister in artibus, scolaris Parisius in decretis, de nacione Gallicana, testis alias juratus, interrogatus super xxj° articulo .... deposuit quod .... fecerunt unam collectam inter se de dando species cancellario et subcancellario, ut essent sibi grati.... In exitu camere dictus cancellarius regraciatus fuit eis dicendo quod fuerant boni juvenes et pacifici et sibi satis grati....

Interrogatus si aliquid dederunt familiaribus dicti cancellarii, dixit quod ita eis dederunt duos francos in exitu camere propter herbas et alia servicia eis impensa per eos in dicta camera, quodque ipsi familiares hoc retulerunt dicto cancellario, qui proinde fuit regraciatus eis dicendo : « Familiares mei bene contentantur de vobis »....

xxxvij. Frater Alnaldus Grelli de Ordine Minorum, doctor in theologia, conventualis per capitulum generale, de Burdegala oriundus etatis xxxviiij annorum vel circa ut videtur sibi, juratus, examinatus .... super xxv° deposuit .... fore verum quicquid continetur in dicto articulo. Interrogatus de causa scientie, dixit quod ipse cancellarius in plena congregacione facultatis in Sancto Maturino dixit, quod aliquos expedivit, de quibus non habuit assensum magistrorum. Interrogatus si nominavit aliquem, dixit quod nominavit unum Augustinensem, de cujus nomine non recordatur. Interrogatus si recordatur de tempore, dixit quod in expeditione ultimate facta. Interro-

gatus quos abusus et excessus scit dictum cancellarium commisisse, dixit quod non est aliquis magister qui non dederit sibi, sicut ipse audivit a multis qui dederant, et est fama communis, excepto uno qui fecit sibi unam trupham, qui vocatur in cognomine de Quercu, et habuit primum locum in prima sua rigorosa. Interrogatus qui sunt illi a quibus audivit, dixit quod audivit a secularibus et a religiosis, de quorum nominibus dixit non recordari ad presens. Interrogatus qualiter transmutavit loca, dixit quod secundum suam affectionem inordinatam preposuit multociens insufficientes sufficientibus in dando licenciam et secundum quod plus vel minus dabant sibi in bursis, prout sibi videbatur. Interrogatus si scit aliquem, qui dederit peccunias dicto cancellerio (*sic*), dixit quod ipsemet testis dedit xiiij francos, quando habuit signetum licencie, in una modica bursa, de quo fuit male contentus dictus cancellarius quia sic modicum dederat. Et scit quod omnes magistri dederunt, secundum quod est vox communis et fama et totum notorium in civitate et Universitate et locis Paris. Interrogatus quid est notorium et fama, dixit quod est notorium et fama id, quod a majori id est a nobiliori parte tocius Universitatis dicitur. Interrogatus qualiter scit quod aliquos bachalarios et licenciatos dictus cancellarius co[e]gerit ad recipiendum gradum sub ipso, respondit quod audivit sub juramento a quibusdam, quorum nomina tacet propter juramentum factum per eum de non revelando. Interrogatus si audivit minas vel preces factas per dictum cancellarium, dixit quod sic audivit dici a quodam bachalario in theologia, cujus nomen tacet propter causam predictam, cui dictum fuit per dictum cancellarium, quod si magistraretur sub illo, sub quo debebat magistrari secundum consuetudinem, esset suspicio mala, quia tandiu retardavit magistrari propter Bartholomeum, et quia erat aliqualiter suspectus secundum quod dicebat cancellarius; unde videns bachalarius ipse quod impediebatur, aquievit sibi et fuit magistratus sub eo Immo audivit dictus testis qui loquitur a dicto bachalario ista verba, excusando se magistro qui debebat eum magistrare, videlicet : « Videns ego quod non poteram habere partem cum cancellario, aquievi sibi », et fuit postmodum magistratus sub dicto cancellario, ut ipse testis vidit....

Item super lv° dixit dictus testis quod dictus cancellarius datis dextris dixit dicto testi, quod non licenciaret aliquos, quos postea licenciavit, videlicet magistrum Adam et magistrum Johannem de Atigniaco. Item dixit quod magister Yvo Lamedery fuit admissus ad licenciam contra voluntatem majoris partis magistrorum dicte facultatis, et ipse testis fuit unus de contradicentibus et de assistentibus in dicta congregatione. Et est verum quod fuit prepositus multis aliis bachalariis dignioribus illo, et est verum quod istud fuit contra usum, stilum et consuetudinem dicte facultatis. Interrogatus si cancellarius debet licenciare aliquem sine deposicione magistrorum facultatis, dixit quod non secundum bullam cancellarii, morem et ritum facultatis, et ita vidit fieri, videlicet per deposicionem magistrorum....

xxxviij Johannes de Londa, magister in artibus nacionis Normanie, etatis xxvj annorum vel circa, prout dixit, Parisius actu regens in facultate artium, examinatus super lxviij° articulo, deposuit, se nichil aliud scire de contentis in dicto articulo, nisi quod anno preterito in domo *ad intersignium turboti* in vico, ubi est ecclesia Sancti Juliani Pauperis Parisius, ipse fuit presens in dicta domo ubi fa[c]tum fuit unum prandium, in quo erant subcancellarius, magister Guillelmus Gorren et magister Flamingus du Martroy temptatores; et magister Johannes Belot, tunc bachalarius in artibus temptatus et nondum vocatus ad licenciam, solvit omnes expensas que fuerunt facte in dicto prandio. Interrogatus ad quam summam poterant ascendere expense predicte, dixit quod prout videtur expe[n]debat bene tres francos, quia erat tempus quadragesimale....

xxxix. Magister Philippus de Goutulis, Ordinis Carmelitarum, magister in theologia de nacione Lombardie etatis xl annorum vel circa, actu regens Parisius in theologia, examinatus. ..

Item super liij° deposuit, verum esse quod ipse misit in una bursa modica circa xix vel xx francos cancellario pro signeto. Interrogatus cui tradidit, dixit quod tradidit cuidam familiari dicti cancellarii, qui portabat signetum dicens, quod plus misisset si plus habuisset, propter curialitatem quam fecit sibi. Interrogatus si fuit presentatus per magistros, dixit quod ita. Interrogatus si dedit ne impediretur in licencia danda sibi, dixit quod non, sed quia de more sui Ordinis est quod mittantur sibi peccunie quando mittit signetum, videlicet ad minus xv franci pro cancellario, duo pro clerico et unus pro coco. Requisitus si scit quod dicta peccunia venerit ad manus dicti cancellarii vel ne, credit quod sic. Interrogatus si fuit per cancellarium regraciatus, dixit quod non in specie, sed in genere cum aliis fuit regraciatus....

xl Magister Jacobus de Moreyo, doctor in theologia, inquisitor heretice pravitatis, Ordinis Predicatorum, nacionis Burgondie, etatis l annorum vel circa, examinatus super xxv°, xxvj, xxvij articulis, deposuit ... dictus testis quod aliqui bachalarii sufficientes, licet haberent bullas, fuerunt impediti et retardati per dictum cancellarium. Interrogatus si recordatur de nominibus aliquorum retardatorum, dixit quod sic de fratre Viviano et de quibusdam aliis, de quorum nominibus ad presens non recordatur. Interrogatus de causa retardacionis hujusmodi, credit

quod fiebat ad finem habendi peccunias vel ad fovendum partes in religionibus, et ad substinendam unam partem et ad deprimendam aliam, vel propter utrumque. Interrogatus si dictus cancellarius expedivit aliquos bachalarios ad licenciam, de quibus magistri non deposuerint, dixit quod aliqui fuerunt expediti ultimo anno expeditionis rigorose, de quibus ipse testis ut magister non deposuit quod expedirentur, sed dixit quod adhuc expectarent illo anno et usque ad aliam expeditionem; et tamen illomet anno[21] hoc non obstante fuerunt expediti per dictum cancellarium aliqui. Interrogatus qui fuerunt, respondit quod videtur sibi quod fuerunt quidam frater Minor et quidam Augustinensis, de quorum nominibus non recordatur. Interrogatus si illi dederunt peccunias pro expedicione sua, dixit quod communiter dicebatur, et ipse testis credit quod sic; sed quantitatem ignorat. Interrogatus si scit quod induxerit aliquem ad recipiendum gradum bachalariatus vel magistratus sub ipso, dixit quod sic, prout audivit dici de magistro Egidio de Campis....

xlj. Magister Johannes Thome Ordinis Predicatorum, doctor in theologia, etatis lij annorum vel circa, dioc. Senonensis, actu regens Parisius in theologia, examinatus super xxv° articulo, dixit quod cancellarius in ultimo jubileo aliquos in facultate theologie non requisitis omnibus magistris aliquos ad licenciam admisit, videlicet magistrum Johannem de Attigniaco Ordinis Minorum et unum Augustinensem de conventu Rothomagensi, cujus nomen ignorat. Requisitus qualiter scit quod omnes non fuerunt requisiti, dixit quod pro eo quod ipse non fuit requisitus, et etiam a pluribus aliis magistris audivit quod ipsi minime fuerant requisiti. Requisitus qui sunt illi, dixit quod a magistro Jacobo de Morey et a pluribus aliis, de quorum nominibus non recordatur. Dixit etiam dictus testis quod ipse audivit dici a pluribus, quod dictus cancellarius dixerat palam et publice quod ipse licenciaret eos et alios, quos vellet, magistris dicte facultatis minime requisitis. Et de istis verbis per ipsum prolatis est publica vox et fama. Interrogatus si scit quod predicti et alii licenciati per dictum cancellarium dederint aliquam peccuniam pro dicta licencia, dixit quod sic, prout a dictis licenciatis audivit dici, et de hoc etiam est publica vox et fama. Interrogatus de quantitate peccunie, dixit se nichil scire. Interrogatus si scit aliquos alios admissos per dictum cancellarium per peccunias, dixit quod sic magistrum Johannem de Quercu, qui sibi promisit centum francos, de quibus partem tradidit; et quia non tradebat totum, voluit tandem ipsum impedire ad magisterium, prout omnia ista dictus magister Johannes de Quercu dicto testi dixit, et de hoc etiam est fama publica. Dixit etiam quod magister Egidius de Campis fuit inductus per dictum cancellarium precibus et minis ad recipiendum gradum licencie sub ipso. Interrogatus quomodo scit, dixit pro eo quod est totum publicum in Universitate....

xlij. Magister Herveus Sulven, magister in artibus et in theologia et actu regens Parisius in theologia, de Britania, etatis xlv annorum vel circa, examinatus super xxv° articulo, deposuit audivisse dici ab aliquibus fratribus, quod dictus cancellarius ab ipsis habuerat aliquas summas peccuniarum, quas ei dederant ne ipsos impediret ad lecturam Sentenciarum. Requisitus a quibus audivit, dixit quod audivit a fratre Guillelmo de Roseriis, Ord. Predicat., qui dicebat sibi dedisse unam caudam vini de Belna et certas peccunias, ut sibi testi videtur, et etiam a fratre Johanne Viviani, bachalario de Ordine predicto, quod dederat certas peccunias, sed ignorat quantitatem. Interrogatus si citius fuerunt admissi ad lecturam post dictam dacionem, dixit quod credit quod sic. Item dixit dictus testis, quod aliqui fuerunt admissi de quibus non fuerat datum verbum in congregacione generali facultatis theologie, facta per cancellarium, ubi licenciandi solent recommendari in publico. Requisitus qui sunt illi qui dicto modo fuerunt admissi, dixit quod duo Minores, unus Augustinensis, videlicet magister Adam d'Ay et magister Johannes de Attigniaco Minores, nomen vero dicti Augustinensis ignorat; tamen verum est quod pro dicto Augustinensi non deposuit ipse testis magister. Et etiam audivit ab aliis magistris quod non deposuerant pro ipso, immo quando fuit vocatus in aula episcopali Parisiensi, multi magistri fuerunt proinde admirati. Interrogatus si dictus cancellarius habuit peccunias a predictis, dixit se nichil scire, nisi de auditu a pluribus, de quorum nominibus non recordatur. Interrogatus quare fuerunt sic vocati et admissi sine deposicionibus magistrorum, dixit se nichil veraciter scire, tamen credit quod propter peccunias. Interrogatus si audivit dici quantitatem peccuniarum datarum dicto cancellario, dixit quod bene audivit dici, sed de presenti non recordatur....

Item super lj° dixit, verum esse quod dictus electus in receptione signeti sui misit cancellario centum francos per clericum dicti cancellarii, cujus nomen ignorat, et erat presens in traditione dicte peccunie, et credit quod cancellarius habuit; tamen non intervenit pactum, immo liberaliter sibi misit. ut ipse testis credit. Et fuit solus licenciatus, et fuit licenciatus de voto majoris partis magistrorum dicte facultatis, licet aliqui tamen contradixerunt, quia nolebant quod fieret expedicio pro uno solo Et credit quod non expedivit eum tunc solum, nisi propter spem peccunie habende....

xliij. Magister Johannes de Guignicourt, magister in artibus et bachalarius in theologia, studens Parisius de nacione Francie, etatis xl annorum vel circa, examinatus super x° articulo, dixit verum esse quod cancellarius et

vicecancellarius gratis et liberaliter sine exactione aliquali tenentur licenciare bachalarios sufficientes in quacunque facultate; tamen dixit dictus testis quod[22], post traditionem signeti bachalariorum in artibus licenciandorum et post depositionem vicecancellarii et iiij^or magistrorum de licencia et locis dictorum magistrorum, dicti bachalarii per modum audicionis in communi bene soliti sunt dare vicecancellario sponte sua pro labore collacionis duos vel tres francos pro vino seu speciebus. Interrogatus quare premissa scit, dixit quod exercuit officium subcancellarii duobus annis de tempore condam magistri Johannis de Calore, et quod modo premisso fuit sibi datum aliquociens.

Item super xxv° et xlv° dixit se nichil aliud scire, nisi quod magister Johannes de Quercu post licenciam fuit impeditus per cancellarium a magisterio pro certa die sibi assignata pro aula; et postmodum fuit sibi alia dies assignata, qua die fuit magistratus, alio pro cancellario tenente aulam. Interrogatus si, quando fuit licenciatus, habuit primum locum, dixit quod sic, prout dictus testis vidit....

xliiij. Magister Johannes Luqueti, magister in artibus et bachalarius in theologia, studens Parisius, de nacione Francie, etatis xxx annorum vel circa, examinatus super lviij° articulo, deposuit quod audivit dici a pluribus et etiam a dicto subcancellario quod ipse receperat aliquociens aliquas peccunias a pluribus audicionibus in communi pro speciebus, sed hoc erat pro pena et labore collacionis, quam faciebat dictis licenciandis ut est moris, sed hoc erat liberaliter et sine inductione aliquali. Interrogatus si scit ipsum vicecancellarium impedisse aliquos, ut haberet peccunias, dixit se nichil scire. Interrogatus si scit vel audiverit dici quod dictus subcancellarius receperit aliqua munera vel dona pro licenciando vel expediendo aliquem, dixit quod audivit a pluribus quod sic, sed de aliquo facto singulari non recordatur, et dicitur communiter ipsum esse de predictis abusibus diffamatum. Interrogatus diligenter super aliis contentis in dicto articulo, dixit se nichil scire....

xlv. Magister Baldoynus Agni, doctor in theologia Parisius actu regens, nacionis Picardie, etatis xliij annorum vel circa, examinatus super liiij° articulo, dixit verum esse quod magister Johannes de Ordine Servitarum fuit magistratus sub dicto cancellario, qui dictus magister Johannes erat et fuit bachalarius dicti testis post mortem alterius cancellarii predecessoris istius. Interrogatus si dictus cancellarius induxit dictum Servitam ad recipiendum dictum gradum sub ipso, dixit se nichil scire nisi quod pluries dictus cancellarius dixit dicto Servite et sibi testi loquenti et etiam aliis magistris et bachalariis facultatis theologie, quod non expediret dictum Servitam, nisi inciperet sub eo, asserens dictus cancellarius, quod de consuetudine et statuto Ordinis Servitarum hujusmodi Servite habent incipere sub cancellario. Interrogatus si predicta fuerunt facta de consensu dicti testis, dixit quod nunquam consensit vel renunciavit juri suo, sed dissimulavit ne dictus Servita licencia f[r]ustraretur. Interrogatus si dictus Servita dederit peccunias cancellario, dixit se nichil scire.

xlvj. Magister Guillelmus Gorren, magister in artibus et bachalarius in theologia, de nacione Normanie studens Parisius, etatis xxxij annorum vel circa, examinatus super x° articulo, dixit de contentis in ipso tantum scire, videlicet quod dictus cancellarius absque exactione peccunie vel alterius doni tenetur recipere seu admittere ad licenciam bachalarios in qualibet facultate, et in facultate artium etiam absque receptione, posito quod grataner offerretur sibi a licenciandis; in aliis vero facultatibus consuevit cancellarius recipere illud, quod sibi gratis offertur pro [s]igneto ante licenciam. Interrogatus quomodo hoc scit, dixit quod vidit contineri in privilegio Urbani quinti. Et hoc quantum ad artistas. Quantum ad alios vidit quod dabatur aliquid in presentatione signeti dicto cancellario pro aliquo licenciandorum, de quorum nominibus ad presens non recordatur. Interrogatus si scit, quod aliqui artiste dederint aliquid cancellario vel subcancellario, dixit quod audivit dici quod illi de prima, secunda et tercia audicionibus tercii anni, dederunt familiaribus dicti cancellarii pro ipso cancellario, ut dicebant, unam partem peccunie, et aliam subcancellario. Interrogatus a quibus audivit, dixit quod audivit a bachalariis sistentibus in dictis audicionibus. Interrogatus quare dicebant dedisse dictas peccunias, dixit quod dicebant, quod subcancellario dabant pro speciebus et pro pena et labore, et familiaribus dicti cancellarii tradebant infestati per eos ut citius expedirentur. Interrogatus de quantitate peccunie, dixit quod in una audicione dederunt decem francos familiaribus dicti cancellarii, videlicet Sigero et Guillelmo, et alios decem dicto vicecancellario, et in alia audicione familiaribus cancellarii quinque et subcancellario quinque; de alia audicione non recordatur quantum dederunt. Interrogatus si scit aliquos abusus commissos fuisse per dictum cancellarium, dixit quod audivit dici a quodam, de cujus nomine non recordatur, quod dictus cancellarius habuit ab uno licenciando in medicina, videlicet a magistro Thoma Blanchechape, quinque francos vel valorem. Interrogatus ad quem finem dabat, dixit quod ad finem quod non impediretur a cancellario, et postea per dictum cancellarium fuit admissus ad dictam licenciam. Item dixit se audivisse dici, quod dictus cancellarius recepit decem francos a quodam Predicatore, ad finem quod expediretur honestius de quadam revocacione cujusdam propositionis per eum facte[23], et etiam ut posset continuare lecturam suam Sentenciarum, in qua lectura impediebatur per cancellarium et facultatem; et post dacionem continuavit

dictam lecturam. Interrogatus si hoc fuit propter donum predictum, dixit se nichil scire. Interrogatus a quibus audivit premissa dici, dixit quod a quadam muliere, filia spirituali dicti fratris. Interrogatus si dictus cancellarius est notatus et diffamatus de contentis in dicto articulo, dixit quod sic inter magistros facultatum Universitatis, et multociens audivit loqui ipse testis de dictis abusibus.

Item super xj° et xij° articulis dixit quod audivit dici a pluribus, quod magister Flamingus du Martroy dedit xvj francos magistro Johanni de Augia, ut sibi dimitteret officium suum temptaminis, subjungens quod de hoc est commune dictum in facultate artium. Interrogatus si dictus Flamingus dedit aliquid pro dicto officio dicto cancellario, dixit se nichil scire. Dixit etiam quod audivit dici a pluribus, quod magister Nicolaus de Vaudemonte pro dicto officio temptaminis dedit dicto cancellario xl vel l francos. Interrogatus si recordatur de nominibus dicentium sibi, dixit quod non. Requisitus si de hoc est commune dictum in facultate artium, dixit quod sic a tempore, quo rector et Universitas inceperunt facere informacionem de istis abusibus

Item super xiij°-xxij se non recordari, vel nichil scire.

xlvij. Rolandus Ramier, magister in artibus, studens in theologia Parisius, nacionis Normanie, etatis xxij annorum vel circa, examinatus....

xlviij. Magister Thomas de Borvilla, magister in artibus, studens Parisius, de nacione Gallicana, xxvj annorum vel circa, examinatus. ...

Item super lviij° et lxij° dixit quod primo anno quo cancellarius habuit possessionem cancellariatus, dictus testis voluit intrare examen licencie in artibus, et venit primo ad subcancellarium, videlicet ad magistrum Petrum Plaul causa recommendandi se sibi. Quiquidem subcancellarius dixit sibi, quod non esset licenciatus, nisi daret sibi xx^{ti} francos. Et dictus testis dixit sibi, quod non habebat eos. Et tunc dictus subcancellarius dixit eidem testi, quod traderet sibi bona pignora usque ad dictum valorem, quia habebat unum avunculum divitem. Et dictus testis dixit sibi, quod de presenti non poterat dare dicta pignora. Et sic recessit ab eo. Et deinde post tres dies venit ad dictum testem quidam magister Johannes Troullet, qui dicebat se esse procuratorem dicti subcancellarii, et locuti fuerunt ad invicem de dicta materia. Et finaliter dictus Johannes Troulleti promisit dicto testi, quod si se obligaret erga ipsum in dictis xx^{ti} francis pro dicto subcancellario, ipse faceret ipsum expedire ad dictam licenciam, alias non expediturus, ut mandabat sibi dictus subcancellarius Quiquidem testis ad redimendum vexationem suam obligavit se in dictis xx^{ti} francis, et tradidit pignora, videlicet quosdam libros vocatos *Questiones phisicorum* et *Questiones metafisice* et *Abreviata phisicorum* et *Sophismata Alberti* et unum instrumentum vocatum psalterium. Et facta hujusmodi obligacione cum dacione predictorum pignorum tercia die sequenti dictus subcancellarius mandavit pro dicto teste, ut veniret ad ipsum. Quo veniente, dictus subcancellarius fuit multum letus, et fecit sibi bonum vultum, et regraciatus fuit sibi de dicta obligacione et dacione pignorum. Et tunc ipse testis recommendavit se sibi. Qui respondit quod haberet ipsum bene recommendatum, et quod haberet bonam spem. Interrogatus, si fuit postea licenciatus, dixit quod sic in illa audicione, de qua locutus est supra in articulo xvj° [*scil.* de 4ta an. primi]. Interrogatus si solvit dictos xx^{ti} francos, dixit quod non, immo dicta pignora sua ante licenciam suam recuperavit. Interrogatus, quomodo recuperavit dicta pignora sine solucione, dixit quod ipse fecit minari dictos subcancellarium et magistrum Johannem procuratorem suum ad verberandum per iiij^{or} armigeros, qui erant cum eo, et eciam minatus fuit eos ipsemet testis de revelando dictum factum et dictam barratariam[24] coram Universitate. Unde metu premissorum dicti subcancellarius et magister Johannes restituerunt sibi pignora sua. Requisitus quomodo fuit licenciatus, ex quo non adimpleverat promissum dicto subcancellario, dixit quod eo, quia dictus subcancellarius non fuit presens quando ipse et alii socii sui fuerunt licenciati. Immo quidam alter, cujus nomen ignorat ad presens, tunc tenebat ibidem locum suum. Interrogatus si scit alios abusus commissos fuisse per dictum subcancellarium, dixit se audivisse dici, quod alia vice quidam magister Petrus, de cujus cognomine non recordatur, obligavit se dicto subcancellario in summa xv francorum pro licencia obtinenda in facultate artium, prout idem magister Petrus eidem testi retulit. Interrogatus si solvit dictam peccuniam, dixit quod non, immo dictus magister Petrus dictum subcancellarium quadam die in vico Sarbone optime verberavit, prout hoc audivit a dicto magistro Petro, et est totum commune in Universitate Parisiensi. Interrogatus si de aliis contentis in dicto articulo ipse subcancellarius est diffamatus, dixit quod sic inter illos de Universitate ...

xlix. Petrus de Marvilla, magister in artibus de nacione Francie, studens Parisius in medicina, etatis xxij annorum vel circa, interrogatus....

l. Magister Johannes Troulleti, magister in artibus, studens Parisius in theologia, de natione Picardie, etatis xxxij annorum vel circa, interrogatus super lviiij° et lxij°, dixit quod de contentis in dicto articulo est commune dictum inter illos de Universitate, et nichil scit aliud super contentis in dicto articulo.

Item super lxijº dixit quod nunquam se obligavit dicto subcancellario, ut in dicto articulo continetur, nec alicui alii pro dicto Thoma. Verum est tamen, quod quadam die dictus magister Thomas in ipso articulo nominatus venit ad ipsum testem, et retulit sibi quod ipse se obligaverat in certa summa, de qua non recordatur, tradenda dicto subcancellario. Interrogatus qua causa dicebat dictus magister Thomas fecisse dictam obligacionem, dixit se nichil scire. Interrogatus si recepit aliqua pignora pro dicta obligacione, dixit quod non; sed verum est quod ante dictam obligacionem ipse miserat in domo sua certos libros logicales et philosophicales cun uno instrumento vocato psalterium. Requisitus ad quid miserat dictos libros et psalterium, dixit quod depositati erant per subcancellarium, et alias dixit se nichil scire. Interrogatus si tempore quo misit dictos libros et tempore dicte obligacionis erat licenciatus dictus magister Thomas, dixit quod non. Interrogatus si postea fuit licenciatus, dixit quod sic, quasi per duos menses post. Interrogatus si restituit sibi dictos libros, dixit quod sic ad mandatum subcancellarii. Requisitus quare voluit habere mandatum dicti subcancellarii, dixit quod pro eo quia libri ipsi erant penes eum depositati pro dicto subcancellario; sed pro qua summa et pro qua causa ignorat. Requisitus si solvit aliquid dictus magister Thomas, credit, quia audivit dici a dicto magistro Thoma, quod nichil solverat dicto subcancellario, ymo ipsum trumpaverat[25]...

lj. Magister STEPHANUS BOUSSARDI, notarius auctoritate apostolica et capituli ecclesie Parisiensis, dioc. Autissiodorens., etatis xxix annorum vel circa, examinatus super lxxxjº articulo, dixit verum esse quod iiij^or anni sunt elapsi vel circa, quidam amicus suus tractavit cum eo ut esset notarius cancellarii eccl. Paris. Et post aliqua verba dictus amicus consuluit sibi, quod iret ad loquendum cum dicto cancellario. Quod fecit, et ipso cum dicto cancellario sistente inceperunt loqui de materia predicta, et finaliter dixit sibi cancellarius, quod placebat sibi quod esset notarius suus. Sed ipse volebat partem lucri sui officii quia, cum esset executor privilegii quinquennalis Universitatis, multa posset lucrari in dicto officio, et non erat magnum quid, si ipse petebat et recipiebat partem lucri dicti officii, cum in curia Romana multi auditorent (*sic*) in lucro suorum notariorum. Quiquidem testis, qui noviter venerat de curia et non erat multum dives, acceptavit dictum officium, et promisit sibi facere partem juxta quantitatem lucri ipsius officii. Et sic stetit cum dicto cancellario per annum, lapso quo dictus cancellarius quadam die dixit sibi, quod indigebat peccunia, et quod daret sibi partem lucri quod fecerat in dicto officio: quiquidem testis de dicto lucro suo dedit dicto cancellario decem francos.

Interrogatus si postea mansit[26] in dicto officio, dixit quod sic per medium annum vel circa, et tunc dictus cancellarius petiit ab ipso partem lucri; sed dictus testis noluit sibi dare aliquid, quia modicum lucratus fuerat in ipso dimidio anno racione ipsius officii. Et finaliter, quia dictus cancellarius volebat peccunias ab eo, et ipse nolebat dare, recessit ipse testis et dimisit dictum officium....

lij. GUILLELMUS ROLINS, familiaris domini cancellarii eccl. Paris., Flamingus, etatis circa xxviijº annorum, examinatus super xº articulo, dixit, de contentis in ipso se tantum scire, videlicet quod bene audivit quod aliqui miserunt aliquando dicto cancellario aliqua jocalia. Interrogatus que fuerunt jocalia missa, dixit se nescire. Interrogatus qui mittebant, dixit etiam se nescire. Interrogatus si vidit dicta jocalia, dixit quod non.

Item super xiijº dixit quod bachalarii qui fuerunt in audicione, de qua loquitur articulus, dederunt sibi et socio suo unum francum. Interrogatus quare dederunt, dixit quod pro curialitate dederunt et quia consuetum est, ut audivit, facere curialitatem familiaribus cancellarii per tales. Interrogatus si dicti bachalarii rogaverunt eum et socium suum quod facerent eos expedire, dixit se non recordari. Interrogatus si laboravit pro ipsis post dacionem franci erga magistrum suum, dixit se non recordari. Interrogatus si dicti bachalarii illius audicionis de quibus loquitur articulus dederint quinque francos subcancellario, dixit se nichil scire.

Item super xiiijº articulo dixit, verum esse quod bachalarii secunde audicionis de qua loquitur articulus dederunt sibi et socio suo certam peccuniam, sed de quantitate non recordatur. Interrogatus si illa peccunia fuit eis data pro cancellario vel pro ipsis, dixit quod fuit eis data pro tota familia dicti cancellarii. Interrogatus ad quid dictam peccuniam dederunt, dixit quod pro curialitate dederunt ut est moris. Interrogatus si fuerunt cicius expediti post dictam dacionem, dixit se nescire. Interrogatus si dicta peccunia fuit data ante expeditionem vel ne : nescit.

Item super xvº dixit quod verum est quod bachalarii audicionis de qua loquitur articulus dederunt sibi et sociis suis aliquid. Et respondit ad interrrogationem ut supra in alio articulo.

Item super xvjº et xvijº dixit et deposuit ut in precedenti, hoc excepto quod aliquando tradebant magistro suo pro distribuendo inter familiares predictos dictam peccuniam, et ipse eam distribuebat prout volebat. Requisitus si aliquid inde retinebat dictus cancellarius, dixit se non recordari.

Item super xviij dixit ut in precedenti immediate, excepto quod dixit ultra, videlicet quod dictus cancellarius

aliquando regraciabatur bachalariis existentibus in examine post dacionem. Interrogatus si illi de illa audicione fuerunt regraciati per dictum cancellarium, dixit se non recordari.

Item super xix° dixit ut in precedenti.

Item super xx° dixit verum esse quod bachalarii de audicione de qua loquitur articulus, dederunt sibi et socio suo duos francos et etiam tradiderunt eis certas peccunias pro portando magistro suo, de cujus quantitate non recordatur, quam peccuniam portaverunt dicto magistro suo. Interrogatus si dictus cancellarius retinuit dictam peccuniam, dixit quod non, sed eam distribuit inter familiares suos. Interrogatus si ipse testis habuit inde aliquid, dixit quod sic, sed non recordatur de quantitate. Interrogatus si dictus magister retinuit sibi aliquid de ea, dixit se nichil scire. Requisitus ad quem finem dederunt dictas peccunias, dixit quod pro curialitate dederunt ut credit. Requisitus si fuerunt citius expediti pro datione dicte peccunie, dixit se nescire. Interrogatus quid dixerunt eis dicti bachalarii quando dictam peccuniam tradiderunt portandam dicto magistro suo, dixit quod rogaverunt eos ut eos recommendarent dicto cancellario et supplicarunt aliquando de brevi expedicione, quod et fecerunt.

Item super xxj° dixit quod est verum, quod dicta duo serta fuerunt data magistro suo per dictos bachalarios, sed ad quem finem et cujus pretii essent ignorat. Requisitus si dederunt aliquid sibi et aliis familiaribus, dixit quod sic, sed de quantitate non recordatur. Respondet ad interrogationem ut in xiiij°.

Item super xxij° articulo dixit ut in xx° articulo.

Item super xxiij°, xxv° dixit se nichil scire.

Item super xxvj° dixit verum esse quod cauda vini, de qua loquitur articulus, fuit presentata ex parte dicti fratris Guillelmi de Roseriis magistro suo, ut audivit dici, qui etiam recepit, et fuit posita in celario suo, et fuit potata in domo sua, et ipse testis multociens potavit. Interrogatus ad quem finem dictus frater fecit presentari dictam caudam vini dicto cancellario, dixit se nichil scire. Super aliis contentis in dicto articulo dixit se nichil scire.

Item super xxvij°, xxviij°, dixit se nichil scire.

liij. Sigerus Bart[27], licenciatus in artibus, familiaris domini cancellarii, Flamingus, etatis xxj vel circa annorum. Examinatus super x° articulo dixit se nichil scire.

Item super xiij°-xxj°....[28].

Item super xxij° dixit verum esse quod bachalarii audicionis contente in dicto articulo dederunt sibi et Guillelmo Rolini socio suo duos francos et aliquid ultra, de qua quantitate non recordatur, ut divideretur inter ceteros familiares pro curialitatibus et serviciis. Requisitus qui distribuit, respondet tam ad hoc quam ad alia ut in superioribus. Interrogatus quare dederunt eis magis quam aliis, dixit quod quia majora servicia sibi fecerant quam alii familiares.

Item super xxiij° dixit verum esse quod nominati in dicto articulo fuerunt refutati, eo quia relatum fuit cancellario quod non erant sufficientes. Interrogatus si fuerunt oblati dicto cancellario xx^ti^ franci pro parte ipsorum nominatorum, dixit quod sic, prout audivit dici a quodam de quo non recordatur. Requisitus si dictus cancellarius recepit dictos xx^ti^ francos, dixit audivisse quod non, et quod refutaverat eos, sed nescit qua de causa refutavit. Interrogatus si audivit dictum cancellarium conqueri quia non dederant sibi vestes dicti nominati, dixit quod non. Interrogatus si credit in conscientia sua quod essent sufficientes, dixit se nescire, licet bene cognoscat eos.

Item super xxv° dixit se nichil scire, nisi quod in presentacione signetorum licenciandi mittunt unam bursam cum pecuniis intus magistro suo, et aliquid etiam dant portitori dicti signeti. Interrogatus quomodo scit, dixit quod multociens ipsemet portavit signetum pluribus, et specialiter magistro Johanni Ade, cuidam monacho Sancti Germani de Pratis, magistro Johanni de Attigniaco et pluribus aliis, quorum quilibet sibi tradebat bursam et peccunias intus ac etiam vinum suum, ut supra dictum est. Requisitus de quantitate peccunie, dixit non [se] recordari de quantitate.

Item super xxvj°, xxvij°, xxviij° dixit se nichil scire....

liiij. Magister Thomas le Mauge, magister in artibus studens Parisius in medicina, nacionis Normanie, etatis xx^ti^ annorum vel circa, examinatus....

lv. Frater Johannes Coles[29], doctor in theologia, actu regens Parisius, generalis totius Ordinis Sancte Marie de Caritate, oriundus Parisius, etatis liiij^or^ annorum vel circa, examinatus super xxv° et lv°, dixit quod in ultimo jubileo dictus cancellarius licenciavit duos, de quibus non fecit mentionem dicto testi in inquisicione, et tamen consuetum erat et est in dicta facultate cuilibet magistro mentionem facere de quolibet licenciando, et inquirere a quolibet magistro de vita, moribus et facundia licenciandorum. Interrogatus si alii magistri fuerunt inquisiti super deposicione dictorum duorum licenciandorum, dixit quod magister Symon Freron, doctor in theologia antiquior post decanum, dixit ipsi testi quod etiam nulla mencio fuerat sibi facta in inquisicione dictorum duorum. Inter-

rogatus qui fuerunt ipsi duo licenciandi, dixit quod unus erat Predicator et alius Minor, sed de nominibus non recordatur. Interrogatus si in illo jubileo alii fuerunt licenciati, dixit quod sic, xiij ultra predictos duos, de quibus xiij ipse testis fuit inquisitus super vita, moribus et facondia ut moris est....

lvj. GUIDOMARUS SENIS, magister in artibus, librarius juratus Universitatis Parisius commorans, de nacione Britanie, etatis lx annorum vel circa, examinatus super ljº articulo, dixit quod ille. de quo loquitur articulus, qui erat dominus suus specialissimus, circa tres anni sunt, quadam die, de qua non recordatur, dictus electus locutus fuit cum dicto teste in hunc modum, videlicet : « Guidomare, vadas ad magistrum Yvonem Dariani[30], et dicas sibi ex parte mea, quod concedat michi centum francos mutuo », ad quem magistrum Yvonem dictus testis ivit bis, sed non potuit eum reperire. Et in reversione sua dixit dictus electus sibi testi, quod ipse faceret tantum quod inveniret dictum magistrum Yvonem, quia nisi haberet illa nocte dictos centum francos, erat in periculo non obtinendi licenciam quam petebat in theologia, et amittendi honorem suum. Unde rediit ipse testis ad dictum magistrum Yvonem, quem invenit in cena cum magistro Girardo de Monte-Acuto et in domo ipsius magistri Girardi, et dixit sibi ad aurem quod placeret sibi concedere dictos centum francos dicto electo mutuo. Qui magister Yvo respondit sibi testi, quod libenter faceret, dum tamen haberet unam cedulam sub sigillo dicti electi; quam cedulam ipse testis procuravit habere a dicto electo illa nocte. Et in crastinum summo mane portavit eam dicto magistro Yvoni, qui habita ipsa cedula, tradidit sibi dictos centum francos nomine dicti electi, quos centum francos postmodum tradidit dictus testis dicto electo in presencia cujusdam scutiferi dicti electi, qui fuerat cum eo ad dictum magistrum Yvonem pro causa premissa. Interrogatus, quid fecit dictus electus de dictis centum francis, dixit quod misit eos dicto cancellario, prout dictus electus dixit dicto testi. Interrogatus pro qua causa mittebat eos, dixit quod pro licencia obtinenda, ut dictus electus sibi dicebat, cum alias non posset eam obtinere.

Item interrogatus si fuit licenciatus postea, dixit quod sic, eodem mane quo dicta peccunia fuit missa dicto cancellario. Item interrogatus, qui[s] fuit licenciatus cum eo, dixit quod nullus, immo fuit solus licenciatus, et credit quod pro dicta licencia obtinenda fuerat factum forum inter dictum electum et cancellarium per mediatores. Requisitus qui fuerunt mediatores, dixit quod magister Herveus Sulven fuit unus, de aliis non recordatur. Interrogatus qualiter scit quod fuerit factum forum predictum, dixit quod dictus magister Herveus Sulven dixit sibi totum tractatum[31] Item interrogatus si consenserit facultas theologie hujusmodi licencie, credit quod sic ad preces quorundam magnatum et etiam dicti cancellarii....

lvij. Magister GUILLELMUS GRATERII, magister in artibus, studens Parisius in facultate decretorum, de nacione Francie, etatis xxv annorum vel circa, examinatus....

lviij. Magister ULSINUS DE TALVENDA[32], magister in artibus studens Parisius in theologia, de nacione Normanie, etatis xxti annorum, examinatus super xxº articulo, dixit verum esse quod in audicione de qua loquitur articulus fuerunt xij bachalarii, de quibus ipse testis fuit unus, et fuit verum quod fecerunt unam collectam de xij francis, de quibus ipse qui loquitur solvit unum....

lix. Magister GUILLELMUS OLEARII, magister in artibus, studens Parisius in decretis, de nacione Francie, etatis xxxij annorum vel circa, examinatus super xxijº articulo, dixit contenta in dicto articulo fore vera, reddens causam sue scientie quia fuit presens in omnibus, et fuit unus de bachalariis illius audicionis de qua loquitur articulus, et solvit partem suam, videlicet unum francum. Requisitus per que verba fuerunt indu[c]ti per dictum Arnaldum, dixit quod ipse Arnaldus dicebat, quod alie audiciones precedentes dederant, et nisi ipsi darent eodem modo, dubitabat quod starent in examine per longua tempora, vel quod essent impediti. Et etiam dicebat quod si aliquis de sociis audicionis impediret ne facerent collectam et ne darent aliquid cancellario et subcancellario, ipsi possent amittere loca sua, quia familiares dicti cancellarii referrent ipsi cancellario. Requisitus si ipse Arnaldus erat amicus cancellarii, credit quod sic, quia erat de partibus suis et loquebatur ydioma suum, et conversabatur sepe cum ipso. Interrogatus qualiter scit quod ista peccunia fuerit tradita familiaribus dicti cancellarii ipso cancellario sciente et ratum habente, dixit quod pro eo quia postea ipse cancellarius regraciatus fuit eis de dicta peccunia, dicendo etiam quod cito essent expediti....

lx. Magister JOHANNES DE NIBELLA, magister in artibus, studens Parisius in medicina, de nacione Francie, etatis xxij annorum vel circa, examinatus....

lxj. Magister ROBERTUS TESARDI, magister in artibus, studens Parisius in facultate decretorum, de nacione Normanie, etatis xxiij annorum vel circa, examinatus super xviijº articulo, dixit verum esse quod ipse testis fuit unus de bachalariis audicionis de qua loquitur articulus et quod fecerunt collectam simul ascendentem ad decem francos, de quibus solvit partem suam....

lxij. Magister GERARDUS DE VERVINO, doctor theologie, canonicus et penitenciarius ecclesie Parisiensis, etatis

lxiiij annorum vel circa, examinatus super vij° et viij° articulis ipsis sibi prius lectis et per eum auditis, ut dicebat, dixit contenta in dictis articulis fore vera, reddens causam sue scientie quia plures, qui assumebantur ad dictum officium cancellarie, vidit jurare, ut in dictis articulis continetur, et specialiter magistrum Johannem de Calore predecessorem istius cancellarii, et ipsum cancellarium modernum, videlicet magistrum Johannem Blanchardi. Requisitus si vidit statutum in quo continetur forma juramenti de quo loquitur articulus, dixit quod sic, et est in capitulo Parisiensi in libro qui vocatur *Pastorale*. Interrogatus si vidit alios quam supradictos jurare, dixit quod non, sed in ecclesia Parisiensi est commune dictum, quia aliter non admitterentur ad dictum officium, nisi facerent dictum juramentum....

lxiij. Item magister Johannes de Kaeroullay, doctor in theologia canonicus ecclesie Parisiensis, etatis lviij° annorum vel circa, examinatus.... Requisitus quanto tempore fuit canonicus prebendatus residens Parisius, dixit quod per xij annos vel circa.

Item super xxv° dixit quod quidam Servita, de cujus nomine non recordatur, fuit bachalarius sub magistro Johanne de Calore, predecessore moderni cancellarii, quo cancellario deffuncto ipse Servita elegit sibi pro doctore magistrum Baldoinum de Serbona. Quo electo, quando venit dictus Servita ad licenciam habendam, fuit recommendatus per dictum magistrum Baldoinum dicto cancellario et facultati theologie, et dictus cancellarius dixit quod ipse non transiret sub ipso magistro Baldoino, nec ipsum licenciaret, quia bachalarii predecessoris sui debebant licenciari sub ipso cancellario et non sub altero. Et finaliter incepit et fuit licenciatus sub ipso cancellario. Requisitus si hoc est de more quod bachalarii cancellarii deffuncti debeant incipere vel licenciari sub successore in officio, dixit quod non est de more, nec debet fieri, nisi dicti bachalarii sponte sua voluerint. Requisitus si scit quod dictus magister Baldoinus consenserit, quod dictus Servita fuerit licenciatus sub dicto cancellario, dixit se nichil scire; tamen in prima recommendacione displicebat dicto magistro Baldoino. Requisitus quando fuit hoc, dixit quod fuit in secunda expedicione rigorosa facta per dictum cancellarium ut sibi videtur. Requisitus quomodo scit premissa, dixit quod ipse fuit presens....

lxiiij. Frater Victor[33], prior conventus Augustinensium Paris., bachalarius formatus in theologia, de nacione Ytalie, etatis xxxv annorum vel circa, examinatus super lv° articulo, dixit verum esse secundum quod est fama publica in Universitate Parisiensi, quod dictus cancellarius ultra morem aliorum cancellariorum et consuetudinem collegiorum et ultra consuetudinem de tempore quo bachalarii solebant stare in studio Parisiensi post lecturam aliquos expedivit dictus cancellarius. Requisitus si scit aliquos tales, dixit quod patet in expedicione, et quod de nominibus non habet memoriam. Requisitus qualiter scit predicta, respondit quod dictus cancellarius prout vidit, expedivit aliquos religiosos non presentatos, nec de illo tempore presentandos. Requisitus qui sunt illi, et quomodo constat ei, dixit quod constat in Cordigeris, qui habuerunt anno proximo preterito iiij°r licenciatos, et eciam de Ordine ipsius loquentis licenciavit tres ultra consuetudinem, que consuetudo est quod anno quolibet rigoroso quodlibet tale collegium debet habere unum presentatum et unum presentandum ad plus. Requisitus qui[d] movit dictum cancellarium ad hoc, dixit se audivisse post factum a pluribus, quod fuit eis multum graciosus, quia indigebat peccunia, alias forte propter bachalarios graciosos qui habebant bullas apostolicas forte cogentes. Requisitus si scit aliquem in specie, qui dederit sibi aliquam peccuniam, dixit non recordari. Et plura dixit se nescire de contentis in dicto articulo, super hoc diligenter requisitus....

lxv. Frater Robertus Poitevin[34], bachalarius formatus in theologia, de nacione Normanie, Parisius studens, etatis xxxij annorum vel circa....

lxvj. Frater Cristianus de Alta Rippa, Ordinis Augustinensium, doctor theologie, de nacione Picardie, senior magister conventus Augustinensium Paris., etatis xxxv annorum vel circa. Examinatus .... super xxxiij articulo, dixit verum esse quod misit dicto cancellario pro signeto xvj francos, ac familiaribus dicti cancellarii, videlicet Sigero et Guillelmo Rolins, cuilibet duas alnas panni in die magisterii sui. Requisitus ad quem finem misit dictos xvj francos, et pro qua causa misit eos, dixit quod misit eos pro signeto, eo quod sic est consuetum in Ordine ipsorum et ab antiquo vidit et scivit observari. Item requisitus quare dedit robas, dixit quod causa honoris et curialitatis dedit eas, et plures alias pluribus personis in die dicti magisterii sui....

lxvij. Frater Guillelmus[35], prior monasterii Sancti Martini de Campis Parisius, doctor theologie, de nacione Gallicana, actu regens Parisius, etatis liiij°r annorum vel circa, examinatus super xxv° articulo, dixit quod plures scolares theologie incipiunt cursus et facta sua sub cancellario, et eciam bachalarii recipiunt ipsum in magistrum contemplacione favoris, et ut facilius expediantur, et quia vident quod licenciat quos vult, et preponit aut postponit quos vult, non attendens meritis vel scientie personarum illarum. Requisitus si recordatur de aliquo tali, dixit quod non in specie, sed communiter dicitur de omnibus sub ipso incipientibus et eum in magistrum recipientibus

Item super lv° articulo dixit quod de usu, stilo et consuetudine Universitatis Parisiensis est (et credit superesse privilegium papale) vocare omnes magistro[s] in theologia, eciam prelatos, si sint Parisius, quando aliquis vult licenciari, et debet cancellarius vota singulorum magistrorum exquirere super sciencia, vita, fama, facundia et spe proficiendi, et secundum deposiciones ipsorum seu majoris et sanioris partis eorum debet eos licenciare vel repellere, alias non. Requisitus si vidit unquam quod dictus cancellarius licenciaret aliquem contra formam predictam, dixit quod circa primum annum quo fuit cancellarius, licenciavit quendam Carmelitam contra deposicionem ipsius loquentis Parisius presentis et vocati ad hoc, qui deposuerat sicut rei veritas se habebat, quod dictus Carmelita erat homo male vite, sortilegiis sediciosus et omni nequitia repletus, et ob hoc minime licenciari debebat. Requisitus si alii magistri prebuerunt vota et consensus eorum, ut licenciaretur, dixit quod a multis (et credit quod a majori et saniori parte omnium magistrorum tunc vocatorum ad deponendum super predictis) audivit dici ab eis quod ipsi contradixerant[36], prout et ipse; et nichilominus ipse cancellarius dictum Carmelitam licenciavit, dicendo in presencia magistrorum predictorum, quod major pars consenserat. De quo dicti magistri, major et sanior pars, mirati et confusi fuerunt et inceperunt respicere per modum admiracionis videlicet unus in alium, dicentes inter se quod ipsi minime consenserant, quia sciebant ipsum esse talem prout superius deposuit de eo. Requisitus quare dicebatur quod licenciabat eum, dixit quod communiter dicebatur, quod magis pro peccuniis et favoribus quam suis meritis et sufficientia. Requisitus de quantitate data, dixit se nescire. Interrogatus a quibus audivit, dixit quod a pluribus de quibus non recordatur, et quod de hoc est publica fama in facultate et Universitate non solum de illo, immo de pluribus aliis, quos ipse licenciavit, et etiam est fama publica in Universitate, quod secundum quod plus vel minus mittitur sibi in bursa pro signeto, preponit et postponit licenciandos, non attenta sufficiencia personarum. Et de hoc conqueruntur multi magistri et scolares facultatis, et scandalizantur. Requisitus de nomine dicti Carmelite, dixit quod videre suo vocabatur frater Yvo Lamadery, Brito, et dicebatur esse affinis magistri Johannis Mauricii, canonici Parisiensis. Requisitus si habuit bullas papales, credit quod sic, sed propter hoc non debebant licenciari contra deposiciones predictorum magistrorum, subjungens quod fuerunt aliqui magistri de predicto Ordine Carmelitarum, qui contradicebant dicte licencie palam et publice, et nichilominus ipsum licenciavit, prout supra deposuit. De contentis in dicto articulo dixit se nichil aliud scire, nisi prout supra deposuit....

lxviij. Venerabilis pater frater Richardus, abbas monasterii Sancti Maglorii Parisiensis, doctor theologie actu regens Parisius, etatis xlv annorum vel circa. Examinatus .... super xlix°, dixit quod audivit dici quod dictus cancellarius per minas induxit dictum magistrum Egidium ad incipiendum sub ipso. Requisitus quomodo minabatur ipsum, dixit audivisse dici, quod dicebat dicto magistro Egidio, quod nisi inciperet sub ipso, scriberet in curia Romana quod ipse adherebat Bartholomeo. Et dictus magister Egidius timens, ne esset fatigatus indebite, incepit sub dicto cancellario, et fuit licenciatus sub ipso, ut ipse testis vidit. Requisitus a quibus audivit premissa, dixit quod habuit sic in secreto, quod non audet revelare; tamen credit firmiter quod ille qui dixit sibi, credebat dicere verum. Requisitus si scivit auditu vel alias ipsum magistrum Egidium fuisse Bartholomistam, dixit quod non; sed audivit et vidit ipsum substinere partem domini nostri pape Clementis ferventer. Requisitus si scit ipsum dedisse dicto cancellario peccunias contentas in dicto articulo, dixit se nichil super hoc scire....

lxix. Frater Johannes Ade, doctor in theologia Ordinis Predicatorum, actu regens Parisius, etatis xl annorum et ultra, examinatus super infrascriptis capitulis dixit et deposuit ut sequitur....

Item super xxxij° dixit verum esse quod ipse dedit cancellario pro signeto xvj francos, et familiaribus cancellarii iiij°r francos. Requisitus quare dedit dictos xx francos, dixit quod est de consuetudine antiqua, quod quilibet licenciandus det pro signeto x florenos usuales; sed quia fuit anticipatus per cancellarium ante tempus consuetum magisterii, de gratia dedit dicto cancellario propter dictam curialitatem vj francos ultra predictos decem, et dictis familiaribus duos ultra quam consuetum est, cum non sit consuetum eis dare nisi duos francos vel florenos. Requisitus de quanto tempore fecit sibi curialitatem dictus cancellarius, dixit quod ipse cancellarius et magistri facultatis fecerunt sibi graciam de duobus annis Requisitus si fuit inductus per cancellarium vel alium ad dandum, dixit quod non. Requisitus si dictus cancellarius sub spe premii anticipavit eum, dixit quod non, quod ipse sciat; credit tamen quod hoc fecerit ob reverenciam Ordinis. Et nichil aliud se scire dixit de contentis in dicto articulo....

Item super lv° articulo dixit quod in ultimo jubileo dictus cancellarius licenciavit duos fratres Minores et unum Augustinensem, licet in plena facultate dixisset, quod non admitteret dictos fratres Minores, licet eciam non habuisset super licencia ipsorum Minorum et dicti Augustinensis votum testis loquentis nec aliorum magistrorum, prout multi sibi retulerunt. Immo fuerunt admirati et scandalizati, quando viderunt signetum eis mitti et eos vocare ad licenciam, cum sit contra ritum et stilum dicte Universitatis. Requisitus per suum juramentum, si scit quare dictus cancellarius fuit motus ad hoc, credit quod fecissent sibi curialitatem, et quod sine curialitate non

fecisset. Dixit etiam quod multociens vidit judicio suo, quod ipse cancellarius preposuit sepe postponendum, et econtra. Et nichil aliud scit de contentis in dicto articulo....

lxx. Magister Petrus de Ailliaco, doctor theologie, actu regens Parisius, de nacione Francie, etatis xxxvj annorum vel circa, examinatus super infrascriptis capitulis, et primo super xj° et duodecimo articulis, dixit quod fuit presens ubi magister Johannes de Augia bis confessus fuit, quod quando dimisit officium, magister Flamingus solvit pro dicto officio xl francos, de quibus dictus Johannes de Augia habuit xvj francos, et cancellarius residuum. Requisitus ubi audivit dici, dixit quod semel in hostio aule Sarbone et presente ac sibi improperante magistro Thoma de Baucourt; de alia vice non recordatur ubi audiverit. Interrogatus de magistro Nicolao de Vaudemonte, si pro dicto officio dederit aliquid, dixit quod audivit dici a pluribus quod sic; sed de quantitate et a quibus non recordatur. Tamen est magna presumptio quod dederit, quia magister Franciscus de Sancto Michaele[37], qui erat sufficientior et famosior ipso, fuit expulsus in favorem ipsius.

Item super xliiij° dixit audivisse dici contenta in dicto articulo a pluribus, de quibus non recordatur, et est verum quod in congregacione facultatis in domo cancellarii fuit presens cum aliis magistris, ubi xxx magistri in theologia vel circa fuerunt oppinionis, quod dictus magister Yvo non erat licenciandus; et tamen eodem anno ipsum licenciavit et preposuit ipsum pluribus valencioribus ipso secundum famam publicam et judicium suum. Ite[m] dixit dictus testis, quod quando dictus cancellarius peciit ab ipso votum suum, ad partem inducebat ipsum ad deponendum pro dicto Yvone, quod tamen non fecit; quare credit dictus testis quod dictus cancellarius in favorem peccunie date vel promisse sibi erat favorabilis.

Item super xlv, dixit quod audivit dici fore vera contenta in dicto articulo a dicto magistro Johanne de Noviomo, ubi tunc erat ipse testis, et postea Parisius a pluribus, videlicet a magistro Johanne de Guignicourte et a magistro Johanne Luqueti et a pluribus aliis, de quibus non recordatur, quantum ad impedimenta sibi facta, et credit quod occasione contenta in dicto articulo fuerint dicta impedimenta.

Item super xlvj dixit articulum fore verum apud clericos.

Item super lv° credit articulum fore verum, et reddit causam sue credencie quantum ad magistrum Yvonem, prout supra deposuit in articulo xliiij°. Quantum ad alios de quibus loquitur articulus, dixit quod ipse qui tunc non erat Parisius, audivit dici a pluribus fidedignis, videlicet a magistris Stephano de Calvomonte, Johanne de Trelon, Henrico Herou[t], doctoribus theologie, et pluribus magistris, de quibus non recordatur, videlicet quod dictus cancellarius licenciavit eos sine deposicione dictorum magistrorum; de locis vero male ordinatis, prepositis vel postpositis, credit et reddit causam, quia hoc vidit et presens fuit pluries ad hoc.

Item super lviij° et lix° dixit verum esse. Dictus subcancellarius tempore quo fuit assumptus ad dictum subcancellarie officium, erat pauper et male induttus; postea vero fuit bene induttus et fecit magnos sumptus, et credit quod de dictis muneribus et abusibus. Cetera contenta in dictis articulis audivit a pluribus, de quibus non recordatur, et audivit semel sibi subcancellario improperari a magistro Johanne Luqueti, qui erat amicus suus in aula Sarbone, et specialiter de quadam corrigia argentea, de qua non multum se excusavit.

Item super lxiij° dixit verum esse quod fuit verberatus dictus subcancellarius per dictum Henricum, et credit quod fuerit pro causa contenta in dicto articulo, quia de hoc erat fama in domo Sarbone, in qua dictus testis pro tunc morabatur.

Item super octuagesimo secundo credit famam esse in Universitate et in ecclesia Paris. de predictis, et scandala esse orta pro predictis. Et semel audivit a cancellario dici talia verba vel similia, videlicet : « Quod posito quod omnes isti abusus essent contra eum probati, tamen iste morcellus est sic dulcis ad degluciendum in curia Romana, quod ipse leviter transiret ». Requisitus de loco ubi audivit, dixit quod audivit dici a dicto cancellario in camera ipsius cancellarii, ubi ortabatur ipsum deponentem, quod impediret [pro] posse suo rectorem de prosecucione hujusmodi negocii, dicendo insuper, quod forte ex prosecucione hujusmodi negocii sequerentur homicidia, quasi inferendo minas contra rectorem et alios prosequentes....

lxxj. Venerabilis in Christo pater dominus Petrus Ducis[38], abbas monasterii Sancti Victoris juxta Parisius, bachalarius formatus in theologia, etatis xxxij annorum vel circa, examinatus super xxv° articulo, dixit et deposuit ut sequitur, ipso sibi prius lecto et per eum ut dixit bene intellecto, videlicet quod verum est quod magister Nicholaus de Costa frater Minor fuit licenciatus in theologia per dictum cancellarium non requisitis votis seu deposicionibus magistrorum dicte facultatis, prout plures magistri dicte facultatis retulerunt sibi testi, conquerendo de hoc admirative. Requisitus quo tempore fuit licenciatus, dixit quod in ultimo jubileo. Requisitus de nominibus magistrorum a quibus hoc audivit et quo tempore hoc audivit, dixit quod a magistro Stephano de Calvomonte, magistro Henrico Herout audivit dici; de nominibus vero aliorum magistrorum a quibus etiam audivit dici non

recordatur; tamen bene scit quod audivit dici predicta a predictis post dictum jubileum, videlicet circa festum Nativitatis Domini. Requisitus si licenciare aliquem sine voto et deposicione magistrorum est contra privilegium, usum et ritum Universitatis, credit quod sic, et istud habetur pro notorio in Universitate. Requisitus si scit, quo motu dictus cancellarius hoc fecit, dixit se nescire; tamen fuit mala suspiccio et scandalum propter hoc contra ipsum cancellarium in Universitate.

Item super xlvj° dixit verum esse quantum ad clericos, quia multociens audivit sibi et scientie theologie improperari per clericos seculares et religiosos, dicendo quod sciencia theologica pre ceteris scienciis erat venalis, totum hoc dicentes propter factum cancellarii, qui nullum admittebat ad gradum licencie sine peccuniis, ut dicebant. Subjungendo quod erat derisorium et scandalosum, quod theologi predicantes contra avariciam et cupiditatem, propter avariciam assumebantur ad gradum sciencie theologie. Requisitus ubi audivit, quando et a quibus, dixit quod in ecclesia Sancti Victoris audivit dici a conservatore privilegiorum Universitatis et a magistro Henrico Beve[39], doctore in decretis, ab officiali Parisiensi et a pluribus aliis, de quorum nominibus non recordatur, et in pluribus aliis locis et diversis vicibus....

lxxij. Item Nicolaus de Morancuria, canonicus regularis Ordinis Sancti Augustini, magister in artibus, studens Parisius in theologia, de nacione Francie, etatis xxvij annorum vel circa, interrogatus....

Arch. Vat. Collect. n° 440, fol. 79-146. Desunt nunc aliqua folia ante fol. 79, quae inter alia depositiones magistrorum quatuor priorum continebant.

1. Ms. : « anticipaticipatus ». — 2. Ms. · « quibusdem », ut pluries alibi in ms. — 3 Fuit Ord. Eremit S Aug., licent. an. 1383 (1384) e *Catal. licent.* An. 1411, Sept. 19, episcopus Hipponens. (Reg. Vat. Lat. Joh. XXIII, an. 2, Provis., fol. 162). — 4. De quo in *Chartul.*, II et III. — 5. Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 1320, ut etiam Ciacconius, praetendunt, Petrum de « Lucemborgh » solummodo an. 1386, mense Aprili, factum esse cardinalem. Quod per superius dicta refutatur, cum an. 1385, Julii, nominetur cardinalis. Revera tamen jam an. 1384, April. 15 (contra Contelori), cardinalis Rom. ecclesiae creatus est, cum hoc Clemens VII in bulla ejusdem temporis notae, qua administrationem eccl. Metens. Petro committit, dicat (Reg. Av. Clem. VII, vol. XXX, fol. 424). An. 1386 tantum, Jun. 4, curiam intravit, et tit. S. Georgii ad Vel. Aur. recepit (Contelori); an. 1387, Jul. 5, obiit. An 1384, Febr. 10, cum esset archidiac. Drocens in eccl. Carnot., factus est episc. Metens. (Reg. Av. Clem. VII, vol. XXXI, f. 161[b]). — 6. Ms. « xiij », et sic, semper dempto uno, prosequitur. — 7. Ms. . « legerit ». — 8. Ms. : « illa die met ». — 9. Ms. · « eam ». — 10. Ms. : « loquendi ». — 11. I. e cancellarium. — 12. Lege « repulsus ». — 13. Ms. . « Treron ». — 14. Gregorii IX in bulla *Parens scientiarum.* — 15. Johannes de Florentia. — 16. Ms. : « de Tremedia ». — 17. Ms. « obtentem ». — 18. An. 1383, Februarii 11. — 19. Ms. add. « sibi ». — 20. Qui etiam Ord. Carmel. fuit. Vid. infra testem 67. — 21. Ms. : « illo anno met ». — 22. Ms. add. « si ». — 23. Certe supra agitur de revocatione cujusdam propositionis de Conceptione B. Virginis, cum jam an. 1384, Jun. 23-Octob. 10 propositio similis in comitiis generalibus Universitatis damnata esset. Vid. Bulaeum, IV, 599. Nomen Praedicatoris ignoramus. — 24. I. e. fraudem. — 25. Verbum formatum a verbo Gallico « tromper », i. e. decipere. — 26 Ms. · « mensit ». Caeterum depositio non omnino concordat cum depositione testis 13[tii], p. 371. — 27. I. e. Baert, seu Bahert. — 28. Respondet fere ut alter familiaris, testis 52, i. e. se nihil scire, se non recordari, etc. — 29. Licentiatus in theol. an. 1380 (1381) e *Catal. licent.*, ubi tamen perperam scribitur : « Johannes Colet *Victorinus, suprior* B. Marie de Charitate ». Johannes fuit magister generalis fratrum hospitalium de Charitate B. Mariae, Ord. S. Aug., qui Ordo in fine saec. XIII initiatus est. Parisiis domum in vico de Jardinis in ripa dextera possedit, et fratres sub nomine *Billettes* noti erant (vid Félibien, *Hist. de Paris*, I, 458; III, 296, Du Breul, *Le théâtre*, etc. (Paris., 1639), p. 728 , Jaillot, *Recherches*, etc. *Quartier S. Avoie*, III, 13 , Helyot, *Hist. des Ordres* (Paris., 1715, III, 395). — 30 Civem divitem Paris., Caroli regis secretarium, qui in eccl. S. Johannis de Gravia capellam in honorem b. Virginis, b. Margarethae et b. Yvonis fundavit (Reg. Vat. Clem. VII, n° 297, f. 38, ad an. 1385, Decemb.). — 31. At Herveus Sulven (p. 380, test. 42) contrarium deposuit, scil. non intervenisse pactum. — 32 Seu Ursinus de Talevende, Collegii Harcuriani, qui saec. XV quamdam famam acquisivit. Vid. Bouquet, *L'ancien Collège d'Harcourt*, p. 112 sqq. Licentiatus est in theol. an. 1400 e *Catal. licent.*, an. 1414 appetiit, sed non obtinuit, episcopatum Constantiens. V. *Gall. christ.*, XI, 890. — 33. Victor de Camerino, licentiatus in theol. an 1386 (1387) e *Catal. licent.* — 34. Fuit Eremit. S. Aug., licentiatus in theol. an. 1391 e *Catal. licent.* — 35. Guillelmus Bajuli, qui anno 1389, Junii 5, jam fuit abbas Burgidolensis in dioec. Bituricens. (Arch. Vat. Oblig. n° 50, fol. 23). Omitt. in *Gall. christ*, II, 152, restituitur VII, 534. — 36. Sed testes 6[us] (p. 369), 30[us] (p. 376), 37[us] (p. 379), 62[us] et 70[us] inter se non concordant. — 37. De quo supra n° 1348 et 1419. Vocatur Franciscus Robini de S Michaele (vid. rot. an. 1387 : *Theol.*). Licentiatus in theol. an. 1383 (1384) e *Catal. licent.* — 38. Licentiatus in theol. an. 1386 (1387) e *Catal. licent.*, abbas S. Victoris Paris. (post obitum Petri) per viam compromissi electus, a Clemente VII confirmatus est an. 1383, Novemb. 4 (Reg. Aven. Clementis VII, vol. XXXIII, fol. 387[b]). Apud Martène-Durand, *Ampl. coll*, VI, 274 sqq., exstat notitia de contentione cum episc Paris. in electione Petri Ducis. — 39. Seu Bueuve, Beuve, qui fuit religiosus S Mauri de Fossatis Paris. In mss. forma nominis valde dubia sitne Bene, Benne, Buenne, an ut supra.

1514. *Statutum facultatis theologiae, ne quisquam in danda licentia eisdem, qui a cancellario contra consuetudines Universitatis admittebantur, assistat.*

1385, Julii 7, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium salutem in filio Virginis gloriose. Quia ex decore membrorum tota resultat corporis pulchritudo, et ad nostram pervenit notitiam quod magister Johannes Blancardi, magister in theologia et cancellarius ecclesie Parisiensis, contra decorem facultatis theologie, que nostri corporis venerabile membrum existit, quandam novitatem alias inauditam nuper voluit attemptare, ideo volentes honorem dicte facultatis et etiam aliarum, ac per hoc decori totius Universitatis predicte, quantum possumus, salubriter providere, ut mandata et privilegia apostolica, necnon et statuta et laudabiles consuetudines nostre firmius observentur, et ut gradibus singularum facultatum honor congruus deferatur, in nostra congregatione generali in S. Maturino super hoc solempniter congregata deliberavimus et ordinavimus, quod si nunc vel alias cancellarius predictus in dicta facultate vel in aliqua aliarum de facto, cum de jure non possit, aliquos bachellarios ad licentiam admitteret preter vel contra rationabiles deliberationes dictarum facultatum fundatas in mandatis ac privilegiis apostolicis, aut statutis et laudabilibus consuetudinibus antedictis, nullus magister, bachallarius, scolaris aut bedellus in hujusmodi licentiis aut in actibus scolasticis vel aliis factis occasione hujusmodi licentie fiendis interesse, nec aliquod collegium scolas suas ad hujusmodi actus fiendos concedere, tradere vel aperire presumat. Hoc autem volumus observari sub pena resecationis et privationis ab Universitate predicta. Datum in nostra congregatione generali celebrata in dicto Sancto Maturino anno Domini millesimo CCC octuaginta V, vij die mensis Julii.

Mus. Britann. ms. add. 17304, fol. 121, sub rubrica: « Littera Universitatis publicanda in sermonibus et scolis facta in rectoria Henrici Rousselli anno Dom. 1385 ». Henricus Rousselli fuit rector Junii 23-Octob. 10. — Bulaeus, IV, 605, ad Julii 9.

1515. *Cancellarius Paris., Johannes Blanchart, probare nititur, commissionem cardinali Laudun. factam esse nullam et processus omnes contra se ipsum irritos.*

1385, Julii, Parisiis.

In causa vobis, reverendissimo in Christo patri ac domino domino P. cardinali Laudunensi, a sancta sede apostolica ac sanctissimo in Christo patre ac domino, domino Clemente papa VII° commissa inter venerabiles viros Universitatem studii Parisiensis actores ex una parte, et venerabilem virum magistrum Johannem Blanchardi magistrum in theologia ac cancellarium ecclesie Parisiensis reum et deffensorem ex altera, super certa inquisicione seu informacione aliquorum excessuum seu abusuum, licet falso pretensorum, per paternitatem vestram contra predictum cancellarium ad requestam, promocionem et instanciam dicte Universitatis facienda, ad finem seu fines quod per vos dicatur seu pronuncie-

tur, decernatur et declaretur, commissionem a predicta sede apostolica super hoc vobis factam seu rescriptum super hoc ab eadem sede per predicto[s] actores obtentum et vobis directum et per eos presentatum fuisse et esse subrepticias et subrepticium, vosque non habere jurisdic[t]ionem in hac parte, nec posse nec debere procedere ad aliquam informacionem seu inquisicionem faciendam contra cancellarium antedictum, nec ad recepcionem aliquorum testium seu examen ipsorum ex parte dictorum actorum productorum vel producendorum in futurum virtute assercionis antedicte, quodque a premissis non recedendo, sed super eis primitus et ante omnia reddito sibi jure ad finem, quod per vos dicatur, decernatur, pronuncietur et declaretur, predictos actores in hac causa coram vobis temere processisse, dictumque cancellarium ad instanciam eorundem actorum temere fuisse vocatum et citatum ad videndum et audiendum recipi testes et jurare super pretensis abusibus et excessibus antedictis, dictosque actores eandem citationem temere obtinuisse et execucioni demandasse, quod etiam, antequam ad aliquam testium receptionem vel examinacionem super predictis abusibus vel excessibus procedatis, primo et ante omnia certa per dictos actores attemptata per vos per modum attemptati debere revocari, in pristinum statum reduci, et sic per vos primitus et ante omnia revocentur, ad statum pristinum et debitum reducantur et reponantur;

Deinde etiam antequam ad predictorum testium recepcionem vel examinacionem aliqualem seu informacionem vel inquisicionem quamcunque pretensorum abusuum vel excessuum predictorum procedatis, primitus per vos inquirendum esse et inquiri esse, cum debita cause cognicione in talibus requisita, de et super bona fama seu infamia predicti cancellarii, in predictis videlicet, an super hujusmodi pretensis abusibus sive excessibus sit vel fuerit idem cancellarius diffamatus tali infamia, que [a] viris providis et honestis proveniat, non ab emulis ipsius detractoribus aut malivolis vel etiam inimicis, seu etiam repertus fuerit bone fame aut non male; primitusque et antequam ad dictam informacionem seu inquisicionem aliqualem predictorum pretensorum abusuum procedatur, capitula seu articulos, super quibus est inquirendum, eidem cancellario tradendos esse et tradi debere ac tradantur realiter et de facto, et super eis et aliis premissis ac ea tangentibus suas possit deffensiones salvas habere et deliberare plenius, an contendere debeat vel cedere debeat huic liti; quodque in omnem eventum dicti actores eidem cancellario in expensis legitimis condempnentur factis occasione premissorum et etiam hujus litis faciendis, de quibus protestatur expresse, necnon ad alios omnes fines et singulos, qui eidem reo melius prodesse poterunt et actoribus predictis nocere :

Dicit et proponit idem cancellarius ea que secuntur :

Primo quod tam de jure quam de usu, stilo, consuetudine ac communi observancia curie Romane et omnium curiarum ecclesiasticarum ville Parisiensis rescriptum subrepticium jurisdic[t]ionem non dat nec tribuit.... Sed sic est in proposito quod pretensum rescriptum predictorum actorum vobis directum et presentatum, virtute cujus vultis pro-

cedere et predictam citacionem obtinuerunt a vobis, est subrepticium, ex eo et pro eo quod occasione premissorum, que predicti actores vocant abusus, licet non sint (eorum reverencia semper salva), ac plurium gravaminum contra dictum cancellarium et jura, privilegia, libertates et consuetudines laudabiles sui officii cancellarii ex parte ipsorum actorum illatorum, et aliorum conatorum et verissimiliter in futurum inferendorum, jamdudum cancellarius contra certos ejusdem Universitatis, facultatum et nacionum rectorem, deputatos, decanos et procuratores, ac nonnullos alios, tam conjunctim quam divisim, ad sedem apostolicam appellavit et provocavit, apostolosque peciit, et alia fecit que in talibus requiruntur.

Causamque appellationis hujusmodi committi obtinuit reverendissimo in Christo patri domino cardinali Vivariensi, et appellatos citare coram eo cum inhibicione consueta et debita, ne dicta causa pendente aliquid contra predictum cancellarium seu ejus cancellarii officiales attemptarent vel etiam innovarent (que citacio cum suis inhibicionibus fuit contra dictos actores appellatos debite executa) : postque et eis tamen non obstantibus iidem appellati et actores antedicti post et contra appellacionem, lite pendente, citacionem et inhibicionem predictas temere veniendo attemptarunt ac plura statuta sua, ymo verius destituta, in grave prejudicium cancellarii et cancellarie officii predictorum fecerunt, que inferius declarantur et inseruntur, eaque mandaverunt et [in] scolis et sermonibus solenniter, ut ad omnem devenirent noticiam, publicari; et hec omnia in dicto rescripto seu commissione tacuerunt, quibus tamen expressis papa ipsam commissionem seu rescriptum nullatenus aut saltem non ita faciliter concessisset[1] (et nulli dubium quod in forma sua non concessisset, quia saltem mandasset ante omnia predicta attemptata revocari in irritum, et omnia ad statum pristinum reduci, cum juris ordo hoc requirat) : ex quibus clare patet, dictum rescriptum seu commissionem esse subrepticium et nullam jurisdictionem tribuere in effectu. Et per consequens ipsius virtutis procedere non potestis quovis modo. Quare, etc.

Item, etsi premissa non procederent, illis obstarent.... quod citatio predictorum actorum prelibata ad videndum recipi et jurare testes super principali hujus cause, videlicet super pretensis abusibus antedictis, temere fuit obtenta, et contra predictum cancellarium et alias citatos temere executa, et etiam premature. Et hec apparent ex quatuor.

Primo enim tempus et dilacionem habere debuit dictus reus ad dicendum contra dictum rescriptum et alia exhibita, et copia dictorum rescriptorum et aliorum exhibitorum sibi prius decerni atque tradi, presertim cum nullam jurisdic[t]ionem habeatis nec habere potestis in hac parte, nisi ipsius rescripti, quia in hoc non estis ordinarius, sed a sede apostolica, ut actores asserunt, deputatus. Et que tamen facta non fuit ante predictam citacionem emanatam et eciam executam, sed omnino fuerunt pretermissa per actores ut dictum reum declinatorie privarent, et etiam dilacionis contra jura.

Secundo quia post et contra appellacionem supradictam ejusdem, appellationis lite

pendente, et inhibicionem predictas multa fuerunt eciam per eosdem actores attemptata, ut supra dictum fuit, et eciam post presentem causam inchoatam et pendentem in curia Romana, necnon eciam post datam commissionis hujusmodi vobis facte multa alia fuerunt per eosdem actores attemptata et innovata in prejudicium dicti rei et sui officii cancellarie et etiam hujus litis, quequidem attemptata etiam inferius inseruntur. Modo certum est de jure, quod hujusmodi attemptata, antequam super principali procedatur, et sic antequam testes super principali recipiantur vel examinentur, debent penitus revocari et in pristinum statum reponi....

Tercio, quia ex forma et tenore commissionis predicte vobis facte seu rescripti[2] clare patet, quod ex parte predictorum actorum eidem cancellario excessus et delicta imponuntur. Et sic opportet quod per unam viam accionis vel denunciacionis seu inquisicionis vel excepcionis opponantur. Et clarum est, quod non per duas vias aut aliquam ipsarum, nec eciam per quartam. Et sic opportet dicere quod per viam inquisicionis procedatur in hac causa.... Certum est quod prius opportet inquirere de et super infamia, et eciam bona fama illius, an scilicet sit super eis diffamatus vel super hiis fuerit bone fame aut male, et prius eciam cum debita cause cognicione opportet constare de dicta infamia inquisicionem precedente. Et .... idem reus .... negat se esse vel fuisse super hujusmodi excessibus sibi per dictos actores impositis diffamatum, et si qua infamia contra eum super hiis laboraret, quod absit, illa a predictis actoribus seu ab aliquibus ipsorum et ab aliis malivolis sibi provenirent vel provenit. Ex quibus apparet oportere quod primo, antequam ad requirendum de dictis excessibus procedatur, inquiratur et constet de predicta infamia cancellarii super eis, quod eciam prius inquiratur de bona fama ipsius, que sibi fieri petit et requirit. Quod si de bona ipsius fama super hiis constiterit, tunc non erit per vos super dictis pretensis excessibus inquirendum nec aliqualiter procedendum....

Quarto eciam, quia antequam procedi possit ad dictam informacionem seu inquisicionem veritatis pretensorum excessuum, ordo juris requirit quod prius inquisito, id est illi contra quem inquirendum est, tradantur capitula seu articuli super quibus est contra eum inquirendum.... Quod tamen in causa presenti factum non extitit, sed statim ab inicio actores predicti ex arrupto pocius per importunitatem ... obtinuerunt citacionem predictam contra cancellarium antedictum ad videndum, recipi testes et jurare super veritate excessuum pretensorum, eciam antequam idem cancellarius in hac causa sibi consilium per vos distributum judicialiter habere potuisset. Ex quibus clarum est dictam citacionem premature et temere petitam et obtentam ac eciam executam fuisse et esse contra cancellarium antedictum, et dictos actores temere processisse in hoc casu, et per consequens ante omnia in expensis dicti cancellarii condempnaturi....

Premissis racionibus et aliis longe melioribus a vestra paternitate supplendis, petit et supplicat per vos et pro se contra dictam partem adversam suam super premissis et ea tangentibus ad fines antedictos....[3].

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 48-54.

1. Quod non omnino verum est, nam papa in rescripto supra nº 1506 edito deliberationis Universitatis seu statuti mentionem facit. Cancellarius nunquam ad istud rescriptum se refert, sed ad aliud nº 1505 editum. — 2. Ms. . « rescriptum ». — 3. Sequitur in msº fol. 54-55 Statutum Universitatis supra nº 1504 editum, ad quod cancellarius iterum iterumque card. commissarium remittit, et quidem sub rubrica : « Sequuntur attemptata, de quibus superius fit mentio ante presentem litem et commissionis (*leg.* commissionem) vobis factam innovatam (*leg.* inchoatam) ».

1516. *Cancellarius Paris., Johannes Blanchart, enumerat gravamina ipsi ab Universitate post litem inchoatam illata.*

1385, Julii, Parisiis.

Item preter et ultra premissa facultas arcium non vult admittere bachalarios hoc anno in examine Nostre Domine solito more licenciatos. Item in grave prejudicium cancellarii et cancellarie ipsa facultas artium impedire nititur et impedit discretum virum magistrum Flamingum du Martroy bachalarium in theologia, qui sub cancellario incepit, per facultatem theologie jam bis solenniter est admissus, et lecturam suam incepit, paratus existens stare juri eorum coram quocunque judice competente; tamen sine cause cognicione ipsum impediunt de facto et impedire nituntur, non obstante quod ante hoc novissimum impedimentum ipse pro certis aliis causis justis et gravaminibus per rectorem Universitatis et facultatem artium injuste illatis ac majoribus sibi verissimiliter inferendis, ipse bachalarius predictus a prefatis rectore et facultate artium ad sanctam sedem apostolicam appellaverit, et appellacionem illam eisdem insinuaverit.

Item rector et facultas artium in hujus pretense commissionis optentum coegerunt, prout eis placuerit, quosdam de officiariis dicti domini cancellarii sub gravium penarum comminacionibus, videlicet magistros Guillelmum Gorren pro Normanie, Flamingum du Martroy pro Picardie, et Johannem Hokelem pro Anglie nacionibus examinis artium in examine dicti domini cancellarii examinatores, ut se dictorum rectoris et facultatis artium ordinationi et correctioni omnino submitterent super abusibus in commissione vobis domino cardinali Laudunensi facta pretensis, si quos commisisse, sicut ipsi eis obiciunt, reperirentur, in non modicum prejudicium domini cardinalis predicti et commissionis ad eorum requestam sibi facte, et in notorium gravamen ipsius cancellarii, ad quem racione sue cancellarie talium abusuum, si qui perpetrati fuissent, cognicio, correctio et reformacio pleno spectat jure.

Item per modum sub similium penarum comminacione coegerunt magistrum Nicolaum de Vaudemonte, ut similiter se submitteret eis.

Item similiter cogere nisi sunt magistrum Petrum Plaul, ipsius domini cancellarii in examine artium subcancellarium, cum comminacione penarum consimilium, ut se consimiliter submitteret eis. Qui propter notoriam injuriam cancellario et cancellarie ex hoc proventuram, et propter jusjurandum quod ipsis cancellario et cancellarie hoc facere jura-

verat formidans, ab eis ad sanctam sedem apostolicam appellavit. Qua appellacione non obstante ipsum sunt ex hoc postmodum graviter prosecuti[1].

Item hos omnes in odium cancellarii et cancellarie et sub pretextu pretensorum abusuum a consorcio et communione congregationis Universitatis tenent exclusos.

Item magistris Guillelmo Gorren et Nicolao de Vaudomonte de predictis ad consorcium et communionem congregacionis Universitatis et artium facultatis admitti petentibus rector et facultas artium hoc eis denegavit, nisi et donec abjurarent domino cancellario assistere auxilio, consilio vel favore, contra eorum juramentum quo sibi sunt specialiter obligati.

Item sunt alia etiam noviter attemptata loco et tempore declaranda.

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 55-57, sub rubrica « Ista sunt attemptata que secuntur post presentem litem inchoatam tam in curia, quam hic coram vobis, id est post datam commissionis predicte vobis facte. » — Julii 3 cardinalis commissarius partibus assignavit diem 8 Julii; Julii 4 citare fecit ad diem Julii 5 et ad instantiam cancellarii frat. Johannem de Basilea, doctorem s. paginae, generalem Ord. Erem. S. August., ut super tribus articulis interrogaretur, quod in ms[to] bis ponitur, fol. 59, et fol. 176[b], i. e. in parte *Pro cancellario,* de quo infra nº 1521.

1. I. e. « persecuti ».

1517. *Johannes de Valle, advocatus publicus in foro eccles. et procurator cancellarii, proponit, perperam a cardinale commissario omnes articulos a parte adversa productos contra cancellarium indistincte admissos esse; protestationes cancellarii unacum depositionibus testium ad curiam Rom. mittendas esse; assignat quomodo testes de abusibus praetensis interrogari debeant.*

1385, Julii 31, Parisiis.

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 62-65. — Observandum commissarios testes omnino interrogasse, ut Johannes de Valle desideravit, v. g. an sciant cancellarium aliquem abusum commisisse in licenciis dandis, locis assignandis, *etc.*, qualem abusum, quo anno, quibus praesentibus, si sciat ex auditu solum, quis dederit pecunias, *etc.*, Vid. supra nº 1513.

Mensem Augusti transigebant testes producendo, prout describitur fol. 65 sqq., et ante Augusti 16 « dabit pars cancellarii articulos suos, super quibus testes per eum producendos examinabuntur ». Horum instrumentorum unum solum publici juris facimus, cum 187 supposita Universitatis Paris. contineat, et quidem bene ordinata, dum in aliis instrumentis similis tenoris supposita diversarum facultatum promiscue permisceantur.

1518. *Petrus, cardinalis commissarius, injungit quibus injungendum est, ut certos testes cancellario Paris. necessarios citent.*

1385, Augusti 16, Parisiis.

Petrus miseracione divina, etc. .... omnibus et singulis presbyteris curatis et non curatis et tabellionibus publicis per civitatem Parisiensem ubilibet constitutis, etc.... Ad peticionis instantiam predicti cancellarii vobis et vestrum singulis, qua fungimur auctoritate, sancte obedientie virtute et sub excommunicacionis pena districte precipiendo mandamus quatinus alter vestrum alterum non expectans nec se pro alio excusans citetis seu citent aut citet ille vel illi vestrum, qui super hoc fuerit requisitus, pro parte dicti cancellarii, peremptorie et personaliter coram nobis Parisius in domo habitacionis nostre ad diem septimam instantis mensis Septembris hora vesperorum ipsius diei, nisi fuerit feriatus,

alioquin, etc., subscriptos testes ipsi cancellario, ut asserit, necessarios ad probandum intencionem suam in dicta causa informacionis et pro secunda productione cum intimacione in talibus fieri consueta, perhibituros testimonium veritati in dicta causa super inquirendis per nos vel deputatos nostros ab ipsis, nec non sindicos seu procuratores predicte Universitatis, visuros dictos testes recipi et eorundem juramenta etiam cum intimacionibus in talibus fieri consuetis, certifficans seu certifficantes infra predictam diem de hiis que feceritis vel fecerit in premissis particulariter et distincte cum nominibus et cognominibus dictorum citandorum. Ipsa nomina et cognomina sequuntur, et sunt ista, videlicet magistri :

Doctores in s. theologia:

Radulphus Glascardi,
Symon Freron,
Johannes dictus de Karolay,
Johannes Golein, Ord. b. Marie de Carmelo,
Girardus de Vervino,
Jacobus de Moreyo, Ord. Pred.,
Stephanus Gaudeti,
Johannes de Caerleoret,
Stephanus de Calvomonte,
Johannes de Basylia, mag. Ord. August.,
Prior[1] prioratus S. Martini de Campis,
Bonitus, provincialis frat. Ord. Pred.,
Ricardus Garnonis, abbas S. Maglorii Paris.,
Johannes Thome Pred. Ord.,
Egidius de Aurelianis[2], Ord. August.,
Henricus Herout,
Balduynus Agni,
Johannes de Savengiis[3],
Johannes Trelon,
Johannes Calays[4], prior Ord. de Caritate b. Marie,
Christophorus[5] Ord. Min.,
Henricus de Cremona[6],
Johannes le Maye[7], de domo Majoris Monasterii,
Helveus Sulven,
Johannes Ade,
Stephanus Lemosin, domini nostri pape penitenc. de Ord. frat. Pred.,
Egidius de Campis,
Franciscus de S. Michaele,
Petrus de Grandisilva[8],
Egidius Abbatis[9],
Guillelmus Episcopi,
Cristianus de Altarippa,
Johannes Merici,
Philippus de Gotulis,
Johannes de Attignyaco,
Matheus Silvestris,
Petrus de Aillyaco,
Alnaldus Grelly[10].

Necnon [*magistri*] :

Decretorum doctores:

Jacobus Divitis, decanus Parisiensis,
Frater Johannes de Bo[r]nasello, prior Carnotensis,
Magister Herveus Costroti,
Magister Petrus de Themericuria, prior S. Georgii prope Hysdinium et conservator,
Frater Henricus Beuve (*ms.* : Litune), religiosus monasterii S. Mauri de Fossatis,
Frater Petrus de Agnevilla, prior S. Vigoris,
Magister Johannes Baldoynus, curatus S. Luppi de Thyais,
Magister Salomon de Lesquelem,
Magister Petrus de Luppimonte,
Magister Radulphus de Lesya,
Magister Ro[bertus] de Dours officialis Paris.,
Magister Henricus Rosselli,
Magister Johannes de Sacco [Socco], can. Paris.,
Magister Petrus Bidaut,
Magister Jacobus de Tornaco, curatus S. Genovefe Paris. in Monte,
Magister Johannes de Crepone,
Magister Johannes de Fargiis, prior de Lamoch Leodiens. dioc.,
Frater Ricardus[11], abbas S. Martini Trecens.,
Magister Johannes de Marchia,
Magister Yvo Carangar,
Magister Johannes Baudoart, prior de Arbosio,
Magister Ricardus Belet,
Magister Ytherus[12] de Matrolis, archidiac. Divionens. in ecclesia Lingonensi,
Magister Garterus [Galterus] le Gras,
Frater Bernardus de Oratorio, O. S. B.[13].

Item subscripti sunt bacallarii in theologia :

Er. S. Aug.:

Frater Gracias[14], presentatus Augustinensium,
Prior[15] conventus Augustin.,
Johannes de Blesis[16],
Guillelmus de Pyssyaco,

Erem S. Aug. (*sequentia*).

Johannes de Waestphalia,
Robertus Poitevim,
Franciscus de Argentina[17].

In ordine sequenti baccallarii Sententiarum [et] biblici ejusdem Ordinis :

Frater Nycolaus Jagye[18],
Johannes de Yspania,
Johannes de Chamis[19] biblici.

Ac etiam baccalareus de Saluchiis[20], magister studentium,
Baccallarius de Acquitania,
Baccallarius de Lemovicinio,

Ord. Min.

Frater Dionisius Fauchart[21] baccallarius,
Corrector primus[22],
Corrector secundus,
Assistens Galicorum[23],
Assistens Yspanorum,
Assistens Romanorum,
Assistens Lombardorum,
Frater Symon de Croissyaco[24],
Frater Johannes Brisse[25],
Frater Fernandus de Weda,
Frater Johannes de Gardia[26],
Frater Jacobus Fartichi [Farchiti],
Frater Andreas Joly,
Frater Johannes Chimeno,
Frater Bernardus de Crasa,
Frater Durandus de Fargiis,
Frater Guillelmus Ferol[27],
Frater Petrus de Campis,
Frater Johannes Vacherii,
Frater Matheus de Bonaquist,
Frater Berengarius de la Borone,
Frater Durandus Carueilay,
Frater Antonius de Anezane,
Frater Ludovicus Vicenti[nus],
Frater Bernardus de Turri,
Frater Johannes Henrici,

Frater Oliverius[28] presentatus,
Frater Johannes Gaii[29] baccallarius,
Frater Johannes Vitalis[30] baccallarius,

Ord. Praed.

Frater Petrus de Vancheyo[31] baccallarius,
Frater Thomas de Guenovilla baccallarius,
Frater Ricardus Bigoti baccallarius,
Frater Adam Petite baccallarius,
Frater Guillelmus de Porta studens,
Frater Lambertus de Agro studens,
Frater Johannes Lombardi studens,
Frater Egidius Munerii studens,
Frater Johannes de Cruce studens.
Frater Petrus Canerii studens,

O. P. (*seq.*)

Frater Thomas de Toto studens,
Frater Michael Velini studens,
Frater Johannes Majoris studens,
Frater Hugo Stoquer baccallarius.

Magistri :

Johannes de Guignicourt,
Petrus Plauol (*sic*),
Johannes Luqueti baccallarius theologie,

Ac magistri :

Medici

Guibertus de Celseto,
Johannes de Mella,
Thomas de S. Petro,
Guillelmus Carnificis,
Johannes Charreton,
Johannes de Bellomonte,
Radulphus de Herpis,
Reginaldus Freron,
Henricus Carpentini,
Martinus Gazel,
Petrus Verelli,
Guillelmus de Camera,
Thomas Graffart,
Gerardus Pignoti,
Henricus Crevesac[32],
Ingerannus[33] de S. Fussiano,
Radulphus Tabernarii,
Stephanus de Silvis,
Stephanus de Tullo,
Thomas Blanchechappe[34],

Et insuper magistri :

Artiste

Jacobus Juvenis,
Goffridus de Belieme [Blienne],
Henricus de Harlem,
Laurentius de Verseni,
Nicolaus de Costardi [Haustardi],
Johannes Varreti,
Sygerus Lours,
Johannes de Hens,
Johannes Vorgnoin,
Johannes de Burgondia,
Nicolaus de Wademonte junior,
Johannes Carrelet,
Johannes Cuspidis,
Johannes de Austria,
Johannes de Morraino[35],
Johannes de Villaribus[36],
Johannes Sapientis,
Johannes Parvi[37],
Johannes Marlanes [Morales],

Artiste (*sequentia*).

Henricus Chicoti,
Lambertus de Chaland[r]i,
Laurentius Quillet,
Gerardus de Versynyaco,
Nicolaus de Wademonte [senior],
Johannes de Maises (?),
Johannes de Monasterio,
Johannes Comitis,
Honoratus de Porta,
Philippus Ogeri,
Philippus Parentis,
Flamingus du Martroy,
Guillelmus Gorrem,
Johannes Vaquelot,
Nicolaus Pichom,

Art. (*seq.*)

Johannes de Londa,
Johannes de Hoquelen,
Robertus Candonis,
Johannes Reverii,
Henricus Gorrem.

Item dicti Ordinis Augustinensium fratres studentes utpote fratres :

Johannes Juralie, provincie Tholosane,
Frater Gaufridus Radulphi,
Petrus de Metis,
Petrus de Terracio de Burdegalis,
Robertus de Parisius,
et Martinus de Rothomago[38].

[187]

Datum Parisius sub sigillo nostro ad causas die xvj mensis Augusti, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quinto.

Arch. Vat. Collect. nº 440, fol. 70b-72b. — Abstinemus ad illos magistros, quorum jam in superioribus mentio fiebat, notas afferre. Inter uncos notata sunt nomina ex aliis locis msti desumpta.

1. Guillelmus. — 2. Deest in *Catal. licent.* — 3. Seu « Chavengiis ». Navarricus, licentiatus an. 1379 e *Catal. licent.* — 4. Seu « Coles », de quo supra, p. 384 — 5. De Cugneriis. Vid. supra. — 6. Juxta *Catal licent.* aliaque documenta fuit Vallisscholarium, et licentiatus an. 1381. — 7. Johannes « la Maye » an 1381 licent. est e *Catal. licent.* — 8. Petrus Olerii, Cisterc Ord., religiosus monast. Grandissilvae, postea fuit provisor S. Bernardi Paris., et circa 1399 vel 1400 abbas Grandissilvae (*Gall. christ.*, XIII, 138). Idem esse videtur ac « Petrus du Myr » in *Catal. licent.*, licent. an. 1383 (1384); in ms. 5657a Bibl. nat. insuper perperam additur « abbas Clarevallens. ». — 9. Licent. an 1383 (1384) e *Catal. licent.* — 10. I. e. Arnoldus Grilli, Ord. Min., de quo nº 1405. In msº additur « Doctores in s. theol. » — 11. Richardus Papin, prior prioratus de Nomaco, Ord. S. Aug., decret. doctor, fit per obitum Petri abbas S. Martini de Arcis Trecens. an. 1373, Aug. 8 (Reg. Av. Gregorii XI, vol. XVIII, fol. 61, — omittitur in *Gall. christ.*, XII, 582); an. 1391, Jun. 16, abbas S. Johannis in Valleia (Reg. Av. Clem. VII, vol LXI, fol. 219). — 12. Yterius de Martreuil factus est an. 1392, Aug. 19, cum esset praepositus S. Audomari de S. Audomaro, episcopus Aniciens. (Reg. Vat. Clem. VII, nº 303, f. 21). — 13. Ms. : « Octono ». Additur « decretorum doctores ». — 14. « Antonius Gratias » (des Graces) licent. in theol. an. 1388 e *Catal. licent.* — 15. I. e. Victor de Camerino, de quo nº 1513 — 16. « Johannes Blesus, alias le Besgue » licent. an. 1386 (1387). — 17. « Alias de Franciis », licent. an. 1389 e *Catal. licent.* — 18. De Tornaco? qui licentiatus est e *Catal. licent.* an. 1400. — 19. « De Calmis, alias de Chaumur » in *Catal. licent.*, licent. an. 1395. — 20. Nescimus, ad quem Ordinem (August. vel Min.) iste et tres sequentes pertineant. Opinamur tres sequentes ad Ord. Min. pertinere, et baccal. de Saluchiis ad Augustin. — 21. I. e. Foulechat, de quo supra pluries. — 22. In conventu Paris. Minor. duo correctores fuerunt et, ut videtur, biblici. Vid. supra nis 1383 et 1448 sq. — 23. Jam an. 1260 S. Bonaventura pro studentibus in conventu Minor. Paris. quatuor assistentes instituit (vid. *Chartul.*, I, nº 364, not.); ex quo tempore in actis Universitatis hic primum, ad an. 1385, horum quatuor assistentium mentio fit. — 24. « Simon de Coursy » licentiatus est an. 1401 e *Catal. licent.* — 25. Johannes « Brixeus » licentiatus est an. 1395. — 26. Clemens VII an. 1386, Martii 17, cancellario Paris. injungit, ut Johannem « Gardi » in primo cursu hiemali proxime futuro ad legendas Sententias deputet eique durante lectura a fratribus domus Min. Paris. in victu aliisque sicut bacallariis Ord. provideri faciat et postea licentiam donet (Reg. Av. Clem. VII, vol. XL, fol. 72). Sed e *Catal. licent.* solummodo an. 1395 licentiatus est (« Johannes Achardi »). — 27. « Guillelmus Ferreoly » licent. est e *Catal licent.* an. 1395. — 28. I. e. Oliverius Went seu Maillard, Ord. Praed., de quo nº 1416. — 29. Ord. Praed., de quo supra. — 30. Johannes Corduarii, alias Vitalis, Ord. Min , licentiatus an 1389, qui eodem anno scripsit contra Joh. de Montesono *Defensorium b. Virginis*. Vid. de ipso Sbaralea, *Suppl.*, p. 466. — 31. I. e. Bancheio. Vid. supra nº 1482. — 32. Ms. « Grevesac ». Alibi scribitur « Crevesat ». — 33. Ms. : « Angerannus ». — 34 Hic additur : « medici ». — 35 Seu « Moraine », de quo jam supra p. 256 et 260, not. 52. — 36. Licent in theol. e *Catal. licent.* an. 1395. — 37. Celeber Johannes Petit, de quo infra in rotulo an. 1387, nº 1541 — 38. In aliis similibus instrumentis inter alios etiam notantur duo bedelli theol. facultatis, Nicolaus et Egydius; Herveus bedellus Augustinensium; Thomas Episcopi, bedellus Praedicatorum; fr. Johannes de Usaria, August., licent. an. 1388 e *Catal. licent.*, ubi « Wissaria »; fr. Dominicus de Lunarivilla. Ord. Min. (supra nº 1500, not. 2), fr. Johannes de Sailisio, Carmel., licent. an. 1386 (1387) e *Catal. licent.*, ubi « Johannes Salesius ». Vid. infra num 1538.

Folia 73-78, quae acta usque ad Octob. 2 an 1385 continent, implentur partim instrumentis, quae pertinent ad citationes testium tam pro Universitate quam pro cancellario, partim descriptione quomodo Universitas monstraverit cancellario quaedam originalia, scil. Bullam *Parens scientiarum*, privilegium *Servus crucis* et Ordinationes Urbani V an. 1366, quae in ms° fol. 146-157 exscribuntur. Ediscimus tantummodo partem contra partem litigasse, et nihil conclusum fuisse quantum e ms° apparet, in quo multa folia inter fol. 78 et fol. 79, ubi nunc examen testium incipit, desunt.

1519. *Propositio Petri de Ailliaco coram Clemente VII Avenione facta contra cancellarium.*

1385, circa finem, Avenione.

Domine vim pacior, responde pro me. Scriptum est Ysaie 38 capitulo. Beatissime pater, humilis et devota vestra filia mater nostra Universitas studii Parisiensis nos ejusdem sanctitatis filios humiles et devotos ad vestram beatitudinem destinavit ad humiliter implorandum ac eciam, Dei et apostolice sedis gracia, ad efficaciter impetrandum vestram provisionem apostolicam super certis excessibus, abusibus et injuriis eidem Universitati et contra ipsius privilegia, libertates et jura per venerabilem, etc., cancellarium ecclesie Parisiensis et nonnullos ejus officiarios violenter illatis...

Igitur, pater beatissime, in persona dicte filie vestre et ipsius nomine, vobis possum dicere : *Domine vim*, etc.... Fletus meus cor tuum moveat et clamor meus ad te veniat, quoniam non advena est que ad te clamitat, non ignota que te pro se respondere suppliciter exortat, sed tua est, pater beatissime, tua est filia humilis et devota. Ego siquidem, ut plus movearis, illa sum primogenita studiorum, quam Egiptii tanto parturierunt studio, illa inquam ego sum, quam miro modo Grecorum auxit et coluit labor, illa ego sum, quam tanto favore Romanum decoravit imperium, quam denique invictissimus, christianissimusque Francorum rex Karolus Magnus tantis laboribus Parisius intulit et adduxit; illa postremo, quam tot summorum pontificum, tot regum studia coluerunt. Nec illud preteribo quod nulla unquam heresis monstruositate deformis extiti, verum filios genui semper fidei orthodoxe precipuos deffensores. Nunc vero, proch dolor, a quibusdam improbis filiis, quos ipsa nutrivi, quantum in ipsis est, viliter prostituor....

Dico igitur primo quod filia vestra, etc., profitetur dominium vestre celsitudinis. Sane, pater beatissime, vestra filia sepedicta vestre sanctitati obediens et subjecta, vos non solum patrem, sed dominum suum, nec qualemcunque dominum, sed supremum et universalis ecclesie capud summum veraciter et unanimiter profitetur. Et licet Terencius dicat *quot capita tot sententie,* tamen omnia supposita Universitatis predicte, quamquam diversa sint et diversarum ac valde distancium nacionum, in hanc unam sentenciam conveniunt, et nunc concorditer uniuntur. Omnis ergo procella mentium jam transquilla quiescit, omnisque verborum discordia in hac fidei concordia perseverat, a qua filiam vestram nullus unquam error seducet, nulla vis unquam dirripiet, quinymo vestris semper in ulnis sinuque paterno firmissima residebit, et se pro domo Israel murum, quidquid dicant emuli, quidquid murmurent susurrones, viriliter opposuit et constanter opponere proponit.

Quod ex hoc satis perspicuum est, quia declaracionem seu adhesionem suam sanctam et justam[1] per diversas mundi partes publicavit et, quod in recenti memoria est, nuncios eciam proprios et deputatos solempnes ad sedacionem scismatis in Flandriam delegavit[2]. Sed quod hiis omnibus majus est et ad perpetuam vestri nominis memoriam, nunc sub vestre sanctitatis auctoritate generaliter in omnibus suis privilegiis et statutis reformari desiderat, et ad hoc totis viribus humiliter se disponit. Hec autem ideo dixerim, pater beatissime, quoniam adversarius filie vestre et ipsius complices, quia causam suam veritate nequeunt deffendere, hac saltem falsitate eam protegere et tueri nituntur, ut asserant, quosdam de Universitate predicta eis occasione scismatis latenter adversari et hanc ideo persecucionem inferre, quod adeo notorie falsum est, ut cachino et irrisione dignum sit, sicut experiencia declarabit.... Ut autem immortalis est veritas, sic teste Francisco poeta laureato [Petrarcha] « fictio et mendacium non durant, simulata illico patescunt; et sicut magno studio compta cesaries vento turbatur exiguo, sic argutum quoque mendacium vero cedit »....

Secundo.... Ut igitur vim quam filia vestra passa est et patitur, vobis, pater beatissime, valeam declarare, habeo ex parte ejus et ipsius nomine 8 articulos vestre sanctitati proponere, in quibus consistit justificacio cause sue, et injusticia partis adverse.

Primus articulus est, quod fama publica laboravit et adhuc laborat Parisius et alibi in diversis mondi partibus, quod dictus cancellarius una cum quibusdam officiariis et complicibus suis plures graves excessus et intollerabiles abusus commisit, exigendo, recipiendo et extorquendo peccunias a licenciandis in diversis facultatibus, ac eciam a bachalariis admittendis ad Sentenciarum lecturam; aliquos insuper licenciavit sine examine et deposicione magistrorum, specialiter in theologica facultate, indignos acceptavit, dignos abjecit, minus dignos dignioribus preposuit. Que omnia sunt non solum contra jura divina pariter et humana, sed eciam contra libertates, privilegia et statuta Universitatis predicte, que tamen dictus cancellarius juravit inviolabiliter observare.... Prout quodam loco scriptum legi, tunc adventus Antichristi propinquus erit, cum Romani imperii destitucio, scismatis ecclesiastice desolacio et Parisiensis studii destructio precesseri[n]t, quia spiritualis et temporalis fidei deffensio maxime tunc deerit....

Secundus articulus est de informacione, etc., de appellacione, etc. O quam frivola provocandi racio! O quam irracionabilis appellandi occasio! Sane, pater beatissime, qui hac occasione provocat et appellat, ostendit plane quod non refugium, sed diffugium justicie querat....

Tercius articulus de tractatu deputatorum, etc., et de refutacione tractatus per cancellarium. Certe, pater beatissime, qui tractatum pacis et concordie tam amicabilem et ei favorabilem tam contumaciter refutavit, se nimis esse litigiosum manifeste probavit....

Quartus articulus de statuendis, etc., salvis in omnibus privilegiis et libertatibus ecclesie et cancellarii Parisiensis[3], etc. Hec autem, pater beatissime, que Universitas statuit

vel proposuit statuere, adeo sunt juri et racioni consona et antiquis privilegiis et statutis tam propinqua, ut magis debeant vocari declaraciones, quam constituciones censeri; et ut vestre sanctitati breviter refferam quid continent, certe nichil aliud nisi studii libertatem, studencium utilitatem, justicie honestatem et avaricie ac injuste cupiditatis dampnacionem. Propterea adversus illa murmurant, latrant, detrahunt avari, injusti et cupidissimi munerum exactores. Sed vestra sanctitas, quod improbi dampnant, juste et racionabiliter approbabit.

Quintus articulus de citacione fraudulenta, etc. O utinam qui talem fraudem excogitavit, utinam qui tale gravamen intulit, dolum suum sibi nocere senciat et ex sua fraude dampnum quod meretur incurrat....

Sextus articulus est de usurpacione honorum, etc. O superbia monstrum horribile, qui uni corpori duo aptare capita et in verum capud membrum insurgere suasisti! O vere imitatorem Luciferi, qui locum sublimitatis et honoris alteri debitum usurpasti et altiori ac superiori tuo presumpsisti non solum te similem dicere, sed preferre. Verum qui altius ascendere satagit quam debeat, justum est ut ad yma precipitanter descendat, dicente Christo : *Qui se exaltat humiliabitur*.

Septimus articulus est quod tres reverendissimi patres domini cardinales Laudunensis[4], Scocie[5] et de Lucenbourch[6] obtulerunt se ad tractandum amicabiliter de concordia inter partes, quorum duo propter hoc ex sua humilitate ad congregacionem Universitatis personaliter accesserunt. Unde propter ipsorum reverenciam et ad eorum requestam Universitas predicta eorum ordinacioni totum factum in superioribus articulis expressum submisit. Et licet dictus cancellarius huic tractatui eciam se submiserit ipsumque procuraverit ac eum prius quesierit, tamen durante tempore dicti tractatus multa contra premissa sua contumaciter attemptavit, prout ex quibusdam publicis instrumentis luce clarius poterit apparere. Et quamvis dicta Universitas consentiret, quod de abusibus, excessibus et injuriis preteritis ac eciam de expensis hac occasione factis dicti domini secundum eorum consciencias ordinarent, dummodo fieret certa provisio per quam tolleretur in futurum omnis abusuum corruptela : tamen in dictam provisionem dictus cancellarius noluit consentire, sed dixit et respondit domino cardinali quod volebat ire ad curiam, et prosequi causam suam per viam litigii, prout dictus dominus cardinalis Laudunensis mandavit et significavit Universitati predicte. Unde satis apparet manifeste quod dictus cancellarius non simplici corde, sed dolose pacem querebat, ut ipse sit de numero illorum, de quibus propheta dicebat : *Qui seducunt populum meum et mordent dentibus suis, hii predicant pacem*. Miche[as] 3....

Octavus articulus est quod finito tempore dicti tractatus decanus et magistri theologice facultatis fuerunt congregati ad ordinandum aliqua bona et salubria ad honorem et utilitatem studii et eciam catholice fidei, et generaliter tocius ecclesie Dei, que licet nullatenus essent contra personam aut officium dicti cancellarii, prout per quedam instrumenta super

hoc confecta patebit[7], tamen ad impediendum illa ipse iterum et contra Universitatem et contra facultatem theologie specialiter appellavit....

Hii sunt ergo, pater beatissime, hii sunt 8 articuli generales (multa alia nunc causa brevitatis sub silencio pretermissa), in specie continentes, quos vestre sanctitati proponit et vestre beatitudini denunciat filia vestra humilis et devota, ut in hiis brevia et utilia per vos adhibeantur remedia....

Et ut vestra sanctitas supplicacioni filie sue liberalius descendat, invictissimus ac christianissimus Francorum rex et eciam nobilissimus princeps dominus Burgondie, quos nullus ambigit filie vestre dampna quasi propria doluisse, vestre beatitudini suas litteras supplicatorias transmiserunt, et insuper domini cardinales, etc., et dominus episcopus, etc., pro ea suis litteris intercedunt, ut, sic multiplicatis intercessoribus, vestra sanctitas id, quod tam humiliter postulatur, celeriter largiatur, quam ad regimen ecclesie sue sancte feliciter regere dignetur ille, qui sine fine vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 3122, fol. 61-64. In margine legitur : « Coram papa proposicio ». In illa Petrus de Ailliaco praeter s. scripturam affert Augustinum, Bernardum, Tullium (Ciceronem), Ovidium, Senecam, Cassiodorum. P. Tschackert, *Peter von Ailli*, Appendix, p. 24, e cod. Colleg Emanuelis Cantabrig. nº 1, art. 14, edidit paucas tantum sententias sermonis, quem Petrus non « an. 1384 vel 1385 » coram Clemente Avenione habuit, ut Tschackert praetendit, sed in fine anni 1385, quod probatur ex ipsius tenore, scilicet post statutum Universitatis an. 1385, Januarii 9, post appellationem cancellarii; post statutum facultatis an. 1385, Julii 7; post declarationem Universitatis an. 1385, Octob. 20.

Eodem tempore vel an. 1386 (non 1389, ut apud Jourdain nis 855, 856) Petrus de Ailliaco duos tractatus contra cancellarium Paris. edidit, qui in *Opp. Gerson.*, ed. Dupin, I. 723 et 745, leguntur.

1. Anni 1383, Februarii 3, seu potius 26 Vid. infra *De Schismate*. — 2. Vid. ibid., ad an. 1384, Septemb. 18. — 3. Hac formula Universitas Paris. usa est in declarando quodam statuto an. 1385, Octob. 20. Vid. supra nº 1504, not. 2 ad an. 1385, Januar. 9. — 4. De quo semper. — 5. Walterus de Wardelaw, episc. Glasguens., card. ab an. 1383, Decemb. 23, de quo in *Chartul.*, II, *Indice* (Galterus). — 6. Petrus, de quo supra p. 389, not. 5. — 7. Supra nº 1514, Julii 7.

PRO CANCELLARIO.

1520. *Articuli cancellarii Johannis Blanchart, compositi a mag. Johanne de Valle, contra Universitatem Paris.*

1385, Julii, Parisiis.

Isti sunt articuli, quos vobis reverendissimo in Christo patri ac domino suo metuendissimo domino Petro sacrosancte Romane ecclesie presb. cardinali Laudunensi, tradit venerabilis vir magister Johannes de Valle, advocatus Parisiensis in foro ecclesiastico, procurator et procuratorio nomine venerabilis et circumspecti viri mag. Johannis Blancart, s. theol. doctoris et cancellarii eccl. Paris., rei, in causa que inter ipsum dominum cancellarium ab una parte, et viros venerabiles rectorem et universitatem magistrorum et scolarium Parisius studencium actorum vertitur parte ex altera, ad finem quod super istis articulis reverendissima paternitas vestra se dignetur informare summarie et de plano, et testes per dominum meum cancellarium per me aut alium ejus nomine producendos super

istis articulis examinare seu examinari facere cum interrogatoriis per me datis et alias rite ac pertinenter sicut jura volunt, litteras etiam, instrumenta, scripturas et alia probacionum genera, quas et que dominus meus vel ego aut alius ipsius domini mei procurator et procuratorio nomine producere voluerit in hac causa pro intencione sua fundanda et probanda, coram vobis recipere et sancte sedi apostolice referre juxta formam et tenorem commissionis apostolice, virtute cujus proceditis in hac causa.

Primo ponit et probare intendit quod dominus cancellarius et cancellaria eccl. Paris. sunt et fuerunt a sancta sede apostolica et nonnullis legatis ejusdem prediti et dotati multis auctoritatibus, potestatibus, libertatibus et privilegiis, usibus eciam et consuetudinibus, quibus cancellarius modernus et sui predecessores cancellarii ecclesie Parisiensis pro parte usi sunt libere, quiete et pacifice, Universitate et rectore studii Paris. scientibus et scire volentibus et non contradicentibus ab uno, duobus, tribus, x, xx, xxx, xl, l et lx annis, et a tanto tempore antea, quod de illius temporis inicio memoria hominum non existit.

ij. Item quod omnes et singuli magistri studii Paris., sive rector sit aut fuerit ipsius matris nostre Universitatis Paris., in theologie, decretorum, medicine et artium facultatibus licenciati (ex[c]eptis illis dumtaxat qui apud Sanctam Genovefam in artibus precise et in nulla aliarum predictarum facultatum Parisius fuere licenciati publice et solenniter) tempore licencie eorum juraverunt jura, privilegia, libertates, usus et consuetudines cancellarii et cancellarie ecclesie Paris. servare pro viribus illesos, illesas et illesa, nec illis aut alicui illorum contraire per se vel per alium, publice vel occulte, tacite vel expresse, aut alias quovis modo, ad quemcunque statum devenerint.

iij. Item quod cancellario eccl. Paris., qui est et qui erit pro tempore, exhibebunt reverenciam et honorem similiter, ad quemcunque statum devenerint.

iiij. Item quod fidele testimonium perhibebunt de bachalariis licenciandis, ad quemcunque statum devenerint, quocienscunque a cancellario eccl. Paris. qui est vel qui erit pro tempore fuerint requisiti.

v. Item quod super hiis articulis et eorum quolibet est publica vox et fama in civitate et studio Paris.

vj. Item quod inter privilegia, auctoritates, potestates seu libertates a sancta sede apostolica ipsi cancellario eccl. Paris. racione sue cancellarie concessa seu concessas, est sibi auctoritas et potestas bacalarios ad hoc aptos et ydoneos in theologie, decretorum, medicine et artium facultatibus licenciandi.

vij. Item postquam bacalarii, quicunque fuerint illi, pro obtinenda licencia in quacunque facultatum predictarum, et precipue in theologie et decretorum facultatibus, fuerint cancellario presentati, licitum est cancellario et apostolica auctoritate concessum[1], quod se possit informare spacio trium mensium tam per omnes magistros illius facultatis Parisius presentes, in qua petunt licenciari vel pro ipsis petitur ut licencientur, quam per alios

viros honestos ac literatos, per quos veritas sciri potest de vita, sciencia et facundia necnon proposito et spe proficiendi et aliis, que sunt in talibus requisita seu requirenda, et super premissis diligenter inquirere, et inquisicione sic facta, quid deceat et quid expediat, bona fide dare licet cancellario vel negare secundum conscienciam suam petenti licenciam postulatam, prout juxta honestatem et circumstancias facultatis illius ac studii et personarum sibi visum fuerit expedire.

viij. Item quod per cancellarium eccl. Paris. aut per suum subcancellarium vice, loco et nomine ipsius cancellarii in singulis quatuor prenominatarum facultatibus Parisius licenciati ibidem a rectore et ab omnibus officiariis, magistris regentibus et non regentibus, a bacalariis et scolaribus omnibus et singulis alme matris nostre Universitatis Parisiensis pro licenciatis habentur et haberi consueverunt, et ad omnes actus magistrales ac magisterium[2] de usu, stilo et consuetudine studii Parisiensis in illa facultate, in qua sic ut prefertur licenciati sunt, primi et etiam sequentes libere admittuntur et admitti consueverunt solito more studii sine contradictione quacunque.

ix. Item quod de hiis omnibus et singulis cancellarius, qui nunc est et sui predecessores qui fuerunt pro tempore, etiam licenciati per eos sunt et fuerunt ab uno, duobus, tribus, x, xx, xxx, xl, l, lx annis et a tanto tempore antea quod de illius inicio hominum memoria non existit, in quieta possessione et pacifica, dempto impedimento nuper per magistrum Philippum Parentis tempore rectorie sue[3] et nonnullos officiarios et personas privatas facultatis arcium ipsamque facultatem arcium prestito contra omnes et singulos hoc anno presenti in examine cancellarii eccl. Paris., quod vulgariter examen Nostre Domine appellatur, examinatos et licenciatos nomine ipsius cancellarii solito more in facultate predicta, quos predicti magister Philippus Parentis tempore rectorie sue, nonnulli officiarii ac persone private facultatis arcium ipsaque facultas arcium, ne ad magisterium in artibus more solito ultro procederent vel admitterentur, contra cancellarii et cancellarie eccl. Paris. privilegia, usus, libertates et consuetudines hactenus inconcusse et libere observatas, temere et contra eorum sollempniter et publice prestita juramenta impediverunt, in ipsius cancellarii et cancellarie eccl. Paris ac licenciatorum sic impeditorum grave prejudicium et gravamen, rectorie Universitatis et facultatis artium reverencia salva.

x. Item quod de premissis omnibus est in studio et civitate Paris. publica vox et fama.

xj. Item quod cancellarius eccl. Paris. racione sue cancellarie est auctoritate apostolica privilegiatus, quod non solum petentibus licenciam in facultate theologie et ad illam obtinendam more solito presentatis dare potest vel denegare, ut predictum est, licenciam postulatam, sed eciam non petentibus et non presentatis precipue religiosis[4], si ad illam obtinendam bona fide sibi in consciencia sua ad hoc ydonei videantur.

xij. Item quod licenciandis in theologie, decretorum et medicine facultatibus cancellarius eccl. Paris. qui est pro tempore mittere consuevit pridie licenciarum suarum

quasdam cedulas, signeto quodam cancellarie in talibus apponi consueto roboratas, que cedule communi nomine in studio et civitate Paris. *signeta* vocantur, unicuique in quacunque trium facultatum licenciando suum signetum predie (*sic*) licencie sue mittens in domo habitacionis sue cum aliquibus familiaribus suis, et uno de budellis (*sic*) illius facultatis.

xiij. Item quod ipsi licenciandi, in quacunque trium predictarum facultatum fuerint, consueverunt predicta signeta et cancellarii nuncios cum magnis honore et reverencia atque graciarum accione recipere, ipsisque cancellarii nunciis vinum et species[5] late et habunde cum gaudio ministrare, quibus ministratis unusquisque licenciandus[6] *medicus,* de petita licencia in crastinum obtinenda virtute sibi per cancellarium transmissi et per eum recepti signeti securus, ipsi cancellario per suorum signetorum nuncios duos denarios aureos ad minus valoris duorum francorum; et quilibet in *decretis* licenciandus similiter ad minus unum denarium aureum valoris unius franci in signum honoris et reverencie, favoris et benivolencie, mittere consueverunt, libera et spontanea voluntate, sine exaccione quacunque et sine cujuscunque pacti precedentis connexi vel concomitantis intervencione tacita vel expressa.

xiiij. Item unusquisque bacalariorum tam religiosorum quam secularium in facultate *theologica* licenciandorum predie licencie sue reverenter, humiliter et cum magna graciarum accione recepto signeto per dominum cancellarium sibi transmisso, ex quo de licencia juxta signeti tenorem in crastinum[7] obtinenda redditur ipse securus, post vini et specierum latam, liberalem et habundam nunciis ipsius domini cancellarii administracionem, ipsos domini cancellarii nuncios trahere consuevit ad partem, et per eos in una bona bursa et honesta vel in aliquo alio grato jocali mittere consuevit cancellario decem denarios aureos ad minus valoris decem francorum, vel plures, tot quot ipsi bacalario licenciando placet, et sibi juxta suam animi liberalitatem, diviciarum potenciam et status exigenciam expedire videtur.

xv. Item quod dare consuevit unusquisque talium licenciandorum post signeti hujusmodi recepcionem familie cancellarii unum, duos, tres vel quatuor florenos, aut tot quot sibi placet, pro gratis novis et laboribus eorundem.

Et *artiste* similiter pro qualibet audicione camere, cum de obtinenda licencia sunt securi, dare consueverunt familie cancellarii pro eorum laboribus, quos pro ipsis substinuerunt et serviciis, que ipsis tempore quo fuerunt in camera impenderunt, aliquando plus, aliquando minus de peccuniis pro ipsorum beneplacito voluntatis.

xvj. Item quod aliqui[8] cancellarium, alii familiam ejus, alii tam cancellarium quam familiam ejus aut aliquos de familia notabiliores, induere, id est pannos et pennas ad eos induendum eis mittere consueverunt, libera et spontanea voluntate, eciam post licenciam per cancellarium eis datam et locum assignatum.

xvij. Item quod hec omnia peccuniarum, donorum et jocalium daciones et transmissiones dari et transmitti[9] ipsi cancellario et familie sue per licenciandos, bacalarios ante-

dictos libera et spontanea voluntate absque cujuscunque pacti super licencia danda vel loco assignando aut super aliqua alia re per cancellarium eis facienda prevencione vel intervencione quacunque, sed precise in signum virtuose congratulacionis periculi, quod evaserunt, et honoris quem receperunt, necnon in signum hónoris et reverencie, favoris et benivolencie, quibus ipsi domino cancellario filialiter afficiuntur, et eciam pro gratuita recognicione laborum, quos cancellarius pro eis substinuit, priusquam gradum magisterii habeant consommatum.

xviij. Item quod a tanto tempore, quod de illius inicio memoria hominum non existit, solitum est laudabiliter et consuetum, ut plures magistri licenciati, plures bachalarii et scolares licenciandi, eciam et non licenciandi, et quidam alii litterati et non litterati, laici et clerici, quando eis placuit, domino cancellario vel ejus familie mittere vel dare consueverunt interdum esculentum aut potulentum, interdum alia dona vel munuscula ex eorum spontanea et libera voluntate, sicut filius patri, inferior superiori, socius socio et amicus amico, hic et alibi, de laudabili more ex radice amicicie facere, dare et mittere consuevit.

xix. Item quod contenta a xij articulo usque ad decimumseptimum inclusive observata sunt in studio et civitate Paris. ac usitata notorie, publice et manifeste, et etiam substancia xviij articuli tam in civitate et studio Paris. quam in Romana curia et alibi ubilibet inter viros civiles et politicos, honeste et virtuose inter se conviventes, et eciam cotidie usitantur laudabiliter et observantur, sine abusus aut alterius viciose reprehensionis nota.

xx. Item quod de premissis omnibus est publica vox et fama in civitate et studio Paris.

xxj. Item quod ipse dominus meus cancellarius in civitate et studio Paris. in Romana curia, in partibus suis et alibi, ubi moram fecit, et ubi conversari consuevit, fuit et est bone fame, laudabilis vite et conversacionis honeste.

xxij. Item quod talis fuit et est apud bonos et graves, noticiam ipsius habentes, palam et publice reputatus in studio et civitate Paris., in Romana curia, in partibus suis et alibi, ubi moram trahere et conversari consuevit.

xxiij. Item quod omnes articuli pro parte sua adversa in hac causa, reverendissime pater, coram vobis dati contra sepedicti domini mei cancellarii bonam famam, laudabilem vitam et conversacionem honestam tendentes, aut aliquid per prefatum dominum meum in contrarium usum, abusum, actum vel perpetratum pretendentes, inadmissibiles sunt nec de jure debent admitti, vel quia sunt de materia impertinenti juxta formam commissionis apostolice, virtute cujus proceditis in hac parte, vel quia nimis generales et minus debite specificati; ac si et in quantum contra ipsius domini mei bonam famam, laudabilem vitam et conversacionem honestam aut in quancunque suorum status et bonorum denigracionem alias facere viderentur, sunt mendose conficti ex appetitu vindicte occasione indignacionis per aliquos concepte contra eum ex causa prioritatis sedis, de qua infra articulo xxxj° satis plane tangitur, aut ex invidia aliquorum et appetitu vane glorie[10], una cum affectu propriorum commodi et honoris, vel alio quovis sinistro motivo potius, quam ex zelo justicie vel

debite reformacionis cujuscumque, alme matris nostre Universitatis ac rectoris et rectorie reverencia semper salva.

xxiiij. Item esto quod dictorum articulorum impertinenciam et inadmissibilitatem dominus meus coram vestra reverendissima paternitate se pluries ex causis pretactis eciam judicialiter obtulerit probaturum, semper tamen ad hoc ipsum admittere recusastis, ad examen testium pro parte adversa super eisdem productorum continue procedendo et procedi faciendo.

xxv. Item, ut reverendissima paternitas vestra sanctissimi in Christo patris ac domini nostri Clementis divina providente clemencia sacrosancte Romane et universalis ecclesie pape septimi de meritis originis et processuum hujusmodi plenius valeat informari, ponit et probare intendit idem procurator quo supra nomine, quod olim tempore fe. re. domini Martini sacrosancte Romane ac universalis ecclesie pape quarti questione mota inter tunc venerabiles viros magistrum Philippum de Toriaco, cancellarium eccl. ex una, et rectorem Universitatis ac Universitatem studii Parisiens. parte ex altera, quis illorum esset major[11], sicut hec que modo vertitur causa inter Universitatem studii et cancellarium ecclesie Parisiensis radicitus habuit ortum, ipsoque magistro[12] Philippo cancellario antedicto ob causam predictam dominum nostrum papam prefatum et Rom. curiam personaliter visitante, ipse cancellarius tunc coram fe. re. domino Martino pape predicto pro se et sua cancellaria, magistro Johanne de Machlinia procuratore Universitatis et pro ipsa [presente], personaliter constitutus proposuit quod prefata Universitas propriis finibus non contenta, inter alia et diversa gravamina que ab illis inferebantur eidem, ipsum, licet Universitatis predicte capud existeret, nec in eum potestatem haberet, sicut nec inferior in superiorem, nec eciam par in parem, per bedellos servitores suos ad congregaciones Universitatis ejusdem sub pena suspensionis leccionum pro sua faciebat voluntate citari; et quia dictus cancellarius sic citatus noluerat sicut nec debuerat, ad easdem congregaciones accedere, ipsum de facto, cum de jure non possent, a suis leccionibus et disputacionibus Universitas predicta suspendit, una cum pluribus aliis gravaminibus inde secutis et per ipsam Universitatem illatis cancellario antedicto, scolaribus et aliis benivolis[13] ejus,— magistro Johanne de Machlinia seu de Malines ex adverso procuratore et procuratorio nomine Universitatis satis superficialiter et perfunctorie respondente.

xxvj. Item quod in [non]nullis postmodum articulis eidem fe. re. domino Martino pape quarto tam a cancellario quam procuratore prefatis exhibitis, qui gravamina ut dicebant hincinde illata exprimebant, ipse tunc dominus papa Martinus diligenter sicut decebat attendens, quod hujusmodi citatio attemptabatur contra Parisiensis ecclesie ac ipsius cancellarii libertatem et eciam laudabilem consuetudinem, anteactis temporibus observatam, cum Parisienses cancellarii qui fuerant pro tempore ad congregationes hujusmodi reverenter et suppliciter consueverint evocari, notam fieri mandavit, per quam districcius inhibebat ne citacio hujusmodi ex tunc ammodo fieri deberet, volens omnino ut idem cancella-

rius et successores ipsius ad easdem congregaciones absque sequela pene cujuslibet cum reverencia et precibus vocarentur, et cetera gravamina ipsi cancellario et suis scolaribus auditoribus et aliis benivolis illata penitus revocabat.

xxvij. Item is idem quondam dominus Martinus fe. re. papa quartus omnes processus contra prefatum cancellarium per Universitatem, rectores et bedellos habitos annullabat, irritabat, cassabat et nullos, cassos et irritos nunciabat veluti in dicti cancellarii juris injuriam attemptatos, cum aliis quibusdam inde secutis.

xxviij. Item quod quamvis de premissis nota hujusmodi eadem omnia et singula manifestius exprimens de ipsius sepedicti domini pape fuerit mandato concepta, dicto tamen cancellario interim viam universe carnis ingresso idem dominus papa de prosecucione prefati processus supersedit, novi cancellarii substitucionem expectans, sicque inter moras eodem domino papa morte prevento, nota eadem ad bullam eventibus retardata premissis non pervenit.

xxix. Item et quod hec omnia a xxv articulo infra inclusive usque ad hunc xxix^m exclusive narrata quo ad substanciam et sententiam facti sunt et fuerunt per fe. re. dominum Honorium papam quartum, prefati domini Martini pape successorem immediatum, auctoritate apostolica roborata una cum nonnullis aliis auctoritatem, preminenciam et potestatem cancellarie et cancellarii ecclesie Parisiensis concernentibus.

xxx. Item quod de hiis omnibus in civitate et studio Parisiensi est publica vox et fama.

xxxj. Item non ad accionem injuriarum pro nunc, quoniam sic pendet super tangendis articulis causa[14] coram reverendissimo in Christo patre domino domino P. cardinali Vivariense, sed dumtaxat ad finem in principio xxv^ti articuli precedentis tactum, ponit et probare intendit idem procurator quo supra nomine, quod quidam magister Laurentius Quilleti anno Domini millesimo CCC^mo octuagesimo quarto, de mense Junio[15], tunc temporis alme matris nostre Universitatis Parisiensis rector, contra dominum meum cancellarium multum acriter inflammatus, eo quod dictis anno et mense, domino cancellario suo cancellarico jure, et ipso rectore ut persona privata et ut amico specialiter rogato, interessentibus in domo Minorum prandio festi cujusdam novi magistri in theologia illius Ordinis, videlicet magistri Ade de Ay, ipse dominus cancellarius post prandium in quadam aula, ubi vinum et species debebant hiis qui in prandio[16] fuerant ministrari, non presumpcione propria aut aliquo alio motivo sinistro, sed ex ordinacione illorum qui de sessurorum locis habebant disponere, sicut in prandio suo solito more principaliorem locum obtinuerat, ita pro vino et speciebus capiendis post prandium situatus[17] fuit primus, et prefatus magister tunc matris nostre Universitatis rector secundus, quo tamen situ non obstante ipse dominus meus cancellarius nec vinum nec species, esto quod sibi prius offerrentur, noluit recipere primus : iste magister Laurencius, tunc ut dictum est rector, tantum et taliter occasione predicta facultatem artium contra dominum meum cancellarium inflammavit, ut dictorum

anni et mensis certa die satis cito post prefatum eventum congregacione facultatis artium super hoc facta hora none Nostre Domine apud Sanctum Bernardum, ipse rector sepedictus, non obstante exempcione et privilegiis in articulis precedentibus narratis, dominum cancellarium ad dictam congregacionem per bedellos facultatis arcium multum solempniter vocari fecit sub omni pena, sub qua generalitate gravium penarum comminacio dabatur intelligi manifeste. Sed dominus cancellarius motum, modum et horam cum nonnullis aliis tocius facti circumstanciis prudenter considerans, quodque die tunc immediate sequenti habebat legere et aulam tenere cujusdam novi magistri in theologia tunc incepturi, se multum amicabiliter et non minus reverenter excusavit, suas premissas occupaciones allegans; et simili modo se fecit in dicta congregacione per magistrum Petrum Plaoul magistrum in artibus et bacalarium in theologia suum subcancellarium excusari.

xxxij. Item quod premissis excusacionibus non obstantibus, que relatu bedellorum et vive vocis oraculo magistri Petri predicti in dicta congregacione allegate fuerunt valde intelligibiliter et[18] expresse, ipse rector contra declaracionem antiquorum et magis provectorum ibidem existencium ad majoris multitudinis juniorum artistarum ibi presencium clamorosum impetum, levavit[19] contra dictum cancellarium contumaciam, et eo quod sic per eum mandatus ibi non comparuit, ipsum contumacem pronunciavit.

xxxiij. Item quod post paucos dies tunc sequentes is idem rector occasionibus premissorum quandam congregacionem facultatis arcium fecit indici hora prime Sancti Jacobi apud Sanctum Maturinum, ad quam simili modo dominum cancellarium vocari fecit, et in qua dictus cancellarius (non quidem ex debito, quia non tenebatur, sed ut ipse se de sibi objectis et obiciendis non minus curialiter et amicabiliter quam racionabiliter et veraciter excusando flammam contra eum succensam extingueret et turbatorum iram placaret) comparuit quamplurimum graciose.

xxxiiij. Item quod expectata ibi et congregata convocatorum multitudine copiosa quidam magister Petrus Bidaudi[20] (quem dominus meus cancellarius paulo ante in decretis licenciaverat, et qui loco et tempore dicte licencie congregatis ibidem prelatorum et aliorum virorum venerabilium multitudine copiosa sollempniter palam et publice inter cetera, que fecit ibi, juramenta juravit domino meo cancellario eccl. Paris. reverentiam et honorem) multum exasperando et factum domini cancellarii occasione cituacionis et non comparicionis predictarum aggravando, inter cetera detestanda que dixit quasi doctor in cathedra determinando autentico suo more loquendi, quantum suorum gestorum et vocis signacula nunciabant, in una maxima[21] velud in uno morali, politico vel juridico principio, a studio tamen[22] omnis fori devio, in omni jure erroneo, et in fide catholica heretico (facultatis quam professus est et ejus pro qua locutus est semper reverencia salva), se fundando, isto videlicet quod « omnis inobediens jussu[i] seu mandato sui superioris est (1°) hereticus censendus seu pronunciandus, est (2°) decapitandus, est (3°) a consorcio cui ille superior preest velud ovis morbida, ne ceterum gregem inficiat, resecandus; (4°) si sit vir ecclesiasticus, est

omni beneficio habito privandus, et est quinto ad quodcunque beneficium obtinendum inhabilitandus », ex hoc concludens, quod dominus meus cancellarius, eo quod jussui seu mandato domini rectoris modo pretacto non paruit, erat hereticus censendus seu pronunciandus, decapitandus, a consorcio cui dominus rector, ut asseruit, preest, scilicet ab Universitate matre nostra, velud ovis morbida, ne ceterum gregem inficiat, resecandus, omni beneficio habito privandus, et quinto, quod erat ad aliud quodcunque beneficium habendum seu obtinendum inhabilitandus.

xxxv. Item quod post premissorum tales quales fundacionem et conclusionem [Petrus Bidaudi] a rectore et facultate artium et a procuratoribus iiij^{or} nacionum ejusdem in premissis et tota proposicione sua peciit advoari, quem in prenarratis omnibus ipse rector prenominatus ibidem presens (qui dicto magistro Petro premissa proferenti in auribus sepius, quasi vellet quod ista vel pejora diceret, susuravit), ipsi eciam iiij^{or} procuratores iiij^{or} nacionum tocius facultatis nomine advoarunt cum clamore valido magne illius facultatis multitudinis assistentis.

xxxvj. Item quod hiis omnibus non obstantibus, que ex natura sua et fragilitate condicionis humane dominum meum cancellarium merito debebant offendere, nisi paciencie clipeo, sue innocencie gladio vel galea suique status fuisset reverencia premunitus, ipse dominus meus cancellarius quasi aures habens nichil horum audivisset, tam de prioritate sedis quam de non comparicione in congregacione contra eum pretensis et allegatis tam humiliter, tam reverenter, tam racionabiliter et tam apparenter consone notorie veritati se excusavit, quod veritates per eum prolatas prius ignorancium et ad easdem atque suos dulces et amicabiles gestus, mores et voces advertencium iram conceptam placavit[23], et obmutescere[24] fecit ora obloquencium iniqua, esto quod multitudinis juvenum impetus clamorosus prevalens in hac parte eum habere noluit excusatum.

xxxvij. Item quod de hiis omnibus in civitate et studio Parisiensi est publica vox et fama.

Quamobrem, reverendissime pater et domine metuendissime, dimissis pluribus aliis excessibus, anormalis gravaminibus et processibus premissorum occasione contra dominum meum cancellarium per prefatum rectorem et successores ejus per facultatem arcium principaliter, et eciam partes ceteras ac[25] nonnulla alme matris nostre Universitatis supposita hiis pendentibus temere attemptatis, de quibus ipse ob reverenciam matris sue (et ne sicut supra in xxxj articulo narratum est, causam accionis injuriarum, quam contra plura Universitatis supposita habet coram reverendissimo in Christo patre et domino domino cardinali Vivariense pendentem, hic velle resumere videatur) pro nunc supersedit, vestre reverendissime paternitati humiliter supplicans, quatenus super premissis articulis omnibus et singulis ac eorum quolibet aut altero sigillatim, prout testium producendorum super eisdem noticia se extendet, examinare velitis vel facere examinari testes per eum

aut ipsius nomine super premissis articulis producendos, et litteras seu instrumenta, si que producere velit, que super premissis et aliis contra eum licet inepte productis inveneritis, sanctissimo domino nostro loco et temporibus opportunis, quodammodo eidem rev. paternitati vestre commissum est, referendo.

Protestatur tamen, et ego ipsius nomine, quod non arceatur ad superfluas probaciones, et quod quocunque tempore hac causa coram vobis pendente quecunque probacionum genera producere possit coram vobis aut commissariis vestris, et quod illud quod de premissis articulis probare poterit valeat sibi; si vero aliquid superfluum aut impertinens articulaverint, quod non putat quod illud sibi non noceat, nec parti sue prosit adverse, unacum aliis protestacionibus in talibus fieri debitis et consuetis.

Arch. Vat. Collect. n° 440. fol. 170-176. Post verba « Pro cancellario » sequitur rubrica : « Sequitur attestatio seu depositio testium pro parte dicti cancellarii productorum et per dictum dominum cardinalem receptorum ac de mandato ejusdem domini cardinalis examinatorum per predictum mag. Guillelmum de Gandiaco commissarium et assessorem dicti dom. cardinalis, presente et scribente ipsorum deposiciones notario seu scriba presentis cause super articulis ipsius cancellarii ».

1. In Bulla Gregorii IX, *Parens scientiarum*, *Chartul.*. I, n° 79. Sed cancellarius potius bullam ejusdem Gregorii, an. 1237, Sept. 7 (*Chartul.*, n° 117), prae oculis habuit, quia in ms° fol. 158, pro parte cancellarii illa sola affertur. — 2. Ms : « magisterio ». — 3. An. 1385, Martii 24-Jun. 23 (vid. supra n° 1500). Ad hoc impedimentum referri debet quod olim legebatur in *Lib. proc. nat. Gallic.* (vid. Bul., IV, 984) « Nomina licentiatorum in artibus in 1ª auditione B. Marie, de quibus dubium est an sint licentiati, cum non appareat de potestate mag. Petri Plaoul subcancellarii, qui non observatis observandis in licentia ipsos licentiavit tempore dissensionis mote inter Universitatem, artium facultatem et cancellarium B. Marie ». Sed desunt nomina. Tunc (Octob. 7) Johannes Guioti procurator nationis fuit. — 4. Cancellarius ad bullam Innocentii IV, an. 1250, Maii 30 (*Chartul.*, I, n° 191), partim etiam ad celebrem constitutionem Alexandri IV, *Quasi lignum vitae* (in *Chartul.*, I, n° 247), alludit, quae in ms° fol. 158 et 163 pro sua parte afferuntur. — 5. Ms. : « speciens ». — 6. Ms. : « licenciandis ». — 7. Ms. : « carstinum ». — 8. Ms : « eorum ». — 9. Intelligas « consueverunt ». Supra « quod » construitur cum infinitivo. — 10. Certe designatur Petrus de Ailliaco. — 11. Vid. documentum Honorii IV an. 1286, Febr. 1, in *Chartul.*, I, n° 528. — 12. Ms. : « ipsosque magistros ». — 13. Ms. : « lenivolis ». — 14. Ms. : « tam ». — 15. Certe ante Junii 23, cum Laurentius Quilleti Martii 24-Junii 23 rector fuerit. — 16. Ms. : « prandii ». — 17. Ms. : « cituatus », et postea « citu ». — 18. Sic in ms. — 19. In sensu « dedit », « excitavit ». — 20. Non confundendus cum Petro Blondi (vid. p. 346, not. 2), qui jam an. 1379 doctor fuit (n° 1431), Bidaudi bacc. (p. 275). — 21. Vox derivata a gallica « maxime », i. e. sententia recepta. — 22. Ms. : « cum ». — 23. Ms. : « placuit ». — 24. Ms. : « obnutescere ». — 25. Ms. : « ad ».

1521. *Examen testium super articulis a cancellario Parisiens. exhibitis.*

1385. Julii, Septembris et seq.

Item sequitur tenor cujusdam brevis *Intendit*, dati et exhibiti per predictum cancellarium die quinta mensis Julii proximo preteriti, videlicet antequam prescripti articuli fuissent presentati[1] causa examinandi super ipso venerabilem patrem generalem Augustinens. ad instantiam ipsius cancellarii citatum, receptum et juratum tanquam testem affuturum, prout in actis presentis cause latius continetur, necnon attestatio seu depositio predicti generalis.

1. Examinetur et interrogetur venerabilis pater magister JOHANNES DE BASILIA, sacre pagine doctor et generalis magister Ord. fratrum Heremit. S. Aug., super statu et fama magistri Johannis Blancart, cancellarii eccl. Paris.

2. Item super denariis que temporibus suis scivit mitti vel dari cancellario eccl. Paris. qui erat pro tempore a bachalariis in theologia licenciandis, cum per cancellarium eis mittebantur signeta.

3. Item quid sibi constat de usu et consuetudine super potestate seu auctoritate cancellarii eccl. Paris. in locis licenciandorum in dicta facultate theologie ordinandis.

Et primo sequitur expositio dicti generalis.

j. Venerabilis pater magister JOHANNES DE BASILIA, generalis Ord. Heremit. S. Aug. juratus ad instanciam domini cancellarii eccl. Paris. in causa sua tanquam testis breviter affuturus, et interrogatus super predicto *Intendit* et primo articulo, super primo, intencionem faciente[2] de fama ipsius cancellarii, dixit quod ipse non novit dictum dominum cancellarium antequam esset cancellarius eccl. Paris. Sed ipso sciente cancellario vidit ipsum in statu magistri et cancellarii valentis et sufficientis ac honesti, sicut sibi apparuit, quando venit ad villam Parisiensem pro factis domini nostri pape, quo tempore contulit secum de facto scismatis; unde visum fuit sibi quod erat valens homo, et adhuc videtur De fama vero sua quam habet Parisius, dixit se de vera scientia non posse deponere, quia multi dicunt malum de eo, et multi bonum; sed quantum est de seipso, ipse nunquam vidit nec audivit de proprio auditu in dicto cancellario vel ab eo aliquid, per quod sciat in eo aliquod malum. In Avinione vero reputatur communiter ipse cancellarius bonus et valens homo. Interrogatus utrum audiverit Parisius a pluribus loqui de ipso cancellario plus in bonam partem quam in malam, vel econtra : respondit, quod prout apparet sibi et prout audivit dici, videtur sibi quod in Universitate plures dicunt malum de eo, inquantum dicuntur tangere abusus officii sui, quam bonum.

Item interrogatus super ij° *Intendit*, dixit quod novit per experienciam quod cancellariis, qui pro tempore suo fuerunt, dum erat bachalarius Parisius, mittebantur pro signeto aliquando quinquaginta franci in vasis argenteis, quandoque triginta, et aliquando septuaginta. Interrogatus qui fuerunt illi qui dederunt, dixit quod magister Honofrius de Ordine ipsius loquentis dedit dictos quinquaginta et ultra, tam in signeto quam ante, magistro Johanni de Calore, predecessori immediato dicti cancellarii; et magister Franciscus de Perusio, Ord. Min., dedit dictos xxx domino Grimerio [Bonifacii], predecessori dicti magistri Johannis de Calore; dictos vero lxx dedit dominus Jacobus de Elbaco, Cisterciens. Ord , dicto de Calore, et ipse qui loquitur fuit tractator de expeditione. Item dixit se audivisse dicto suo tempore, quod magister Leoninus de Padua[3], Ord. illius qui loquitur, dedit cancellario, qui pro tunc erat (quem credit fuisse illum de Bardis[4]), centum leones auri in una bursa in signeto et pro signeto; audivit tamen quod ipse cancellarius ex amicicia remisit sibi totum, postquam receperat. Interrogatus utrum sciat vel credat, quod predicta fuerint data et recepta tanquam debita dicto cancellario jure beneficii sui, vel per abusum : respondit, de sciencia se nescire; tamen credit quod ita fuerit usitatum. Utrum vero sit abusus vel non, credit quod pocius sit abusus quam bonus usus, et sic credit non deberi jure beneficii predicti.

Item super iij° et ultimo, dixit se audivisse ab ore predicti condam cancellarii de Calore, quando tractabat expedicionem dicti magistri Jacobi de Elbaco, quod ipse poterat licenciare virtute cujusdam bulle apostolice in theologia absque eo, quod dependeret a magistris in theologia, nec unquam vidit nec audivit, quod magistri assignarent loca licenciandorum, immo solus cancellarius, nisi per modum rogaminis. Plura dixit se nescire.

Interrogatus si prece, precio, etc., dixit quod nonnisi pro sola veritate dicenda. Interrogatus si attinet sibi cancellarius in aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis, dixit quod non. Interrogatus quam partem vellet plus obtinere, dixit quod partem potiorem in jure et non alias[5].

Item sequitur attestatio aliorum testium predictorum.

Et primo :

ij. Vir religiosus et honestus frater BONITUS LITELLI[6], Ord. Pred., doctor sacre theologie de partibus Advernie, provincialis ejusdem Ord. provincie Francie, productus, receptus et juratus ac etiam examinatus super xxiij° articulo, ipso sibi prius lecto et per eum ut dicebat intellecto, dixit et deposuit, verum esse quod nunquam nec legit articulos Universitatis, de quibus fit mentio in dicto articulo, nec scit quid continetur in eisdem, et propterea nesciret deponere super dicto articulo de scientia vel credulitate, videlicet utrum sint mendose[7] confecti ex appetitu vindicte, et alias ut continetur in dicto articulo. Verum est tamen quod ipse bene credit, quod controvercia (*sic*), que est inter Universitatem et dictum cancellarium, ortum habuit ex turbacione rectoris tunc existentis propter hoc, quod cancellarius precessit eum in sedendo in quodam prandio et collacione sequenti, pro eo quod antea nunquam audiverat de materia litis fieri mencionem. Item credit quod quidam de Universitate et appetitu vindicte et causa indignacionis contra dictum cancellarium succitaverunt (*sic*) sibi litem presentem, de qua credit nichil intervenisse, nisi propter dictam turbacionem. Reddens causam sue credulitatis, quia semel cum ex parte facultatis theologie proponeret in Universitate aliqua motiva ad terminandum dictam litem et ad pacem faciendam inter partes, quidam ex Universitate ita graviter portaverunt, quod laxaverunt se ad graves injurias verbales[8] contra dictum deponentem, et fuit in periculo quod verberaretur propter hoc; et quia audivit pluries et a pluribus de quibus non

recordatur, quod si a principio litis cancellarius voluisset se humiliare, non processum fuisset contra eum sic acriter; item, quia dum semel examinaretur per deputatos Universitatis in dicta causa super quibusdam articulis factis contra dictum cancellarium, aliqui ex deputatis multum sibi indignabantur, quia non respondebat ad mentem eorum.

Ex quibus omnibus credit ut supra dixit et deposuit. Interrogatus de nominibus illorum, de quibus deposuit superius se credere, quod sucitaverunt (*sic*) litem contra cancellarium, etc., dixit se credere, quod quidam artiste, quorum nomina ignorat nec eos cognosceret si videret, ex appetitu vindicte sucitaverunt litem propter affeccionem quam habebant tunc et continue habent erga rectorem, qui erat et est de eorum facultate; propter quod vellent ipsum exaltare super omnes si possent. Et ex causa indignacionis credit, quod magistri Petrus de Ailliaco in theologia et Johannes de Marsono[9] in artibus fuerunt moti ad nutriendum istam litem. Interrogatus super injuriis verbalibus et periculo verberacionis superius deposito, per quos hoc factum fuit, dixit quod dictus magister Johannes de Marsono dictas injurias verbales sibi dixit, et plures magistri in artibus in exitu illius congregacionis, de quorum nominibus non recordatur, nec cognosceret si videret eos propter multitudinem illorum, qui injurias continuabant et minas inferebant et intulerunt, eum sequendo a domo Sancti Bernardi, ubi facta fuit dicta congregacio, usque prope domum Carmelitarum.

iij. Venerabilis et circumspectus vir magister Symon Freron, doctor in theologia, succentor eccl. Paris., etatis lviij annorum vel circa, testis juratus, examinatus super infrascriptis articulis sibi prius lectis et per eum ut dicebat intellectis, et primo super primo articulo, dixit se credere firmiter contenta in dicto articulo fore vera. Interrogatus quare credit, dixit quod ipse credit eo quia ipse, qui fuit in studio Parisiensi xl annis et amplius, et magister in theologia xxx anni sunt, et locumtenens condam magistri Johannis de Acyaco cancellarii eccl. Paris. per octo annos vel circa, vidit et audivit cancellarios ad causam cancellarie eccl. Paris. uti multis auctoritatibus, potestatibus, libertatibus, previlegiis (*sic*), usibus et consuetudinibus. Et vidit etiam cancellarium modernum uti aliquibus usque ad tempora presentis litis. Interrogatus si sciret specificare auctoritatem, potestatem, etc., respondit quod si interrogaretur in specie, responderet de hiis que ipse sciret.

Item super ij°, iij°, iiij° et v° articulis, dixit et deposuit quod tociens quociens ipse fuit presens in licencia licenciatorum, de quibus in dictis articulis fit mentio, ipse vidit et audivit, quod antequam licenciarentur, prestabant juramentum in dictis articulis contentum, et ipsemet eo sistente vicecancellario, recipiebat predictum juramentum ab artistis, antequam licenciarentur. Interrogatus a quo tempore vidit et audivit dictum juramentum prestari, dixit quod a xl annis citra. Interrogatus quot vicibus et a quibus vidit prestari juramentum, respondit quod tociens quod nesciret dicere vices, nec nominare omnes personas.

Item super vj°, dixit et respondit se credere contenta in dicto articulo fore vera, quia ita audivit semper; non tamen vidit privilegia, quare se refert ad ea.

Item super vij°, dixit quod credit contenta in eo esse vera, quia ita audivit communiter; refert se tamen ad privilegium sive auctoritatem concessam auctoritate apostolica, quam non recolit se vidisse.

Item super viij°, dixit quod credit contenta in dicto articulo fore vera, quia nunquam vidit contrarium usque ad tempus litis presentis. Et vidit licenciatos, de quibus fit mencio in dicto articulo, reputari licenciatos in studio Parisiensi, quando erant licenciati per dictum cancellarium, salvo tempore inicii scismatis, quo facta fuit controversia quibusdam, quia dicebantur scismatici[10].

Item super nono, dixit se nichil scire nisi ex auditu dici ab aliquibus, nec aliud scit de contentis in dicto articulo, nisi prout supra deposuit.

Item super x°, respondit quod de hiis que deposuit est publica vox et fama in civitate Parisiensi. Interrogatus, quid est fama, dixit quod fama est juxta dictum Philippi, quam multi populi famant. Interrogatus inter quos est fama, respondit quod inter studentes Universitatis.

Item super xj°, dixit et respondit audivisse contenta in dicto articulo fore vera; non tamen vidit privilegium, quare se refert ad illud. Interrogatus a quibus audivit, dixit non recordari.

Item super xij°, respondit contenta in ipso esse vera, reddens causam sciencie quia sibimet ipsi sic fuit factum, et vidit pluribus aliis fieri.

Item super xiij°, respondit se nichil scire, quia non est de facultatibus contentis in dicto articulo.

Item super xiiij°, respondit quod audivit communiter, quod mittitur cancellario aliquid; sed de quantitate nesciret deponere. Bene audivit tamen quod quidam propter paupertatem nichil miserunt, et tamen fuerunt licenciati. Ipse tamen qui loquitur nichil solvit, quia tunc erat subcancellarius.

Item super xv°, respondit bene audivisse, quod aliquid consuetum est dare familiaribus liberaliter absque

paccione quacunque; sed quantum ignorat. Et quando ipse fuit licenciatus in artibus, ipse et socii sui simul in exitu camere dederunt aliquid dictis familiaribus pro eorum serviciis; sed de quantitate non recordatur. Interrogatus si consuetum fuit dari per artistas cancellario vel subcancellario aliquid, respondit se nunquam vidisse quod aliquid daretur cancellario vel subcancellario, nec ipse aliquid habuit tempore quo erat subcancellarius.

Item super xvj°, respondit quod licenciati, quando incipiunt sive magistrantur sub cancellario, consueverunt facere[11] que dicuntur in articulo; alias non recolit vidisse.

Item super xvij°, respondit se credere quod nichil dari debet nisi liberaliter et absque quacunque paccione; quod si fieret, foret dampnabile. Plura dixit se nescire, nisi prout supra deposuit.

Item super xviij°, respondit se non interfuisse in hujusmodi donariis; quare super hoc deponere nesciret.

Item super xix° et xx°, dixit se nichil scire, nisi prout supra deposuit.

Item super xxj° et xxij°, respondit quod ita credit, ut in dicto articulo continetur, quia non audivit contrarium, nisi a tempore mote litis. Interrogatus quid audivit, respondit quod per adversarios audivit dici, quod per paccionem et munera licenciam dedit; non tamen credit fore verum.

Item super xxiij°-xxx°, respondit se nichil scire.

Item super xxxj°, deposuit verum esse, quod ipse interfuit in prandio, de quo fit mentio in dicto articulo, et vidit post prandium in dacione specierum confectarum, quod cancellarius sedit primus, rector secundus, et ipse qui loquitur tercius. Et credit quod neuter eorum tenebat quod preferretur alteri in sede. Et tunc venerunt bedelli facultatis arcium et dixerunt dicto rectori talia verba vel in effectu similia : « Domine rector, hic non est locus vester, vos debetis sedere primus ». Et tunc incepit murmur, sed non bene recordatur de verbis murmuracionis, nec eciam quis eorum primus recepit species. Et ex tunc incepit discordia inter cancellarium et Universitatem; nescit tamen si antea tractatum fuerat in Universitate quod prosequeretur eum. Cetera in articulo contenta dixit se ignorare.

Item super xxxij°-xxxvij°, dixit se nichil scire.

iiij. Frater Johannes Golin[12], doctor in theologia, Ord. Carmelit., etatis lx annorum vel circa, Parisius commorans, juratus, examinatus et interrogatus super infrascriptis articulis ipsis sibi prius lectis et per eum ut dicebat intellectis, dixit et deposuit ut sequitur. Et primo super primo, quod credit contenta in ipso fore vera.... Respondit quod vidit eos (cancellarios) dare licencias, tenere aulas, et ex parte sedis apostolice facieba[n]t eos (licentiatos) jurare, et *daba[n]t eis birretum*, et faciebant omnia que pertinebant ad cancellarium libere et sine contradictione quacunque.

Item super ij°, iij°, iiij° et v° articulis, respondit se scire quod theologi consueverunt prestare juramentum contentum in dictis articulis, et de hoc est publica vox et fama in civitate et studio Parisiensi inter theologos; de aliis facultatibus ignorat quale juramentum prestant. Interrogatus quomodo scit quod sit consuetum ut deposuit, respondit quod semper sic vidit fieri a xxiiij^or annis citra, quibus fuit magister in theologia in presencia magistrorum in aula episcopali, antequam darentur licencie.

Item super vj°, dixit se non vidisse privilegia super hoc, nec unquam vidit quod licenciaret aliquem sine vocatione magistrorum; bene vidit tamen quod vocatis et auditis deposicionibus magistrorum licencias dedit, ut supra deposuit.

Item super vij°, respondit contenta in dicto articulo esse vera, reddens causam sciencie, quia semper hoc vidit uti et fieri per cancellarium.

Item super viij° articulo, dixit et respondit vera esse contenta in dicto articulo, reddens causam sue sciencie quia sic vidit et audivit, quamdiu fuit in studio Parisiensi, in quo fuit spacio xxxvj annorum vel circa[13]....

Item super xj° articulo, deposuit se vidisse copiam que dicebatur esse privilegii, de quo fit mencio in dicto articulo, que copia continebat ea que in articulo continentur; sed non vidit privilegium originale.

Item super xij°, respondit verum esse de facultate theologie ut in articulo continetur; de aliis facultatibus vero ignorat....

Item super xiij°, respondit se nichil scire de contentis in dicto articulo, quia non est de facultatibus nominatis in dicto articulo.

Item super xiiij°, respondit contenta in dicto articulo fore vera, reddens causam sue sciencie quia semper vidit sic fieri inter theologos, videlicet a xxv annis citra. Interrogatus quociens et a quibus vidit mitti peccunias cancellario per portantes signeta, dixit quod tociens quociens fuerunt facte expeditiones licenciatorum, vel pro majori parte vidit hoc observari, et specialiter per illos de Ordine ipsius testis loquentis. Interrogatus si vidit aliquas quantitates peccunie mitti per tunc licenciandos, respondit quod nonnisi de se ipso tantum, et de illis qui inceperunt

sub eo; sed non recordatur de quantitate missa per eum et predictos qui inceperunt sub eo. Recolit tamen bene quod in Ordine suo per Capitulum generale facta fuit constitucio, quod ulli de eorum Ordine tam pro cancellario quam pro suis familiaribus non darent ultra xx francos.

Item super xv°, respondit verum esse quod continetur in articulo quoad facultatem theologie, de aliis ignorat.

Item super xvj°, respondit se vidisse aliquando fieri contenta in dicto articulo. Interrogatus per quos vidit fieri, respondit quod per magistrum Johannem Scoti, qui induit cancellarium qui tunc erat, quando fuit licenciatus, secundum quod sibi videtur, licet non inceperit sub ipso....[14].

Item super xxij°, deposuit se semper audivisse ut in articulo continetur. Interrogatus inter quos et apud quos reputatus est talis sicut continetur in dicto articulo, respondit quod apud magistros Universitatis Parisiensis, et in Flandria, et in Leodio[15], et in Avinione, ubi ipse qui loquitur audivit plura bona de eo.

Item super xxiij°-xxix°, deposuit se nichil scire, quia non vidit articulos de quibus in dicto articulo fit mentio.

Item super xxxj°, respondit verum esse, quod ipse interfuit in prandio et in dacione specierum in dicto articulo contentis, in qua dacione specierum fuit murmur super ordine sedendi per cancellarium et rectorem; sed in specie non recordatur de verbis murmuris. Et interfuit eciam in congregacione Sancti Bernardi, de qua fit mencio in dicto articulo, in qua congregacione cepit moveri discordia inter Universitatem et cancellarium; ex quibus tamen ortum habuerit dicta discordia ignorat[16]... .

v. Religiosus et honestus vir frater Philippus de Goutulis de Palma, doctor sacre pagine, Ord. Carmel., etatis xl annorum vel circa, de conventu Parisiensi, juratus, etc. Examinatus super infrascriptis articulis....[17].

Item super vij° articulo, dixit quod in predicto privilegio audivit legi contenta in dicto articulo, et ita ipse cancellarius utitur et usus fuit tempore suo. Interrogatus an illud privilegium quod ipse vidit, esset originale vel quale esset, dixit quod erat originale bullatum, et videtur sibi quod erat pape Johannis[18], sed nescit cujus Johannis....[19].

Item super xj°, respondit verum esse quod cancellarius potest licenciare presentatos; sed an possit licenciare non presentatos, sibi dubium est, licet hoc audierit a moderno cancellario. Interrogatus quomodo scit quod possit licenciare presentatos, dixit quod eo quia vidit sic uti cancellarius....

Item super xv° articulo, respondit verum esse quod ita consuevit fieri ut in dicto articulo continetur inter theologos studii Parisiensis. Et est verum quod in religione eorum habent una[m] constitucionem, quod cancellario non dent nisi xv florenos, nec clerico ultra duos, et coquo ultra unum. De aliis facultatibus idem fieri audivit, sed nescit de sciencia quia in eorum predictis actibus non intervenit.

Item super xvj°, dixit se nichil scire.

Item super xvij° articulo, respondit se credere quod consuevit fieri sine pacto ut in dicto articulo continetur, et scit bene de se ipso quod non intervenit aliquod pactum, sed spontanea voluntate dedit quicquid voluit....[20].

Item super xxxj°, dixit se interfuisse in prandio et dacione specierum de quibus fit mentio in dicto articulo, et ubi dicitur fuisse contentio sedium inter rectorem et cancellarium; sed non advertit ad contencionem nec audivit aliquid tunc. Sed postea in quadam congregacione Universitatis audivit proponi per rectorem multa contra dictum cancellarium circa occupacionem predicte sedis et super contumacia, in qua fuerat dictus cancellarius, qui non venerat ut dicebatur ad mandatum dicti rectoris. Plura dixit se nescire de contentis in dicto articulo....

Item super xxxvj°, respondit verum esse quod ipse interfuit in quadam congregacione Universitatis, in qua dictus cancellarius se excusavit de predictis primatus (*sic*) sedis et contumacia. Et dum se excusabat, sibilaverunt artiste, et non pacienter toleraverunt excusacionem suam.

vj. Frater Petrus de Grandisilva, Ord. Cisterc., doctor in theologia actu regens Parisius in Sancto Bernardo, etatis xxxv annorum, juratus et examinatus....[21].

Item super xj°, deposuit se nichil scire, nisi ex auditu ab uno magistro. Interrogatus a quo, dixit quod a priori generali Augustinensium, qui dicebat se vidisse privilegium....[22].

Item super xiiij°, respondit verum esse quod ipse in recepcione signeti sui misit cancellario xviij° francos in una bursa valoris xij solidorum, videlicet xv pro ipso cancellario, et tres pro familia sua, libere et sine aliquo pacto, et ita vidit observari per omnes alios qui fuerunt licenciati tempore suo in collegio Sancti Bernardi, quod mittebant de peccunia liberaliter quod volebant, sed non recolit quantum....[23].

Item super xxxvj°, respondit quod semel audivit dictum cancellarium in congregacione generali Universitatis se excusantem de premissis prelatione[24] sedium et contumacia; non tamen dixit quod ante deberet preponi vel postponi dictus rector.

vij. Religiosus et honestus vir frater JOHANNES ADE, Ord. Predicat., doctor sacre pagine, confessor domini de Valesio, etatis xlij° annorum vel circa juratus, etc., et examinatus super infrascriptis articulis....[25].

Item super ij° articulo, dixit se non recordari an ipse juraverit prout in dicto articulo continetur, nec recordatur si alii quos audivit licenciari juraverunt ea que in dicto articulo continentur. ..

Item super v°, dixit famam esse de contentis in iij° et quarto articulis proximo precedentibus; de contentis vero in ij° articulo ignorat si sit fama vel non. Interrogatus quid est fama, dixit quod fama est vox publica et quam homines docti locuntur....[26].

Item super xvj°, dixit se audivisse aliquando factum fuisse ut in dicto articulo continetur; audivit tamen non debere fieri, nec eciam est consuetum, nec unquam vidit nisi de uno.

Item super xvij°, dixit nunquam audivisse quod intervenerit aliquod pactum in donis per eum supra depositis, nec unquam vidisse vel audivisse quod fieret, nisi ex gratuita voluntate et quadam consuetudine. Si tamen talis consuetudo est improbanda vel non, ignorat.

Item super xviij° articulo, dixit quod sepe vidit fieri contenta in dicto articulo, et ipsemet aliquando misit de vino cancellario supradicto, quando ibat ad prandendum cum eo.

Item super xxj° articulo, dixit quod sibi constat, ipsum esse excellentem clericum in theologia, et antequam ista discencio (*sic*) oriretur, reputabat eum obtime (*sic*) fame; sed modo est multum diffamatus per illos, qui prosecuntur eum.

Item super xxij°, deposuit verum esse quod ante istam discensionem apud ipsum qui loquitur talis reputabatur, ut in dicto articulo continetur, et nunquam audivit malum de eo ante dictam litem inceptam. Postea vero audivit multa mala de eo apud eos qui eum persecuntur. Interrogatus qui sunt persequentes, dixit quod quantum potest percipere, sunt artiste et magister Petrus de Ailliaco, qui est in hoc caput principale[27].

Item super xxiij° articulo, dixit se ignorare an articuli de quibus in dicto articulo fit mentio, sint mendosi et tales, sicut in dicto articulo continetur; tamen bene credit quod ista discensio processit ex quadam superbia pocius quam contrarium. Reddens causam sue credulitatis, quia incepit pro quodam debato prioritatis sedis inter rectorem et cancellarium, quia sic audivit dici ab illis qui interfuerunt in dicto prandio; tamen ipse qui loquitur non interfuit. Cetera contenta in dicto articulo dixit se ignorare.

viij. Venerabilis et discretus vir magister STEPHANUS GAUDETI, mag. in theol. actu regens Parisius, commorans in Sarbona, etatis lxviij annorum vel circa, examinatus super infrascriptis articulis ipsis sibi prius lectis et per eum ut dixit intellectis, et primo super primo articulo dixit.... vidit tamen [a] xl annis et ultra, quibus fuit in studio Parisiensi, dictum cancellarium et predecessores suos utentes eorum officio pacifice et quiete usque ad tempus inicii presentis litis, faciendo licenciatos, tenendo aulam et faciendo alios actus ad cancellarium pertinentes[28].

Item super vj° articulo, ipso eciam sibi prius lecto .... dixit et deposuit se firmiter credere contenta in dicto articulo fore vera .... salvo quod consueverunt artiste per subcancellarium licentiari, qui subcancellarius per cancellarium instituitur; et hoc facit vice et loco dicti cancellarii.

Item super vij° articulo ipso sibi prius lecto et per eum ut dixit intellecto, deposuit et dixit secundum quod ipse semper audivit et ita tenet et credit, cancellarius habet tres menses de rigore a tempore appericionis examinis ad informandum se de bacalariis; credit eciam quod ipse cancellarius potest facta informacione hujusmodi licenciare bachalarios vel repellere secundum sufficienciam vel insufficienciam et mores, quas vel quos repperit secundum deposicionem magistrorum et aliorum, quia bene potest se informare cum aliis, dum tamen se informet cum magistris, quia non posset omittere deposiciones magistrorum. Interrogatus si credit quod cancellarius possit dare licenciam contra deposiciones magistrorum, credit quod non posset dare licenciam vel denegare contra deposicionem magistrorum, in quantum concernit scienciam; in quantum vero consernit (*sic*) mores honestos vel inhonestos, credit quod posset sequi deposiciones aliorum quam magistrorum[29].

Item super ix°, deposuit quod semper, quamdiu fuit in studio, vidit et audivit cancellarios .... uti et possidere pacifice de predictis usibus, de quibus supra deposuit usque ad tempus presentis litis; durante vero lite presenti fuerunt facta impedimenta quibusdam licenciatis in facultate arcium per subcancellarium dicti cancellarii, et hoc per rectorem Universitatis et nonnullos alios magistros dicte facultatis arcium, sicut publice audivit dici; et ita est vox et fama in studio Parisiensi.

Item super xj°, deposuit se audivisse dici quod habet illud privilegium; sed nunquam vidit ipsum. Interrogatus si unquam vidit aliquem licenciari invitum vel non requirentem et non petentem, respondit quod non.

Item super xiij° articulo, deposuit verum esse quod in facultate theologie vidit sepe quod, quando recipitur signetum, licenciandus gaudenter recipit et dat vinum et species deferentibus. Et audivit quod in facultate medi-

cine licenciandi mittunt cancellario duos francos ad minus, et in decretis unum. De hoc tamen non posset deponere de sciencia, quia in eorum actibus [in] recepcione signeti nonquam fuit.

Item super xiiij° articulo, deposuit et dixit verum esse prout in dicto articulo continetur. Reddens causam sue deposicionis quia ipsemet ita fecit mittendo decem francos. Interrogatus si vidit de aliquo alio sic fieri, respondit se nunquam interfuisse, quia secrete consuevit fieri. Audivit tamen multos dicentes se sic fecisse. Et ita credit firmiter quod fecerint, nec unquam audivit aliquem licenciatum in dicta facultate, qui diceret quod non dedisset dicto cancellario in receptione dicti signeti, ut in dicto articulo continetur. Interrogatus si dicti x franci vel alia summa consueverint[30] dari ex liberalitate, vel an teneantur ad hoc ipsi licenciandi, respondit se credere quod non teneantur de jure scripto, sed ex liberalitate ita fit Et nunquam vidit cancellarium aliquem exigentem per se vel suos dictam summam a licenciandis. Quare credit quod sola liberalitate fit.

Item super xv° articulo, deposuit et dixit quod ipse qui loquitur tempore, quo fuit licentiatus, dedit capellano cancellarii tunc temporis sibi deferenti signetum duos francos, et hoc ex liberalitate. Et credit quod ita faciant alii; sed non vidit, [quia consueverunt] secrete dari. De aliis contentis in articulo dixit se non recordari.

Item super xvj°, dixit et deposuit se aliquando vidisse, raro tamen, quod aliqui licenciati in theologia qui incipiebant sub eo dederunt vestes cancellario et familie sue; de aliis vero qui non inceperunt sub cancellario, videtur sibi aliquando vidisse et specialiter de familiaribus, sed distincte non recordatur[31].

Item super xxij° articulo, dixit quod credit ita esse ut in dicto articulo continetur, et specialiter in Romana curia. Reddens causam, quia vidit quod papa et multi cardinales faciebant sibi honorem et eum honorabiliter recipiebant[32].

Item super xxxvij°, dixit quod audivit dici a multis domus Sarbone, quod ita fuit; an autem si[t] vox publica et fama alibi, ignorat.

ix. Item venerabilis vir magister Johannes de Guignicort, mag. in art. et bachalarius in theol., collegii Serbone, etatis xl annorum, examinatus super articulis subscriptis .... et primo super primo articulo, dixit se scire contenta in dicto articulo fore vera a tempore xxix annorum, quibus fuit in studio Parisiensi, reddens causam quia ita vidit uti tres cancellarios qui pro tempore suo fuerunt. Interrogatus que sint ille auctoritates, potestates, libertates et privilegia, usus et consuetudines, de quibus deposuit, respondet : *sedet primus ipse cancellarius in magisterio et imponit eis birretum*[33], facit eos jurare et licenciat eos, et vocat magistros ad deponendum, et multa alia que longa essent enarrare.

Item super ij°, iij°, iiij° et v° articulis, deposuit contenta in dictis articulis fore vera, notoria et manifesta. Interrogatus de causa sciencie, dixit quia vidit quadragesies prestari dicta sacramenta, ipseque qui loquitur, dum erat subcancellarius de tempore magistri Johannis de Calore, fecit jurare omnes, qui fuerunt licenciati in artibus in Beata Maria Parisius, contenta in dictis articulis[34].

Item super ix° articulo, dixit et respondit verum esse, quod vidit cancellarios qui fuerunt pro tempore suo utentes et possidentes pacifice et quiete de predictis, de quibus supra deposuit, et nunquam vidit contrarium usque ad annum presentem, in quo factum fuit impedimentum, de quo in dicto articulo continetur; et credit quod injuste factum fuit.

Item super xiiij° articulo, dixit et deposuit vera esse contenta in dicto articulo, reddens causam quia vidit pluries fieri, et accidit sibi semel quod ipse concessit cuidam licentiando in theologia decem francos, ut mitteret eos cancellario pro signeto; et est certus de uno licentiato, qui dedit pro signeto diu est L francos. Interrogatus de nomine, noluit dicere, quia dicebat se non teneri ad hoc respondere.

Item super xv° articulo, dixit quod aliquando vidit dari familie cancellarii per licenciandos, de quibus fit mentio in dicto articulo, et aliquando vidit quod non dabant.

Item [super] xvj° articulo, dixit se nunquam vidisse, nisi semel a quodam preposito Alamanno tempore cancellarii Grimerii[35].

Item super xxj° articulo, credit contenta in dicto articulo fore vera, quia nunquam vidit nec audivit oppositum ab aliquo cui deberet credere, et vidit eum semper honestum virum.

Item super xxij°, dixit et deposuit quod Parisius apud multos reputatur valens vir; de alibi nichil scit, quia non vidit eum alibi quam Parisius[36].

x. Venerabilis et discretus vir magister Baldoinus Agni, mag. in theol. actu regens Parisius et commorans in Sarbona, etatis xliij annorum vel circa, examinatus super infrascriptis articulis....[37].

Item super xj° articulo, deposuit contenta in dicto articulo fore vera, reddens causam sue sciencie quia ita audivit dici et vidit copiam privilegii talia continentem.

Item super xiiij° articulo, dixit verum esse ut in dicto articulo continetur, reddens causam sue sciencie quia ipsemet ita fecit tempore quo fuit licenciatus[38], et audivit dici quod ita factum fuit per alios licenciatos sine interruptione.

Item super xxj°, respondit quod tenet ita esse ut in dicto articulo continetur, reddens causam sciencie quia novit eum a xiiij annis citra talem, sicut in dicto articulo continetur.

Item super xxij°, respondit quod ita tenet ut in dicto articulo continetur usque ad litem presentem.

Item super xxiij° articulo, dixit de prima parte articuli se nichil scire; de secunda vero parte dixit quod extimat ita esse propter gestus et verba quorundam suppositorum de Universitate Parisiensi, quos requisitus noluit nominare[39].

Item super xxxvj°, respondit quod tenet ita esse, sicut in dicto articulo continetur quoad bonum intellectum. Interrogatus, quia sepe deposuit se *tenere*, an faciat differenciam inter scire, tenere et credere, respondit, quod si scire sumatur strictissime, nichil scitur nisi evidens, tunc est differencia inter scire et tenere, sicut inter inferius et superius; si vero capiatur large, sic habet pro eodem scire et tenere in deposicione sua presenti. Interrogatus vero an tenere sit idem quod credere apud se, respondit quod locutus est per verba latina, que cuilibet viro litterato debent esse nota, dicens alia esse temptativa pocius quam edificativa vel inquisitiva veritatis, et quod aliter non tenetur respondere.

xj. Vir venerabilis et discretus magister Johannes Luqueti, mag. in art. et bac in theol. studens Parisius, commorans in Serbona, etatis xxx annorum vel circa, examinatus super infrascriptis articulis....[40].

Immo super xiiij° articulo, dixit et deposuit se vidisse pluries emi bursas per licenciandos in theologia pro mittendo cancellario decem francos ad minus; sed nunquam vidit realiter francos illos mitti cancellario, quia sicut in dicto articulo continetur, consuevit fieri ad partem et secrete. Audivit tamen frequenter a licenciatis quod miserant peccunias cancellario. Interrogatus a quibus audivit, respondit quod quasi ab omnibus notis suis licenciatis, quorum nomina longum esset narrare, et hoc non solum de tempore istius, immo etiam de tempore predecessorum suorum cancellariorum.

Item super xv° articulo, deposuit quod semper audivit dici quoad theologos quod dantur peccunie in dicto articulo contente familiaribus cancellarii; de artistis vero non audivit quod darent ad voluntatem suam, sed solum duos solidos pro quolibet licenciando.

Item super xvj° articulo, deposuit se audivisse quod unus dedit vestes ut in dicto articulo continetur tempore quondam domini Grimerii cancellarii Parisiensis, qui erat prepositus de Alamania; de aliquo alio non audivit.

Item super xvij° articulo, deposuit se nunquam vidisse vel audivisse quod intervenerit paccio vel exaccio in muneribus, de quibus supra deposuit, sed sola liberalitate eorum qui sic dederunt[41].

Item super xxiij° articulo, dixit non vidisse articulos, de quibus fit mencio in dicto articulo; quare de hoc nesciret deponere veritatem, salvo quod bene credit, quod aliqui ex appetitu vindi[c]te et vane glorie procuraverunt eos fieri. Interrogatus de nominibus eorum, quos sic procurasse credit, respondit quod non recordatur; sed bene credit quod sint artiste, licet pauci. Credit tamen quod major pars Universitatis credit bene facere.

Item super xxxj°, dixit et deposuit se credere quod rector nominatus in dicto articulo non fuit motus nec inflammatus contra dictum cancellarium ex aliqua causa injuriose, sed requisitus per aliquos de facultate artium fecit fieri congregacionem, et deinde fuit factum in congregacione sicut in dicto articulo continetur. Interfuit tamen in prandio de quo fit mencio in dicto articulo, et vidit in dacione specierum dictum cancellarium primum, de quo ipse qui loquitur fuit miratus[42] et perplexus cui primo ministraret species, sed quasi in medio ipsorum species ipsis tenuit; et deinde paulo post vidit et audivit, quod quidam artiste reprehendebant rectorem, quia passus fuerat cancellarium primo sedere. Qui rector dixit quod non fuit ex voluntate sua, immo male gratibus suis (*sic*), quia cancellarius prius occupaverat sedem primam, dicens quod jure suo debebatur sibi dicta prior sedes. Plura dixit se super hoc nescire.

Item super xxxij°, dixit et deposuit verum esse quod cancellarius fuit reputatus contumax per rectorem ex deliberacione majoris partis illius congregacionis, reddens causam dicti sui, quia erat presens, et sic vidit et audivit. Alia contenta in dicto articulo non credit[43].

Item super xxxvij°, dixit quod fama et vox publica est in civitate et studio Parisiensi, quod dictus cancellarius se excusavit in congregacione predicta, et quod dictus magister Petrus Bidaudi proposuit contra cancellarium, et in sua proposicione dixit, quod omnis inobediens jussu[i] seu mandato sui superioris est hereticus censendus.

xij. Vir venerabilis et discretus magister Petrus Plaul, mag. in art. et bac. in theol., subcancellarius eccl. Paris., etatis xxxij annorum, juratus et examinatus super infrascriptis articulis....[44].

Item super ij°, iij° et v° articulis, dixit et deposuit verum esse quod ipse interfuit pluries et frequenter in prestatione juramentorum que consueverunt prestari per bacalarios licenciandos in artibus cancellario vel locumtenenti.... Ipseque qui loquitur pluries recepit dicta juramenta in facultate artium tanquam subcancellarius vel locumtenens cancellarii a bacalariis licenciandis in artibus....

Item super vij° articulo, dixit et deposuit verum esse quod quantum ad facultatem theologie. Postquam facultas theologie requisivit cancellarium quod apperiat examen, cancellarius se informare potest spacio trium mensium, ut in dicto articulo continetur. Requisitus de causa sue sciencie, respondit quia ita audivit teneri et dici communiter in studio Parisiensi; nunquam tamen vidit quod teneret bacalarios per tres menses. Dixit ulterius se credere, quod facta examinacione per cancellarium ipse potest concedere vel negare licenciam juxta suam consciencіam in facultate predicta. De aliis vero facultatibus dixit se ignorare, salvo quod in artibus non presentantur sibi licenciandi, nec est sibi prefixus terminus infra quem habeat eos examinare, sed prout vult examinat et licenciat per se vel suum subcancellarium, et ita vidit uti cancellarium pro tempore suo[45].

Item super xv° articulo, dixit et deposuit se audivisse ita esse, ut in dicto articulo continetur, frequenter a licenciatis in facultate in dicto articulo declarata; non tamen vidit realiter nisi de se ipso, qui dedit tempore quo fuit licenciatus in artibus, una cum aliis ejusdem audicionis, videlicet familiaribus cancellarii condam dicti de Calore, sed de quantitate data non recordatur.

Item super xvj°, dixit se audivisse dici quod de tempore predicti cancellarii de Calore fuit unus vel plures, qui induit vel induerunt cancellarium et familiam ut in dicto articulo continetur; de alio cancellario vero non audivit.

Item super xxiij° articulo, dixit et deposuit quoad primam partem articuli, quod nesciret judicare, cum consistat in jure et non pertineat ad testem de jure judicare. Quoad secundam vero partem deposuit se credere, quod occasio discensionis fuit prioritas sedis de qua fit in dicto articulo mencio. Et fuit mota discensio ex appetitu vindi[c]te et occasione indignacionis per aliquos concepte. Reddens causam sue credulitatis, quia scit quod in Universitate ipso presente fuit aliquociens tractatum, quod *si cancellarius vellet fateri rectorem esse majorem, et quod deberet precedere eum, et fateri quod male fecerat quia precesserat eum in sede, dimitteretur in pace*[46]; et quia noluit hoc facere, fuit presens discordia suscitata.

Item super xxxij° articulo, dixit verum esse ut in dicto articulo continetur. Interrogatus de causa sciencie, dixit quod pro eo quia interfuit dum contumacia predicta levata fuit, et eciam in deliberacione nacionis Picardie, in qua majores et antiquiores erant oppinionis seu deliberacionis, quod non levaretur.

xiij. Discretus vir magister Johannes de Hokelen[47] de Alemannia dioc. Traject., mag. in art. actu regens Parisius in facultate art., etatis xxxiiij annorum vel circa, juratus et examinatus super infrascriptis articulis....[48].

Item super xvj° articulo dixit et deposuit, se vidisse pluries mitti pannos et pennas vel peccunias pro pannis cancellario et familie cancellarii per licenciandos. Interrogatus de nominibus illorum quos vidit sic mittere, dixit quod magistrum Egidium de Campis et unum alium de Ordine Sancti Bernardi qui nominabatur magister Johannes[49], sed de cognomine non recordatur, et de pluribus aliis vidit, de quorum nominibus non recordatur. Interrogatus de nominibus cancellariorum quibus vidit mitti pannos et pennas, respondit quod credit quod dictus magister Johannes de Ordine Sancti Bernardi misit predecessori immediato cancellarii moderni, et dictus magister Egidius cancellario moderno. De aliis precise non recordatur qui cancellario miserunt.

Item super xxxij° articulo, dixit et deposuit verum esse quod in dicto articulo continetur. Reddens causam sue sciencie, quia interfuit quando contumacia fuit data contra dictum cancellarium, et credit quod rector fecerit hoc contra oppinionem plurium antiquorum magistrorum et magis provectorum, quia multorum oppiniones audivit dicentium, quod iterato vocaretur.

xiiij. Vir venerabilis et discretus magister Guillelmus Gorren, mag. in art. et bac. in theol., etatis xxxij annorum vel circa, juratus et examinatus super infrascriptis articulis....[50].

Item super xxiij° articulo, dixit non vidisse omnes articulos partis adverse, nisi aliquos, super quibus pro parte Universitatis productus deposuit, ad quam deposicionem se refert; credit tamen quod presens controversia orta fuit ex aliquo odio aliquorum Universitatis et occasione prioritatis sedis, de qua in dicto articulo fit mencio. Alia dixit se nescire de contentis in dicto articulo.

xv. Discretus et honestus vir magister Jacobus Juvenis, mag. in art., scolaris Parisius in theologia, etatis lx annorum et amplius, alias juratus, examinatus et interrogatus super infrascriptis articulis....[51].

Item super vij° articulo, deposuit se nescire infra quantum terminum debeat se informare, et credit quod potest et debet se informare in facultatibus theologie et decretorum cum magistris et doctoribus, in facultatibus

vero medicine et artium potest licentiare secundum conscientiam suam absque requisitione magistrorum, sicut videtur sibi quod continetur in privilegiis.

Item super viij° et ix°, respondit contenta in articulo fore vera, excepto impedimento....

Item super x°, deposuit verum esse quod communis vox est de hiis que deposuit in studio Paris.[52].

Arch. Vat. Collect. n° 440, fol. 176b-205.

1. Vid. supra n° 1516, not. E n° 1485 apparet, Johannem in hac causa jam prius ut testem deposuisse. — 2. Ms. : « facientem ». — 3. Vid. *Chartul.*, II, p. 684, not. — 4. Robertum de Bardis, de quo ibid. in *Indice*. — 5. De his (excepto de affinitate) sequentes etiam interrogantur, qui examinantur super articulis supra n° 1520 editis. — 6. Petrus card. commissarius Bonitum Litelli aliosque ex parte cancellarii ad Septemb. 26 citari jussit. Contra Bonitum « et ejus dicta protestatus fuit sindicus Universitatis predicte de dicendo » (ms., fol. 75b). — 7. Ms. : « mandose ». — 8. Ms. : « verberales ». — 9. Vid. supra n° 1491. — 10. Hoc evenit post an. 1381, Jul. 15, quo tempore Johannes Blanchart a Clemente VII in cancellarium Paris. institutus est. Illi, qui Clementem VII pro antipapa habuerunt, omnes per cancellarium a Clemente institutum licentiatos (quia licentiati auctoritate antipapae) schismaticos reputabant, ut Clementem ipsum et cancellarium. Revera sic evenit in natione Anglicana. Vid. *Auctar. Chartul.*, I, an. 1382, April. 1. — 11. Ms. : « fieri ». — 12. I. e. Goulein, de quo saepe. — 13. Confirmat 9 et 10 articulos. — 14. Articulos 17-21 confirmat, sic et articulum 30. — 15. Johannes Blanchart, qui erat Tornac. dioec. (vid. *Chartul.*, II, p. 644, 646, not. 23), jam an. 1378 canon. Camerac., can. praebend. Leodiens. et eccl. S. Pharahildis Gandens. fuit. Vid. Suppl. Clem. VII, an. 1, p. 6, f. 230. — 16. De aliis articulis nihil scit. — 17. Confirmat articulos 1-6. — 18. Minime Johannis, sed Gregorii IX. — 19. Articulos 8-10 confirmat similiter art. 12-14. — 20. Articulos 18-22 confirmat, de 23-30 nihil scit, nec de 32-35. — 21. Confirmat artic. 1-10. — 22. Art. 12 confirmat quoad theologos, de 13 nihil scit. — 23. Art. 15-17 confirmat, de 18-35 nihil scit. — 24. Ms. : « prolat. ». — 25. Art. 1 confirmat, sic et 3-4. — 26. Articulos 12 (aliis omissis) usque 15 confirmat quoad theologos, sic etiam art. 19-20. — 27. Ms. clare : « in hoc capite principalis». — 28. Articulos 2-5 confirmat. — 29. Art. 8, 10 et 12 confirmat. — 30. Ms. : « convenerint ». — 31. Art. 17-21 confirmat. — 32. De art. 23-36 nihil scit; tempore prandii non fuit Parisiis. — 33. Postea spatium in ms°. — 34. Art. 6-8, 10, 12, 13 confirmat, de 11 nihil scit. — 35. Art. 17-20 confirmat. — 36. De art. 23-37 nihil scit; tempore prandii non fuit Parisiis. — 37. Art. 1-10; 12, 13, 15-20 confirmat; a 28 annis circiter in studio Paris. morabatur. — 38. Tempore Johannis de Calore. — 39. De art. 24-30 nihil scit; art. 31-35 confirmat. — 40. Art. 1-13 confirmat. Ab annis 15 est in studio Paris. Etiam art. 11 confirmat, « non tamen vidit ea fieri ». — 41. Art. 18-22 confirmat, de articulis 24-30 nihil scit. — 42. Quia ipse etiam olim rector fuit (vid. n° 1474), in collatione vero post prandium ministravit species. — 43. Congregationibus in art. 33-36 memoratis non interfuit. — 44. Art. 1 et 6 confirmat. A 14 annis est in studio Paris. — 45. Art. 8-14 et art. 17-22 confirmat; privilegium art. 11 non vidit. — 46. De hac ambitione artistarum rectorisque multa exempla in *Chartul.* Imprimis vid. supra n° 1246. Petrus Playoul postea dicit, se de art. 24-30 nihil scire, art. 31 vero confirmat quoad congregationem, ad quam a cancellario missus erat; sic etiam art 33-36, de art. 37 nihil scit. — 47. Ms. : « Aokelen ». — 48. Omnia confirmat. Articulos in art. 23 allatos non vidit. In prandio non fuit. — 49. Verisimiliter Johannes de Dunis, Cisterc. Ord., qui an. 1379 licentiatus est e *Catal. licent.* — 50. Ipse, qui 20 ann. fuit in studio Paris., omnia confirmat. — 51. Per 40 annos in studio Paris. commoratus, omnia confirmat usque ad art. 7. — 52. Hic deficit ms. Vat. Ne omittamus, in ms° fol. 158-169 pro parte cancellarii exscribi bullas Gregorii IX an. 1237, Sept. 7 (*Chartul.*, I, n° 117), Innocentii IV an. 1250, Maii 30 (ibid., n° 191), Martini IV seu potius Honorii IV an. 1286, Febr. 1 (ibid., n° 528, in ms° insertam litteris Benedicti XII in *Chartul.*, II, n° 1030), atque bullam Alexandri IV *Quasi lignum* (*Chartul.*, I, n° 247, in ms° insertam litteris officialis Paris. an. 1357, Novemb. 22).

1522. *Causa Universitatem Paris. inter et Johannem Blanchart, cancellarium Paris., coram Parlamento Paris. inquiritur, nec tamen ad finem deducitur.*

1386, Februarii 5, 6, 12, Parisiis.

Arch. nat. Paris. X1a 1473 (*Cons. et plaid.*), fol. 47b-51. Bul., IV, 606-614. — Johannes Blanchart eodem anno cancellaria Paris. sponte et libere se abdicavit, ut infra e documento n° 1527 edocemur. In Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15107, fol. 195b, contrarium asseritur : « Iste (Johannes Blanchart) autem, postquam a lecturis inhibitus, ... postquam in Rom. curia ac Parlamento regio secundum acta sua habunde cantatus est : sue proterve injusticie finem dedit indecora satis *depulsio* et sui quod fedare conabatur *ablacio officii* ». Universitas Paris. postea litem continuavit, ut ex instrumento Decemb. 16, immo an. 1387, April. 2 (vid. num 1532 et not. 2) liquet. An. 1391, Novemb. 22, eum securum reperimus et salvum, quo tempore canonicatum in Laudunens. vel Morinens. dioec. obtinere ei permittitur (Reg. Vat. Clement. VII, n° 302, f. 192). Clemens VII vero solummodo sub successore Johannis Blanchart an. 1389 declarationem de licentiandis promulgavit. Vid. infra nis 1550 et 1555.

1523. *Concordia facta inter facultatem decretorum et decanum et capitulum eccl. Paris. super lectura decreti facienda in scholis capituli praedictae ecclesiae.*

1386, Maii 11, Junii 4, Parisiis.

Pro bono pacis major pars dominorum ecclesie Parisiensis, ut michi videtur, transiret concordiam sub hac forma :

Et primo, quod doctor decretorum qui leget in scolis claustri ecclesie Parisiensis, sit talis qui receperit Parisius insignia doctoratus, et talis eciam qui fuerit et sit obligatus ad observacionem consuetudinum et statutorum dicte facultatis per juramentum suum, et talis qui sit canonicus prebendatus in ecclesia Parisiensi, et non alter nec alias.

Item et quod nullus actus scolasticus in dictis scolis claustri ecclesie Parisiensis ultra lecturam decreti hora prime ordinarie per dictum unicum doctorem faciendam exerceatur.

Item[1] bedelli facultatis non tenebuntur ire ad scolas predictas claustri ecclesie Parisiensis ad proclamandum festa et actus scolasticos, sed hoc faciet bedellus dicti doctoris, qui participabit in omnibus, sicut bedelli doctorum in clauso Brunelli legentium et regentium.

Item quod doctor predictus presentabit se prima die legibili post festum beati Dyonisii ad visitandum bacalarios legentes de mane cum aliis magistris, et eciam prima die legibili post festum Omnium Sanctorum vel alias, quandocunque post dimissionem regencie suas lectiones resumere voluerit. Et tenebitur duas legere lectiones in decretis[2] in principio ordinarii tantummodo. Et in aliqua missarum post dictas lectiones petet licenciam a dicta facultate recedendi et legendi in claustro Parisiensi pro residuo illius anni, qua petita, licet non obtenta, poterit sine aliqua difficultate in claustro legere supradicto tempore ordinario in scolis per dictum capitulum nominatis, modo et forma et quando alii doctores legunt in vico clausi Brunelli.

Quibus mediantibus dictus doctor legens ut premittitur in claustro ecclesie prelibate erit verus regens, et participabit in omnibus honoribus et emolumentis ac oneribus, sicut quilibet doctor verus legens et regens in dicto vico. Et scolares a dicto doctore audientes veri scolares reputabuntur et gaudebunt privilegiis Universitatis et facultatis, prout scolares a doctoribus in vico clausi Brunelli legentibus audientes gaudere consueverant. Predicta vero omnia et singula poterit et tenebitur dictus doctor facere et exercere, sicut ceteri doctores in dicto vico legentes et regentes facere et exercere consueverunt. Et eciam dicti regentes ipsi doctori in dicto claustro Parisiensi sic regenti facient et observabunt, prout faciunt sibi ipsis, ac si legeret in vico supradicto.

Anno[3] Domini millesimo CCC LXXXVI, die veneris post *Misericordia*, concessa et passata fuit hec cedula in capitulo [eccl. Paris.] dicta die celebrato[4].

S. Boussardi. J. Bidaudi.

Actum de consensu magistrorum Petri Bidaudi decani et Johannis de Bosco procura-

toris dicte facultatis decretorum et mag. Nicolai Chaudart[5] canonici dicte ecclesie Parisiensis condempnatorum per arrestum quarta die Junii anno Domini M°CCC° octogesimo sexto. JOUVENCE.

Minuta in Arch. nat. Paris. X[1c] 52 (*Accords*), n° 288. A tergo exscribitur altera manu epistola Karoli regis, qui hujus concordiae mentionem facit, « ad quod quidem accordum tenendum » Parlamentum per arrestum ambas partes « condempnavit et condempnat, et ea ut arrestum curie executioni demandari voluit et praecepit. In cujus testimonium, etc. Datum Parisius in Parlamento nostro die iiij Junii, anno octogesimo sexto ». Sic et in *Ecritures pour messire Claude Joly, chantre .. contre les sieurs recteur, doyens et supposts de l'Université de Paris*, p. 74, et Jourdain, n° 817. Sed in Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, p. 85 (e ms. Cheltenham n° 2863), ut supra, dempto principio « Pro bono .. . forma ». Rubrica ex hoc manuscripto. Quantum ad litem vid. supra n[os] 1486-1489.

1. Quae sequuntur usque « regentium » altera (i. e. secunda) manu in fine documenti ante « Anno Domini », etc., addita sunt. — 2. Arsen. addit : « in claustro Brunelli ». — 3. Sequentia exscripta sunt alio charactere, i. e. secunda manu. — 4. Arsen. addit « Item doctor legens in claustro Nostre Domine ut supra non potest habere in claustro Brunelli scolas doctorales, licet ibidem habeat legere aliquas lectiones, prout infra plenius continetur » — 5. In ms. potius « Chaudret », sed in Arch. nat. LL. 108[a] semper « Chaudardi ».

1524. *Ordinationes Capituli generalis Ord. Praed. de studentibus Paris. Assignationes baccalareorum.*

1386, Junii 10, Avenione.

Precipimus in virtute sancte obedientie omnibus, et singulis bacallariis quomodolibet Parisius assignatis, et eciam inposterum assignandis, quatenus quilibet conventus solvat annis singulis conventui Parisiensi pro contribucione quinquaginta florennos auri ....[1] alias mandamus sub eodem precepto presidenti conventus Parisiens. .... ne hujusmodi bacallariis et fratribus det panem et vinum et pictanciam, aut quecumque alia necessaria quovis modo....

Item privilegia, que fratres Johannes Merici[2] magister in sacra pagina, et Laurentius de Borgognis, bacallarius Parisiensis anno immediate preterito auctoritate reverendi patris magistri Ord.[3] studentibus Paris. extraneis, tam presentibus, quam futuris, concesserunt, quamque concessionem ad tempus dictus magister Ordinis reverendus etiam per suas literas confirmavit, approbamus, ratificamus et confirmamus pro perpetuis temporibus presentium per tenorem, imponentes districte presidentibus conventus Parisiensis, qui pro tempore fuerint, ut dicta privilegia quoad omnia et singula puncta sua in literis prefati reverendi magistri Ord. contenta, hujusmodi studentibus servent, teneant, atque concedant similiter illibata; eodem tenore nichilominus declarantes, quod celle in studio Parisiensi et in aliis studiis generalibus studentibus provinciarum, qui hactenus sunt deputati, concesse seu assignate, non debent occupari per studentes, qui ibidem per graciam quomodolibet assignantur, nisi prius illis, qui per provincias assignantur, provisum fuerit de cellis melioribus ibidem.

Iste sunt assignationes :

Assignamus ad legendum Sententias Parisius pro anno presenti fratrem Adam Petit de provincia Francie, cui substituimus fratrem Johannem Nicholay, quem pro primo anno

intraneis debito ad legendum ibidem Sententias assignamus, cui substituimus fratrem Albertum Roberti[4], sine tamen prejudicio alterius nacionis. Pro primo tamen anno extraneis debito assignamus ad legendum Sententias ibidem fratrem Johannem Alberti[5] de provincia Provincie, cui substituimus fratrem Johannem Romey de provincia Aragonie.

Ad legendum Bibliam ibidem pro anno presenti Albertum Roberti[6] de conventu Rupellensi; pro duobus vero annis immediate sequentibus fratrem Johannem Stephani de conventu Guingapensi[7], pro primo vero anno debito nacioni Burgundie, quantum nostra interest, assignamus ibidem ad legendum Bibliam fratrem Petrum de Pellior[8] conventus Gebennensis.

Fragmenta Capp. gen. Ord. Praed. e codice olim Barcinone conservato.

1. In cod. leguntur similes ordinationes pro conventu Tholosano, quae an. 1388 in Cap. gen. repetuntur. — 2. Seu « Meriti ». Vid. n^um 1450. — 3. Eliae Raimundi Tholosani. — 4. Ms. « Nobleti ». — 5. Supra n° 1447 additur « de Joredo de Lotharingia ». — 6. Ms. « Robli » — 7. Ms « Guigaperisu ». Fuit provinciae Franciae. — 8. An. 1388 : « Palier ».

1525. *Carolus VI, Francorum rex, jubet magistros scholaresque officiariosque Universitatis Paris. immunes fore subsidii vel semidecimi quod a gentibus ecclesiasticis, annuente papa, exigere rex poterat.*

1386, Julii 27, Parisiis.

Charles par la grâce de Dieu roy de France : A noz amez et feaulx conseilliers les évesques de Paris[1] et de Évreux[2], commissaires deputez par nostre saint Père à faire lever et exiger un certain subside ou demi disième à nous octroyé par nostre dit saint Père sur les gens d'eglise de nostre royaume, salut et dilection. Savoir vous faisons, que par deliberation de nostre conseil, nous avons voulu et ordené, voulons et ordenons, que tous les maistres, escoliers et officiers senz fraude de nostre tres-chère et amée fille l'Université de Paris, soient frans, quittes et exemps dudit subside ou demi disième. Si vous mandons, commandons et estroitement enjoignons, que d'icellui subside ou demi disiesme, vous lesdiz maistres, escoliers et officiers tenez et faittez tenir frans, quittez et exemps, sanz les molester ou empescher, ou les faire ou soffrir, empescher ou molester au contraire en aucune manière quelconque : mais se aucune chose estoit sur ce faitte au contraire contre eulx ou aucun d'eulx, si leur mettez ou faittes mettre tantost et sanz delay au premier et deu estat, en leur faisant rendre et restituer, et à chascun d'eulx tout ce qui par eux ou l'un d'eulx auroit esté sur ce payé, et les mettez ou faittes mettre hors de tous procès, registres et sentences, comme non comprins en iceulx, et leur baillez ou faittes baillier et à chascun d'eulx absolution sur ce sanz coust, sanz en prendre ou exiger pour ce aucune chose, amande ou finance quelconque, se pour l'occasion dessus dite eulx ou aucun d'eulx estoient es diz procès, registres ou escommuniez, en mandant par voz lettres patentes à touz collecteurs, commis, officiers et deputez ou ordenez à ce, que la teneur de nostre presente grâce et ordenance ilz accomplissent bien et deuement et diligemment.

Et voulons que en vozdites lettres soient encorporées et inserées de mot à mot noz presentes lettres, et que à icelles lettres plaine foy soit et doie estre adjoustée comme au propre original, laquelle chose nous avons octroié et octroions auxdiz maistres, escoliers et officiers de grâce especiale par ces presentes, nonobstans ordenences, deffenses, ediz, statuz ou observations et lettres subrectices empetrées ou à empetrer à ce contraires. Donné à Paris le xxvij jour de Juillet l'an de grace mil CCC quatrevins et six, et de nostre règne le sisiesme. *Par le roy, à la relation de monsieur le duc de Berri,*

G. Barrau.

Originale in Arch. Univers. Paris., thec. II, A. 5. aa. In margine inferiori legitur charactere saec. xviii : « Representées, transcrittes, retablies et inserées dans les registres de la Chambre des Comptes, conformement à la declaration du roy, du quatorze Mars XVII quarante un et suivant l'arrest de la Chambre du vingt un Mars. Henry. » — *Recueil des privilèges de l'Université*, p. 88.

1. Petro d'Orgemont, qui, cum esset decanus S. Martini Turon. et in utroque jure licent., an. 1376, Maii 26, factus est episc. Morin. (Reg. Vat. Greg. XI, nº 289, f. 71), an. 1384, Januar. 19, episc. Paris. (Reg. Av. Clem. VII, vol. XXXIII, f. 392). — 2. Philippo de Moulins, de quo supra nº 1446, not. 1, p. 291.

1526. *Clemens VII cancellario Paris. injungit, ut Johanni de Hasteriis, Ord. Min., qui librum Sententiarum in studio Paris. legit, nec tamen ex certis causis cum aliis, qui nuper in studio gradum licentiae receperunt, magisterium obtinere potuit, post duos menses magisterii honorem et docendi licentiam largiatur.* Dat. Avinione viij kal. Octobris, anno octavo. « Sicut debetur ».

1386, Septembris 24, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XLI, fol. 452. — Deest in *Catal. licent.*

1527. *Clemens VII Johanni de Guignicurte, baccalareo in theol., cancellariam Paris. confert.*

1386, Septembris 28, Avenione.

Dilecto filio Johanni de Guignicurte, canonico et cancellario ecclesie Parisiensis, salutem, etc. Dum evidentem litterarum scientiam, qua Deus scientiarum dominus personam tuam multipliciter prout novimus insignivit, necnon vite ac morum decorem aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimonio, ad memoriam revocamus, monemur merito et inducimur ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Dudum siquidem omnes dignitates .... reservavimus.... Cum itaque postmodum cancellaria ecclesie Parisiensis per liberam resignationem[1] dilecti filii Johannis Blancart ipsius ecclesie cancellarii de illa, quam tunc temporis obtinebat, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, apud sedem ipsam vacaverit et vacare noscatur ad presens, nullusque preter nos hac vice de illa disponere potuerit neque possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis : nos volentes tibi premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, canonicatum ejusdem ecclesie cum plenitu-

dine juris canonici ac cancellariam predictam sic vacantem cum omnibus juribus et pertinenciis suis, etiam si cancellaria ipsa dignitas, personatus vel officium existat et curam habeat animarum, et ad illam consueverit quis per electionem assumi, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te super hoc nobis oblate peticionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis etiam providemus. Prebendam vero si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit (quam tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacacio illius innotuerit, duxeris acceptandam) tibi post acceptacionem hujusmodi cum omnibus juribus et pertinenciis .... reservamus.... Dat. Avinione iiij kal. Octobris, anno octavo.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XLI, fol. 203. Episcopus Matisconens.[2], abbas monasterii S. Genovefae[3] Paris. et officialis Paris.[4] exsecutores constituuntur.

1. Vid. contra n^um 1522, not. — 2. Johannes (de Boissy), cancell. Carnot., leg. doctor, fit episcopus an. 1380, Octob 5 (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XVII, f. 71), an. 1389, Martii 29, translatus ad sed. Ambianens. (ibid., vol. LII, f. 72). — 3. Adhuc Johannes Bassemain (de quo supra p. 155, not. 2), nam successor ejus Stephanus (de Petra), qui antea fuit abbas S. Martini Nivernens., an. 1391 tantummodo, Januar. 27, translatus est ad abbatiam S. Genovefae (Reg. Aven. Clem. VII, vol. LXI, f. 164 b). Errat Feret, *L'Abbaye de Sainte-Geneviève*, I, 169 sq. Correctius in *Gall. christ.*, VII, 757. — 4. Robertus de Dours.

Actio Facultatis Decretorum contra mag. Amelium de Brolio, ejusd. Facult.

(Continet n°s 1528-1531.)

1528. *Facultas decretorum coram Parlamento negat mag. Amelium de Brolio, ut actu regentem, posse matutinas lectiones facere.*

1386, Maii 15-17, Parisiis.

Mardi xve jour de May. — Entre maistre Aymé Dubrueil d'une part, et le doyan et faculté de decrez à Paris d'autre part, sus le contenu en la complaincte de maistre Aymé en cas de saisine et de nouvelleté qui propose et conclut tout pertinent, en cas de delay à recréance; consideré qu'il est fondez de droit commun à restablissement premiers et avant tout euvre, c'est assavoir que les assemblées qui ont esté faites en ladite faculté senz appeller maistre Aymé soient refectes à domages intérès et despens.

Ceux de la faculté dient que la faculté de decrez est moult noble et la plus noble de l'estude de Paris après la faculté de théologie; dient qu'il ont ordenance entre euls que nuls docteur regent à Paris ne puet lire la leccion du matin, et que bien que à Orlians et ès autres estudes les docteurs lisent à matin, en ceste ville en ladite faculté de decrez les bachelers lisent à matin, et les docteurs lisent à prime. Et la raison est bonne, car c'est raison que les docteurs, qui ont longuement traveillé en l'estude, soient allegez, et pour ce lisent à prime, qui n'est pas si grant heure que celle du matin; et les bachelers lisent à matin pour estre instruis en la science. Dient que par les status les docteurs regens en ladicte faculté doivent estre le mardi [après la Toussains] à l'assamblée de la faculté,

doivent ainsin venir le premier jour de l'ordinaire[1], et jurer qu'i vuelent lire et liront senz fainctise, et si viennent après le premier jour, il ne sont point reputez regent senz la licence des docteurs; et plusieurs docteurs sont ainsin venus voulans lire après l'ordinaire commancé, et il en ont esté debouté par jugement contradictoire; plusieurs ausin docteurs comme l'official de Paris[2] et autres ont voulu lire à matin; il en ont esté déboutez, au meins n'i ont pas esté receu. Dient que aucuns ne doit lire deux lections le jour, et doivent les docteurs lire en chapes rouges.

Dient que maistre Aymé est docteur en decrez à Paris; dient que environ la feste Saint Denys darrièrement passé ledit maistre Aymé afferma en l'assamblée des docteurs que maistre Perre Beaublé, l'un des bachelers lisans à matin en ladite faculté, non liroit plus, et requist estre receus. On ne li octroya pas lors, mais li fut jour assigné en une assamblée. En l'assamblée general qui fut à Saint Bernart, maistre Aymé rafreschi sa requeste et jura qu'i ne le faisoit point pour proffit, et lors fut receus par telle forme et manière, c'est assavoir qu'i liroit comme bacheler, et non pas comme docteur, qu'i ne liroit pas en chappe rouge, qu'i n'auroit point de proffit, qu'i n'auroit point option des bachelers à licencier, qu'i ne bailleroit point de certification aux escoliers comme font les autres docteurs, et qu'i feroit honeur et revérence aux docteurs, quant il commanceroient l'ordinaire. Et sus ces condicions fut octroyé à maistre Aymé qu'i liroit à matin pour une année tant seulement; et fist maistre Aymé le serment des bachelers. Puet estre qu'il est reputez entre euls docteur honoraire en autres choses, qui ne regardent pas l'onneur de la regence, comme se la faculté escripvoit au pape pour lui, elle l'appelleroit docteur, et en tels cas samblables. Dient que au commancement de l'ordinaire maistre Aymé fist la revérence aux docteurs à leur commancement avec ledit maistre P. Beaublé. Dient qu'il est ceste année *annus jubileus*[3] de faire les licentiez et pour l'option des bacheliers, dont il puet venir proffit aux docteurs, est toute la maladie de ceste besoigne.

Dient que maistre Aymé requist estre receus à l'examen comme docteur regent, y li fu refusé pource que n'estoit pas regent. Lors il commança le Decret à prime, et se préconisa en ses escoles et ne commança pas le premier jour de l'ordinairè avec les autres docteurs regens, mais a commancé en Mars en escoles empruntées, dont il s'ensuit tel inconvenient, se un lit matin et à prime; car le lecteur du matin doit lire senz chandelle[4] tout par cuer, mesmement en yver, jusques à heure que on puet veoir en son livre : et maistre Aymé a leu à chandelle, pource qu'il vouloit lire à prime avec le matin, et ne pouvoit si bien estudier II lections comme une. Et souffist bien de celle du matin, car ou monde n'a point de plus grant peine, comme H[enry] Bouic le tesmoigne. Dient que le doyan de la faculté est en possession et saisine de appeler à l'assamblée ou non appeller ceux qui li plait, et en possession et saisine de reputer pour non regens ceux qui ne commancent leurs lections le mardi après la Toussains avec les autres docteurs regens, se il n'ont sur ce licence de la faculté, et doivent jurer qu'i le font pour appranre. Dient que

leur fait respond au fait de maistre Aymé, et se maistre Aymé a esté à l'assamblée, il a fait contre son serment, et se il a donné lettres testimoniauls à escoliers comme docteur, il a mal fait, et se il a esté en l'examen des bacheliers avec les autres docteurs, pource ne s'ensuit-il pas qu'i soit regent, car autres que regens il l'eult bien mesmement de grâce. Et nous veons que *en théologie les maistres lisent la Bible, et les bacheliers Sentences*[5], et se un maistre vouloit lire Sentences, on ne li soufferroit pas. Pareillement les docteurs lisent decret, et pource les appelle-on *docteurs en decret*, et non pas *docteurs en decretales.* Dient que maistre Aymé ne fait à recevoir, et n'est pas sa saisine recevable, car notoirement elle est non vraye, car nuls docteur ne lit à matin; *ergo* elle n'est pas recevable. Et n'a pas leu en chape rouge, et par son propos il y doit lire, puisqu'il est docteur; et si n'a pas commancé le premier jour de l'ordinaire, *ergo* il n'est pas regent, et confesse assez qu'il a commancé en Mars. Dient que maistre Aymé tient en procès ceux de la faculté devant l'Université en action petitoire, par consequent il confesse la faculté possesseresse et ne fait à recevoir maistre Aymé. A ce concluent ceux de la faculté, et se il faisoit à recevoir, proposent et concluent tout pertinent, et en cas de delay à recréance, et dient qu'i sont mieuls fondez. Et maistre Aymé qui est membre de la faculté n'a juré garder ses drois, ne fait à recevoir quant la faculté qui soustient ses drois; au meins devroient-il avoir la recréance par ceste raison. Dient que ne sont tenus de faire restablissement, *quia nichil est ablatum*, et ne puet que les assamblées faictes ne le soient, et ont esté faictes les assamblées, dont maistre Aymé se duebt pour l'accort de la cause qui pend céans entre euls contre le feu doyan de Paris[6], et sont les parties d'accort, se il plait à la court, et encor ne devroit pas estre appellez maistre Aymé aux assamblées qui seroient faictes contre lui; à ces fins concluent et à despens.

Item ad hoc ut recta fiat de responsionibus bacallariorum in facultate relatio, statutum est quod, finita disputatione, statim in eodem loco magister se ad partem retrahat, et vota bacallariorum formatorum presentium diligenter inquirat, quibus auditis in proxima congregatione facultatis magister per suum juramentum fideliter referat numerum bacallariorum arguentium nec non opinionem majoris et sanioris partis eorum super sufficientia responsionis, et demum suam habeat reserare, antequam bacallarius ad gradum ulteriorem admittatur. Item imponitur magistris per juramentum ipsorum ut depositiones singulares bacallariorum nemini habeant revelare, nec etiam bacallarii suas revelabunt.

Item statuimus quod quilibet bacallarius antequam recipiatur ad lecturam Sententiarum, juret quod est de legitimo matrimonio procreatus, et quod in licentia juret quod est in sacris ordinibus constitutus, et si aliquis magister credat oppositum, teneatur illud facultati revelare. Datum Parisius in congregatione nostre dicte facultatis ad statuendum specialiter celebrata in Collegio scolarium de Navarra, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, die quarta mensis Junii.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 69ᵃ, nº 7. — Bibl. nat. Paris. ms. lat. 12847, fol. 383. — Ad statuta supra relata vid. *Chartul*, II, p. 704, not. 24, 32, 37. — Opinamur, Johannem de Montesono occasionem dedisse hoc statutum faciendi.

1535. *« Provisio et ordinatio facultatis decretorum super emendatione et correctione quorumdam excessuum : quae debent legi in scolis de mane per bedellum et subbedellum, secunda vel tertia die post festum beati Dionysii, et etiam in ordinario dominorum doctorum immediate post festum Omnium Sanctorum*[1]. »

1387, Junii 13, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis decanus et collegium facultatis decretorum Paris. salutem. Dierum crescente lascivia, videmus mundum in deteriora prolabi, et in tantum mentes hominum assueta nequicia depravante diebus istis, abjecto sue professionis habitu, mala malis passim novercante[2] fortuna superaddi, ut eciam ferventes in studio, qui alias oderunt virtutis amore delinquere, nonnunquam cum perversis admixti, a studio distrahantur[3], in illicitis currere non verentes et in apertam voluptatem corporum, universis utique Deum timentibus deplorandam, prosilire. Est igitur talium compescenda temeritas et prudenter prescindenda, ut saltem pene formidine retrahantur a noxiis, et per decenciam habitus extrinseci patenter videantur Ordinis assumpti professores et

habitus condecentis zelatores. Sane, non solum ad nostrum (qui desideranter in votis gerimus, ut in temporibus nostris floreat mater nostra decretorum facultas, et in suis suppositis feliciter prosperetur) pervenit auditum, verum et experiencia docente luculenter cognovimus, quod nonnulli, tam religiosi quam seculares, superstitiosa quadam curiositate reperta, vestes proprio Ordini et statui congruentes in deformem secularium habitum adeo transformarunt, vestimentorum sumpto usu et jure vetitorum, diversis eciam utendo coloribus : quod religiosi vel scolares minime videntur, sed meri pocius laici vel seculares. Nos autem premissa et alia, que de presenti subticemus, sub dissimulacione ulterius tolerare nolentes, omnes et singulos tam bachalarios quam scolares ejusdem facultatis, cujuscumque status seu condicionis existant, tenore presencium monemus, ut in gestu et habitu laudabiliter ac honeste se habeant, et ab indecentibus secularium se ornatibus [abstineant], cujusmodi sunt vestes truncate, calige semelate, sotulares rostrati vel fenestrati et similes, que scandalum generant in clero; et presertim religiosi, quos necessario oportet humilem et honestum religionis habitum adeo patenter deferre, quod a secularibus merito distinguantur. Habitus autem honestus et necessarius est pro monachis Ordinis Sancti Benedicti[4] flocus cum cuculla, vel capa clausa cum eadem cuculla vel cum scapulari; non certe mantellus seu rotondellus, nisi forsan contingeret ipsos extra villam proficisci. Alii vero religiosi tenentur deferre capam, vel alterum religiosum habitum, secundum consuetudines vel statuta sue religionis determinatum. Qui vero, spreta monicione nostra, ut prius, se habuerint indecenter, habitum videlicet suo Ordini et statui scolastico deferendo minime congruentem, aut aliis utendo vestibus aut calciamentis inhonestis : lapso sex dierum numero, a tempore publicacionis computandorum, quorum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos pro tercio et peremptorio termino a monicione canonica, eis et eorum cuilibet assignamus; ipsos et eorum quemlibet ad acquirendum tempus, tam in audiendo quam in legendo, in dicta facultate ex tunc prout ex nunc et ex nunc prout ex tunc inhabiles judicamus per presentes : decernentes eisdem qui talia indecenter et contra prohibicionem nostram exercebunt, tempus tam audicionis quam lecture, eciam si alias diligentissime debitum in hujusmodi temporis acquisicione fecerint, minime computari. Quocirca generalibus bedello et subbedello districtius precipiendo mandamus nostris, quatinus easdem litteras nostras et statuta in scolis nostris Clausi Brunelli, dum ibidem de mane et aliis horis consuetis legi continget, anno quolibet semel et pluries legant et publicent, ut de ignorancia nullus valeat excusari. Actum et datum Parisius in nostra generali congregacione apud hospitale Sancti Johannis Jerosolimitani, die jovis post festum sancti Barnabe apostoli, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo septimo.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1123, fol. 7, sub rubrica ut supra. — Jourdain, nº 826.

1. De ordinario vid. supra nº 1529, not. 1. — 2. Ms. : « novercancante ». — 3. Ms « distrahuntur ». — 4. Sequens statutum legitur in Bibl. Ars., ms. 1121, p. 7, et infra in *Appendice*.

1536. *Litterae Caroli VI, regis Francorum, quibus jurisdictio conservatoris privilegiorum Universitatis in perturbatores suppositorum confirmatur.*

1387, Julii 30, Vernone.

Charles par la grace de Dieu roy de France à noz amez et feauls gens tenant nostre present parlement ou cellui advenir à Paris, aux generauls conseillers sur le fait des aides ordenées pour la guerre, et à toux noz autres justiciers et officiers ou à leurs lieuxtenans salut. Nostre tres chère fille l'Université de Paris nous a exposé en soy griefvement complaignant que comme elle, et touz les suppoz d'icelle, avoit de long temps et espécialment ou temps que vivoit nostre très cher seigneur et père (que Dieu absoille) et depuis, acoustumé de traittier et faire convenir en jugement touz ceulx qui ont perturbé et empesché les suppoz de nostre dicte fille en leurs droiz, coustumes, privilèges, franchises et libertez pardevant le conservateur desdiz privilèges tant pour les faiz touchans les dictes aides comme autrement, néantmoins vous noz dictes gens naguères avez fait ou fait faire inhibicion et defense de par nous audit conservateur sur certaines et grosses paines que il ne tiengne, ne ait congnoissance, ne s'entremette de proceder en certaines causes pendans pardevant lui touchans aucuns des suppoz de nostre dicte fille, tant pour le fait desdictes aides comme autrement, et defendu aux parties que aucunement ne procèdent en ycelles causes jusques ad ce que par nous y soit autrement pourveu ou ordonné, lesquelles choses sont et ont esté faictes en grant grief, prejudice et dommage de nostre dicte fille et de ses diz suppoz et ou grant contempt de la jurisdiccion dudit conservateur, sicomme elle dit nous humblement suppliant que sur ce leur veullions pourveoir de nostre gracieux remède, pour quoy nous, qui voulons nostre dicte fille et les suppoz d'icelle tenir et garder en leurs droiz, coustumes, privilèges, franchises et libertez, et toutes leurs causes estre favorablement demenéez, vous mandons ce, estroitement enjoingnons et à chascun de vous, sicomme à lui apartendra, que les dictes inhibicions, défenses et empeschemens diz(?) et faiz en la juridiccion dudit conservateur et contre les privilèges et coustumes de nostre dicte fille et suppoz d'icelle, vous ostez ou faites oster et mettre au néant du tout tantost et sanz delay, et nous par ces mesmes presentes les ostons et mettons au néant. Et de ce faire laissez et souffrez ledit conservateur joir et user paisiblement de sa dicte jurisdiccion et congnoistre et procéder des dictes causes dessus dittes et toutes autres et ycelles jugier, determiner et decider par la manière et selon le contenu de leurs diz privilèges, coustumes, franchises et libertez, et qu'ilz ont acoustumé en temps passé à faire sanz les dessusdiz molester ou empescher en corps ne en biens doresenavant; car ainsi le voulons nous estre fait et à la contemplacion de nostre ditte fille l'avons octroyé et octroyons de nostre auctorité royal et grace espécial par ces présentes, nonobstant que aucuns desdiz faiz touchent noz dictes aides et que la congnoissance en deveroit appartenir à vous, noz diz generaulx conseillers, ordenances, mandemens, defenses et lettres ad ce contraires.

Donné à Vernon sur Sayne le xxx[e] jour de Juillet l'an de grace mil troiscens IIII[xx] et sept, et de nostre règne le septiesme. *Par le roy en son grant conseil,*

G. Changis.

Apographum membr. coaevum in Arch. nat. Paris. M. 66[a]. n° 26, sub rubrica « Copia littere regie concesse modo subscripto in Vernone, quam Universitas Paris. requirit sigillari ».

Rotulus Universitatis Parisiensis.

1387, Julii 31.

In *Lib. proc. nat. Picard.* olim legebatur, an. 1386 (1387), Martii 9, nationem Picardorum fuisse apud S. Julianum Pauperem convocatam et congregatam ad eligendos inrotulatores nationis pro rotulo Universitatis, ad taxandum salarium ipsorum et nuntii mag. Gerardi de Versigniaco, alias per Universitatem conclusi in nuncium et praesentati Universitati in congregatione generali apud S. Maturinum per procuratorem nationis. Inrotulatores nationis fuerunt quatuor magistri infra in rotulo Picardorum post Gerardum de Versigniaco enumerati, quorum salarium fuit 4 alb. pro praesentibus, et 8 pro absentibus. Salarium nuntii fuit 16 sol. pro praesentibus, 32 pro absentibus (Bul. IV, 614). Simili modo agebatur in aliis nationibus et facultatibus. Quanti momenti sit iste rotulus ad distinguendos duos rotulos ann. 1379 et 1383, jam in superioribus, *Introduct.* ad n[um] 1428, et not. ad n[um] 1474, indicavimus.

1537. *[Articuli communes.]*

Clementissime sanctitati vestre .... supplicat humiliter devota filia vestra Universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium quatinus eidem in personas magistrorum infrascriptorum speciales gratias facientes eisdem magistris .... dignemini misericorditer providere....

Primo dignetur sanctitas vestra, pater beatissime, concedere quod omnes magistri cujuscunque facultatis ejusdem Universitatis existant, sacre theologie, decretorum, medicine et artium, sive in presenti, sive in duobus jam eidem sanctitati successive porrectis rotulis pro eadem Universitate contenti possint uti duabus graciis una cum nominacione regia vel alterius regalium, eciam quoad incompatibilia, etiam si in una ipsarum mentio de alia non habeatur....

Item quod in expectationibus et reformationibus gratiarum quas in dictis rotulis pecierunt, habeant ad quamcunque taxationem sive summam....

Item dignetur sanctitas vestra concedere et declarare, intentionis vestre fuisse quod illi qui tempore signationis hujus rotuli sunt etatis, possint tenere curam, quamvis pro data concessa in *primo rotulo* non erant etatis competentis.

Item attento quod in facultate artium, que fundamentum et radix e[s]t aliarum, plures tam nobiles quam alii magni religiosi et honesti viri ex verecundia moti, quia sedere habent ad terram, dimittunt audire propter defectum scannorum et bancarum, qui nondum sunt sufficienter fundati ut proficiant in aliis facultatibus, quod redundavit hactenus et redundat in prejudicium multorum et totius Universitatis : unde eidem sanctitati supplicat quatinus in scolis dicte facultatis perpetuo ponantur scanna et bance, non obstante bulla domini Urbani quinti, in qua prohibentur hujusmodi scanna seu bance[1].

Item fiat una bulla pro omnibus articulis in aliis predictis rotulis concessis et in isto etiam concedendis.

Item omnibus et singulis magistris et scolaribus dicte Universitatis, cujuscunque etiam licite facultatis, dignemini decimas, subsidia et onera quecunque, si quas seu que a sede apostolica in futurum pro camera apostolica et ex alia causa seu occasione quacunque imponi contigerit, remittere perpetuo et quittare, ad instar christianorum regum Francie, qui decimas eisdem a dicta sede concessas dictis magistris et scolaribus remiserunt et quittarunt liberaliter ac etiam graciose....

Item quod gradus tempore signationis rotuli vel supplicationum ad partem adepti utiles sint magistris et perinde valeant, ac si fuissent adepti pro tempore date gracie ipsis facte....

Item et quod aliquibus pauperibus magistris, qui non potuerunt incipere in theologia vel in jure canonico tempore conclusionis rotuli presentis, intitulatis in suis supplicationibus bacall. in theologia vel decretis, non prejudicet, dummodo fuerint bacallarii, etc., infra tempus presentationis prefati rotuli vestre beatissime sanctitati presentati.

1. Vid. supra p. 148, not. 16.

1538. « *Rotulus magistrorum regentium facultatis theologiae.* »

Apostolice sanctitati vestre .... supplicant humiliter vestri devoti oratores magistri et doctores in sacra theologia actu regentes Parisius, quatenus ex solita vestre benignitatis clemencia eisdem inferius nominatis specialem gratiam facientes de beneficiis eccl. .... misericorditer dignemini providere.... Attento, pater beatissime, quod pluribus ex magistris theologie facultatis in beneficiis ecclesiasticis est tenuissime provisum, quodque in pluribus provinciis et diocesibus orbis catholici pauci magistri in theologia sunt in ecclesiis cathedralibus prebendati, adeo ut jam propter deffectum provisionis theologis pauci scolares sacre scripture studio sunt intenti, et quasi nulli ad gradum doctoratus in dicta facultate hanelantes (*sic*), quod plurimum cedere potest in fidei et ecclesie detrimentum. Eapropter, beatissime pater, dignetur sanctitas vestra supplicationes inferius annotatas signare eo modo, quo sunt in scriptis redacte.

Et primo Radulpho Glachardi, presb. Ambianens. dioc., a xxxvj annis citra sacre scripture doctori, decano facultatis theologie Parisius, etatis octoginta quatuor annorum vel circa, et propter senium quasi viribus corporalibus destituto, consideratione premissorum divina misericordia sibi, in maxima paupertate et indigentia existenti, de aliqua prebenda seu beneficio in aliqua de vestris ecclesiis in partibus gallicanis ad presens vacantibus .... dignemini providere.

Item Stephano de Calvomonte, presb., rectori (archipresbytero) eccl. parroch. S. Severini Paris., mag. in art. et in theol. actu regenti.

Item Galerano de Pendref, presb., mag. in art., in med. et in theol. actu regenti, can. Narbonensi.

Item Johanni de Trelon, mag. in art. et in theol.

Item Petro de Aylliaco, presb., mag. in theol. et in art., gratiam sibi tunc bachallario formato in theol. existenti factam per nominacionem illustri^{mi} regis Francorum Karoli ultimo defuncti de canonicatu eccl. S. Clementis de Compendio Suessionens. dioc. de data xvj kal. (*sic*) anni primi, in aliam gratiam reformare[1].

Item Herveo Sulven, presb. Corisopitens. dioc., mag. in art. et in theol. actu regenti.

Item Egidio de Campis, diac. Rothomag., mag. in art. et in theol. doctori actu regenti, in eccl. Rothomag. canonicatum obtinenti.

Item Francisco Robini de S. Michaele, subdiac. Virdunens. dioc., mag. in art. et in theol. regenti in fac. theol., alias bis rectori Universitatis Paris.[2], quique legit in vico Straminum artes fere per xv annos et fere per octo annos libros morales philosophie, diebus videlicet dominicis et festivis, dudum eciam nuncius ad curiam Rom. pro dicta Universitate, qui vix recipit in studio xx francos communibus annis de prebendis Virdunensi, Metensi, et S. Gengulphi Tullens., in quibus ecclesiis est canonicus prebendatus.

Item Egidio Abbatis, presb. Rothomag., mag. in art. et in theol., actu regenti Parisius in fac. dicte theol.

Item Johanni de Salesio[3], Montisalbanens. dioc., Ord. frat. B. Marie de Monte Carmeli, mag. in theol.

Item fratri Petro Ducis, abbati S. Victoris Parisiens., mag. in theol. actu regenti.

Item Guillermo de Gardino, presb. Rothomag. dioc., in art. mag. ac regenti doctori in theol., curato parr. eccl. B. Marie de Calidobecco dicte dioc.

Fratri Johanni Golein, Ord. Beate Dei genitricis Marie de Monte Carmeli, qui alias missus per Universitatem una cum aliis eidem sanctitati vestre presentavit determinacionem ipsius Universitatis cum rotulo[4].

Item fratri Matheo Silvestris, in theologia mag., priori conventus Parisiensis Ordinis fratrum Heremit. S. Aug.

Item Egidio Imperatoris, dioc. Parisiens., subbedello fac. theol., de matricularia in eccl. Remensi. [15]

1. Possidebat tunc personatum de Baisieu Ambian. dioec., capellaniam in capella S. Stephani Haudri Paris., « quam ad presens non obtinet », canon. eccl. Ambian., can. eccl. Suession., praeb. S. Marcelli Paris., cantoriam Noviomensem. Recordatur gratiae factae « in *rotulo nationis Gallicanae* Paris., ipso tunc nuntio ad sanct. v. pro dicto rotulo destinato, ac *baccal. formato in theol. existenti* » (vid. ad haec supra p. 255), eidemque concessum fuit « quod possit duas dignitates etiam curatas assequi et tenere ». Ad haec vid. *Introduct.* ad n^{um} 1504. — 2. An. 1368 et 1378. Vid. n°s 1348 et 1419. — 3. I. e. de Salies (H^{te}-Garonne). Vid. supra p. 398, not. 38. — 4. Utique an. 1383. Vid. supra n° 1477, not., et *Lib. procur. nat. Anglic.* in *Auctar.* ad h. an. Febr. 3 et 26.

1539. « *Rotulus facultatis decretorum.* »

Supplicat sanctitati vestre vestra devota facultas decretorum quatinus de solita benignitate vestre clemencie in personis magistrorum dicte facultatis gratiam specialem facientes eisdem magistris inferius nominatis de beneficiis ecclesiasticis .... misericorditer dignemini providere....

Item fratri Henrico Bueuve, Laudunens. dioc., religioso S. Mauri de Fossatis Paris. dioc., decretorum doctori, actu regenti in eadem fac. et decano ejusdem fac.

Item magistro Radulpho de Lesia, decret. doctori, actu regenti Parisius in fac. predicta.

Item magistro Johanni de Crepone, Constanciens. dioc., decr. doctori, actu regenti Parisius et lic. in leg.

Item magistro Johanni de Socco, consanguineo bo. me. Stephani quondam cardinalis Paris., decr. doctori, actu regenti Parisius in dicta fac.

Item fratri Richardo, doctori actu regenti Parisius in fac. decr., abbati monasterii S. Martini Trecens. dioc., Ord. B. Aug.

Supplicato dudum, videlicet anno primo creationis vestre in *rotulo baccallariorum in decretis* Parisius manu beata per verbum « fiat ut petitur » signato pro parte oratoris venerabilis fratris Bernardi de Oratorio, monachi expresse professi prioratus Volte Ord. Cluniac. et dioc. Sancti Flori, quatinus dignemini eidem providere seu specialem gratiam facere de beneficio, officio seu prioratu .... (nunc) sub data priori[1] si placet, *seu tali*[2], quam concessistis magistris Universitatis Parisiens. existentibus in *secundo* eorum *rotulo*, *ultimo* eidem sanctitati *presentato*, quibus per primum modum fuerat provisum, dictam graciam dignemini extendere .... attento quod dictus exponens magister dicte Universitatis et decretorum doctor actu regens et legens Parisius continue et tribus annis citra existit.

Item magistro Richardo Belet de Ebroicis, doctori decr. actu regenti Parisius [de can. eccl. Ebroicens.].

Item fratri Galtero Crassi[3], religioso professo Hospitalis S. Johannis Jhierosol., doctori actu regenti Parisius in fac. decr.

Item mag. Richardo de Fonte, presb., decret. doctori, actu regenti, qui alias sub data *primi rotuli bacallariorum* facultatis decretorum[4] Parisius, videlicet xv kal. Dec. vestri pontificatus anno primo, a vestra sanctitate obtinuit gratiam specialem de can. eccl. Cenoman.

Item fratri Johanni Bouleti, can. regulari monast. S. Johannis de Falesia, Premonstrat. Ord., Sagiens. dioc., doctori in decr.

Item Fulconi de Blandeyo[5], nobili genere, presb., monacho expresse professo monasterii B. Dionisii in Francia, Ord. S. Ben. Paris. dioc., decr. doctori et lic. in leg., actu, et continuo regenti in predicta facultate, olim magistro seu rectori collegii scolarium dicti monasterii Parisius studentium, priori prioratus de Strata beati Dyonisii predicti monasterii.

Item Yvoni Kerengar, subdiac. Leonens. dioc., decr. doctori actu regenti.

Item fratri Johanni Baudouardi, presb., monacho ac expresse professo monasterii Montis S. Michaelis in Periculo maris, Ord. S. Ben., priori prioratus de Genecio, membri dicti monasterii, Abrincens. dioc., decr. doctori actu regenti Parisius in eadem fac.

Item fratri Johanni Pinchon, presb. ac monacho expresse professo et decretorum doctori, preposito de Busco monasterii de Corbeya in dioc. Ambianens., Ord. S. Ben.

Item cum monasterium B. Marie de Lonlayo, Ord. S. Ben. Cenomanens. dioc., fuerit et adhuc sit propter guerras et mortalitates, que ibidem diu viguerunt, destructum et in redditibus et proventibus depauperatum ... , Johanni predicti monasterii abbati, decr. doctori[6], specialem gratiam facientes [de incorporatione ecclesiarum].

Item magistro Petro Mosnerii, Lemovicens. dioc., decretorum doctori. [16]

1. Scil. xv kal. Decemb. an. primo. Vid. supra n° 1435 et p. 275. — 2. I. e., si non recipit « datam » concessam baccalareis in rotulo n[i] 1435, ad minus desiderat datam concessam magistris, etc. Vid. supra not. ad n[um] 1474. — 3. Seu « Grassi », « le Gras ». — 4. Vid. supra n° 1435. — 5. Seu « de Blandes », qui an. 1391 factus est prior S. Martini de Campis. Vid. *Gall. christ.*, VII, 534. — 6. Johannes, an. 1380, Septemb. 24, cum esset prior prioratus S. Nicolai de Plormelo, O. S. B., Macloviens. dioec. et jam decret. doctor, factus est abbas de Lonlayo (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XVII, f. 77), et quidem post obitum Jacobi abbatis, qui fuit an. 1377, April. 23, successor Almaurici (Reg. Av. Gregorii XI, vol. XXX, f. 35), abbatis ab an. 1376, April. 4 (Reg. Vat. Greg. XI, n° 289, fol. 75[b]). Omnino mancum in *Gall. christ.*, XIV, 495.

1540. « *Rotulus facultatis medicine.* »

Supplicant sanctitati vestre devoti filii vestri universi et singuli magistri regentes et non regentes Parisius in facultate medicine. ..

Et primo magistro Johanni Cherton, mag. in med. et in art., Lexoviens. dioc., capellano capelle S Laurencii de Bosco Regnondi.

Item Radulpho de Harbis, subdyac. Laudunens. dioc., mag. in art. et med. actu regenti.

Item Martino Gazel, presb. Baiocens. dioc., curato parroch. eccl. S. Salvatoris de Cadomo ejusdem dioc , mag in art. et med. ac regenti in eadem, quatenus valeat legere Parisius, regere et ceteros actus exercere in fac. med. perpetuis temporibus vite sue, sacerdocio non obstante[1].

Item Petro Verelli[2], presb. Baiocens. dioc., mag. in art. et med. ac rectori eccl. parroch. S. Germani de Moyon, Constant. dioc., regenti in facultate med.

Item Radulpho Tabernarii, subdiac. Rothomagensi., mag. in art. et actu regenti Parisius in fac. med. [de quodam beneficio non obstante gratia *nuper* per sanct. vest. in *ultimo Universit. rotulo* concessa].

Item Stephano Richardi, cler. Tullens., mag. in art. et med. actuque regenti in fac. med.

Item Thome Blanchechape, cler., mag. in art. et med.

Supplicatio decani facultatis medicine Parisius.

Item Johanni Voygnon, cler. de Polignyaco Bisuntin. dioc., in art. et med. mag., quondam rectori Universitatis Parisiensis filie vestre, nunc vero decano facultatis med. et actu regenti in eadem facultate.... Non obstante

gratia in *rotulo nationis Gallicane, ante determinationem Universitatis Parisiensis*[3] per eandam sanct. vest. sibi facta [de can. eccl. colleg. S. Germani Autissiod. Paris.].

Item Alberico Divitis, in art. et med. mag., Laudunens. dioc.

Item Symoni Alligreti, subdyac. Bituricens. dioc., in med. et art. fac. mag. et in dicta fac. med. actu regenti Parisius.

Item Gaufrido Malipiperis, subdyac. Ebroicens. dioc., mag. in art. et med. actuque regenti in eadem.

Item Abrito de Pratellis, presb. Cathalaunens. dioc., in art. et med. mag. curatoque parroch. eccl. S. Stephani Remens.

Item Guidoni Guerini, presb. Suessionens. dyoc., mag. in art. et med. et stud. Parisius in theol., quondam rectori Universitatis Paris.

Item Johanni de Monte Nantolio, presb., mag. in art. et med.

Item Nicolao Duriscuti, mag. in art. et med. non practico, in quinto anno sue auditionis in theol.

Item Matheo Reginaldi, cler. Atrebatens. dioc., mag. in art. et med., quondam rectori Universitatis Paris. medicoque commensali illustrissimi principis domini ducis Turonie[4].

Item, beatissime pater, exponitur sanctitati vestre pro parte devoti vestri Gerardi Pignoti, quod cum eadem sanctitas vestra dudum in prima sui creatione duas expectationes sub eadem data, videlicet xv kal. Decemb. pontific. ejusdem sanctitatis anno primo, fecerit eidem Gerardo Pignoti, Remens. dyoc., tunc in art., nunc vero in art. et med. mag., videlicet unam *antequam Universitas Paris. esset pro parte sanctit. vestre declarata* in quodam *rotulo* pro parte magistrorum in artibus *nationis Francie* dicte Universitatis eidem sanct. vest. presentato; et *deinde* aliam in alio *magno rotulo* dicte Universitatis Paris. fuerit idem magister Gerardus vigore gratie sibi facte[5] in dicto rotulo magno canonicatum et prebendam eccl. coll. S. Nutricis Remens. .... assecutus....

Item Johanni Durandi, subdyac. Rothomagens. dioc., mag. in art. et med., domini ducis Burgundie phisico, de canonicatu eccl. Rothomag.

Item Johanni Dalphini de Ponte Auberti, cler. Eduens. dioc., bedello principali fac. med.

Item Johanni de Aciaco, Ambianens. dyoc., subbedello fac. med. [20]

1. Similem gratiam jam an. 1386, April. 25, obtinuit, cum intenderet in brevi ad sacerdotium promoveri (Reg. Aven. Clement. VII, vol. XL, fol. 174). — 2. Ipsi ut Martino Gazel jam prius concessum erat, legere et regere in med., non obstante sacerdotio, et nunc petit hunc favorem ad quindecim annos. — 3. Vid. supra *Introd.* ad num 1428. — 4. Ms. : « Tutonie ». Agitur de Ludovico, altero filio Caroli V regis, qui ducatum Turoniae ab an. 1386 habuit, quem an. 1392 cum fratre suo Carolo VI mutavit pro ducatu Aurelian. — 5. In rot. I Universitatis an. 1379 ei concedebatur aliquod beneficium, etc., ad collationem archiepiscopi, decani, etc., eccl. Remens., ut apparet e Reg. Suppl.; in rot. nat. Gallic. obtinuit canon. S. Laurentii in Roseto Laudun. dioec. (vid. supra p. 256), ut in hoc rotulo etiam postea explicatur.

1541. « *Rotulus facultatis artium.* »

Supplicat sanctitati vestre devota filia vestra Universitas magistrorum Parisius studentium quatenus de solita benignitate vestre clemencie in personis magistrorum in artium facultate gratiam specialem facientes .... dignemini providere....

Item cum dicta facultas artium in hoc rotulo est divisa in quatuor nationes, quarum prima est natio Gallicana seu Gallicorum, secunda Picardorum, tertia Normanorum, et quarta Anglicorum; et in dicta natione Gallicana sint quinque provincie, quarum prima est provincia Parisiensis, secunda Senonensis, tertia Remensis, quarta Turonensis, quinta Bituricensis : dignemini pietatis intuitu quamlibet nationem et dictas provincias visitare et ex vestra largiflua pietate irrogare.

NATIO GALLICANA.

Johanni Baillivi, cler. Meldens. dioc., mag. in art., procuratori nationis Gallicane, studenti in theologia in quarto sue auditionis anno.

Provincia Parisiensis.

Johanni Filiastri[1], presb. Carnotens. dioc., mag. in art., olim rectori Universitatis Parisiensis, ac nunc studenti Parisius in fac. theologie, quatenus .... cum sanctitas vestra in *primo rotulo* dicte Universitatis Paris. gratiam sibi fecerit specialem....

Item Guillermo Jonie, presb., mag. in art. et bac. in decr., actu legenti in dicta decretorum facultate, curato eccl. parroch. de Ebula Senonens. dioc. ac capellano capelle beati Remigii in eccl. Parisiensi fundate, cui dudum sanctitas vestra gratiam fecit specialem in *ultimo rotulo* Universitatis Paris. predicte.

Item Johanni Breviscoxe, diac. Paris., mag. in art. et bachal. formato in theol., quatenus cum sanctitas vestra in *rotulo secundo* dicte Universitatis Paris gratiose concesserit, ut omnes magistri licenciati aut etiam bacallarii in theologia in dicto secundo rotulo aut etiam in *primo* ejusdem Universitatis rotulo existentes valeant uti et gaudere duabus gratiis ab eadem sanctitate concessis, et dictus Johannes dubitans an dicta gratia ad eum se valeat extendere, pro eo quod in dicto secundo rotulo minime inscriptus extitit, sed bene in primo, aut pro eo quod tempore signationis dicti primi rotuli nundum obtinuerat *gradum bachalariatus* in theologia....

Petro de Parrochia[2], acolito Parisiensi, mag. in art. et scolari in theol., sue auditionis anno quinto.

Ludovico de Bonez, cler. Parisiens. dioc., mag. in art., stud. in fac. decret. Parisius.

Petro Besquillardi, cler. Parisiens., mag. in art. et stud. in fac. theol. jam in sexto sue auditionis anno .... [de beneficio sub data Universitatis Paris. de primo an., quam alias magistris in *secundo rotulo* predicte Universitatis positis, qui tamen non fuerant in *primo*, speciali gratia contulistis].

Item Johanni Pocheti, mag. in art. Paris. dioc , stud. Parisius in fac. theol. in quarto anno auditionis sue.

Johanni Milonis, cler. Parisiens. dioc., mag. in art., stud. in fac. theol. in sexto anno auditionis sue.

Riccardo Rousselli, cler. Parisiens. dioc., mag. in art. Parisius studenti in decretis in quarto anno sue auditionis existenti.

Johanni Souquere (?), cler. Silvanect., mag. in art. ac scol. in jure can. in quarto anno sue auditionis.

Andree Britonis de Parisius, cler., mag. in art. ac scol. in jure can., per quinque annos continue studuit et adhuc studet.

Ade de Porta, cler. Meldens., vicesimum tertium annum sue etatis agenti, mag. in art. et stud. Parisius in med. continue a tempore quatuor annorum vel circiter.

Johanni Gilberti, cler. Meldens. dioc., mag. in art., stud. in med. Parisius a quatuor annis vel circiter.

Michaeli Prepositi, cler. Carnotens. dioc., mag. in art. ac scol. continuo in decretis Parisius.

Theobaldo Magistri, cler. Parisiens., mag. in art. et stud. continuo in theol. fac.

Guillermo Constancii de Villajudea Parisiens. dioc., mag. in art. ac scol. in decretis in tertio anno.

Johanni Richerii, alias de Pinu, cler. Parisiens. dioc., mag. in art. ac continuo scolari Parisius in fac. decret. et in tertio sue auditionis anno.

Johanni Tabernarii, cler. Parisiens., mag. in art. et stud. in med. a tribus annis vel circiter.

Guillermo Uriani, cler. Parisiens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in fac. med. a tribus annis vel circiter.

Johanni des Landes, Parisiensi et mag. in art.

Guillermo Numeri, Aurelianens. dioc., mag. in art. et in utroque jure licenciato.

Guillermo de Fabrica, Meldens. dioc., mag. in art.

Dyonisio de Boinvilla, clerico de Parisius, mag. in art.

Matheo Heliot, cler. Rothomagens. dioc., mag. in art. in vigesimo secundo sue etatis anno constituto.

Nicolao Guernapin de Parisius, cler., mag. in art. et bacall. in fac. med.

Provincia Senonensis.

Petro de Boyaco, subdiac. Autisiodorens. dioc., mag. in art. et licent. in decretis, cum alias sanctitas vestra in *primo rotulo* Universitatis Paris. eidem gratiam fecit specialem de beneficio, et in *rotulo nat. Francie* similem... [3].

Constantio de Gelanis, cler. Trecens. dioc., mag. in art. et nunc bacall. in theol., olimque rectori vestre Universitatis prefate.

Reginaldo de Boyaco, subdiac. Autisiodorens. dioc., mag. in art. et bacall. in decretis, actu legenti Parisius Decretales in dicta facultate.

Stephano de Calore, presb. Lingonens. dioc., mag. in art.

Nicolao de Condis, cler. Lingonens. dioc., mag. in art. et studenti in decretis in sexto anno sue auditionis.

Nicolao de (*sic*) Livoti de Cerileyo, subdiac. Lingonens. dioc., mag. in art. et scol. Parisius in jure can.

Petro Pyalley de Dierreyo, presb. Trecens. dioc., mag. in art. et bacall. in theol.

Johanni de Villaris, cler. Lausanens. dioc., mag. in art., regenti in art. fac., studentique in theol. in *septimo* ejus auditionis anno [recepit gratiam sub data xv kal. Decemb. an. primo « in *secundo rotulo* Univers., tanquam tunc regens in art. et studens in theol. in *tercio* ejus audicionis anno »].

Johanni Caverii, presb. Eduens. dioc., mag. in art. et scol. Parisius in jure can. in quinto sue auditionis anno.

Item supplicat sanctitati vestre devotus vester Johannes Guioti, cler. Eduens. dioc., mag. in art., in quinto anno sue auditionis in facultate decretorum, examinatus et promptus et paratus princip[i]are in dicta fac., nuper rector Universitatis Parisiensis.

Laurentio de Cunis, cler. Bisuntinens. dioc., mag. in art., studenti Parisius in med. in quarto sue auditionis anno.

Johanni Valentis, cler. Eduens. dioc., mag. in art. actu regenti Parisius in predicta fac. et scol. in theol. in quarto sue auditionis anno.

Bisantio de Vallibus, clerico Bisuntinens. dioc., mag. in art. et continue studenti in med. in tertio anno sue auditionis.

Johanni de Latofonte, cler. Lingonens. dioc., mag. in art. actu regenti in fac. art. et continue studenti in theol. in tertio anno sue auditionis.

Johanni Lamberti majori, cler. Cabilonens. dioc., mag. in art., studenti in decr. in tertio sue auditionis anno.

Johanni Lamberti minori, cler. Cabilonens. dioc., mag. in art., studenti in decr. in tertio sue auditionis anno.

Johanni Bourillieti, cler. Eduens. dioc., mag. in art.

Petro p̄p̄he, cler. Trecens. dioc., mag. in art.

Petro Mioti, cler. Eduens. dioc., mag. in art., stud. in med. in secundo sue auditionis anno.

Johanni de Pollenco, cler. Bisuntin. dioc., mag. in art. et stud. in decr.

Hugoni Quinge, cler. Bisuntin. dioc., mag. in art. et scol. Parisius in fac. decret. in secundo anno sue auditionis.

Guillermo Guereni, cler. Trecens. dioc., mag. in art., stud. Aurelianis in leg. a duobus annis citra.

Hugoni Quantiaul(?) de Salinis, cler. Bisuntin. dioc., mag. in art.

Philiberto Poirpasseti, cler. Cabilonens. dioc., mag. in art. et stud. in theol.

Guidoni Julioti de Arbosio, presb. Bisuntin. dioc., mag. in art.

Johanni Charentoni, cler. Trecens., mag. in art., scol. in theol. in secundo anno.

Johanni Bonifilii, Lausanens. dioc. cler., mag. in art. et bacall. in leg.

Egidio Sansoneti[4], cler. Trecensi, mag. in art.

Symoni Reginaldi de Luxovio, presb. Bisuntin. dioc., mag. in art., can. eccl. collegiate S. Mauri de Hatonis-Castro, Virdunens. dioc.... Et cum predictus Symon nunquam inrotulatus fuerit, nec de graciis per sanct. vest. sibi factis aliquem fructum reportaverit, quamvis fuerit *Rome*, in *Anania* et in pluribus aliis locis sequendo sanctitatem vestram et curiam[5], quatenus eidem Symoni datam quam alii graduati Paris. habuerunt in *rotulo vest. coronationis* concedere dignemini.

Guidoni Thevin, cler. Autisiodorens. dioc., mag. in art., stud. in theol. in secundo sue auditionis anno.

Item exponit sanctitati vestre devotus vester Hugo Berthelon, subdiac. Nivernens. dioc., mag. in art. et nunc Aurelianis studens in leg. in tertio sue auditionis anno.

Provincia Remensis.

Bernardo Hemardi, cler. Suessionens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in jure can. in quarto volumine audiendi.

Radulpho Pasque de Justinis, cler. Remens. dioc., mag. in art. et mag. ac elemosinario excell. Principis domini ducis Turonie et comitis Valesii.

Dominico Parvi de Varennis, cler. Remens. dioc , mag. in art. et in theol. bacall. formato.

Egidio de Asperomonte, cler. Remens. dioc., mag. in art. et bacall. in theol , actu regenti Parisius in art. fac. ab octo annis citra et amplius, ac in diebus festivis et dominicis moralia legenti ibidem.

Nicolao Girardi de Vaudemonte, cler. Tullens. dioc., mag. in art., actu regenti continue in eisdem, qui legit per multos annos Parisius moralia diebus dominicis et festivis, qui est etiam paratus legere cursus suos in theol.

Roberto Maugier[6], cler. Suessionens. dioc., mag. in art., licentiato in leg. et bacall. in decr., legenti ac studenti Parisius in facultate decret.

Buevino Dominici de Winvilla[7], cler. Virdunens. dioc., mag. in art. ac scol. in decr. in tertio sue auditionis anno [in *rot. nat. Francie* obtinuit gratiam; *postmodum* in rotulo [primo] eidem sanct. directo per Universit. eamdem gratiam habuit].

Johanni de Chamineto, cler. Metens. dioc., mag. in art. et bacall. continue legenti Parisius in decretis pro quarto sue lecture anno, olim rectori vestre Universitatis predicte.

Thierrico Guillermi de Novocastro, cler. Tullens. dioc., mag. in art. actu regenti et scol. in sacre theol. fac. in anno octavo sue auditionis, parato legere cursus suos in predicta theol. fac. ..., cui alias sanct. vest. gratiam contulit in *rotulo* devoti oratoris vestri *Johannis de Sanctis*[8], s. pag. professoris.

Johanni Alticordis, cler. Remensi, stud. Parisius in fac. theol. in sexto sue auditionis anno.

Girardo de Roseriis, mag. actu regenti Parisius in fac. art. ac in theol. stud., presb. Tullens. dioc.

Johanni Arnaudi de Gersonio[9], cler. Remens. dioc., mag. in art., stud. in theol. in septimo auditionis sue anno [de beneficio].

Johanni de Millereyo, cler. Metens. dioc., mag. in art. actu regenti Parisius et scol. in theol. in septimo sue auditionis anno, parato legere cursus suos in predicta fac.

Nicholao Poillevillain de Clamengiis[10], cler. Cathalanens. dioc., mag. in art., a sex annis stud. in theol., quatenus de beneficio eccles. .... ad collationem .... episcopi, decani et capituli singulorumque canonicorum eccl. Cathalanens. .... sub data signationis, quam alias [magistris in art. tunc] noviter graduatis in *ultimo rotulo* sanctitati vest. ab Universitate destinato, scilicet xv kal. Decembris pontificatus vestri anno primo, contulistis[11], misericorditer providere dignemini, attento quod tempore missionis dicti rotuli gradum magisterii consecutus esset[12], quod etiam in remotis partibus scolas regeret, et idcirco propter sui absentiam dicti rotuli missionem ignoraret.

Egidio Husseneti de Lineyo, cler. Tullens. dioc., mag. in art. et continuo in fac. med. scol. in quarto sue auditionis anno.

Auberico Lourieti, cler. Virdunens. dioc., mag. in art. a quatuor annis completis et in secundo anno sue auditionis Parisius ad jura can. extitit.

Godefrido Parvi de Varennis, mag. in art. et in med. bac., cler. Remens. dioc.

Johanni Brisebois, cler. Remens. dioc., alias in quodam *rotulo scolarium*[13] Parisius sanctitati vestre sub data nono kal. Decembris pontificatus vestri anno primo, *tunc* studenti Parisius in art. et nunc magistro in eisdem ac studenti a tribus annis vel circiter in fac. med.

Nicolao de Suessione, mag. in art., curato eccl. paroch. S. Andree de Arcubus Parisius, septuaginta quinque annorum vel eo circa.

Stephano Herbini, cler. Metens. dioc., magistro actu regenti in art. et scol. in theol. Parisius in quarto sue auditionis anno.

Nicolao de Vincellis, presb. Suessionens. dioc., mag. in art. et scolari in theol. fac.... In *rot. bacallariorum fac. art.* gratiam recepit[14].

Johanni Bernardi de Summo-Puteo, cler. Cathalanens. dioc., mag. in art. et continuo in fac. theol. scol.

Johanni Warini, cler. de Metis, mag. in art. et scol. in fac. decret. Parisius in secundo sue auditionis anno.

Johanni Peleuvrey de Fontanis, Cathalanens. dioc. cler., mag. in art. et continuo in fac. med. scolari.

Symoni Renvoisié, cler. Suessionens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in jure can. in secundo sue auditionis an.

Johanni de Insula, cler. Remens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in fac. theol.

Stephano de Vannis, cler. Tullens. dioc., mag. in art. et actu regenti in eisdem et stud. in theol.

Johanni Titet, cler. Suessionens. dioc., mag. in art.

Petro Courterii, cler. Suessionens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in fac. decret.

Gerardo Blondet, subdiac. Virdunens. dioc., mag. in art.

Nicolao Runlier, cler. Remens. dioc., mag. in art.

Johanni Aurifabri, cler. Silvanectensi, mag. in art., stud. Parisius in jure can. in tertio sue auditionis anno.

Henrico de Creveriis, cler. Metensi, mag. in art. et bac. in med.

Johanni Nooleti de S. Amando, presb. Cathalaunens. dioc., mag. in art. a viginti quatuor annis et ultra, studentique in theol.

Provincia Turonensis.

Item Oliverio Carpentatoris, presb. Macloviens. dioc., mag. in art. et bac. in utroque jure, curato paroch. eccl. B. Michaelis de Chenechier, Nannetens. dioc., de can. eccl. Nannetens.

Item Aufredo Saisiz, presb. Corisopitens. dioc.. mag. in art. et licent. in utroque jure, de canonicatu .... eccl. Corisopitens. simul aut successive vacante vel vacaturo .... et sub data xviij kal. Decembris pontificatus vestri anno primo dignemini providere. Non obstante .... quod in *primo rotulo* Universitatis vestre Paris. gratiam obtinuerit sub data xv kal. Decembris de anno primo predicto[15], ... et in *secundo* Universitatis ejusdem rotulo aliam gratiam de canonicatu .... eccl. Trecorens. *sub data quarti anni* vestre creationis, videlicet *sub data presentationis ipsius secundi rotuli*[16] .... obtinuerit.

Item Oliverio le Fruglays, presb. Briocens. dioc., mag. in art. et licent. in med. ac scolari in theol. in septimo anno sue auditionis.

Item Guillermo Gourlay, Briocens. dioc., mag. in art. et scol. Parisius in decret. in tertio anno sue auditionis, cantori et can. eccl. Briocens., recipienti gratiam in *primo rotulo*[17] ex parte Universitatis eidem sanct. presentato.... Verum quia bo. me. Johannes quondam cardinalis Penestrinus[18] sedis apost. legatus Parisius existens, antequam dictus rotulus conficeretur et sanctitati predicte existeret presentatus, dicto Guillelmo datam ipsius rotuli penitus ignoranti, cantoriam Briocens. tunc certo modo vacantem fere per dimidium annum ante presentationem rotuli contulerit....

Item Mauritio de Kaergourant, presb. Corisopitens. dioc., mag. in art. et bac. in jure can. in quinto anno lecture sue.

Item Stephano Boetardi, cler. Macloviens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can.

Item Johanni Anglici, cler. Cenomanens. dioc., mag. in art., capellanie perpetue ad altare b. Michaelis in eccl. Andegavensi fundate perpetuo capellano.

Item Matheo Roeder [Roedec], cler. Trecorens. dioc , mag. in art. et scol. in theologia[19].

Item Johanni Tennegoti, cler. Cenomanens. dioc., mag. in art.

Item pro Oliverio Deryani, subdiac. Briocens. dioc., mag. in art. et bac. in decr. in secundo anno sue lecture.

Item pro Guillermo Oliverii, cler Corisopitens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can , capellano perpetue capellanie ad altare beatorum Michaelis et Anthonii in eccl. Parisiensi.

Item Nicholao de Lenzrehou, alias de Villanova, cler. Leonens. dioc., mag. in art. et continuo scolari in decr. Parisius a iiij^or annis citra, nullum beneficium eccl. assecuto, qui tempore confectionis *secundi rotuli* per vestram Universitatem prefatam sanctitati vestre presentati, non fecit se in rotulo predicto inscribi.

Item Yvoni Andree, alias Andreu, cler. Corisopitens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can.

Item Yvoni Armigeri, cler. Leonens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can.

Item Johanni Coetnon, cler. Corisopitens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can.

Item Bartholomeo Ohes, cler. Nannetens. dioc., mag. in art., studenti in fac. med.

Item Roberto Domini, alias Guillemotet, cler. Cenomanens. dioc., mag. in art. ac stud. Parisius in fac. theol.

Item Johanni Levrarie, cler. Briocens. dioc., mag. in art.

Item Guillermo Goaere, cler. Redonens. dioc., mag. in art., scol. studenti actu in fac. decretorum.

Item Mauritio Callac, cler. Leonens. dioc., mag. in art.

Item Guillermo Lodour, cler. Briocens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can.

Item Yvoni Lodour, cler. Briocens. dioc., mag. in art. et stud. in jure can.

Item Henrico Potarii, cler. Trecorens. dioc., mag. in art. et scol. in fac. decret.

Item Johanni Guillotelli, Lucionens. dioc. cler., et mag. in art.

Item Yvoni Kaernau, cler. Corisopitens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can.

Item Alano Forestarii, cler. Leonens. dioc., qui pro tunc magister in artibus sub data xv kal. Decemb. pontif. vestri anno primo gratiam obtinuit .... specialem[20] et a quadriennio citra in rigore examinis Parisius licentiam obtinere meruit in decretis.

Item Johanni Buorz, presb., mag. in art. et in rigore examinis licentiato in jure can. Parisius, cum alias sanctitas vestra plures fecerit gratias speciales, primam videlicet de data Fundis xv kal. Decemb. pontificatus vestri anno primo[21], et secundam in *secundo rotulo* magistrorum Paris. et ultimo eidem sanctitati vestre misso ...., maxime cum tempore dictarum gratiarum ipse Johannes erat bacallarius[22], nunc vero licentiatus.

Item Guillermo de Kergroezes, cler. Leonens. dioc., mag. in art. et bac. in decretis in quinto anno sue lecture,

et can. prebendato in eccl. Leonensi, cui plures fecit gratias speciales sub data « Fundis xv kal. Decemb. pont. vestri an. primo », non obstante quod tempore dictarum gratiarum in decretis tunc scolaris erat[23].

Item Yvoni de Langalla, presb. Leonens. dioc., mag. in art. et licentiato in decr. Parisius.

Item Yvoni de Lenzreou[24], alias de Villanova, cler. Leonens. dioc., mag. in art. a sex annis citra.

Item Johanni Mathie, cler. Leonens. dioc., mag. in art. ac scol. in theol. in quarto anno sue auditionis[25].

Provincia Bituricensis.

Petro Forteti juniori, cler. Sancti Flori dioc., mag. in art. ac licentiato in decr.

Goutherio Fernandi de Sontepudioo (*sic*), presb. Palentinens. dioc., mag. in art. et qui per sex annorum spatium diligenter et ferventer studuit in theol. fac. et continue perseverat [de can. eccl. Tholetane].

Petro de Paynaco, cler. Bituricens. dioc., mag. in art.

Stephano Manserii, cler. Lemovicens. dioc., mag. in art.

Petro de Vallibus, cler. Bituricens. dioc., mag. in art. et scol. in med.

Theobaldo Severie, cler. Malleacens. dioc., mag. in art. et scol. in theol.

Stephano Martini, cler. Claromontens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in fac. decret.

Johanni Dorbello, cler. Malleacens. dioc.. mag. in art.

Johanni Danton juniori, cler. Parisiensi, subbedello filie vestre nationis Francie.

Item Nicolao de Bourdainvilla, cler. Rothomagens. dioc., in art. et med. mag. ac scolari in theol. in quarto anno sue auditionis. [132]

1. Plures sequentium in rotulis an. 1379 referuntur. Vid. *Indicem*. De Johanne Filiastri et Johanne Breviscoxe (Courtecuisse) vid. supra p. 252. — 2. Fuit collegii Navarrae seu Campaniae, olim magister grammaticorum, et in lingua vulgari vocabatur : Pierre du Parroy. Vid. H. Martin in *Catal. de la Bibl. de l'Arsenal*, I, 76, nº 145. De ipso etiam vid. Delisle, *Cab. des mss.*, II, 253 (« Pierre de la Paroisse ») ; Launoium, *Nav. gymn. hist.*, p. 462. Plures libros collegio Navarrae legavit, quorum aliqui hodie in Bibl. Nat , Mazarine et Arsen. Paris. inveniuntur. — 3. Vid. de ipso et de Reginaldo supra p. 253. — 4. Fuit collegii Navarrae. Vid. Launoium, l. c., p. 901. Cf. etiam Delisle, *Cab. des mss.*, II, 253. Postea theol. studuit. — 5. Vid. supra nis 1419, 1437. — 6. Ibid. etiam scribitur, Robertum esse aetatis 30 annorum. Ms. : « Maniger ». In rot. an. 1379, p. 255, vocatur « Maugier ». — 7. Ms. : « Wuinvilla » seu « Wumvilla ». Vid an. 1379, p. 256, et not. 47. — 8. De quo rotulo supra nº 1426, not. 2. — 9. Celeberrimo omnium sodalium Univers. Paris. istius aetatis. In art. licent. apud Nostram Dominam sub mag. Johanne Loutrarii an. 1381 (Bul., IV, 998); in theol. an. 1392, sic enim legitur ad hunc an. in *Catal. licent.* (Bibl. nat. Paris. ms. lat. 5657a) : « Nota quod mag. Johannes de Yarson fecit primum cursum (i. e. Bibliae) 1388, secundum 1389, legit Sententias 1390, et fuit expeditus 1392 ». Cum an. 1387 « in septimo auditionis anno » theol. fuit, non an. 1382, ut semper scribitur, sed jam an. 1381 ad studium theologiae se conferebat. Petrum de Ailliaco per septem annos, Egydium de Campis per tres in theol. audivit et sub ipsis se exercuit (Launoius, *Nav. gymn. hist.*, p. 481). An. 1395, April. 13, factus est cancellarius Paris. (vid. *Chartul.*, II, p. xv). Caetera ad *Chartul.*, IV, pertinent. — 10. Jam supra, p. 282, ejusdem sub nomine Collessoni mentio fiebat ad an. 1379, tunc scholaris in art. in quarto anno auditionis. Ex supra editis ediscimus cognomen familiae hujus celebris viri. De Jehan Poillevillain ad an. 1360 vid. *Les Grand. chron. de France*, ed. P. Paris, VI, 223. An. 1380, April., Nicolaus licentiatus est in art. apud S. Genovefam sub mag. Johanne de Roncuria, an. 1381, Maii, incepit (Bul., IV, 976). Quamvis in theologia studuit, nihilominus nunquam omnes actus perfecit et ad magisterium theol. pervenit. Legit tamen saltem cursus, cum semper ut baccalarius in theol. designetur. An 1395, Julii 10, can. et decanus S. Clodoaldi Paris. dioec. (Reg. Av. Ben. XIII, vol. VI, f. 196); an. 1397, Novemb. 16, eum « mag. in art., baccalar. in theol. » Benedictus XIII litterar. apost. scriptorem seu secretarium enunciat (Reg. Vat. Ben., nº 322, f. 31; vid. praeterea Delisle, *Cab. des mss.*, I, 486), eodemque anno can. Lingon. (ibid., fol. 91b), an. 1398, Jun. 22, ei reservatur thesauraria Lingon. (Reg. Av. Bened. XIII, vol. XXVII, f. 191). Ut baccal. in theol., cantor eccl. Bajocens., secretarius et familiaris sanctitatis designatur in ep. Martini V, an. 1418, Martii 18 (Reg. Suppl. Mart. V, I, 4, fol. 53b). De eo plura infra et in tom. IV. Cf. Von der Hardt, *Magn. oecum. Constant. Concil.*, t. I, part. 2, p. 71. A. Muntz, *Nicolaus de Clémanges;* Strasbourg, 1846. — 11. Quem favorem an. 1379 (supra p. 282, in rot. ejusdem an.) cum « data » non. kal. Decemb. an. primo obtinuit. Nunc petit, ut haec « data » in « datam » mutetur, quam papa in ultimo rotulo an. 1383 magistris novis concedebat, scil. xv kal. Decemb. an. primo. — 12. I. e. tunc jam magister fuit. — 13. Vid. supra p. 282. — 14. Vid. p. 281. — 15. Supra p. 257. — 16. Seu potius conclusionis rotuli, non praesentationis. Vid. supra not. ad num 1474. — 17. Vid. p. 257. — 18. Qui vocatur « card. Lemovicens. ». An. 1378, Decemb. 18, a Clemente VII in Franciam missus est (Reg. Vat. Clem. VII, nº 291, f. 26-40), et Decemb. 31 iter arripuit (Arch. Vat. XI, 36). Post Februarii 1379, Parisios non reliquit. — 19. Collegii Navarrae. Licent. in theol. an. 1403 e *Catal. licent.*, ubi « Roedet ». — 20. Supra p. 273. — 21. Supra p. 258, in *primo* rotulo. — 22. I. e. tempore *primi* rotuli fuit solum scolaris in jure can., tempore *secundi* rot. vero baccal. — 23. Supra p. 258

in rot. *primo;* si enim an. 1387 in *quinto* anno *lecturae* fuit, tempore *secundi* rotuli, i. e. an. 1383, jam baccal. in decret. fuit, minime vero tempore *primi* rotuli, scil. an. 1379. — 24. Ms. : « Lergreou ». — 25. Licent. in theol. an. 1400 e *Catal. licent.*

ROTULUS NATIONIS PICARDIE.

Clementissime sanctitati vestre supplicat humiliter devota filia vestra Universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium quatenus eidem gratiam facientes specialem in personis magistrorum in artibus nationis Picardie inferius subscriptorum .... dignemini providere....

Primo Johanni Caronis, presb. Belvacens. dioc., procuratori nat. Picardie, mag. in art. et bac. in theol.

Thome de Bencuria, cler. Atrebatens. dioc., receptori dicte nat., mag. in art. ab undecim annis citra et regenti in dicta fac. art. a novem annis, paratoque legere suos cursus in theol.

Gerardo de Versigniaco, presb. Laudunens. dioc., mag. in art. et bac. in theol. ac presentis rotuli nuntiorum alteri.

Johanni Mocelli, subdiac. Laudunens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in theol.

Philippo Ogerii, cler. Noviomens. dioc., mag. in art. et stud. Parisius in theol. continue ab undecim annis citra, et adhuc studenti, parato legere cursus suos in eadem si eidem adessent facultates.

Johanni Hougnart[1], cler. Atrebatens. dioc., mag. in art. et bac. in decr. existenti in quarto anno sue lecture.

Johanni Buffeti[2], presb. Belvacens. dioc., mag. in art., a quinque annis citra stud. in theol.

Guillelmo de Busco, subdiac. Morinens. dioc., mag. in art. actu regenti Parisius in fac. art., qui studuit Parisius in jure can. per tres annos, et nunc actu studet in theol.

Johanni de Ruella, cler. Cameracens. dioc., mag. in art. actu regenti in fac. art. et stud. Parisius in theol. a sex annis citra.

Johanni de Acheriaco, cler. Laudunens. dioc., mag. in art. actu regenti in art. fac. et in theol. stud. a tribus annis citra.

Nicholao de Gonnessia, cler. Laudunens. dioc., mag. in art., regenti in art. fac., et a tribus annis citra in theol. studenti[3].

Gerardo Rondelli, cler. Leodiens. dioc., mag. in art. actu regenti Parisius in art. fac.

Petro Mabille[4], cler. Belvacens., mag. in art., regenti Parisius in eisdem, a tribus annis citra in theol. studenti.

Eustacio de Fauquenbergue, cler. Ambian. dioc., mag. in art., regenti actu Parisius in art. fac., a tribus annis citra stud. in theol.

Nicolao de Quercu, presb. Ambian. dioc., mag. in art., qui Parisius studuit in theol. per quatuor annos.

Honorato de Porta, presb. Ambian. dioc., mag. in art., bac. in theol. et continue stud. Parisius in eadem.

Johanni Comitis, mag. in art., licentiato in med., stud. in theol. a quinque annis citra, presb. .... can. eccl. collegiate S[ti] Stephani de Grecibus Parisius.

Johanni de Londinghen, presb. Morinens. dioc., mag. in art. et licentiato in leg. Aurelianis, studenti Parisius in decretis.

Johanni Houssette, cler. Laudunens. dioc., mag in art., actu in art. fac. regenti et in theol. a quatuor annis citra stud.

Johanni Cardonis de Cra[o]nna, presb. Laudunens. dioc., mag. in art., stud. in decretis.

Petro Macri, diac. Atrebatens. dioc., mag. in art. a quatuordecim annis citra, et licentiato in utroque jure, cui fortuna adversante per sedem apostolicam nunquam extitit provisum .... sub data per sanct. vest. in *rotulo vestre creationis tempore* per Universitatem Parisiensem *facto* .... in quo, quamvis esset tunc mag. in art. et bac. in decret. insistens Aurelianis studio jur. civ., non fuit collocatus ob suorum desidiam amicorum[5].

Johanni Vavassoris, subdiac. Ambian. dioc., mag. in art., stud. Parisius in fac. theol. a septem annis citra.

Egidio de Campo-Remigii, presb. Atrebatens. dioc., mag. in art. et bac. in jure can. in tertio anno sue lecture existenti.

Johanni Comitis, cler. Belvacens. dioc., mag. in art. et bac. in med.

Mattheo [Doliarii] de Versigny, presb. Laudunens. dioc., mag. in art. et scol. Parisius in decretis.

Johanni de Plommiono[6], cler. Laudunens. dioc., mag. in art., bac. in med.

Johanni Canis, diac. Noviomens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in theol.
Petro d'Arrech, cler. Ambian. dioc., mag. in art. et bac. in med.
Guillelmo Veulet, cler. Ambian. dioc., mag. in art. et bac. in jure can. in secundo anno sue lecture.
Johanni de Castro, cler. Cameracens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in jure can. a quatuor annis citra [de can. eccl. collegiate S. Petri Insulens. Tornac. dioc.].
Johanni Vaureti, cler. Laudunens. dioc., mag. in art., stud. Parisius a quatuor annis citra.
Johanni de Starmaing, presb. Cameracens. dioc., mag. in art. et bac. in decret.
Jacobo Parresis, acolito Ambian. dioc., mag. in art., in theol. Parisius studenti.
Johanni de Ruella, subdiac. Atrebatens. dioc., mag. in art., stud. in jure can. in quarto sue auditionis anno
Henrico de Bragella, cler. Ambianens. dioc., mag. in art., a tribus annis citra Parisius stud. in fac. theol.
Guillermo Varreti, cler. Laudunens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in jure can. a tribus annis citra.
Johanni de Martroy, subdiac., mag. in art. Noviomens. dioc., actu stud. Parisius in fac. med.
Johanni Morelli, cler. Ambian. dioc., mag. in art., qui Parisius studuit per unum annum in decr. et de presenti studet in theol. in secundo anno.
Petro Mignote, presb. Noviomens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in theol. a tribus annis citra.
Gerardo Brune de Diest[7], subdiac. Leodiens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in fac. decret. [de can. eccl. colleg. S. Gaugerici Cameracens.].
Droconi Rabeti, subdiac. Noviomens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in fac. theol. a quatuor annis citra.
Andree de Mota, cler. Morinens. dioc., mag. in art. et Parisius studenti in fac. theol.
Egidio de Passiaco, cler. Laudunens. dioc., mag. in art. Parisius, stud. in fac. theol.
Simoni Moustier, cler. Morinens. dioc., mag. in art. Parisius, stud. in fac. theol., cappellano perpetuo eccl. colleg. S. Petri Ariens. dicte dioc.
Egidio Ramwes, cler. Cameracens. dioc., mag. in art.
Johanni Lamberti, cler. Morinens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in med.
Egidio de Villecholle, cler. Noviomens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in decretis.
Johanni Tubine, cler. Ambian. dioc., mag. in art., stud. Parisius in decr.
Goberto de Montegniaco, Laudunens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in decr
Johanni de Buissiaco, cler. Laudunens. dioc., mag. in art.
Johanni Carpentarii, cler. Tornacens. dioc., mag. in art.
Petro de Bosco, cler. Morinens. dioc., mag. in art. Parisius, in fac. theol. stud.
Hugoni Vadour, presb. Ambian. dicc., mag. in art.
Thome Barbitonsoris, cler. Ambian. dioc., mag. in art., stud. Parisius in theol.
Petro de Equivillari, cler. Ambian. dioc., mag. in art., stud. Parisius in theol.
Johanni Balduini, cler. Ambian. dioc., mag. in art.
Johanni Dudel, cler. Noviomens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in med.
Laurentio de Bouchout, cler. Cameracens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in decr.
Nicolao Achopardi, cler. Ambian. dioc., mag. in art. a quinque annis citra.
Judoco Courbeti de Noviomo, presb., mag. in art. Parisius.
Gerardo Marcoul, presb. Ambianens. dioc., mag. in art. a quatuordecim annis citra.
Johanni Coci, presb. de Noviomo, mag. in art. Parisius, qui studuit per tres annos continue in fac. med.
Guillermo Flouri, cler. Cameracens. dioc., mag. in art.
Petro de S. Petro, cler. Ambian. dioc., mag. in art.
Johanni Cochemal, cler. Cameracens. dioc., mag. in art.
Johanni Colache, presb. Ambian. dioc., mag. in art.
Nicholao Garbeti[8], cler. Laudunens. dioc., mag. in art.
Johanni Postelli, cler. Ambian. dioc., mag. in art., studenti Aurelianis in leg.
Johanni Guiffart juniori, cler. Ambian. dioc., mag. in art.
Firmino Mercerii, cler. Ambian. dioc., mag. in art.
Grimaldo Oliverii, subdiac. Tornacens. dioc., principali bedello nationis Picardie in vestra Universitate predicta.
Johanni Amantis, cler. Ambian. dioc., subbedello prefate nationis Picardie, nullum beneficium assecuto. [72]

Notandum in rotulo vix Flamingos et Leodienses afferri, duos scilicet solummodo e dioecesi Leod., ad quam dioecesim

in rotulo an. 1362 (vid. supra p. 85-88) magna pars inrotulatorum pertinebat. Ab an. 1379 episcopus cum capit. Leod. Urbano VI adhaesit (vid. Valois, *Le Grand Schisme en Allemagne*, p. 20 sqq., 48 sq.), et studentes Leodienses exemplum ordinarii sequebantur. In rotulo praeterea duo tantum dioecesani Tornacenses afferuntur, nam comes Flandriae Urbanum VI secutus est (vid. infra, *De Schismate*, documentum Marsilii de Inghen). Cameracenses utique plures inveniuntur, cum episc. Camerac. pro Clemente VII decertaverit. Major pars rotuli Picardorum desumpta est e ditionibus regi Francorum subjectis.

1. In rot. an. 1379 (supra p. 262) : « Hougart ». — 2. Legi potest « Busseti ». — 3. Licent. an. 1400 e *Catal. licent.*, ubi « Gonnetia ». — 4. Maville? — 5. Revera deest in rot. magno an. 1379. — 6. In aliis actis infra « Pluymon », « Ploimon », etc. Designatur « Plomion » (Aisne). — 7. Gerardus Brune seu Bruyn an. 1392 intitulatus est in Univers. Coloniens. (vid. Keussen, *Die Matrikel der Universität Köln*, I, p. 57), fuitque decanus S. Petri Lovaniensis, cum Universitas Lovaniensis an. 1425 erigeretur, et quartus rector Universitatis Lovaniens. anni 1427. Vid. *Analectes pour servir à l'histoire ecclés. de la Belgique*, par Reusens, tom. XXIV, p. 78, 81-82. — 8. Qui fuit praeceptor filiorum Ducis Aurelianens. Vid. Delisle, *Cab. des mss.*, I, p. 103.

ROTULUS NATIONIS NORMANNORUM.

Sanctitati vestre supplicant devoti et humiles filii vestri omnes et singuli magistri Universitatis Paris. quatenus magistris nationis Normannorum infrascriptis de beneficiis .... dignemini providere....

Primo Ursino de Talavende, cler. Constanciens. dioc. nobili, mag. actu regenti Parisius in fac. art. a tribus annis citra, et in quarto anno sue auditionis in fac. theol ac procuratori nat. Normannie pro tempore conclusionis istius rotuli.

Johanni Vauquelot, cler. Lexoviens. dioc., mag. actu regenti in fac. art , scol. in theol. in xij° an. sue audit.

Johanni le Breton, presb., mag. actu regenti Parisius in fac art , stud. in theol., Baiocens. dioc.

Johanni de Londa, cler. Baiocens., mag. actu regenti in art., scolari in theol. fac. Parisius a creatione vestre sanctitatis et antea, prompto legere cursus suos in dicta theol. fac.

Petro le Masier, alias le Mauge, cler. Rothomagens. dioc., mag. in art. actu regenti Parisius in eisdem a septem annis citra et amplius, scolarique a tempore predicto in theol. fac.

Johanni Tabouret, cler. Rothomag. dioc., mag. actu regenti Parisius in art. et ibidem scol. in fac. theol. in septimo sue auditionis anno.

Gauffrido Latacher, cler. Rothomag., mag. actu reg. Parisius ab annis quinque in art., stud. in theologia[1].

Roberto de Gardino, cler. Rothomag. dioc., mag. actu regenti Parisius in art , scol. in theol. a sex annis citra.

Petro de Gardino, cler. Rothomag. dioc., mag. actu regenti in art.

Johanni Parvi[2], cler. Rothomag. dioc., mag. actu reg. Parisius in art , scolari in theol. [de beneficio eccl. ad collat. archiepisc. etc. Rothomag., non obstante capellania in eccl. paroch. S. Martini juxta pontem Rothomag.].

Matheo Gouberti, cler. Rothomag. dioc., mag. actu regenti Parisius in art., scol. in theol. in secundo anno sue auditionis.

Roberto Vavassoris, cler. Rothomag. dioc., mag. actu regenti Parisius in fac. art., qui per decennium tam audiendo quam regendo studuit in eisdem.

Johanni de la Bouverie[3], cler. Lexoviens. dioc., mag. actu regenti Parisius in fac. art., qui cum olim dum in ipsis scolaris existeret, vestra sanctitas sibi et nonnullis aliis scolaribus dicte Universitatis gratias volens facere speciales sibi .... de data Fundis xj kal. Decembris pontificat. ejusdem sanctitatis anni primi mandaverit misericorditer provideri[4]; et deinde gradu magistratus per ipsum habito in dicta fac. art., in *secundo* ipsius Universitatis *rotulo* pontificatus ejusdem sanctitatis *confecto anno quarto*, de data xv kal. Decembris anni primi, gratiam de beneficio consimili .... obtinuerit, sibi et aliis, qui in rotulo *primo*[5] dicte Universitatis non fuerant, datam ipsam xv kal. concedendo.

Thome Autenati, cler. Constanciens. dioc., mag. actu regenti Parisius in art.

Petro de Nogento, cler. Rothomag. dioc., mag. actu regenti Parisius in fac. art., scol. in theol.

Dyonisio Pagani[6], cler. Baiocens. dioc., mag. actu regenti Parisius in fac. art.

Roberto Mata, cler. Rothomag. dioc., mag. actu regenti Parisius in art.

Roberto Fabri, presb. Rothomag. dioc., mag. in art., scol. in theol. in quinto anno sue auditionis, curato paroch. eccl. S. Trinitatis de Arnulphi Monte dicte dioc.

Johanni Brachiiferri, presb., mag. in art., Lexoviens. dioc., qui per quinquennium et amplius fuit et adhuc est scolaris Parisius in theol.

Petro Gilleberti, presb., mag. in art., bac. in jure can., curato parroch. eccl. B. Marie de Gompilleriis, Ebroicens. dioc.

Johanni de Valle Mellerii, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. ac scolari in theol. a decem annis citra [de can. eccl. S. Marcelli juxta Parisius].

Petro Wouardi, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. et bac. formato in theol.

Johanni Barbe, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. et in sacra theol. bac.

Inguerrando le Bigot, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. et bac. in decr., actu legenti Parisius in tertio anno sue lecture.

Guillermo Gorren, presb. Rothomag., mag. actu regenti in art. et bac. in theol., can. Baiocensi et curato S. Martini ex Mallevilla, Rothomag. dioc.

Radulpho Laurentii, presb. Lexoviens. dioc., mag. in art., bac. in theol. actu legenti secundum cursum suum.

Johanni Manchon, presb. Baiocens. dioc., mag. in art., et bac. in theol., nuncio Universitatis Parisiens. ad sanctitatem vestram destinato [de can. in eccl. colleg. S. Sepulcri de Cadomo].

Reginaldo Sahur, Rothomag. dioc., mag. in art. ac bac. in leg., studenti Parisius in fac. decr.

Guillelmo Sauvalle, presb. Rothomag. dioc., mag. in art., scolari in decr. in quinto anno sue audicionis, qui in primo vestre creationis anno gratiam a vestra sanctitate in communi forma pauperum obtinuit . postquam secutus fuit curiam vestram *Rome*, et multis se exposuit periculis et expensis.. . *deinde* in quodam Universitatis Paris. rotulo sub data xv kal. anno predicto....

Roberto Robillardi, cler. Rothomag., mag. in art. ab annis tredecim jam integre elapsis, atque scolari in theol. in xj sue auditionis anno, ac ob deffícientiam facultatum non valenti nec audenti ad gradum bachalariatus in theol. ascendere, licet ita desideret et proponat.

Guillermo Laguete, alias de Canteriis, cler. Rothomag. dioc., ex utroque parente de nobili procreato, mag. in art., licent. in leg. Aurelianis in rigore examinis, ac bac. in decr. Parisius, actu legenti de mane in eadem decret. fac.

Guillermo Nicolai, diac Sagiens. dioc., mag. in art. ac bac. in med. actu legenti Parisius cursus suos, curato paroch. eccl. S. Sulpitii de Serans dicte dioc.

Roberto de Bruvilla, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. ac bac. in decr.

Roberto de Hamello, cler. Rothomag., mag. in art., stud. in theol. a decem annis, actu priori in collegio Sorbone Parisius.

Guillermo le Desrubé, presb. Constanciens. dioc., mag. in art. ac bac. in decr., stud. in theol. jam in quarto anno sue auditionis.

Guillermo Hasteleu, presb. Rothomag. dioc., mag. in art., scol. in theol.

Radulpho Bernier, diac. Baiocens. dioc., mag. in art. ac licent. in leg., curatoque paroch. eccl. S. Mathei de Salone, dicte dioc.

Guillermo Rousselli, diac. Abrincens. dioc., mag. in art. et licent. in leg. rigore examinis, stud. in decr. Parisius in secundo anno.

Roberto Boulengarii, presb. Baiocens. dioc., mag. in art., capellano capellanie beate Katherine in eccl. S. Mederici Parisius fundate.

Matheo Canuti, presb. de Rothomago, mag. in art., licent. in leg., stud. Parisius in fac. decr.

Johanni Sapientis, Sagiens. dioc., mag. in art., stud. in theol. in sexto sue auditionis anno, quem rex Francorum modernus vigore literarum per sanctitatem vestram sibi concessarum ad canonicatum et preb. S. Nicolai de Merula Radulphi Lexoviens. dioc. nominavit.

Dionisio Antioche, presb. Rothomagensis dioc.

Rogero Fortini, subdiac. Ebroicens. dioc., mag. in art. ac scol. in jure can. in sue auditionis anno sexto.

Johanni Daudre, presb. Baiocens. dioc., mag. in art. ac in utroque jure cum rigore examinis licent.

Philippo Soelez, presb. Baiocens. dioc., mag. in art. stud. in theol. in quarto anno sue auditionis.

Ade Basire, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. stud. Parisius in fac. decr. in quarto anno.

Nicolao de Duno, presb. Rothomag. dioc., mag. in art., stud. Parisius in theol. in anno sue auditionis sexto[7].

Henrico de Fontanis, cler. Baiocens. dioc., mag. in art., scol. Parisius in theol. in quinto sue auditionis anno, capellano capellanie S Hilarii in eccl. Baiocens. fundate.

Item Roberto de Prealla, presb. Rothomag. dioc , mag. in art. studentique Parisius et prompto legere cursus suos in fac. theol., qui .... ivit *Romam*, *Ananiam*, etc., et multis se exposuit periculis.

Mich[a]eli le Boutill[e]r, presb. Rothomag dioc., mag. in art., licent. in leg. studentique Parisius in decr.

Johanni Pinguis, presb. Rothomag. dioc., mag. in art., stud in theol. in quarto sue auditionis anno.

Nicolao Blanchonylli, presb. Rothomag. dioc., mag. in art., scol. Parisius in fac. decret.

Johanni Bruilloti, cler. Baiocens. dioc., mag. in art. et scol. in decr.

Richardo de Baudribosco, cler. de Rothomago, mag. in art. ac bac. in med

Guillermo Bourdon, cler. Rothomag. dioc., mag. in art., stud. in decr. sue auditionis anno tertio.

Roberto Tessardi, cler. Baiocens. dioc., mag. in art. ac scol. in decr. in quinto anno.

Thome Fabri, cler. Rothomag. dioc., mag. in art.

Michaeli Pellegay, presb. Baiocens. dioc., mag. in art., scol. in theol.

Rolando Ramier, diac. Rothomag. dioc., mag. in art., studenti Parisius in theol in quarto sue auditionis anno.

Richardo Rallardi, cler. Baiocens. dioc., mag. in art., bach. in leg., stud. Parisius in decr.

Petro Seeles, cler. Baiocens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in theol.

Jordano Morini, cler. Rothomag. dioc., mag. in art., scol. in theol., in tertio anno sue auditionis [8].

Johanni Tessardi, Baiocens. dioc., mag. in art. actu studenti in theol.

Georgio de Castro, cler. Baiocens. dioc., mag. in art., stud. in med. in quarto anno.

Johanni Manessier, cler. Rothomag. dioc., mag. in art. actu stud. in theol. in tertio sue auditionis anno.

Paulo Roberti, cler. Sagiens. dioc., mag. in art , scol. in med.

Guillermo Lavaler, Baiocens. dioc., mag. in art., scol. in theol.

Henrico Gorren, cler. Rothomag. dioc., mag. in art., stud. in leg.

Ade Carnificis, subdiac. Rothomag. dioc., mag. in art. et bach. in theol., prompto legere Sententias si facultates sufficerent [9].

Simoni Vimont, cler. Rothomag. dioc., mag. in art. scolarique in theol. in iij° sue auditionis anno.... Attento quod tempore sedicionis populi Romani *Rome*, *Ananie*, et aliis Ytalicis vel Ytaleis et aliis Romanis partibus sanctitatem vestram insequendo pro obtinendo predictam gratiam antedictam presens interfuit, et de tota ejus financia, ex qua victum cotidianum querere et ad partes originis remeare debebat, vestibusque suis remansit omnino spoliatus, aliisque multis periculis mortis et aliis vexatus; viso etiam quod tempore quo viam arripuit adeundi partes Romanas, erat Parisius studens in dictis artibus et ante per magnum tempus....

Thome le Mazier, alias le Mauge, cler. Rothomag. dioc., stud. Parisius in med. in tertio sue auditionis anno, ac mag. in art.

Petro Blancbouli, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. ac scol. in theol. in tertio sue auditionis anno.

Gauffrido Angenerii, cler., mag. in art. Rothomag. dioc., scol. in decr. in tertio sue auditionis anno.

Guillermo Carpentarii, cler. Rothomag. dioc., mag. in art. ac scol. in theol. in secundo anno.

Johanni Malipiperis, cler. Ebroicens. dioc , mag. in art. scolarique in theol. in secundo sue auditionis anno.

Johanni Toustani, cler. Sagiens. dioc., mag. in art. ac stud. in decr. in tertio anno.

Johanni Garnier, cler. Baiocens. dioc., mag. in art. stud. in decr.

Guillermo Burgensi, cler. Ebroicens. dioc., mag. in art., scol. Parisius in med. in tertio sue auditionis anno.

Johanni Monachi, cler. Ebroicens. dioc., mag. in art., scol. in decr.

Johanni Touroude, diac. Rothomag. dioc., mag. in art., ac scol. in fac. decr.

Guillermo Barbati, cler. Constanc. dioc., mag. in art., stud. in fac. theol.

Auberico Anceris, cler. Rothomag. dioc., mag. in art. ac scol. in decr. in secundo sue auditionis anno.

Guillermo de Ambianis, cler. Rothomag. dioc., mag. in art. ac scol. in decr. in secundo sue auditionis anno.

Roberto Cardonis, diac. Lexoviens. dioc., mag. in art., stud. Parisius in fac theol.

Guillermo Episcopi, presb. Rothomag. dioc., mag. in art. ac stud. Parisius in decr.

Johanni Pinchon, cler. Rothomag. dioc., mag in art. ac stud. Parisius in theol

Radulpho Dulcis, cler. Rothomag. dioc., mag. in art., scol. Parisius in theol.

Johanni de Bellovisu, cler. Baiocens. dioc., mag. in art.

Blasio Currentis, cler. Lexoviens. dioc., mag. in art.

Philippo Herpini, cler. Rothomag. dioc., mag. in art.. scol. in med

Guillermo de Sella, cler. Sagiens. dioc., mag. in art.

Ricardo de Bosco, cler. Sagiens. dioc., mag. in art., ac scol. Parisius in fac. decr. in secundo anno sue auditionis.

Guillermo Nepotis, cler. Baiocens. dioc., mag. in art., stud. in theol. in secundo anno sue auditionis.

Roberto de Haia, cler. Rothomag. dioc., mag. in art., scol. in theol.

Johanni Potagii, cler. Rothomag., mag. in art., scol. Parisius in theol.

Guerardo Biani (?), cler. Lexoviens. dioc., mag. in art. ac scol. in theol.

Johanni Pelliparii, cler. Ebroicens. dioc., mag. in art., scol. Parisius in theol.

Gauffridi Hay, cler. Constanciens. dioc., mag. in art., scol. in theol.

Roberto Antiqui, cler. Ebroicens. dioc., mag. in art.

Guillermo Pulcrifilii, cler. Constanciens. dioc., mag. in art., stud. in theol.[10].

Nicolao Milles, cler. Lexoviens. dioc., mag. in art., stud. in theol.

Johanni Beraudi, cler. Rothomag. dioc., mag. in art.

Thome Agni, cler. Sagiens. dioc., mag. in art. ac scol. Parisius in fac. med.

Herveo de Freneya, cler. Abrincens. dioc., mag. in art., stud. in theol. in decimonono etatis sue constituto.

Nicolao de Valledastin, cler. Constanciens. dioc., mag. in art.

Johanni Bonneti, cler. Lexoviens. dioc., mag. in art., scol. in theol.

Johanni Laffille, cler. Sagiens. dioc., mag. in art , scol. Parisius in fac. theol.

Petro le Meteer, cler. Rothomag. dioc., mag. in art., scol. in decr.

Johanni Caronis, cler. Lexoviens. dioc., mag. in art., scol. in fac. theol. .... in xix etatis sue anno constituto.

Roberto Cardonis, cler. Lexoviens. dioc., mag. in art. ac scol. in decr.

Johanni Pienouvel, cler. Ebroicens. dioc., mag. in art. ac scol. in decr.

Laurencio de Orgibrolio, cler. Rothomag. dioc., mag. in art.

Laurencio Tiravant, cler. Baiocens. dioc., mag. in art. studentique in theol.

Gauffrido Basire, cler. exemptionis Lexoviens. infra diocesim Baiocensem, mag. in art., scol. in decr.

Guillermo de Doreto, alias le Vivetier, cler. Sagiens. dioc., mag. in art., scol. in decr.

Guillermo Marandi, cler. Baiocens., mag. in art. ac scol. in decr.

Gauffrido Pellegay, presb., mag. in art. et stud. in fac. theol.

Guillermo Nepotis, cler. Constanc. dioc., mag. in art. et stud. in fac. theol.

Johanni Papelore, cler. Rothomag. dioc., mag. in art.

Johanni de Callesyio, cler. Baiocens. dioc., mag. in art.

Petro Pelvet, cler. Sagiens. dioc., mag. in art., scol. in jure can.

Roberto Vavassoris, presb., mag. in art., Sagiens. dioc.

Ricardo Maquerelli, presb. Baiocens. dioc., mag. in art. et in utroque jure licentiato cum rigore examinis, dignemini concedere quatenus speciali gratia sibi per sanctitatem vestram facta in *primo rotulo* Universitatis *Aurelianens.*[11]....

Guillermo Denizete, Constanciens. dioc., licentiato in leg., bac. in decr. et mag. in art., gratiam sibi factam in rotulo Andegavensi tempore compositionis *primi rotuli*[12] confecto .... reformare dignemini.

Roberto de Espalone[13], presb., can. regulari in eccl. Sagiens., Ord. S. August., expresse professo, mag. in art.

Roberto de Reta, cler. Baiocens. dioc., mag. in art. et bac. in utroque jure.

Luce de Valleya, Lexoviens. dioc, presb., mag. in art.

Fouqueto de Mota, presb. .... Rothomag. dioc., mag. in art.

Guillermo le Desvé[14], presb. Rothomag. dioc., mag. in art. et bac. in decr.

Gervasio Blondelli, exemptionis Lexoviens. infra diocesim Rothomagens. cler., mag. in art.

Johanni Rousson, cler. Abrincens. dioc., mag. in art.

Nicasio Mauricii, presb., mag. in art., curato paroch. eccl. S. Martini Rothomag. dioc.

Nicolao Pitemen, cler. de Rothomago, mag. in art., qui alias studuit Parisius in theol. per quinque annos[15], et modo Andegavis studet in jure civili.

Johanni le Huc[16], Rothomag. dioc., mag. in art., scol. Parisius in decr.

Philippo Egidii, diac. Sagiens. dioc., mag. in art.

Johanni Pepinii, cler. Ebroicens. dioc., mag. in art. et bac. in leg. in quarto volumine legendi.

Gauffrido de Perretis, cler. Lexoviens. dioc., mag. in art. et bac. in leg. in primo sue lecture anno, capellano perpetuo capellanie beati Ludovici Francie in eccl. Constanc. fundate.

Radulpho Houel, cler. Constanciens. dioc., mag. in art.

Johanni le Coultre, alias le Prevost, presb. Constanciens. dioc., mag. in art. et bac. in leg.

Johanni de Vallibus, presb. Sagiens. dioc., mag. in art.

Alexandro Cavelier, presb. Rothomag. dioc., mag. in art.

Johanni Vavassoris, cler. Baiocens. dioc., mag. in art., studenti Aurelianis in leg.

Johanni Manchon, cler., mag. in art., Baiocens. dioc.

Ade de Baudribosco, Rothomag., mag. in art., bac. in leg.

Johanni Silvestris, cler. exemptionis Lexoviens. in dioc. Rothomag., mag. in art., scol. Parisius in theol.

Yvoni Rousselli, cler. Baiocens. dioc., mag. in art.

Roberto de Quesneio, subdiac. Rothomag. dioc., mag. in art., bac. in leg. actu legenti Andegavis.

Matheo Magni, cler. Sagiens. dioc., mag. in art. Cum sanctitati vestre placuerit in signacione *secundi rotuli* vestre filie Universitatis Parisiensis expectacionis gratias sub data *primi rotuli* ejusdem Universitatis concedere magistris, qui alias gratiam non habuerant in primo rotulo supradicto, et prefatus Matheus gradum magisterii in artibus tempore signacionis premissi secundi rotuli obtinuerit nec gratiam habuerit in dicto primo rotulo, quatenus....

Johanni Maquignon, presb. Sagiens. dioc., mag. in art.

Durando de la Fresnaye, cler. Lexoviensi, mag. in art., qui Aurelianis per quatuor annos vel circiter in leg. studuit.

Johanni Militis, cler. Baiocens. dioc., mag. in art., qui in vigesimo secundo sue etatis anno constitutus extitit.

Johanni Lamberti, exemptionis Lexoviens. infra diocesim Rothomag. cler., mag. in art.

Reginaldo Dore, Rothomag. dioc. cler., mag. in art.

Johanni Augar, cler. Lexoviens. dioc., mag. in art.

Roberto Ameline, mag. in art., can. regul. expresse professo in eccl. Sagiensi, Ord. S. Aug.

Roberto de Bourges, presb., mag. in art., Sagiens. dioc.

Roberto Quemmardi, Rothomag. dioc. cler., mag. in art.

Petro Danouit, cler. Constanciens. dioc., mag. in art.

Johanni de Hazexo, cler. Ebroicens. dioc., mag. in art., stud. Aurelianis in leg. in tertio anno.

Ricardo le Balloys, cler. Constanciens. dioc., mag. in art.

Johanni Socii, cler. Rothomag., mag. in art.

Nicolao de Cormelliis, subdiac. Lexoviens. dioc., mag. in art. et bac. in leg. [de can. eccl. Lexoviens].

Johanni Sutoris, Baiocens. dioc , mag. in art.

Petro Patri, cler. Baiocens. dioc., mag. in art.

Johanni Dodeman, cler. Constanciens. dioc., mag. in art.

Johanni Veloci, cler. Ebroicens. dioc., mag. in art.

Radulphi de Prato, presb. Ebroicensi, mag. in art.

Philippo Volet, cler. Sagiens. dioc., mag. in art.

Rogero Manchon, cler. Baiocens. dioc , mag. in art.

Guillermo Chatizel, cler. Sagiens. dioc., mag. in art.

Dionisio de Yravilla, cler. Constanciens. dioc., mag. in art.

Ricardo de Colle, cler. Lexoviens. dioc., mag. in art.

Johanni Grente, cler. Rothomagensi, mag. in art.

Johanni Frigidiosi, cler. Rothomag. dioc., mag. in art.

Nicolao de Curru, exemptionis Lexoviens. in diocesi Rothomag. cler., mag. in art.

Andree Garin, cler. Baiocens. dioc., mag. in art.

Johanni Aubouc, presb. Rothomag. dioc., mag. in art.

Ricardo de Quercubus, cler. Baiocens. dioc., mag. in art., stud. Andegavis in leg.

Johanni Harel, cler. Lexoviens. dioc., mag. in art.

Petro Caronis, cler. Rothomag. dioc., mag. in art.

Johanni Trophardi, diac. Baiocens. dioc., mag. in art.

Ricardo Silvestri, cler. Constanciens. dioc., mag. in art.

Petro Viel, cler. Rothomag. dioc., mag. in art.

Petro Fleurie, presb., scol. in theol., prompto legere cursus suos in eadem, qui fuit prior in Sorbona, et tenuit disputationes estivales, curato paroch. eccl. S. Sulpicii de Ton[n]iaco, Ebroicens. dioc.

Johanni Guillardi, cler. Baiocens. dioc., principali bedello nat. Normannie in Universitate Parisius.

Johanni Chevillon, cler. Sagiens. dioc., subbedello predicte nationis Normanie in prefata Universitate Parisius.

Item Johanni de Keroullay, sacre pagine professori, can. Parisiensi et capellano ejusdem sanctitatis vestre.

Item Johanni Gaii, fratri Ord. Pred., sacre pagine professori, ... ut remanere possit et valeat Parisius post regenciam et eum de conventu Paris. assignare ...

Item Petro Fabri, cler. Senonens. dioc., mag. in art. et bac. in decr. in quarto anno sue lecture

Item Balduino Wastelli, cler. Cameracens. dioc , mag. in art., scol. in theol.

Item Johanni Grossi, diac. Trecens. dioc., mag. in art., qui per septem annos studuit in theol.

Item Yvoni Hirgoet, cler. Corisopitens. dioc., mag. in art. et bac. in med.

Item Guillermo de Capeval, Rothomagens. dioc. cler., mag. in art

Item Nicolao de Lievilla, subdiac. Constanciens. dioc , mag. in art. et scol. Parisius in decr.

Item Guillermo de Raymbommara, presb., mag. in art. et stud. Parisius in fac. decr.

Item Guillermo Oliverii, cler. Corisopitens. dioc., mag. in art. et scol. in jure can. Parisius, capellano perpetuo capellanie ad altare beatorum Michaelis et Anthonii in eccl. Paris.

Item Herveo Rousselli, presb. Aurelianens. dioc., bac. in art. et leg., ac doctori actu regenti Parisius in decr. qui ab octo annis nunc usque continuo rexit ac regit.

Item Johanni Richardi, cler. Suessionens. dioc., mag. in art. et in med., actu regenti Parisius in fac. medicine .... vigore gratie facte in primordiis beatissime creationis vestre in *rotulo nat. Francie.*

Item Michaeli de Pratis, cler. Cameracens. dioc., mag. in art., actu stud. in fac. decr.

Item Johanni Lamberti, presb. Cameracens. dioc., mag. in art., scol. Parisius in quinto anno in theol.

Item Egidio de Dullendio, cler. Ambianens. dioc., mag. in art , stud. in fac. med.

Item Petro Coquel, Noviomensi diac., mag. in art. et in med., stud. in theol. a quinque annis et amplius ... qui fuit cum nuntiis Universitatis Avenione pro facultate medicine (cum *rotulo secundo*).

[202]

1. Lic. in theol. an. 1397 e *Catal. licent.*, ubi « Godefridus Lattacher ». — 2. Seu *Jean Petit,* qui famam assecutus est defendendo occisionem tyranni et Ludovici ducis Aurelian. An. 1400, Maii, licentiatus est in theol. e *Catal. licent.*, ubi tamen perperam additur « Minor », quem errorem plures antiquorum iteraverunt, v. g. *Annal. Flandrens.* (1580), lib. 15, p. 260; Bzovius, *Ann. eccl.* ad an. 1407, nº 11; Wadding, *Ann. Min.*, IX, 343; Bulaeus, V, 895. Johannes Parvi seu Jean Petit *nulli Ordini adscriptus erat,* ut Chapotin, *La guerre de Cent ans, Jeanne d'Arc et les Dominicains* (Paris, 1889), p. 56, 58, 60, probavit, et nunc per superius dicta et per rotulum an. 1403 (vid. tom. IV *Chartul.*), quando jam magister in theol. fuit, certo certius redditur Et licet hanc sententiam jam auctor *Chron. du rel. de S. Denys,* III, 754, Quétif-Échard, I, 754 (qui perperam opinati sunt licentiatum an. 1400 alium fuisse ac Johannem Parvi defensorem occisionis tyranni), D'Argentré, *Coll. jud.*, I², p. 184, expresserint, nihilominus usque ad nostra tempora aliqui eum Ord. Praed. fuisse, nescimus qua ex causa, pronunciant (sic Siméon Luce, *Jeanne d'Arc à Domremy,* p. CCXXIX; Tschackert, *Peter v. Ailli,* p. 264), aliis eum fuisse Ord. Min. affirmantibus (vid. Michelet, *Hist. de France,* IV, 169; Gieseler, *Kirchengesch.*, II, 3, p. 263; Ranke, *Weltgesch* , IX, 235; Hefele, *Conciliengesch.*, VII, 175; Hergenrother, *Kirchengesch.*, II, 795; Huttebräuker, *Der Minoritenorden zur Zeit des grossen Schismas*, 1893, p. 85). A Johanne Parvi, magistro in theol , distinguendus est coaevus Johannes Parvi, medicinae mag., et dioec. Remens. — 3. Ms. : « Bonnerie ». — 4. In rotulo particulari Johannis de Sanctis. — 5. I. e. in rotulo magno Universitatis an. 1379. — 6 Postea theologiae studuit, et an. 1410 (1411) licentiatus est e *Catal. licent.* — 7. Licent. in theol. e *Catal. licent.* an. 1408. — 8. Licent. in theol. e *Catal. licent.* an. 1405. — 9. De quo jam supra p. 264, qui licent. est in theol. an. 1395 e *Catal. licent.* — 10. Sitne « Guillelmus Pulcrinepotis », qui e *Catal. licent.* licentiatus est ante festum S. Johannis an. 1408? Infra affertur « Guillelmus Nepotis ». — 11. Unus vero tantum istius temporis rotulus notus est. — 12. I. e. Universitatis Paris. — 13. Espaloue? — 14. Ms. « Desuc ». — 15. Licentiatus est Nicolaus « Pictemen » in theol. an. 1400, Maii 2, e *Catal. licent.* — 16. Sic in msº. Le Hue? An. 1392 quidam J. Hue fuit canonicus Paris. (Arch. nat. LL. 108ª).

ROTULUS NATIONIS ANGLICANAE.

Sequuntur aliqua supposita nationis Anglicane, pro quibus supplicat sanctitati vestre Universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium, sicut pro magistris aliarum nationum prescriptarum.

Item supplicat sanctitati vestre devotus vester[1] Henricus Poelman de Arnhem[2], Trajectens. dioc., procurator nat. Anglic., mag. in art. actu regens Parisius in earundem facultate, et scol. in theol. a sex annis citra vel quasi.

Item Ghiselbertus de Werne, Trajectens. dioc., mag. in art. a quatuor annis citra et scol. in med. a duobus.

Item Nicolaus Nellenburg[3] de Waltkilch, pauper cler. Constanciens. dioc., mag. in art. a quatuor annis citra, et totidem stud. in theol.

Item Judocus Schurin de Guississin (?)[4], Basiliens. dioc., magister in art. et stud. in decr. [4]

In miserrimo statu tunc temporis natio Anglicana fuit, utique semper qualibet alia natione debilior. Quatuor tantum supposita supra afferuntur, quanquam plura alia Parisiis morabantur. Rotulo Universitatis an. 1379 17 nomina nationis Anglicanae inserta erant, et omnia ista supposita, tribus exceptis, e Scotia. An. 1383, mense Febr. 17, etiam natio confessa est, paucos esse inrotulatos ex parte nationis (vid. infra *De Schismate*), dum tamen an. 1362 (vid. p. 92) 55 magistri sua nomina rotulo dederint. Causa hujus minutionis quærenda est in persona quam gessit in Schismate natio Anglicana. Propter Schisma insuper et propter examen S. Genovefae natio Anglicana tunc viduata magistris erat; plures magistri ann. 1382 et 1383 ad alias partes profecti sunt (vid. *Lib. procur.* in *Auctar. Chartul.*, I, in fine).

1. Haec formula in sequentibus ubique occurrit — 2. Henricus Poelman (sicut et sequens magister) an. 1382, Febr., determinavit; sed licentiam in Nostra Domina recepit, propter quod a natione Anglicana exclusus erat, quia licentiatus sub cancellario a Clemente VII instituto Vid. *Lib. proc nat Angl.* in *Auctar. Chartul.*, I, ad an. 1382, April 1, Maii 7, Junii 20, et August An. 1383, Januar., procurator fuit. — 3. Determinavit an. 1379, Febr., ex *Lib. procur.* — 4. Verisimiliter Foussemagne (germ. Viessenen, Fiessenen). Vid. Ristelhuber, *L'Alsace ancienne et moderne*, p. 142 Vix Fessenheim (Vessenhein).

Fiat pro omnibus secundum ordinationem datam in cancellaria in signatione secundi rotuli. G.

Dignetur sanctitas vestra supplicationes ad exauditionis gratiam admittere que sequntur.

Primo quod magistri licentiati ac bacallarii formati in theol. ac doctores et cum rigore examinis licentiati in jure can. vel civili, ac magistri in med. supradicti possint uti duabus gratiis et una nominatione regis vel alterius regalium, etiam quoad incompatibilia....

Item quod in expectationibus et reformationibus gratiarum, quas petunt, habeant ad quamcumque taxam sive summam....

Item quod magistri in art., bacallarii in theol. non formati et cursores, ac in jure can. vel civili licentiati sine rigore examinis et bacallarii, necnon in med. licentiati supradicti possint uti duabus gratiis etiam incompatibilibus, ita tamen quod per assecutionem unius alia quoad incompatibile duntaxat sit momenti....

Concessum de omnibus Avinione pridie kal. Augusti, anno nono.

Reg. Vat. Suppl. Clementis VII, an. 9, p. 2. Rotulus totum volumen replet. — In superioribus non omnia quae ad primum et secundum rotulum Universitatis Paris referuntur, exscripta sunt, cum saepissime idem occurrat. Notatu dignum, petentium in isto rotulo an. 1387 multos desiderasse, papam eis gratias concedere sub data primi rotuli, i. e. Fundis xv kal. Decemb., an. primo.

1542. *Ordinatio Capituli generalis Ord. Cisterciens. de mittendis scholaribus ad studium Parisiense et ad alia studia.*

1387, Septembris 12, Cistercii.

Desolationem studiorum Ordinis generalium et precipue S[ti] Bernardi Parisiens. propter paucitatem, imo quasi nullitatem studentium personarum dolenter intuens, et eidem subvenire totis viribus cupiens, Capitulum generale precipiendo firmiter statuit, ordinat et diffinit, ut de quolibet Ordinis monasterio cujuscunque provincie seu generationis, in quo sunt, erunt vel esse poterunt duodecim monachi, ad aliquod dicti Ordinis studium

generale debeat unus monachus destinari, seu destinatus teneri cum bursa et provisionibus ordinatis per papalia statuta[1], et qui mittendus fuerit anno quolibet mittatur infra festum Omnium Sanctorum, alioquin abbates, priores, suppriores, cellerarii, bursarii et alii officiarii et conventus dictorum monasteriorum .... teneantur elapsis duobus mensibus duplum bursarum et provisionum hujusmodi mittere suis expensis ad studium supradictum.... Patres autem abbates monasteriorum Ordinis, in quorum quolibet non sunt, erunt, vel esse poterunt, ut prefertur, duodecim monachi, abbates, priores, suppriores, cellerarios, bursarios et alios officiarios ipsorum talium monasteriorum per inflictionem dictarum penarum viriliter et debite compellant ad expensas dictorum sibi subjectorum monasteriorum, ut de duobus tali[bu]s monasteriis et expensis duorum monasteriorum talium pauperum secundum prefatum modum ad studium unus ipsorum monachorum alternandis per singulum quadriennium vicibus monachus destinetur.... Certis etiam ex causis dictum Capitulum permotum sub excommunicationis pena inhibet districte omnibus Ordinis monachis, ne Aurelianis[2] vel alibi extra monasteria et studia ipsius Ordinis generalia presumant tum solius vel principaliter studii comorari; licentias per dominum Cistercii vel ipsum capitulum generale forsitan concessas, vel ordinationes factas inde et super hoc seu tali residentia scienter penitus revocando per tenorem presentis statuti.

Deffinitionem de et pro mittendis ad Ordinis studia generalia scolaribus, et tenendis, sustinendis ac procurandis in eisdem anno nuper elapso per generale Capitulum salubriter et viriliter editam, [a] sanctissimo domino nostro domino summo pontifice, ac precipue reverendissimo in Christo patre domino cardinale Saluciarum[3], Ordinis nostri protectore, ac aliis reverendissimis dominis cardinalibus merito vel de gratia [approbatam], idem generale Capitulum ex abundanti ratifficat, approbat et confirmat ...., idem capitulum omnibus et singulis monachis dicti Ordinis inhibet districte sub excommunicationis late sententie pena, ne alicubi loco quocunque extra monasteria vel loca conventualia extra ipsius Ordinis studia generalia presumant causa solius vel principaliter studii commorari....

Inhibet etiam abbatibus Ordinis universi districte in virtute sancte obedientie dictum Capitulum generale, ne monachos suos scolares ad lecturas precipue Sententiarum vel Biblie ordinatos a dicto studio presumant aliqualiter revocare, donec lecturas Sententiarum compleverint in eodem.

Luzernae, Codex S. Urbani n° 544, 1, B, fol. 1-3. — Apud Martène-Durand, *Thes nov. anecd.*, IV, 1519, invenitur ad an. 1387 summarium tantum, et ad an. 1389 prohibitio Capituli generalis, « ne scolares studii Paris. S. Bernardi de novo venientibus monachis *manus imponant*, nec eos tractent sicut tractare *scandalose et turpiter solebant* ».

1. Per Benedictum XII, in *Chartul.*, II. — 2. Vid. ibid. — 3. Amedeo, card. S. Mariae Novae, ab an. 1383, Decemb. 23.

1543. *Statutum nationis Normannorum de modo eligendi officiarios nationis, et de juramento eorumdem.*

1387, Novembris 17, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis nos omnes et singuli magistri nacionis Normanorum actu regentes Parisius in facultate arcium, salutem in eo qui est omnium vera salus. Cum hactenus in consuetudinem verteretur, ymo pocius corruptelam, quod instante tempore electionis celebrande in dicta nacione pro aliqua legacione vel officio multi, tam magistri quam non magistri, illam vel illud pretendentes habere, ibant hostiatim de domo ad domum, per se et suos amicos ad partem singulis magistris supplicaturi, in tantum quod[1] propter importunitatem sic supplicancium et suorum amicorum nonnulli magistri contra conscienciam dignis minus dignos preferebant, unde poterant oriri divisiones, discordie et inconveniencia : quapropter volentes in futurum talibus obviare, nos omnes et singuli magistri dicte nacionis, tam regentes quam non regentes, super hoc per servientem juratum dicte nacionis, ut moris est, ad statuendum, ordinandum et dispensandum pluries per juramentum vocati, de communi consensu omnium nostrum, nullo reclamante, pro honore tocius nacionis inviolabiliter observando, statuimus et ordinamus, quod amodo nullus habere volens officium vel legacionem in dicta nacione, cujuscumque status aut condicionis existat, supplicet ad partem vel faciat supplicari alicui magistro vel aliquibus magistris, per se vel alium, directe vel indirecte, pro aliqua legacione vel officio quocumque, sub pena privacionis, pro illa vice, illius officii vel legacionis, pro quo vel qua taliter ad partem supplicaverit, aut fecerit supplicare. Et fiet electio tali modo, videlicet quod omnes supplicantes pro officio, tam pro se quam pro alio, in conspectu totius nacionis, immediate[2] antequam supplicent, habebunt jurare ad sancta Dei Evuangelia, quod non supplicaverunt nec fecerunt supplicari, per se vel per alium, directe vel indirecte, ad partem alicui magistro vel aliquibus quoquomodo; postmodum recedant et tunc procurator dicet ista verba : « Magistri mei, audivistis supplicantes », vel « supplicantem », si sit unus duntaxat; « ego requiro quemlibet vestrum sub debito juramenti, si sciat istum aut aliquem istorum supplicasse ad partem, per se vel per alium, pro officio vel legacione pro quo vel qua nunc supplicavit, quatenus ipse dicat vel revelet, antequam ad electionem ulterius procedatur. » Quod si reperiatur, ut supra tactum est : ipsum vel ipsos ex nunc et pro tunc, ex tunc et pro nunc, ab illa electione et legacione vel officio privavimus et privamus, atque privatum seu privatos haberi volumus per presentes. Ut autem hoc statutum roboris habeat firmitatem in futurum, in registro dicte nostre nacionis cum aliis nostris ordinacionibus et statutis poni pariter et scribi voluimus. In cujus rei testimonium sigillum nostre nacionis presentibus duximus apponendum. Datum Parisius apud Sanctum Maturinum, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo septimo, die decima septima mensis Novembris.

Cod. Harcur., fol. 137. — Jourdain, nº 829.

1. Jourdain perperam : « et interdum » pro : « in tantum quod ». — 2. Jourdain omittit hanc vocem.

1544. *Clemens VII permittit Johanni de Florentia, Ord. Servorum b. Mariae, licent. in theol., ut ad Ord. S. Benedicti transeat, quia in partibus Clementi VII subjectis non est aliqua domus Ord. Servorum.*

1387, Novembris 21, Avenione.

Dilecto filio Johanni de Florencia[1], fratri domus Servorum beate Marie Florentin. Ord. S. Aug., bacallario in theologia, salutem, etc. Humilibus supplicum.... Sane petitio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat quod dudum tu volens in facultate theologie proficere, pro licencia studendi in facultate hujusmodi obtinenda de domo Servorum beate Marie Florentin. Ord. S. Aug., in qua professionem regularem emisisti, habitu ipsius Ordinis non mutato et non animo apostatandi recedens ad curiam Romanam venisti, ac studendi Parisius in facultate predicta a sede apostolica licenciam habuisti, et quod ad dictam domum reverti ac cum eisdem fratribus (pro eo, quod ipsi Bartholomeo olim Baren. archiepiscopo, qui sedem apostolicam per violentiam et impressionem notorias nititur occupare, dampnabiliter adherent) cum animi tui quiete et sana conscientia remanere non posses, et quod in partibus nobis obedientibus alia domus dicti Ordinis non existit, quodque ad Ordinem S. Benedicti, ut in eo tuum devote Domino possis impendere famulatum, te transferre desideras et affectas. Nos igitur .... ut de dictis domo et Ordine ad Ordinem S. Benedicti transire ... possis ... tibi auctoritate apostolica tenore presentium concedimus de gratia speciali. Nulli ergo, etc. Dat. Avinione xj kal. Decembris, anno decimo.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XLIX, fol. 395. — Haec bulla pontif. maximi momenti est. Verba supra posita « quod in partibus nobis (Clementi VII) obedientibus alia domus dicti Ordinis (Servorum B. Mariae) non existit », luce clarius ostendunt, in Francia non exstitisse conventum Ord. Serv. B. Mariae. Haec est ratio, cur Ordo Servorum B. M. non sicut alii Ordines, qui in ditionibus duorum paparum domus et provincias possederunt, duos priores generales habuerunt, sed tantummodo unum, sub obedientia papae Romani. Revera, omnes baccalarei et licentiati Parisienses dicti Ordinis istius temporis, quorum memoria ad nos pervenit, Itali fuerunt, ne unus quidem Francigena. Vid. supra n^is 1249, 1278 et 1281. Sic etiam ad an. 1373, Nov. 1, Gregorius de Pistorio[2] (Bibl. nat. Paris. ms. lat. 5657 a), ad an. 1380 Andreas de Forlivio, inter licentiatos Parisiis afferuntur. Et ex istis Franciscus de Mediolano scholaris bursalis domus Tornacens. fuit. Hoc modo explicatur statutum supra n° 1278 editum, nullum potuisse Parisios ad studium mitti, nisi *in partibus Italiae* prius philosophiam sit interpretatus. Collegium enim Paris. ab Italis tantum frequentabatur. Et quia e conventu generalitio Florentino, ubi partes Urbani VI sequebantur, collegium dependebat, tempore schismatis necessario exstinctum est, ita ut nec dicere possimus ubi situm esset. Itaque ab anno 1381 (1382), quo Johannes de Florentia licentiatus est, usque ad an. 1469 (1470) nullus ex Ord. Servorum B. Mariae inter licentiatos Paris. invenitur.

Inter fabulas proinde rejiciendum quod Giani-Garbio in *Ann. Ord. Serv.*, I, 337, narrant, Servos B. Mariae in Francia ab an. 1380 sibi nomen « fratrum Charitatis B. Mariae » imposuisse, vel « Billettes » (vid. *Chartul.*, II, not. ad n^um 877). Ignorabant isti boni scriptores, fratres Charitatis B. Mariae Ordinem distinctum ab Ord. Serv. B. Mariae exstitisse, sub proprio priore generali, quamvis etiam sub regula S. Augustini. Vid. supra p. 389, not. 29.

1. De quo vid. supra p. 359. Supra « baccalareus » scribitur, sed erat licentiatus. — 2. Fortasse idem ac Gregorius de Florentia supra n° 1281, not. 2, allatus.

1545. *Clemens VII Petro cardinali Laudunensi mandat, ut puniat istos fratres, qui e conventu Minorum Paris. baccalareos et scholares, extraneos vocatos, ejecerunt.*

1388, Januarii 13, Avenione.

Dilecto filio Petro[1] sancte Romane ecclesie presbytero cardinali Parisius commoranti, salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum universorum magistrorum, bacallariorum et aliorum studentium in theologia, extraneorum nuncupatorum, fratrum domus Ordinis Minorum Parisiens. peticio continebat quod nuper Johannes de Sercuito[2], qui se gerit pro ministro fratrum dicti Ordinis provincie Francie secundum morem ejusdem Ordinis, assumptis secum quibusdam ejus in hac parte complicibus, seculari suffultus potentia, dilectos filios Nicolaum Mercerii in gardianum dicte domus fratrum et Johannem de Attingniaco, fratres dicti Ordinis, in regentem in eadem theologia in domo predicta de facto intrudere, nec non dilectos filios Johannem Bardolini[3], Johannem Columbi[4] et Anthonium Fiole de predicta domo expellere, ac Petrum Poncii[5], fratres dicte domus in eadem theologia studentes, extraneos nuncupatos, capi et carceribus mancipari facere, ipsosque de dicta provincia bannire seu banniri facere, ac bona ad usum eorum deputata usurpare contra justiciam ac statuta et consuetudines dicti Ordinis approbata, propria temeritate presumpsit, in magnum prejudicium et obprobrium dictorum magistrorum, bachalariorum et studentium et Ordinis predictorum, ac scandalum plurimorum. Quare pro parte, *etc.* Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus, si est ita, hujusmodi sacrilegos tamdiu auctoritate nostra appellatione remota facias excommunicatos publice nunciari et ab omnibus arcius evitari, donec passis injuriam satisfecerint competenter, et cum tuarum testimonio litterarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi. Super aliis vero vocatis qui fuerint evocandi, et summarie, simpliciter et de plano et absque strepitu et figura judicii, sed sola facti veritate inspecta, auditis hinc inde propositis, quicquid in prejudicium dictorum magistrorum, bacallariorum et studentium reppereris fore temere attemptatum, in statum debitum auctoritate nostra appellatione remota revocare procures, faciens statuta et consuetudines supradicta quoad magistros bacallarios et studentes predictos, donec super premissis aliud fuerit ordinatum, eadem auctoritate inviolabiliter observari. Prefatoque Johanni[6] de Cercuito eadem auctoritate inhibeas ne de fratribus studentibus hujusmodi dicte domus se intromittere nec in eadem domo morem trahere presumat contra statuta et consuetudines supradicta, ac Petrum a dictis carceribus relaxari ipsumque et alios fratres predictos, ut prefertur, bannitos ad eandem domum reducere et reduci facere procures, permansuros ibidem et ad gradus suos suscipiendos processuros, sicut prius, ipsosque et alios fratres studentes dicte domus juxta statuta et consuetudines predicta in eorum pristina libertate auctoritate predicta manuteneas et conserves.... Et nichilominus dictos Nicholaum a gardianatu, et Johannem de At[t]ingniaco a regencia hujusmodi et dicta domo amoveas penitus et expellas, ad domos dicti Ordinis, in quibus prius morabantur

redituros, ac prefatum Johannem de Sercuito, quod ipse una cum aliis tribus fratribus notabilibus dicti Ordinis provincie predicte per te eligendis ad generale Capitulum fratrum dicti Ordinis in loco de Perpiniano Elnens. dioc. proxime celebrandum[7], accedere, dictosque magistros bacallarios et studentes, quod ipsi quatuor fratres notabiles ex ipsis ad dictum capitulum mittere procurent, propposituros[8] ibidem super premissis et aliis questionibus quibuslibet vertentibus inter eos, eorum raciones hinc inde ac diffinicionem et ordinacionem dictorum capituli super illis inde recepturos, predicta auctoritate compellas. Non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii pape octavi.... Dat. Avinione id. Januarii, pontificatus nostri anno decimo.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XLIX, fol. 407.

1. Petro de Montaigu. — 2. Prima manu scriptum erat « Sercuto ». Designatur « Cercoux » (Charente-Inf[re]). Johannes jam an. 1385 fuit minister Franciae (vid. Wadding, *Ann. Min.*, IX, 413). et adhuc an. 1396 affertur (vid. Ehrle in *Arch. f. Litteratur- u. Kirchensch.*, VI, 214, ubi tamen perperam « Sartuto »). — 3. Eodem an. 1388, Maii 2, licentiatus est in theol. e *Catal. licent.* (ubi « Bardolun »). Johanne de Chevegneio defuncto (de quo n° 1393) fuit minister generalis Ord. Min. sub obedientia Avenion., et ab Alexandro V an. 1409 ut perditionis filius affertur (Reg. Lat. Alex., an. 1, Div. form , fol. 278), quem Wadding, l. c., p. 330, aliique (vid. Huttebräucker, *Der Minoritenorden zur Zeit des grossen Schismas*, p. 67) perperam ut successorem Angeli de Spoleto, omisso Johanne de Chevegneio, designant. — 4. Infra ad an. 1389, Martii (*Contra Monteson.*), jam ut mag. theol. affertur. Deest in *Catal. licent.* Sed verisimiliter an. 1389 licentiatus est et fortasse in *Catal. licent.* post « Johannem Vitalis » ante « Johannem Breviscoxe » afferebatur. In apographo ex negligentia omittebatur, et remansit « Minor », quam vocem scriptor Johanni Breviscoxe adjunxit. Sed fortasse Johannes Columbi est idem ac Johannes Vitalis. — 5. In theol. licent. an. 1400, Maii 2, e *Catal. licent* (ubi « Petrus Pontius »). — 6. Reg. : « Prefatosque Johannem », etc. — 7. Hoc Capitulum, de quo altum silentium apud scriptores, an. 1388, Maii, secundum statuta triennio elapso post ultimum, Gebennis an. 1385 (vid. Wadding, l. c., p. 64, 413) celebratum, tenebatur. — 8. Reg. : « propositurі », postea : « recepturi ».

1546. *Causa inter Amelium de Brolio et facultatem decret. Paris. coram Parlamento Paris. iterum inquiritur; in argumentis ab utraque parte allatis non pauca statuta fac. decret. exscribuntur.*

1388, Maii 9, Parisius.

Cum dilectus et fidelis consiliarius noster magister Amelius de Brolio, decretorum doctor, tam agendo quam deffendendo in casibus novitatis et saisine excessuum et attemptatorum in nostra Parlamenti curia contra decanum et collegium facultatis decretorum Paris., necnon magistros Herveum Costioti, Johannem Balduini, Petrum de Agnevilla, priorem Sancti Vigoris, Henricum Beve[1], Johannem de Soco[2], Jacobum Mangon de Tornaco, curatum Sancti Stephani in monte Sancte Genovefe Parisiensis, Galterum Gracy[3], Salomonem de Lesquelen, Johannem Baudouardi doctores in dicta facultate regentes, magistros Guillermum de Cantiers baquellarium in decretis, Symonem Thome bedellum et Bricium Monachi subbedellum generales, Richardum de Fonte, Foulconem de Blandis, Johannem Boulet, Symonem de Bosco, Johannem Pinssoni[4], novos doctores in eadem facultate regentes, et contra eorum quemlibet, tam conjunctim quam divisim, et prout quemlibet eorum tangebat, proponi fecisset inter cetera quod tam de jure, usu, consuetudine et communi observancia, quam eciam secundum statuta dicte facultatis, et maxime annis (*sic*) Domini millesimis trecentesimis (*sic*) LXXVI° et IIII[xx] V° solenniter et debite

factis et postmodum publicatis, lectio matutinalis et ordinaria Decretalium in vico Clausi Brunelli Parisiensis doctoribus in eadem facultate competebat, cujus lectionis virtute ipsi doctores eandem lectionem legentes reputari debebant regentes in eadem facultate, necnon juribus, privilegiis, libertatibus, franchisiis et emolumentis quibuscumque ad veros doctores regentes spectantibus gaudere; et cum hoc eisdem doctoribus lectionem decreti hora prime in dicto vico legere licebat, virtute quarum lectionum et cujuslibet earundem dictis juribus, libertatibus, franchisiis et emolumentis sic legentes tanquam veri doctores in eadem facultate regentes uti et gaudere poterant et debebant; quodque prefatus de Brolio, qui erat doctor Paris. in facultate predicta, tam de jure quam eciam dictorum statutorum virtute, tanquam sufficiens et ydoneus, pure, simpliciter et absque difficultate seu condiccione ad lecturam dicte lectionis ordinarie et matutinalis per dictos de collegio ab eodem prestito, et per dictos de collegio recepto solito juramento, excepto juramento legendi sine candela[5], dicto anno Domini millesimo CCC° octogesimo quinto, admissus et receptus fuerat. Qua receptione facta, presentibus dictis de collegio et de ipsorum consensu, vel saltim ipsis non contradicentibus, dilectus et fidelis consiliarius noster prior Carnotensis[6], doctor in eadem facultate, magnas scolas dicti vici ad eundem priorem spectantes prefato de Brolio pro legendo dictam lectionem ordinariam tradiderat et concesserat, dilectum et fidelem consiliarium nostrum magistrum Petrum Biaublef[7], qui in eisdem scolis dictam lectionem ordinarie legere consueverat, et qui ipsas scolas pro dicta sua lectura petebat et requirebat, eo quod doctores ad dictam lectionem legendam erant ordinati, repulerat. In quibus scolis prefatus de Brolio in vigilia beati Dyonisii anno predicto octogesimo quinto, suum propositum tanquam notabilior et honorabilior de mane tunc legencium ultimus fecerat, et statim post dictum festum inceperat Decretales de mane legere cum dicto magistro Petro Biaublef tunc secum in eadem lectura concurrente. In cujus lecture principio prefati doctores, ut moris erat, et per modum collegii ipsum honorantes, ad scolas ipsius de Brolio accesserant, in quorum doctorum presencia ceterorumque ibidem assistencium idem de Brolio statutum vel ordinacionem predictas per eosdem doctores super lectura dicte lectionis ordinarie factas, publice et absque contradictione quacumque per dictos doctores vel alios recitaverat, et postmodum dicte sue lectionis lecturam debite continuaverat.

Cujus lecture tempore pendente presuppositis statutis predictis, prefati doctores in certis suis congregacionibus de circonstancia dictorum statutorum tractando ordinaverant et statuerant, quod dicti doctores de mane legentes in ipsa lectura capas rubeas non defferent, litterasque testimoniales non darent, nec suos scolares in carceribus mancipatos repeterent, statuta perlegentes de mane jurari consueta jurarent, excepta dicta clausula sine candela; et quod bacalarii in eadem lectione seu lectura cum ipsis doctoribus concurrere possent, si bonum videretur facultati predicte. Statuerant insuper et ordinaverant quod dicti doctores de mane legentes essent et reputarentur veri regentes quoad privi-

legia, franchisias et libertates dilecte filie nostre Universitatis Parisiensis, prout et alii veri doctores in eadem facultate regentes.

Quibus sic peractis, dictis doctoribus subsequenter super reformacione dicte facultatis adinvicem congregatis, ac posito in deliberacione si dicti doctores de mane legentes in juribus et distribucionibus bacalariorum, licenciatorum et aliorum proficuorum regencie participarent, quia plures de dictis doctoribus (minor tamen pars ipsorum) fuerant oppinionis, quod non, nisi dumtaxat quoad honores regencie : prefatus de Brolio a predicta deliberacione et opposicione ad dictam Universitatem appellaverat; in qua appellacionis causa partibus predictis coram dicta Universitate comparentibus, videlicet dictis decano et capitulo ex una parte, et dicto de Brolio appellato ex altera, ac ipsis partibus in eadem appellationis causa auditis, Universitas predicta sentencialiter partim ad ipsius utilitatem et partim contra ipsum pronunciaverat.

A qua sentencia, in quantum contra ipsum faciebat, appellaverat, in ceteris ipsam approbando. Et priusquam idem de Brolio dictam lectionem matutinalem legere incepisset, ipse legerat Decretum hora prime tanquam verus doctor legens in facultate predicta; quam lecturam Decreti continuendo (*sic*) incontinenti post festum Omnium Sanctorum anno predicto octogesimo quinto, lectionem Decreti continue legerat usque ad certa impedimenta sibi per dictos de collegio in premissis apposita. Et per hoc verus regens in dicta facultate reputari debebat, juribusque et emolumentis regencie sequentibus gaudere, videlicet testificandi suos scolares, et quod ejus testimonio fides adhiberetur, quod eciam dicti sui scolares obtinere possent citaciones aut alias litteras consuetas contra detentores fructuum beneficiorum suorum, aliisque privilegiis, franchisiis et libertatibus dicte Universitatis gaudere, absque eo quod dicti de facultate vel aliqui singulares ejusdem hoc possent vel deberent impedire; debebatque dictus de Brolio tanquam verus doctor regens ad congregaciones dicte facultatis maxime extraordinarias per dictos bedellum aut subbedellum vocari; dicti eciam bedellus et subbedellus in scolis dicti de Brolio in dictis suis lectionibus decreti et de mane festa et alia facta studii denunciare debebant. Poteratque et debebat dictus de Brolio unum bedellum habere, et pro ipso tres solidos a quolibet novo bachalario, sex solidos a quolibet novo doctore, dicto de Brolio capere licebat. Dictus insuper de Brolio et quilibet aliorum doctorum in dicta facultate regentium optare poterant unum bachalarium licenciandum, a quo quidem bachalario idem doctor, qui ipsum optaverat unam robam usque ad estimacionem quinquaginta francorum, quando efficiebatur doctor, capere poterat; et si ante assumpcionem gradus doctoratus predicti eundem doctorem, qui dictum bachalarium optaverat, decedere contingebat, utilitas dicti bachalarii que ad dictum deffunctum pertinuerat ad dictam facultatem spectebat (*sic*).

De quibus quidem juribus, franchisiis, libertatibus et emolumentis dictarum facultatis et Universitatis prefatus de Brolio, ejus scolares et bedellus fuerant et erant in possessione et saisina, dictisque possessionibus et saisinis usi fuerant per se et suos predeces-

sores per tantum temporis spacium cujus hominum memoria in contrarium non exstabat....

Nichilominus, ipso in dictis possessionibus existente, dicti doctores in Quadragesima, que fuerat anno Domini M° CCC° octogesimo quinto, in quadam congregacione dicte sue facultatis, dictis bedello et subbedello preceperant quod omnes doctores, excepto dicto de Brolio, ad dictam congregacionem per eorum juramenta vocarent, eisdem bedello et subbedello expresse inhibendo, ne dictum de Brolio haberent evocare. Quod mandatum per dictos bedellum et subbedellum fuerat executum. Prefatique doctores certos scolares dicti de Brolio tam in dicta lectione matutinali, quam decreti, in congregatione generali predicte Universitatis supplicantes habere citaciones contra certos detentores fructuum beneficiorum suorum impediverant ne dicti scolares citaciones predictas obtinerent, prefatum de Brolio in dictis suis possessionibus et saisinis perturbando et impediendo indebite et de novo. Et ob hoc idem de Brolio contra dictos doctores et aliquos eorum singulares necnon contra dictos bedellum et subbedellum conquestus fuerat, ipseque partes propter hoc ad certam diem in dicta nostra Parlamenti curia adjornate et ad plenum audite fuerant, et per eandem nostram curiam in arresto appunctate, et res eciam contentiosa dilecto et fideli consiliario nostro episcopo Baiocensi[8] per manum nostram ad gubernandum commissa. Quibus non obstantibus prefati doctores postmodum plures congregaciones fecerant, in quibus alios doctores per dictos bedellum et subbedellum fecerant evocari, dictis episcopo vel de Brolio minime vocatis. Et specialiter in mense Septembri anno Domini M° CCC° octogesimo sexto doctores predicti certam congregacionem fecerant, in qua certas litteras fieri ordinaverant, declarantes quod dicti doctores prefato de Brolio fecerant graciam legendi de mane per annum dumtaxat, qui annus preterierat, et quod amplius sibi super hoc graciam facere nolebant, aliasque litteras ordinaverant, per quas declarabant quod nullus de mane in dicta facultate legere posset, nisi primitus receptus per ipsos et approbatus esset, et quod scolares prefatum de Brolio audientes tempus suum non acquirerent, neque privilegiis, franchisiis et libertatibus dicte Universitatis gauderent. Quas quidem litteras doctores predicti per dictos bedellum et subbedellum in scolis dicti de Brolio et aliorum secum concurrencium fecerant publicari. Que omnia facta fuerant prefatis episcopo vel de Brolio minime vocatis, necnon contra processus in eadem curia nostra pendentes temere attemptando, et ipsum de Brolio in dictis suis possessionibus et saisinis indebite et de novo perturbando. Et ob hoc contra prefatos doctores, bedellum et subbedellum iterato conquestus fuerat, et dies opponentibus super premissis assignata. Qua pendente iterato contra nos et dictam curiam nostram attemptando doctores predicti dictas litteras in scolis dicti de Brolio per dictum bedellum fecerant publicari. Quare fecerat dictos doctores, bedellum et subbedellum in casu novitatis excessuum et attemptatorum in dicta curia nostra evocari. Quodque dicti bedellus et subbedellus festa et alia facta scolastica per scolas bachalariorum cum dicto de Brolio concurrencium denunciaverant, hoc idem de

mandato seu precepto dictorum doctorum in scolis dicti de Brolio facere pretermittendo et recusando. Preterea bedelli dictorum doctorum viginti septem libras a xxvij licenciatis a tempore dicti debati receperant, et quilibet eorum bedellorum triginta solidos a quinque novis doctoribus, et a quolibet plurium bachalariorum loco et tempore declarandorum iij solid. Dicti eciam doctores a tempore dicti mensis Septembris vel circa inhibuerant, ne aliquid de dictis pecuniis bedello dicti de Brolio traderetur; dictum suum bedellum in dictis suis possessionibus et saisinis indebite et de novo perturbando. Et ob hoc dictus de Brolio certam aliam novitatis causam contra dictos novos doctores, pro quibus dicti decanus et collegium advoamentum in se susceperant, intentaverat.

Preterea dicti doctores certam congregacionem fecerant, in qua compotum receptoris dicte facultatis audiverant, de dicta pecunia ad eorum libitum ordinando, dictis episcopo vel de Brolio minime vocatis, hiidemque doctores, licet debite requisiti, eidem de Brolio dictum compotum ostendere ac porcionem suam dicte recepte usque ad summam duodecim francorum vel circa ascendentem sibi tradere recusaverant et contradixerant. Dicti eciam doctores ordinaverant quod dictus magister Guillermus de Cantiers dictam lectionem matutinalem legeret, et quod ultimum propositum in dicta vigilia beati Dyonisii dicti anni octogesimi sexti haberet, et ad dictam lectionem legendam ipsum receperant. Pro quo quidem proposito in dicta vigilia faciendo idem de Cantiers se proclamari fecerat, de quibus proclamacione et ordinacione prefatus de Brolio, virtute certarum litterarum nostrarum, certam aliam querimoniam in casu novitatis et saisine contra dictos doctores et de Cantiers intentaverat, et propter eorum opposicionem certa dies ipsis partibus assignata, et res contenciosa ad manum nostram posita extiterat. Qua die pendente dictus de Cantiers, in vigilia predicta beati Dyonisii dictum suum propositum fecerat, ipsum de Brolio in dictis suis possessionibus et saisinis indebite et de novo perturbando, et contra dictam manum nostram temere attemptando.

Et insuper dicti doctores prima die ordinarii, videlicet in crastinum beati Dyonisii anno supradicto, scolas bachalariorum cum dicto de Brolio de mane concurrentium, et non scolas dicti de Brolio, visitaverant, quod tamen secundum statuta et antiquas consuetudines dicte facultatis facere tenebantur. Fecerant eciam dicti doctores, maxime post dictarum litterarum publicacionem, scolares, qui se coram ipsis pro gradu bachalariatus obtinendo presentaverant, jurare, utrum essent scolares dicti de Brolio, ipsos qui hoc fatebantur ad dictum gradum obtinendum impediendo. Premissis tamen non obstantibus idem de Brolio in dicta sua lectione matutinali dicto anno octogesimo sexto trescentos scolares et amplius habuerat, de quorum quolibet pro suo salario habuisset ad minus unum francum, nisi fuissent impedimenta supradicta, et per hoc in trescentis francis dampnificatus fuerat. Dicti eciam quinque novi doctores cuilibet bedello dictorum doctorum regencium solverant sex solidos, excepto bedello dicti de Brolio, cui nichil solvere voluerant, licet debite requisiti et summati fuissent. Que omnia facta fuerant, dictum de

Brolio in dictis suis possessionibus et saisinis perturbando et impediendo indebite et de novo, et contra processus in dicta curia nostra pendentes attemptando, in dicti eciam de Brolio prejudicium non modicum et jacturam, ac ipsi multiplices injurias et molestias inferendo, ut dicebat.

Constitutisque racione premissorum in eadem curia nostra partibus antedictis seu earum procuratoribus, idem de Brolio ex premissis et aliis per ipsum latius propositis concludebat quatinus per dictam curiam nostram pronunciaretur et declararetur ipsum de Brolio esse et remanere debere in possessione et saisina legendi, et quod posset legere quociens sibi bonum videretur dictas lectiones Decretalium de mane et Decreti hora prime in dicto loco Clausi Brunelli, tanquam verus doctor in facultate predicta....[9].

Dictis de facultate et aliis singularibus prenominatis ex adverso proponentibus, quod dicta facultas decretorum erat una de iiij[or] facultatibus predicte Universitatis Parisiensis, et inter ceteras post facultatem theologie notabilior, et quod ipsa decretorum facultas erat unum collegium, continens in se plura membra, videlicet doctores regentes et doctores non regentes, licenciatos, bachalarios, scolares, bedellos et subbedellos. Habebat eciam dicta facultas plures consuetudines, usus, observancias, privilegia, statuta, libertates, saisinas, possessiones et alia jura, que supposita dicte facultatis et maxime dictus de Brolio et alii doctores tenere et observare juraverant et jurare consueverant. Preterea ipsa facultas decanum habebat, qui in dicto collegio presidebat, proponendo et ponendo in deliberacione facta ejusdem facultatis; cujus quidem facultatis singularia supposita, doctores, licenciati, bachalarii et alii dictis decano et collegio adeo et per sua juramenta subiciebantur, quod ipsis obedire tenebantur, maxime in quantum concernebat facta et ordinaciones leccionum et aliorum factorum scolasticorum dicte facultatis. Habebantque dicti decanus et collegium jurisdiccionem et cohercionem super dictis singularibus suppositis ejusdem facultatis, ipsos videlicet revocandi, ad status vel gradus ejusdem facultatis non recipiendi, suspendendi, resecandi seu ab eisdem gradibus privandi, de lecturis, propositis et aliis factis dictam facultatem concernentibus disponendi et ordinandi secundum exigenciam casuum. Presertim doctoribus regentibus in facultate decretorum, et non aliis, competebat habere bedellum et subbedellum porcione bachalariorum seu licenciatorum proficua et emolumenta a dictis bachalariis, licenciatis et novis doctoribus, et de dictis emolumentis ad eorum libitum voluntatis disponere. Quodque nullus doctor non religiosus, prout erat dictus de Brolio, in dicta facultate regens reputabatur, nisi tempore ordinario legeret Decretum hora prime in dicto vico Clausi Brunelli cum capa rubea, nisi eciam cum aliis doctoribus die martis proxima post festum Omnium Sanctorum vel Deffunctorum lectiones suas decreti inciperet, prestito ab eodem juramento, quod hoc faceret causa addiscendi, et non in fraudem, et quod per dictos bedellum aut subbedellum dicte facultatis prout et alii per scolas proclamaretur.

Preterea ab omni tempore notorie fuerat consuetum et observatum, quod nullus doctor

Parisius factus in dicta facultate ad dictam lectionem matutinalem legendam admittebatur, sed tantummodo licenciati, bachalarii aut alii doctores aliorum studiorum, si ad hoc ydonei per dictos de collegio dictorum regentium reperiebantur; et postquam fuerant ad dictam lectionem prestando solitum juramentum recepti et admissi, esto quod per plures annos dictam lectionem legissent, eciam quacumque auctoritate seu dignitate prefulgerent, necesse habebant anno quolibet coram dictis de collegio in missa eorum ante festum beati Michaelis se representare, requirendo et supplicando ipsis doctoribus, quatenus ipsos vellent ad legendam dictam lectionem matutinalem in festo Dyonisii proximo sequente recipere; alias nullatenus ad dictam lectionem matutinalem legendam admittebantur. Nec poterat vel debebat aliquis dictam lectionem matutinalem legere, dato quod se debite representando supplicasset, nisi primitus receptus esset per dictam facultatem et juramenta consueta prestitisset, que per dictum de Brolio vel in ejus persona minime fuerant observata. Nec poterat vel debebat aliquis duas lectiones et maxime de mane et in primis eadem die legere, obstantibus juribus, usibus, statutis et consuetudinibus supradictis. Et si dictus de Brolio, postquam fuerat doctor Paris. in dicta facultate, dictam lectionem matutinalem legerat, hoc fuerat de gracia speciali sibi per dictos de collegio usque ad annum dumtaxat et sub condicione, quod non esset vel reputaretur regens, quod legeret tanquam bachalarius sine capa rubea, non repeteret scolares prisonarios, nec traderet ipsis litteras vel cedulas testimoniales, et quod non participaret in distribucionibus bachalariorum. Quam graciam gratenter (*sic*) acceptaverat. Nec fuerant vel erant aliqua statuta in contrarium dictorum jurium, ordinacionum vel statutorum per dictos de facultate pretensorum facta. De dictisque juribus, franchisiis, libertatibus, consuetudinibus, communibus observanciis et emolumentis fuerant et erant prefati de collegio novi doctores Guillermus de Cantiers et bedelli in possessione et saisina, eisdemque possessionibus et saisinis pacifice usi fuerant....[10].

Quas quidem litteras[11] per bedellum generalem in scolis dicti de Brolio et aliis fecerant publicari; in qua publicacione facienda prefatus bedellus, tam per scolares in scolis dicti de Brolio existentes quam alios, adeo perturbatus et impeditus exstiterat, tam ex tumultu et clamore, quam jactu lapidum, pulveris et straminum ad vultum et occulos dicti bedelli, prefato de Brolio jubente, precipiente et instigante factis, quod necessario bis compulsus fuerat dictas scolas exire, ipsis litteris minime perlectis. Ipse eciam de Brolio in odium processuum predictorum, minas quamplurimas eidem bedello necnon prefato Guillermo de Cantiers, decano et aliis doctoribus intulerat. Quas minas ad effectum producendo quarta die Octobris vel circa dicto anno Domini M°CCC° octogesimo sexto, sex vel septem in hac parte complices compatriote dicti de Brolio ensibus, daguis et aliis armorum generibus premuniti circa horam noctis, precogitatis insidiis, ante domum dictorum prioris Sancti Vigoris et magistri Johannis Balduini accesserant. Quos cum in dicta domo minime reperissent, eorum servitoribus et vicinis dixerant et exposuerant, quod ipsi ibidem accesserant ostensuri displicenciam et injuriam, quam dicti prior et Johannes Balduini ipsis armatis

et eorum amicis fecerant, eisdem priori et Johanni Balduini minas quamplurimas inferendo, que per dictum de Brolio aut de ejus mandato, voluntate et consensu facta fuerant, dictam salvam gardiam nostram, in qua erant prenominati prior, Johannes Balduini, Guillermus de Cantiers, et bedellus, dampnabiliter infringendo et alias multipliciter et in odium et contem[p]tum dictorum processuum et pro ipsis impediendis deli[n]quendo.

Preterea dicti doctores duos bachalarios, videlicet prefatum Guillermum de Cantiers et magistrum Symonem de Houvers, dicto anno Domini M° CCC° octogesimo sexto pro dicta lectione matutinali legenda elegerant, et ad hoc ipsos, prout moris erat, solempnitatibus consuetis debite observatis receperant; attamen prefatus de Brolio contra proprium juramentum veniendo, preter et contra voluntatem et consensum predictorum de collegio de facto in dicta vigilia beati Dyonisii eodem anno magnas scolas dicti vici intraverat, et ibidem hora matutinali unam decretalem publice legerat, dicendo quod ipse eadem hora anno predicto Decretales legere intendebat, absque eo quod per dictos bedellum aut subbedellum generales fuisset proclamatus, sed dumtaxat per Colinum Sarraceni, ejus famulum vel servitorem, se fecerat proclamari. Et quod deterius erat, idem de Brolio in crastinum dicti festi beati Dyonisii ejus propria auctoritate dictam lectionem Decretalium matutinalem cum aliis bachalariis eadem hora legentibus legere inceperat, interdum in dictis magnis scolis festa, cessaciones et alia facta dicte facultatis denunciando, aut per dictum suum famulum denunciari faciendo. Que et alia per dictum de Brolio facta, facta fuerant prefatos de collegio in dictis suis possessionibus et saisinis indebite et de novo perturbando, ut dicebant, et ob hoc certas querimonie litteras a nobis seu dicta curia nostra obtinuerant; execucioni quarum idem de Brolio se opposuerat, propter quod sibi fuerat in dicta curia certa dies assignata. Que opposicio facta fuerat ipsos de collegio et singulares in dictis suis possessionibus et saisinis perturbando et impediendo indebite et de novo, ut dicebant. Quare petebant ex premissis et aliis per ipsos latius propositis congedium et expensas contra dictos de Brolio et Colinum Sarraceni, quem suum bedellum dicebat, et maxime contra eundem Colinum sibi concedi; alioquin quod presens processus supersederet, quousque causa supradicta, in qua predictus de Brolio, eo quod ad congregaciones non vocabatur conquestus fuerat, determinaretur; et in casu quo non supersederet, quod pronunciaretur dictos de Brolio et Colinum ad proposita per eos non fore admittendos, et si essent admittendi, ipsos injuste et ad malam causam se conquestos fuisse, et quod dicti decanus et collegium manutenerentur et conservarentur in possessione et saisina habendi, capiendi et participandi certas pecunias, proficua et emolumenta ab eorum licenciatis et novis doctoribus, videlicet *a quolibet licenciato tres bursas* juxta estimacionem suarum expensarum cothidianarum pro custibus, chargiis et oneribus dicte facultatis sustinendis, et *viginti solidos* paris. pro distribuendo omnibus bedellis dictorum doctorum in dicta facultate regentium, necnon *a quolibet novo doctore sex solidos* paris. pro quolibet bedellorum eorundem doctorum regentium, absque eo quod doctores non regentes aliquid inde

percipere possent vel deberent, seu de hoc quovismodo se intromittere, et si opus esset, quod dicti doctores regentes manutenerentur et conservarentur in possessione et saisina capiendi et percipiendi soli et in solidum dicta proficua et emolumenta, necnon dicti novi doctores solvendi et solvendo quitti et liberi remanendi bedellis dictorum doctorum regentium debita eisdem solvi consueta, juxta dicte facultatis ordinacionem; ipsaque facultas in possessione et saisina....[12].

Preterea quod dictus de Brolio ad emandandum *(sic)* nobis et dictis actoribus pro dictis excessibus, injuriis et delictis per ipsum, dictam salvam gardiam nostram infringendo et alias quamplurimum delinquendo, perpetratis, nobis videlicet de summa duorum mille, et dictis actoribus de mille libris vel in aliis emendis, juxta dicte nostre curie discrecionem; idemque de Brolio dictam salvam gardiam reintegrando ad emandandum dicto bedello generali pro dictis excessibus et delictis in ejus persona per dictum de Brolio, aut saltim ejus mandato, factis et perpetratis, de somma quater centum librarum vel in tali emenda, prout dicte nostre curie videretur expedire; et quod dictis actoribus et bedello primitus quam nobis satisfieret de hiis que sibi per dictam curiam adjudicarentur; ipsi eciam ad eorum proposita et non dictus de Brolio et Colinus Sarraceni admitterentur, et quod idem de Brolio in dictorum actorum dampnis, interesse et expensis condempnarentur.

Tandem auditis partibus antedictis in omnibus que circa premissa tam replicando quam duplicando dicere et proponere voluerunt, visis insuper certis racionibus per modum memorie per dictas partes, certisque statutis, ordinacionibus, litteris, registris per ipsos decanum et collegium dicte facultatis, aliisque litteris, actis et munimentis partium predictarum eidem curie nostre exhibitis et traditis, consideratisque et attentis diligenter omnibus circa hoc attendendis et que dictam curiam nostram in hac parte movere poterant et debebant, per arrestum ejusdem curie dictum fuit quod dictus de Brolio, in quantum racione dicte lectionis matutinalis se conquestus fuerat, proponendo quod eam sibi legere licebat, et quod eam legendo doctor regens reputari debebat, et ad certas conclusiones per ipsum racione dicte lectionis supra factas; in quantum eciam contra querimoniam dictorum decani et collegii dicte facultatis racione predicte lectionis matutinalis contra dictum de Brolio factam se opposuerat, non erat nec est admittendus, ac ipsum non admisit dicta curia nostra nec admittit, manutenebunturque et conservabuntur iidem decanus et collegium in suis possessionibus et saisinis per ipsos racione dicte lectionis matutinalis supra factis, amoto abinde omni impedimento per dictum de Brolio in premissis apposito ac manu nostra levata ad ipsorum decani et collegii utilitatem. Per idemque arrestum dictum fuit, quod prenominati ad requestam dicti de Brolio in casu attemptatorum adjornati minime attemptarunt, ac ipsos absolvit dicta curia nostra ab impeticionibus et demandis dictorum de Brolio et procuratoris nostri, racione dictorum attemptatorum, ut premittitur, supra factis. Et in quantum dictam leccionem hora prime legi consuetam concernit, prefata curia nostra dictos singulares extra processum posuit per advoamentum ipsorum decani et

collegii, qui defensionem et onus cause in se susceperunt. Per idemque arrestum dictum fuit quod in ceteris dicte partes erant et sunt contrarie, nec poterant neque possunt sine factis expediri. Facient igitur facta sua ad omnes fines ad quos tetenderunt, super quibus inquiretur veritas, et inquesta facta ac eidem curie reportata fiet jus. Et per idem arrestum prefata curia nostra dictarum rerum contenciosarum recredenciam dictis decano et collegio fecit atque facit, lite pres. durante. Pronunciat. ix[a] die Maii, an. Dom. M° CCC° LXXXVIII°.

Arch. nat. Paris. X[1a] 35 (*Jugés*), fol. 326. — Ibid., X[1a] 1474 (*Cons.*), fol. 189[b], exstat documentum 2 Maii ejusdem anni, in quo arrestum supra pronuntiatum jam indicatur. De hac lite vid. supra n[is] 1528-1531.

1. Ms. : « Bene ». — 2. Idem qui supra p. 396 « de Sacco » dicitur. Sed in Arch. nat. Paris., LL. 108[a], semper « de Socco » scribitur. — 3. Seu « Grassi ». — 4. Seu « Pinchon », qui jam an. 1387 doctor fuit (vid. n[um] 1539), ut etiam Fulco, et verisimiliter Simon de Bosco, de quo n° 1589. — 5. Vid. infra in *Appendice*. — 6. Scil. Johannes de Bournazel, de quo supra p. 348, not. 1. — 7. Qui supra n° 1528 « Perre Beaublé » vocatur. — 8. Nicolaum de Bosco, de quo supra n° 1304. — 9. In sequentibus Amelius de Brolio petit, ut quoad omnia praenarrata jus contra adversarios obtineat, qui deberent in emenda 4000 libr. in favorem regis, et 2000 libr. in favorem Amelii condemnari. — 10. Haec in sequentibus magis explicantur, et accusatio contra Amelium iteratur. — 11. De quibus Amelius in superioribus locutus est. Vid. p. 471. — 12. In sequentibus facultas decretorum petit ut sibi in omnibus praemissis fiat jus et pronuntietur contra Amelium de Brolio.

Nihilominus Amelius de Brolio an. 1395, Julii 26, electus est archiepiscopus Turonens. (*Gall. christ.*, XIV, 122), Novemb. 5 a Bened. XIII confirmatus (Reg. Vat. Ben , n° 321, fol. 44), dum esset cantor Turonens. Petrus Beaublé vero, saepe legatus principum Franciae, post. an. 1398 episcopus Uticens. (*Gall. christ.*, VI, 639), an. 1405, Sept. 16, Sagiens. (Reg. Av. Ben., vol. XL, fol. 179[b]).

1547. *Assignationes baccalareorum Ord. Praed. in studio Parisiensi.*

1388, circa Maii 17, Rutenis.

Iste sunt assignaciones. Assignamus ad legendum Sentencias Parisius pro anno presenti intraneis debito fratrem Albertum Roberti de provincia Francie; cui substituimus, quantum nostra interest, fratrem Johannem Stephani[1] ejusdem provincie[2]. Pro primo vero anno extraneis debito fratrem Guillermum Zavila, de provincia Aragonie; pro secundo vero anno extraneis debito, quantum nostra interest, ad legendum Sentencias ibidem fratrem Johannem de Merula de provincia Tholosana.

Ad legendum Bibliam ibidem post fratrem Johannem Stephani, fratrem Petrum de Palier conventus Gebennens., quem si aliquo modo contingeret impediri, eo casu provinciali Francie comittimus quod ipse de lectura predicta Biblie valeat providere.

Fragmenta Capp. gen. Ord. Praed., e codice olim Barcinone conservato. — Hoc Capitulum generale partes Johannis de Montesono sequebatur. Declarationes Capituli quoad hoc vid. infra n° 1561, ubi de Johanne de Montesono.

1. Ms. hic et postea : « Steli ». Vid. n° 1524. — 2. Minime tamen legerunt, ideoque an. 1391 iterum assignati. Vid. n[um] 1594.

1548. *Causa inter archiepiscopum Rothomagensem et Universitatem Paris. coram Parlamento agitur de quodam scholare Paris.*

1388, Junii 22, Parisiis.

Lundi xxij[e] jour de Juin. — Entre l'arcevesque de Rouan[1] d'une part, et le recteur et l'Université de Paris d'autre part, sus la requeste de l'arcevesque, qui requiert que un

religieux prieur[2] son subget et justiçable et qui [a] rompu ses prisons lui soit rendus et restituez nonobstant l'empeschement mis par partie adverse.

Ceux de l'Université dient que le prieur est escolier, bacheler en decrès, et ont privilèges que nuls escolier ne doit estre tenus en prison se n'est en ij cas, l'un quant il est conveincus de crime, ou prins en present meffait; et se pour autre cas il est detenus prisonnier, il doit estre rendus au recteur. Or dient-il, que le prieur n'est pas condampnez ne convaincus de crime, ne prins en present meffait....

L'arcevesque replique et dit que le prieur est aagez de lxx ans et est subject et justiçable de l'arcevesque, et a comis plusieurs crimes et deliz au pays pour lesquels, *informacione precedente,* il a esté prins et emprisonnez es prisons de l'arcevesque, juge ordinaire, et depuis a rompu les prisons et s'en est fouys. L'arcevesque l'a fait querir partout et à chaude chasse l'a trové à Paris et l'a fait prendre par le prevost pour lui rendre. Dit qu'il est fondez de droit commun. Dit que le prieur n'est point escolier, et n'est pas vraysamblable, attendu son aage, et est à presumer qu'il est dit escolier en fraude. Dit que ne scet riens du privilége de ceux de l'Université, et se il ont aucun privilége, c'est *in levioribus delictis, ubi requiritur modica castigatio.* Dit qu'il a esté prins en present meffait, *quoniam fugitivus* et à chaude chasse, et *pro convicto habetur,* considéré qu'il a rompu les prisons, et dit l'arcevesque, que le prieur ne fut onques escolier. Et conclut l'arcevesque come dessus.

Ceux de l'Université dupliquent, et dient que le prieur est escolier, et tel le tesmoignent le recteur et les docteurs, et à dire le contraire l'arcevesque ne fait à recevoir. Et sont petis cas pour lesquels il a esté prins : l'un pource que on lui impose qu'il a celebré à chandelles de çuif; l'autre que sa chamberière ly a ministré vin et eaue à l'autel; l'autre qu'il a perdu Corpus Domini dessoubs les corporauls; et l'autre d'un enfant mort. Dient que le prieur fut citez devant les gens de l'arcevesque et comparut, et lors senz information fut prins et emprisonnez, et ly dist-on : « il convient que tu payes tant ». Il trova les prisons ouvertes, et s'en ala, senz ce qui feist aucune roupture, et appella de l'arcevesque, et n'est point fuitis, car il ala à court de Romme poursuyr son appel. Concluent come dessus.

L'arcevesque dit que fut prins pour cas criminel *informatione precedente*, et ne ly a esté demandé aucune finance. Dit que le prieur a corrumpu le giolier pour yssir hors et l'a mené avec lui, et n'est point escolier et ne le doit pas estre reputez ou prejudice de l'arcevesque.

Appoincté est que la court verra l'information faite par les gens de l'arcevesque, les priviléges de ceux de l'Université; considèrera les raisons des parties et fera droit.

Arch. nat. Paris. X1a 1474 (*Cons.*), fol. 110b.

1. Minime Guillelmum de Vienne, O. S. Ben., ut e Gams, *Ser. episc.*, appareret, cum an. 1389 tantum, Martii 29, archiepisc. Rotomag. factus sit (Reg. Aven. Clem. VII, vol. LII, f. 73), sed Guillelmum L'Estrange, an. 1375, Decemb. 22, translatum de sede Carpentoratens. ad Rotomag. (Reg. Av. Gregorii XI, vol. XXVI, f. 62). — 2. Postea in ms. spatium. Verisimiliter prior fuit Ord. S. Ben.

1549. *Deliberatio Universitatis Paris. de observandis decretis Urbani V quoad baccalareos in theologia, qui post lecturam Sententiarum per quinquennium in studio Paris. stare tenentur.*

1389, Aprilis 30, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Anno ab Incarnatione ejusdem Domini millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indictione duodecima, mensis April. die ultima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providencia pape VII anno undecimo, in congregatione generali Universitatis studii Paris. regentium et non regentium et per juramentum celebrata apud S. Maturinum Parisius hora prime S. Jacobi, in mei notarii publici et testium infrascriptorum ad infrascripta vocatorum et rogatorum presentia personaliter constitutus vir venerabilis et discretus mag. ac dominus mag. Robertus Cardon, rector Universitatis studii Parisiensis, proposuit in predicta congregatione articulos sequentes :

Primus fuit super aliquibus tangentibus privilegia Universitatis, ac etiam super aliquibus de novo emergentibus. Quem articulum declaravit atque specificavit dicendo quod intellexerat et audierat, quod unus nominatus mag. Johannes Courtecouxe[1] debebat immediate in primis Nostre Domine licentiari in theologia per dom. cancellarium ecclesie Parisiensis[2].

Secundus articulus fuit super supplicationibus et injuriis.

Quibus sic propositis per dom. rectorem predictum, facultates et nationes se traxerunt ad partem, prout consuetum est fieri in talibus. Quibus sic ad partem facultatibus et nationibus retractis, ut inter se deliberarent quid agendum esset, et demum ad invicem insimul congregatis, fuit deliberatum per tres facultates, videlicet per facultatem theologie, per facultatem decretorum et etiam medicine et per tres nationes facultatis artium, videlicet Picardie, Normanie et Anglie, et per consequens per totam Universitatem, quod quoad baccalarios in theologia licentiandos servaretur punctum seu statutum bo. me. Urbani V[3], adjuncto statuto et declaratione facta per facultatem theologie[4]. Insuper etiam quod inhiberetur dicto mag. Johanni Courtecouxe, si reperiri posset, quod licentiam a dom. cancellario non reciperet sub omni pena, et specialiter sub pena contenta in statuto et declaratione factis per facultatem theologie. Quod quidem punctum seu statutum seu privilegium bo. me. Urbani V declaratum et specificatum per facultatem theologie tale est :

« Quia baccalarii post lecturam Sententiarum se absentare consueverunt a villa Parisiensi, quod cedit in detrimentum et deturpationem scole non modicum, vult facultas theologie, quod quoad hoc teneatur statutum summi pontificis alibi expressum, ubi sic dicitur, quod baccalarii[5] qui Sententias legerint, si gradum obtinere desiderant, stare in studio tempore solito inter lecturam et magisterium intermedio teneantur, ut eorum scientia, mores, et vita certius comprobentur. Per tempus autem solitum intelligitur tempus quinque annorum, annis lecture Sententiarum ac etiam licentie computatis. Quod si presentati

Ordinum ratione presentationis citius expediantur, vult dicta facultas quod tales presentati ultra responsiones eis alibi aut aliis de causis impositas bis habeant de ordinaria respondere. Si vero contingat aliquem baccalarium presentatum vel alium huic statuto contraire, nulli magistrorum liceat pro tali deponere. Et si forte contingeret, quod magistri aut eorum aliqui pro ipso deponerent, aut quod sine depositione magistrorum per cancellarium licentiaretur, quod absit, talis sic licentiatus nunquam in posterum ad facultatem et ejus actus admittatur, omni dispensatione seclusa. »

Quibus sic, ut premittitur, deliberatis predictus dom. rector conclusit dictum punctum bulle adjuncto statuto et declaratione factis per facultatem theologie precise, adequate et ad unguem, debere observari. De qua quidem deliberatione et conclusione sic, ut premittitur, factis dictus dom. rector nomine et vice rectoris et Universitatis studii Paris. omniumque et singulorum quorum interest vel intererit, aut qui sua interesse putaverint seu crediderint quomodolibet in futurum, a me notario publico subscripto petiit sibi fieri unum vel plura publica originalia instrumenta, personas adstantes invocando in testes. Acta fuerunt hec Parisius multum solemniter, indictione, mense, die, hora, loco et pontificatu predictis, presentibus venerabilibus ac circumspectis viris magistris ac dominis Herveo Sulven loco decani facultatis theologie, ac mag. Guillelmo de Gardino, in facultate theologie magistris, Galtero Grassi, decano facultatis decretorum ac etiam decretorum doctore, Gaffredo Malpoivre[6], in medicina magistro loco decani facultatis medicine, Simone le Renvoisié, Petro de Bosco, Petro Barberii[7], Henrico de Harlem, Francie, Picardie, Normanie ac Anglie nationum procuratoribus, mag. Johanne Sanere, Gaufredo Morelli, Firmino Oliverii notariis apostolicis, et quamplurimis aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Cardonis de Craon[n]a, magister in artibus, presb. Laudunens. dioc., publicus auctoritate apostolica ac imperiali notarius, *etc.*

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 12849, fol. 42 (apograph. coll. an. 1605 cum originali). Iterum fol. 43 (apograph. an. 1654 coll. cum originali). — Bulaeus, IV, 637.

1. Apogr. prius hic et infra : « Courtecoupe ». Intelligitur Johannes Courtecuisse, seu Breviscoxe, de quo supra p. 259, not. 9. — 2. Johannem de Guignicurte. — 3. Supra, p. 144 · « Item ordinamus, quod illi bachelarii, qui Sententias legerunt », etc — 4. Vid. postea. — 5. Sequentia in statutis theol. facult. inveniuntur. Vid. *Chartul.*, II, p. 700, n[is] 39, 40. Declaratio supra exscripta antiquior est, quam statuta citata, quae quoad hoc e declaratione desumpta sunt. — 6. Ms. : « Malponire »; Bulaeus . « Melpomre ». Designatur Gaufridus Malipiperis, supra p. 265, 449. — 7. Bul. : « Barberie ».

1550. *Litterae Petri cardinalis, quibus nova quaedam componit dissidia cancellarium inter et Universitatem Parisiensem orta.*

1389, Maii 17, Parisiis.

Petrus[1] miseratione divina tituli Sancte Susanne sacrosancte Romane ecclesie presbiter cardinalis, apost. sedis nuncius ad regem Francie cum plenaria potestate legati de latere

in certis provinciis destinatus, universis presentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Super questionum articulis vertentibus inter dilectos nostros rectorem et Universitatem studii Parisiensis, et magistrum Johannem de Guignecourt, cancellarium ecclesie Parisiensis, super eo videlicet, quod cancellarius certa a bacchalariis et licentiandis in singulis facultatibus Universitatis hujusmodi juramenta exigere conabatur, rector[2] vero et Universitas [asserebant] predicta juramenta hujusmodi per eundem cancellarium ab ipsis bacchalariis et licentiandis exigi non debere, et nonnullis aliis articulis tunc expressis : per nos, partibus prefatis coram nobis constitutis, ordinatum extitit, videlicet quod hinc ad festum Resurrectionis Domini proxime venturum, infra quod sanctissimus dominus noster papa super hujusmodi articulis suum ordinabit beneplacitum, juramenta hujusmodi non exigentur a prefatis bacchalariis et licentiandis, qui solum promittant servare et adimplere quidquid[3] per prefatum dominum nostrum papam super hoc extiterit ordinatum. Hanc autem ordinationem fecimus absque prejudicio, sive in petitorio, sive in possessorio partium predictarum. In cujus rei testimonium presentes litteras fieri ac sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum Parisius die xvii^a mensis Maii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi anno undecimo, presentibus venerabilibus et circumspectis viris, magistris Egidio de Campis, Johanne Lathomi, et Johanne Manchon, ac pluribus aliis testibus vocatis et rogatis.

Originale in Arch. Univers. Paris., theca V, B. 6. a. Exstat corda sigilli. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 12849, fol. 25. Bibl. S. Genovefae ms. 577 (H. l. 25), saec. xvii. Jourdain, nº 845. — Johannes de Guignicurte, cancellarius Paris., usus praedecessorum, ut ex superioribus et e nº 1555 apparet, secutus est.

1. Petrus de Tureio, antea episc. Malleacens., card. ab an. 1385, Jul. 12. — 2. Robertus Cardon. — 3. Orig. . « quidquit ».

1551. *Clemens VII committit episcopo Vivariensi, ut inquirat de virtutibus et miraculis Petri de Luxembourg card. ad instantiam Univers. Paris., in qua Petrus olim studuit.*

1389, Septembris 4, Avenione.

Dilecto filio Guillelmo electo Vivariensi[1] salutem, etc. Nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustris et dilectorum filiorum decani[2] et capituli ecclesie Parisiensis, necnon rectoris[3] et Universitatis magistrorum et scolarium Parisius studentium[4] proposito in consistorio coram nobis, quod recolende memorie Petrus de Lucemburgo[5] Sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis a teneris annis petram Christum studuerat imitari, exterius candore niveo renitescens per carnis angelicam puritatem, et interius rubore aureo incalescens per divini amoris ardentissimam caritatem, quodque ad ejus tumulum variis detenti languoribus receperant et recipiebant sanitatem, ac alias ipsum divina clemencia multis et magnis miraculis clarificare non cessabat, ac humiliter supplicato ut ad canonizationem dicti Petri procedere dignaremur : nos venerabili fratri Petro episcopo Sabinensi[6] et dilectis filiis nostris Amelio[7] tit. S. Eusebii presbytero,

et Guillelmo S. Angeli diacono[8] cardinalibus[9] nostris litteris dedimus in mandatis, ut ipsi aut duo eorum de vita et conversacione dicti Petri ac hujusmodi miraculis ceterisque circumstanciis hujusmodi negocium concernentibus inquirerent diligencius veritatem, et que super premissis invenirent, fideliter in scriptis redigi facerent et nobis referre curarent, et si personaliter circa examinacionem testium, quos in eodem negocio produci contingeret, vacare commode non possent, voluimus quod examinationem hujusmodi eciam extra Rom. cur. faciendam venerabilibus fratribus nostris Johanni Glandatens. et Geraldo Aptens. episcopis ac locorum diocesanis committere valerent, prout in dictis litteris plenius continetur.... Dat. Avinione ij non. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Reg. Vat. Aven. Clem. VII, vol LV, *Divers. form.*, quat. 9. Ibid. (in fine quat. 11) sub eadem temporis nota exstat ad eumdem epistola propter corpus Petri, « in cimiterio S. Michaelis civitatis Avinion. sepultum ».Vid. *Gall. christ.*, III, 1243.

1. Guillelmus de Ligni, qui prius fuit abbas monasterii S. Nicasii O. S. Ben. Remens. (Arch. Vat. Oblig. vol. XLIX, fol. 58 b), an. 1388, Dec. 23. factus est episc. Vivariens. (Reg. Aven. Clem. VII, vol. LII, fol. 251). In *Gall. christ.*, XVI, 578, hic plures errores afferuntur. Sic praedecessor Guillelmi (qui ibid. ad an. 1390 sine abbatis titulo ponitur) non fuit Johannes nec Pileus, sed Oliverius, dec. eccl. Aeduens., et quidem ab an. 1385, Aug. 16 (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXXVI, f. 56), qui jam an 1387, Febr. 4, ut episc. Cabilon. juramentum praestare jussus est (Reg. Vat. Clem. VII, nº 298, fol. 11). — 2. Petri de Paciaco, de quo jam pluries. — 3. Johannis Caverii, rectoris 23 Junii-10 Octobris. — 4. Universitas Paris. jam an. superiori 1388 (Bul., IV, 670, perperam ad an. 1389, et sic Jourdain, nº 861), Decemb. 18, ad summum pontificem et diversos cardinales scripsit epistolas, petens ut inquireretur de vita et meritis Petri de Lucemburgo (ap. Bul , l. c.). Petrus de Ailliaco, an. 1389, in consistorio publico coram Clemente duas collationes tenuit pro canonizatione ejusdem Petri (Bibl. Cameracens., ms. 490 (531), fol. 191 b; 198 b, e quo Bul., IV, 651-669). — 5. Cardinalis ab an. 1384, April. 15, de quo supra nº 1513, p. 389, not. 5. — 6. Petro de Sortenaco, de quo jam supra. — 7. Amelio de Lautreco, doctore decret , episc Convenarum, an. 1385, Jul. 12, facto cardinali S. Eusebii. Vid. de ipso Baluze, *Vit. pap. Aven* , I, 1342 sq. — 8. Guillelmo Noelleti, card. ab an. 1371, Jun. 8 (in *Vit.* 1ª Greg. apud Baluze, l. c., p. 427, Jun. 6). — 9. Universitas Paris. in litteris not. 4 citatis alios cardinales proposuit, excepto Petro de Sortenaco.

1552. *Clemens VII Johanni de Guignicurte, cancellario Paris., permittit cancellariam Paris. cum duobus canonicatibus et praebendis Petri de Ailliaco commutare.*

1389, Octobris 7, Avenione.

Dilecto filio Johanni de Guignicurte, canonico Ambianensi, bacallario in theologia, salutem, etc. Apostolice sedis circumspecta benignitas, etc.... Cum itaque nuper tu Parisiensem cancellariam et dilectus filius Petrus de Ailliaco Ambianensis et Meldensis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos tunc temporis obtinebatis, desiderantes illos ex certis causis racionabilibus invicem permutare, per dilectos filios Petrum Plaoul canonicum ecclesie sancti Audomari de Sancto Audomaro Morinens. dioc. tuum, et Johannem Careti perpetuum capellanum in Parisiensi ecclesia predicta ipsius Petri[1], procuratores a nobis specialiter constitutos in manibus venerabilis fratris nostri Egidii[2], episcopi Vaurensis, ex causa permutacionis hujusmodi apud sedem predictam duxeritis libere resignandos, idemque episcopus de speciali mandato nostro facto sibi super hoc oraculo vive vocis resignationes hujusmodi apud sedem admiserit antedictam : nos votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes, canonicatus et prebendas predictos, etiam si disposicioni apostolice specialiter

vel alias generaliter reservati existant, per hujusmodi resignationem vacantes, cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus.... Datum Avinione non. Octobris pontificatus nostri anno undecimo.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. LIII, *De praeb. vacant.*, quat. 4 In eodem modo abbati monasterii Sancti Maglorii[3] Paris. et decano eccl. S. Agricole Avinion. ac officiali Paris. Expedita iij non. Novembris anno xijo. Tradita parti non. Novembris anno xijo

1 Ms. perperam « Johannis ». — 2. De Bellemer, archidiaconi Avenion., juris utr. professoris, episc. ab an. 1383, Octob. 8 (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XXIX, f. 159). — 3. Matthaeus Bruni, ab an. 1387 (in Reg. Aven. Clem. VII, vol. L, an 10, fol. 336 laceratum est) Vid. *Gall. christ.*, VII, 322.

1553. *Clemens VII ad Petrum de Ailliaco, nunc cancellarium Paris., de eodem argumento.*

1389, Octobris 7, Avenione.

Dil. fil. Petro de Ailliaco, cancellario eccl. Paris., mag. in theol., salutem, etc. Apostolice sedis, *etc. ut supra* no 1552, *mutatis mutandis, usque* annuentes, cancellariam predictam, eciam si dignitas et personatus vel officium existat, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, ac ei cura immineat animarum, ac disposicioni apostolice specialiter vel alias generaliter reservata existat, per hujusmodi resignationem vacantem cum omnibus juribus et pertinenciis suis apost. tibi auctoritate conferimus, et de illa eciam providemus[1].... Datum Avinione non. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo. — Exped. vij kal. Novemb. an. XI; trad. [parti] vj kal. Novemb. an. XI.

Reg. Vat. Aven. Clement. VII. vol. LII, *De benef vacant.*, quat. 11 in fine. — Abbas S. Victoris Paris.[2], decanus eccl. S. Petri Avenion. et officialis Aven. exsecutores constituuntur.

1. Eodem an., Aug. 1, canonicatum et praeb. eccl. Paris. recepit (Reg. Av. cit., quat. 9 in fine). — 2. Petrus Ducis, de quo no 1513, p. 389, not. 38.

1554. *« Rotulus facultatis theologie Paris. »*

1389, Octobris 9.

Supplicat sanctitati vestre humiliter et devote vestra filia devotissima facultas theologie, quatenus eidem gratiam specialem facientes in personis magistrorum inferius nominatorum in eadem facultate theologie Parisius actu regentium de beneficiis infrascriptis .... eisdem dignemini misericorditer providere.

Et primo, cum sanctitas vestra in primo sue creationis anno in *primo rotulo* Universitatis Parisiens. eidem sanctitati vestre porrecto et signato Herveo Sulven, presbytero Corisopitens. dioc., mag. in art., et tunc bacallario in facultate theologie, nunc vero mag. actu regenti Parisius in eadem theol. fac., gratiam fecerit specialem de canonicatu sub expectativa prebende cum dignitate, etc., ecclesie Cenomanens., de qua non est sibi provisum[1].

Item magistro Guillelmo Barraut[2], presb. religioso monasterii S. Dyonisii in Francia monacho expresse professo, de beneficio ecclesiastico [non obstante prioratu de Calvomonte, quem paratus est dimittere].

Item Guillelmo de Gardino, presb. Rothomag. dioc., in theol. doctori actu regenti, curato ecclesie paroch. B. Marie de Calidobecco dicte dioc.

Item cum sanctitas vestra Dominico Parvi, Remens. dioc., nunc doctori actu regenti in theologia, in duobus rotulis, videlicet uno *nationis Francie*, et altero *Universitatis*[3] vestre Parisiensis, gratiam fecerit specialem sub data Fundis xv kal. Decembris pontificatus vestri anno primo, de beneficio ecclesiastico. [4]

Fiat pro omnibus. G. — Sine alia lectione. — Fiat. G. — Datum Avinione septimo idus Octobris, anno undecimo.

Reg. Vat. Supplic Clementis VII, an. 11, p. 1, (nº 70), fol. 186. — Alius rotulus ejusdem anni, signatus in curia Novemb. 29, fuit praesentatus ab Egidio de Campis, nuntio Universitatis et mag. in theol. Supplicat pro quatuor solummodo clericis Rotomag dioec. (Reg. Suppl. Clem. VII, an. 12, fol. 13b).

1. Vid. supra p 257. — 2. Cujus pluries infra *De Schismate* mentio fit. An. 1386 (1387), cum esset prior de Calvomonte, licentiatus est e *Catal. licent.* Post an. 1389 factus est prior S. Dionysii. — 3. Supra p. 255.

1555. *Clemens VII prohibet ne quis baccalareus licentiandus Paris., quando recipit signetum, aliquid promittat cancellario Paris.*

1389, Novembris 9, Avenione.

Ad perpetuam rei memoriam. Ad ea libenter intendimus per que inter personas ecclesiasticas et presertim litterarum studio vacantes lites et jurgia evitentur, et ut pax et concordia inter eos proveniant et nutriantur partes nostre solicitudinis adhibemus. Accepimus siquidem quod bacallarii in aliqua facultate studii Parisiens. in ea licentiandi signetum super licentia hujusmodi a cancellario eccl. Paris. pro tempore existente recipere consueverunt, quodque dudum inter dilectos filios rectorem Universitatis magistrorum et scolarium studii predicti ac eosdem Universitatem ex una parte, ac prefatum cancellarium (super eo quod cancellarius a licentiandis hujusmodi pro signetis eorum aliqua munera sibi dari debere, rector vero et Universitas predicti id non esse verum asserebant prout asserunt) ex altera[1], materia questionis exorta, et quod propterea multe dissensiones fuerunt hactenus inter eos suscitate. Nos igitur qui pacem querimus singulorum cupientes dissensiones hujusmodi evitare ac pacem et concordiam inter rectorem, Universitatem et cancellarium predictos perpetuis temporibus observari, motu proprio, non ad alicujus super hoc oblate petitionis instantiam, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore presentium statuimus et etiam ordinamus, quod decetero aliquis bacallarius studii predicti in aliqua facultate licentiandus in receptione signeti ab eodem cancellario aut alias per se vel alium nullatenus det, tradat aut presentet vel se daturum promittat aliquod munus eidem cancellario aut ejus officiariis seu familiaribus quocunque titulo ratione licentie hujusmodi aut loci in ea habendi sive occasione laboris aut quovis alio exquisito colore, sub pena repulsionis ab actibus, honoribus et commodis magistralibus, quam in hoc per dictos Universitatem repertum culpabilem incurrere volumus ipso facto, et quod cancellarius, officiarii et familiares predicti, si contra statutum et ordinationem nostram hujusmodi aliqua receperit aut receperint, triplum receptorum hujusmodi infra unum mensem a tempore receptionis

eorundem Universitati predictis restituere teneantur; et quod quilibet cancellarius in sua prima receptione in cancellarium ecclesie predicte juret coram ad hoc per dictos Universitatem deputato seu deputatis in capitulo ecclesie supradicte servare honorem, pacem et concordiam inter Universitatem predictos ac ipsum et ejus cancellariam, quodque[2] bacallarii predicti in sua licentia obtinenda jurent eidem cancellario servare honorem ac pacem et concordiam inter Universitatem predictos ac ipsum et ejus cancellariam. Non obstantibus quibuscunque statutis.... Datum Avinione v id. Novembris, anno duodecimo.

Orig. in Arch. nat. Paris. L 365, n° 43. Reg. Vat. Aven. Clem. VII, vol. LVII, quat. 12 *Div. form.* — Bibl. nat. Paris. ms. lat. 12847, fol. 10. — In Arch. nat. (n° 44) et Reg. Aven. sub eadem temporis nota mandatum apost. ad episc. Silvanectens.[3] et abbates S. Genovefae[4] et S. Dionysii[5] ut exsecutores, quae epistola sola invenitur in Bibl. S. Genovefae, ms. 577 (cod. H. l. 25 in fol., saec. XVII), e quo Jourdain, n° 857.

1. Praeter nos 1504-1522 vid. num 1550. — 2. Sequentia desunt apud Jourdain. — 3. Johannem Diodona, de quo n° 1310, not. 1. — 4. Johannem Bassemain, de quo supra n° 1527. — 5. Guidonem (de Monceau), elemosinarium monast., et baccalar. in theol., abbatem ab an. 1364 (non 1363), April. 3 (Reg. Aven. Urb. V, vol. VIII, f. 155b).

1556. *Clemens VII adauget proventus cancellariae Paris., Petro de Ailliaco vix in cancellarium recepto.*

1389, Novembris 9, Avenione.

Ad perpetuam rei memoriam. Si dignitates.... Cum itaque sicut accepimus cancellaria eccl. Paris., que ut asseritur dignitas, non tamen major post pontificalem seu officium in eadem ecclesia existit, et que ad decus ejusdem ecclesie et etiam dilectorum filiorum magistrorum et scolarium Universitatis studii Parisiensis ad divini cultus augmentum extitit instituta, adeo paucis redditibus et proventibus dotata existat, quod propter tenuitatem ipsorum cancellarius ejusdem ecclesie cancellariam ipsam pro tempore obtinens de redditibus et proventibus ipsius statum suum et incombentia sibi onera juxta tante dignitatis seu tanti officii exigentiam nequit condecenter supportare : nos igitur super hoc salubriter providere volentes beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie cathedralis non fuerit, cujus fructus, redditus et proventus centum libr. turonens. parv. secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, ad cujuscunque seu quorumcunque collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertinens, si quod in civitate vel diocesi Parisiensi vacat ad presens vel cum vacaverit (quod cancellarius ejusdem ecclesie qui pro tempore fuerit per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam sibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxerit acceptandum), uniendum in perpetuum eidem ecclesie cum omnibus juribus et pertinentiis suis, ita quod idem cancellarius fructus et proventus et obventiones ipsius beneficii percipere et habere ipsosque in suos usus ac in supportationem hujusmodi onerum committere libere et licite valeat, *motu proprio*, non ad ipsius cancellarii vel alterius pro eo super hoc nobis

oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate dispositioni apostolice reservamus, districtius inhibentes.... Datum Avinione v id. Novembris, anno duodecimo.

Reg. Vat. Av. Clementis VII, vol. LVII, *De indult.*, quat. 2. Exsecutores episcopus Meldensis[1], abbas monasterii Sancti Victoris[2] prope muros Parisiens., ac decanus eccl. Sancti Agricolae Avenionens. Missa est epistola an. 1390, Februarii 12. — An. 1392, Octob. 29, Clemens. VII eidem Petro « d'Ailli », elemosinario regis. concedit ut archidiaconatum in eccl Cameracens., cancellariam, thesaurariam capellae regalis, quae dignitas principalis in eadem capella est, ac omnia alia beneficia ecclesiastica insimul retinere valeat (Reg. Aven Clem. VII, vol. LXV, fol. 596 b). Vid. ad hoc supra p. 340

1. Guillelmus Dormans. — 2. Petrus Ducis

Actio Universitatis Paris. contra Praedicatores

Propter doctrinam Johannis de Montesono.

(Continet nos 1557-1583, an. 1387, Maii-1391, Jul. 12)

Aetas ea, ad quam pervenimus, Ordini Praedicatorum Parisiis docentium funestissima fuit, funestior etiam aetate Guillelmi de S. Amore, saeculo XIII. Novus magister quidam ex Aragonia Ord Praedic., nomine Johannes de Montesono (de quo jam supra no 1408), in suis vesperiis primaque lectione magistrali an. 1387 pronuntiaverat quatuordecim sententias, quae Universitati Paris. jure displicuerunt. Inter quas quatuor. in prima lectione magistrali pronuntiatae, pertinebant ad Conceptionem beatae Mariae Virginis. Immo de illa conceptione Joh. de Montesono errores similes promulgavit erroribus quos emiserant, ante 25 annos, duo fratres ejusdem Ord. (vid. num 1272). Prosequente lite, de quatuor propositionibus praesertim agebatur.

Si Johannes de Montesono ejusque fautores in Ordine tantum professi essent beatam Virginem conceptam esse in peccato originali, tunc propositio indemnis abiisset (vid. no 1557, *Relatio historiae*), cum alii aequales et antecessores idem sustinuerint, et tunc temporis non fuerit illud de articulis fidei, ut induceret quemquam ad unam partem magis quam ad aliam declinare. At Johannes et quidam asseclae asseruerunt enuntiationem « beatam Virginem esse conceptam sine peccato originali » esse expresse contra fidem, quod idem est ac dicere « qui credit, beatam Virginem esse conceptam sine peccato originali, errat in fide, et peccat mortaliter. » Ea temeraria sententia offendebat majorem partem Universitatis in qua jam festum Conceptionis celebrabatur (vid. num 1456 et *Auctar. Chartul.*, I. p. 481, 21) et opinionem multorum Christi fidelium. Itaque Universitas et episcopus Paris. in eam invehi debuerunt.

Quod si Johannes de Montesono propositiones suas monitione praemissa revocasset, quaestio fuisset finita. At contra se purgabat arroganter, posteaque aufugit provocatis ad se adjuvandum Ordinis superioribus. In Ordine jam plures contra sententiam episcopi Universitatisque eum defenderunt, negantes insuper auctoritatem episcopi Paris. et Universitatis Paris., seu potius facultatis theologiae (quae tunc temporis magis quam antea se credebat supremum tribunal ecclesiae in materia fidei et morum, — vid. nos 1557, 1572) duce Johanne de Montesono, qui, Petro de Alliaco affirmante (in *Tractatu Univers.* apud d'Argentré, *Coll. jud.*, I², p. 82), in sua appellatione ad summum pontificem asseruit, « quod solius sedis apostolice est declarare, damnare et reprobare, et quod episcopus Paris. apponens falcem in messem summi pontificis dictas (14) conclusiones pronuntiavit et decrevit falsas, hereticas et erroneas ». Johannes de Montesono ejusque asseclae praeterea opinati sunt inter alia Nominalismum tunc in Universitate dominantem cum S. Thoma a se oppugnandum (vid. Petrum de Ailliaco, l. c , p. 82 sqq.). Abruptio nunc inevitabilis inter Universitatem et Ord. Praed. erat. Universitas in causam vocavit omnia ea quae aliqui Dominicani a multis annis praedicaverant et quae hucusque ignorare se simulaverat taciteque toleraverat. Immo rex Franciae illi causae se admiscuit, rogans capi nocentes, quos ad revocationem Universitas coegit. Itaque usque ad an. 1390 vel 1391 de Dominicanis in Universitatem recipiendis agi non poterat, ut taceamus conventum Ord Praed. Paris. propter eamdem causam tunc viduatum fuisse. Cum superioribus Ordinis, in eam rem implicatis, tractavit Universitas an 1390; sed mortuo magistro generali concordia tardata est. Anno 1391 Clemens VII ipse causam ad suam auditionem vocavit, at non ad finem perduxit Tunc enim superiores Ord. Praed. (vid. infra p 496, not. 8) adhuc renuebant juramentum imponi suis ad gradus scholasticos Parisiis admittendis, quod condemnatio 14 propositionum ab eis inviolata servaretur; et verisimiliter decreto Universitatis submitti recusabant, quo in omnibus actis Universitatis essent ultimi (vid. num 1568). Clemente VII, cujus auctoritas apud Univ. Paris. in postremo pontificatus tempore valde minuta erat, an. 1394 defuncto, causa tunc in curia Avenionensi pendens manebat, cum Universitas a Benedicto XIII, qui jam an. 1393 ut legatus in Francia ad unionem inter Universitatem et Praedicatores anhelabat, mox cessionem postulasset, annoque 1398 ei obedientiam subtraxisset. Et sic usque ad an. 1403, quo anno Universitas Paris. Benedicto obedientiam restituit et plures exclusos ad

Universitatem revocavit (vid. *Auctar. Chartul.*, I), Dominicani extra Universitatem remanserunt, deplorante Gersone talem separationem, quae ipso teste (*Opp.*, I, 112) in damnum Universitatis redundavit.

1557. *Narratio de Johanne de Montesono; Oratio Rudolphi Glachardi, decani fac. theol., in congregatione fac. theol.; Praeambula condemnationis.*

1387, Maii-Junii, Parisiis.

Relatio historiae e Bibl. nat. Paris., ms. lat. 15107, fol. 196-201. Ibi quidam amicus Petri de Ailliaco narrat, Johannem de Montesono fuisse virum corpulentioris staturae. Theologici doctoratus cathedram vehementer ambiebat; « sed literis suis parum fisus secum papales adnexerat (vid. supra nº 1408), quarum importuna tandem intercessione in theologia licentiam adeptus est Crede michi, aliquid mali affert *bullata* hec *licentia!* » (vid. *Introd.* ad tom. II, p. VII). In suis *vesperiis* « tanta doctrine barbaries, tam confusus et insanus sermo, ut humane mentis illum esse vix credideris ». Affert deinde scriptor prolatam a Johanne ibidem sententiam de essentia animae Christi, quae infra p. 493 est quinta suppositio post 4^tam^ propositionem. Johannes de Montesono suum errorem doctrina S. Thomae fulciebatur · « Hic, inquit, essentiam anime racionalis et ejus potentias quasi sibi affixas condistinguens (intelligere dat prudentibus) easdem Dei omnipotentia separari posse » affirmat. *etc.*

« Elapsi sunt non multi dies, cum ambita magistratus insignia licentiatus noster sumpsit ». Diem statuit, qua quaestionem, « quam de *Resumpta* scolastici nuncupant » determinaturus esset. « Quo die, ut mos se habet, mane legens.... auditores monuit, ne hora debita venire pigritarent doctrinam novam placentemque acceptari.... Omnes accurrite, jam *mons parturiet, sed nascetur ridiculus mus* » (Horat., *Art. poet.*, 139). Scriptor, qui narrat historiam, affert deinde propositiones male sonantes ibidem a Johanne de Montesono prolatas, inter alias illas de Conceptione b. Mariae, ad quas juste notat relator : « Omnium hic fidelium causa agitur, et eorum qui originalem labem pia credulitate adimunt Marie, et illorum qui aliunde moti sibi eandem ascribunt, linquunt tamen cum ecclesia quod cuique libuerit opinandi licentiam ». Post lectionem Johannes « erigit se in pedes et pulpitum pectore preveniens ad auditores convertitur.... *Hic*, inquit, *hic legitur vobis ista doctrina,* quasi aut melior aut sanior nusquam esset. Ubi autem forte vidit assistentium quosdam .... pre gaudio gestire. .., stupere vero alios et alterum in alterius oculos figere clanculo, et ad aurem susurrare alios .... *Non dubitetis*, inquit, *bene ista sustinebo,* rursumque illa repetit, *namque hec non sine magno consilio posita sunt, nec me tantum movit ad hoc propria, quam majorum tocius Ordinis injunctio auctoritasque, cui etsi contraire velim, non liceat* ».

Johannes laudatores paucos invenit, « culpantium numerus major fuit. In ipso scole ingressu scholares in varias se scindunt partes »; aliqui accusabant totum Ordinem; aliqui majores Conventus Paris., imprimis Johannem Thomae, mag. in theol.; aliqui totam culpam in Johannem de Montesono transferebant. « Res, eo ordine quo gesta erat, ad decanum theol. facultatis, extreme senectutis virum, allata est. Ceterum non parvam noctis illius partem apud omnes pene scolasticorum domos consumpsit hec narratio, fuitque tot capitum una sententia, inconsultissime id actum esse ».

Postero die accersitis et una congregatis magistris facultatis theologie, ipse decanus[1] orationem hujuscemodi habuit :

« Compertum habeo, doctores ortodoxi, nichil vos ita curare ut fidei salutem, nec pati vos absonum quidquam nec irreligiosum in eam dici. Et ita majores nostros accepi facere solitos, quibus sola hec sollicitudo erat, codices sacros legere, habere mentem ab omni terrenarum curarum pulvere abstersissimam, quid veritatis, quidve erroris jugiter indagare. Hoc eis studium, ista professio. Hinc illa eis paupertas et omnium (que sola nunc in pretio sunt) bonorum carentia, eo quod talia aut non curarent, aut contempnerent, aut malis artibus adipisci non studerent, vel quia apud multos ut fidei, sic defensorum suorum amor jam olim refriguit, digni certa illis quibus se videndam veritas exhiberet. Tantam vero in fidei tractamine auctoritatem obinde adepti sunt, ut ipsis inconsultis ageretur nichil. Possem, si indoctis michi sermo esset, id ultimum exemplis credibilius efficere. Etenim michi plura videre vetustas[2] dedit, per quam non ut corporis, sic anime vis emarcuit tota, quamquam Maronis[3] dictum sit, falsum ut puto : « Omnia fert etas, animum quoque ». Pretereo tempora Johannis pape XXII. Ecce nostra etate vir omnium attestatione

sanctissimus Urbanus papa quintus, qui fratrem Johannem Foulechat[4] cordigerum, cum ab hac facultate condempnatus ad eum appellasset, post multa ad eandem remisit, coegitque ipsius subire judicium, dicens, ut fertur, [se] *nescire ubi melius usquam cognitio catholice veritatis haberetur*. Porro apud Johannem de Craonna, Remensem archiepiscopum, tanta fuit hujus facultatis opinio atque reverencia ut errores cujusdam fratris Nicholai de Espernaco, Ordinis Jacobitarum, non nisi ex ipsius facultatis consilio dampnaverit, et ut dictatum ab ea erat, fratrem illum compulit retractare, ei Remensis diocesis habitationem perpetuo interdicens. Non loquor [quantum ad] Paris. episcopos, qui in articulorum ac hereticorum dampnatione eorum[5] semper usi sunt auctoritate, nam omnes ferme in arduis ita fecisse ubilibet video. Et exinde parta est illa percelebris *fama, que in hac alma facultate tanquam* IN SEDE SUA *catholicam veritatem reponit*, *nec ab ea umquam avelli potuisse commendat*[6]. Maxima enim opera apud majores nostros erat exhibere, ne hereses, sive serio, sive joco, dogmatisarentur; aiebant enim, in fide jocum nullum cadere et in re nulla periculosiorem esse errandi licentiam. Quamobrem corrigere male dicta, si eorum spreta esset monitio, compellebant.

« Sed ne videar in vobis notissimis vicio senectutis multiloquio laborare, patres catholici, res talis est. Hesterno vespere optimi quidam juvenes ad me accesserunt[7], tristes profecto nuncii, et non aliter moti animo, quam si graves injurias perpessi essent, qui vix tandem verbis, indignatione plenis, quod in mente erat quodque audierant explicant, et abscedunt. Id ipsum autem ad vos deferendum censui, nec michi quisquam inde molestus sit, quia officium illud meum esse voluistis, patres ortodoxi, et doctrinam, non actorem[8], qui michi certe ignotus est, accuso. Quamvis quid timere habeam, cui nil deterius eripi potest, quam vite tedium atque sacietas? Opponere enim michi licet cum Marco Castricio gladiis multis multos annos[9], et cum Solone, vincere tirannicum timorem senectute[10]. Referam igitur quod ad me delatum est : vos judicate, et antecessores vestros quemadmodum in studiis, sic in moribus imitemini. »

Hiis dictis cedulas quasdam protulit et eas legere incipiens, non bene duas propositiones expresserat, dum ille talium assertor[11] assurgens (ibidem enim aderat) : « Non, inquit, non opportet me silere[12]; ego sum qui hec dixi. Non oportebat tam longum sermonem habere; iste propositiones ab hoc capite processerunt », frontemque simul tetigit hoc dicendo. Hec vox in se omnium oculos vertit, induxitque stuporem viri hujus temeritas; nec tulit decanus quin illa judicio suo male dicta [sua] esse assereret. Sed alterius presto fuit responsio : « Non dubitetis, inquit, ego bene sustinebo ista », adjecitque eadem pene verba que prius in scolis habuerat, ultra admonens magistros, cautos fore et bene cavere quid agerent, quoniam Ordo vel eorum domus destructioni proximior erat, quam ipse revocationi. Preceptum isti est ut codicem suum in quo hec scripta erant exhiberet; quod libenter se facturum annuit. Jussus insuper tradere ea que in vesperiis suis paulo superius dixerat, ait se jam illa in Arragoniam transmisisse.

Postquam dogmata istius non modo volatili illorum voce, sed ex confessatis ac scriptis suis agnita sunt, habitusque est per alium codex vesperiarum suarum et ab eo approbatus : deputati sunt 6 solemnes magistri ipsius facultatis, qui segregatis ad partem errores illos singulis magistris examinandos tradiderunt, habiteque sunt in scriptis postmodum singulorum singule opiniones; et commissi iterum sex magistri cum predictis sex ex xxviij[13] cedulis (totidem enim magistri erant) unam omnibus concordem cedulam ediderunt, mitiorem quarumlibet opinionum partem excerpentes, fuitque male dogmatizatorum numerus xiiij. Et hiis in agendis occupati sunt menses duo et amplius scribendo, studendo, argumentando, in unum conveniendo, bachalariorum etiam in theologia opiniones recipiendo, hunc[14] monendo atque interrogando, qui magis ac magis se loquendo illaqueabat, addebatque magistris convicia. Denique doctrinam beati Thome, ut fratrum suorum querelis obviaretur, honoratam relinquendo intactamque in tantum, ut gravis jam in eos fama insurgeret, se fidem negligere et nolle malis reniti dogmatibus; opposite attamen partis querimonia fuit, precipitanter, callide[15], odio, invidia, injuria latam fuisse sententiam, nec se audiri potuisse. Tam nichil est a calumpnia alienum!

Posthac cedulam modo qui premissus est confectam facultas theologie per bedellum suum cum notario ad illum misit, secundum cujus tenorem pollicitus est ea que dixerat infra triduum retractare. Sed Judei Messiam, Arturum Britones, illud nos triduum exspectamus. Utrum vero istius ficta fuerit promissio, an voluntaria, seu[16] eam aliena suasio depulerit, incertum est.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 15107 (saec. XIV exeunt.), fol. 201, ubi tamen totus tractatus (ut etiam in *Inventaire*) Johanni Gersonio (charactere posteriori) ascribitur.

1. Radulphus Glachardi. — 2. Ipse erat tunc aetatis 84 annorum, et jam a 36 annis sacrae scripturae doctor. Vid. supra num 1538. — 3. Vergilius, *Buc.*, X, 51. — 4. De quo supra. — 5. Scil. theologorum Paris. — 6. Certe, Radulphus Glachardi facultatem theol. Paris. supra ecclesiam et papam ponit, et hoc coram cœtu theologorum, nullo contradicente. Vid. supra *Introduct.* et infra ad num 1605. — 7. De quo antea in *Introduct.* ad hunc num. — 8. Scil. Johannem de Montesono. — 9. Dictum id Catricii Placentini memorat Valerius Maximus, VI, 2, 10. — 10. Cf. Cic., *Senect.*, § 72. — 11. Johannes de Montesono. — 12. Ms. « celare ». Ista etiam Petrus de Aillaco no 1564 enarrat. — 13. Sic etiam no 1571. Sed in nis 1559 et 1564 dicitur 27. — 14. Johannem de Montesono. — 15. Ms. « cade ». — 16. Ms. potius : « sed », « secundum ».

1558. *Instrumentum eorum quae in capella Sorbonae lite inchoante acta sunt de doctrina Johannis de Montesono.*

1387, Junii 13, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo octogesimo septimo, indictione decima, mensis Junii die decima tertia, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi anno nono, in venerabilium et circumspectorum virorum dominorum et magistrorum Johannis de Guignicurte bachalarii in theologia, cancellarii ecclesie Parisiensis, Gallerani de Pendre[f], Henrici

Herout[1], Petri de Ailliaco, Henrici[2] Ord. fratrum beate Katherine de Valle Scolarium, et Christiani[3] Ord. fratrum Heremitarum, deputatorum ex parte facultatis theologie. ut dicebant, ad infra scripta audienda, necnon fratrum Johannis Thome, Johannis Adam, Johannis Merici[4], Bernardi Bosquerelli, Oliverii de Went[5], magistrorum in theologia Ord. fratrum Predicatorum, ac mei notarii publici, testiumque infrascriptorum ad hec vocatorum specialiter et rogatorum, presentia personaliter constitutus venerabilis et religiosus vir frater Johannes de Montesonno Ordinis predicti fratrum Predic. magister actu regens Parisius in facultate theologie, dixit et exposuit predictis deputatis, ac etiam requisivit, quod cum ipsi essent deputati ex parte dicte facultatis theologie, ut asserebat. ad disputandum cum dicto magistro de Montesonno, de et super quibusdam conclusionibus et propositionibus dictis et propositis in sua *resumpta*[6], que, ut dicebatur, male sonabant; quod dictos magistros superius nominatos de Ordine Predicatorum dicti domini deputati permitterent esse presentes in dicta disputatione, ut testificari possent de rationibus et responsionibus faciendis; qui magistri promittebant se juraturos nihil dicere in dicta disputatione, nisi solummodo audire; si vero nollent dictos magistros permittere interesse, saltem permitterent aliquos studentes de suo Ordine interesse, qui in dicta disputatione possent modo consimili esse testes; si vero nec hoc nec illud eis placeret, vellent rationes suas scribere, et dictus magister Johannes de Montesonno suas solutiones volebat subscribere, ut de rationibus et solutionibus prefati magistri dicte facultatis possent melius judicare.

Prefatus vero magister Johannes de Montesono, tenens in suis manibus quasdam litteras signo publici notarii non signatas, sigillo domini Stephani, olim Parisiensis episcopi[7], necnon *Vidimus* ejusdem littere sigillo domini Guillelmi[8], olim Parisiensis episcopi, eorum sigillis sigillatas, ut prima facie apparebat; predictasque literas presentavit, dictis dominis deputatis intimavit et ad eorum notitiam deduxit. Qui quidem magister Galleranus prenominatus, nomine sepedicte facultatis petiit lecturam et copiam dictarum literarum, quam sibi obtuli fieri[9]. Voluit etiam et petiit dictus magister Galleranus, quod fieret[10] collatio codicis sui originalis cum copia illius codicis sue resumpte, et remaneret facultati copia ejusdem codicis, quia ipse frater Johannes tradere nolebat originale. Dixit insuper dictus magister Galleranus, quod non arguerent dicti domini deputati contra dictum fratrem Johannem in presentia magistrorum sui Ordinis, nisi prius consulta super hoc facultate. Postmodum vero dictus dominus cancellarius dixit quod sibi placebat, quod suis disputationibus totus mundus presens adesset, et quod semper volebat facere secundum ordinationem dicte facultatis. Prefatus vero magister Petrus de Ailliaco protestatus fuit, quod de dicto facto se non intromittebat, aut intromittere nec arguere volebat, nec umquam fuerat deputatus ad disputandum contra sepedictum fr. Johannem de Montesono. Simili modo responderunt magistri Henricus Herout, Henricus et Christianus prenominati, De et super quibus omnibus, *etc.*

Acta fuerunt hec in capella collegii de Sorbona Parisius, sub anno, indictione, mense,

die et pontificatu predictis, presentibus ad hec religiosis viris fratribus Guillelmo de Dalton, Johanne de Condomio, Stephano de Morana, Alfonso Pelagii, Johanne de Maine, Ord. frat. Pred., necnon dominis de Gnezenocio et Yvone Gueri, presb. Corisopitens. dioc., testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Coustelli, Remens. dioc. cler., publicus apost. et imperiali auctoritate ac venerande Universitatis studii Paris. notarius juratus, *etc.*

J. Coustelli.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67[b], n° 49. — Quétif-Echard, *Script.*, I, 691. D'Argentré, *Coll. jud.*, I², p. 61.

1. Clare sic in orig. — 2. De Tremonia. In msstis semper de « Cremona », « Cremonia », ut supra p. 396. Sed in *Auctar. Chartul.*, I, ad an. 1395, Novemb. 19, annotavimus, Henricum Alemannum fuisse, proindeque scribendum « Tremonia ». — 3. De Altarippa. Vid. n° 1445. — 4. Sic clare in orig. — 5. De omnibus istis jam in superioribus. — 6. Quando faciebat primam lectionem magistralem. Vid. de resumpta *Chartul.*, II, p. 694. — 7. Anni 1325, Febr. 14, de doctrina S. Thomae. Vid. *Chartul.*, II, n° 838. — 8. Episcopi Paris. ab an. 1332, Aug. 13 — 9. An. eodem 1387, Julii 3, notarius Johannes Coustelli transsumptum harum litterarum fecit, quod vide apud D'Argentré, *Coll. jud.*, I, p. 224. — 10. Abhinc usque « Galleranus, quod » om. Quétif et D'Argentré.

1559. *Schedula facultatis theolog. Paris., continens 14 propositiones a Johanne de Montesono prolatas et ab ipso revocandas, exhibita episc. Paris., qui in assertores earumdem sententiam excommunicationis promulgavit.*

1387, Julii 6, Augusti 23, Parisiis.

Anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, die sexta mensis Julii, post primam Sancti Jacobi, venerabiles viri et discreti decanus[1] et facultas theologie Parisiens. solemniter congregati apud Sanctum Maturinum super declaratione quarumdam propositionum dictarum a magistro Johanne de Montesono, magistro in theologia, Ord. fratrum Predicat., diffinierunt et declaraverunt, quantum in eis est, propositiones ipsius inferius annotatas fore publice denunciandas in scolis et sermonibus sub forma inferius contenta, in casu quo dictus magister nollet parere mandatis ejusdem facultatis. Salva in omnibus reverentia sancti Thome necnon doctrine sue, dicit facultas theologie, quod propter dicta ejus non sunt asserende aut publice dogmatizande propositiones, quas magister Johannes de Montesono, Ord. frat. Predicat., in suis *vesperiis* et in sua questione de *resumpta* tenuit et asseruit, attenta illa regula beati Augustini, quam ponit in quarto libro *de Doctrina christiana,* [cap. 22], ubi loquens de antiquis doctoribus respectu posteriorum, ita dicit : « Sic quippe illi loquti sunt, ut posteriores, qui eos recte intelligerent et exponerent, alteram gratiam, disparem quidem, verumtamen subservientem in ecclesia reperirent. Non igitur eorum expositores ita loqui debent, tanquam se et ipsos (*sic*) exponendos simili auctoritate proponant, sed in omnibus sermonibus suis primitus et maxime, ut intelligantur, elaborent ea quantum possunt perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit qui non intelligit, aut in rerum, quas explicare atque ostendere voluerimus, difficultate atque subtilitate, non in nostra loquutione si[t] causa, quominus tardiusve, quod dici[m]us, possit intelligi. »

Attento insuper quod dictis Augustini doctoris eximii aut alterius inferioris doctoris non est sic a posterioribus adherendum, ut fas sit ea omnia in forma propria sine expositione doctrinaliter affirmare, dicente eodem Augustino [*De anima*] *ad Vincentium,* lib. 2, [cap. 23] : « Negare, inquit, non possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis nostris libris, que possunt justo judicio et nulla temeritate culpari. » Et idem in *epistola* octava *ad Hieronymum :* « Ego solum illorum librorum scriptoribus, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere. » Et post pauca : « Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, quantave doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia michi vel per illos auctores canonicos probabili ratione, quod a vero non aberrent, persuadere potuerunt. » Quare sobrie in materia theologica et cum omni humilitate loqui debemus plus quam antiqui patres, ne pias aures simplicium offendamus, teste eodem Augustino, decimo, *de Civitate Dei,* cap. XXIII : « Lib[e]ris, inquit, verbis loquuntur philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt; nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia de hiis, que rebus significantur, impiam gignat opinionem. »

Attento etiam quod S. Thomas in tractatu suo *Contra errores Grecorum* dicit in principio : « Si qua in dictis antiquorum doctorum inveniuntur, que cum tanta cautela non dicantur, quanta a modernis servatur, non sunt contempnenda nec obicienda; sed nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reverenter. » Hec ille. Et idem S. Thomas in tractatu *de Concordia quorundam dictorum suorum*[2], qui incipit : *Pertransibunt multi et multiplex erit scientia,* in fine prologi sui [cap. 1] supplicat scriptorum suorum lectoribus, ita dicens : « Si quis aliquid invenerit a nobis non concordatum, si non [*leg.* ei] sit manifesta causa di[s]cendi, ex qua secundum Hilarium accipienda est intelligentia dictorum, discretiorem et magis exercitatum consulat; si vero non fuerit inventum, quomodo, utrumque simul stare possit, id illorum eligat, quod magis consonum veritati judicaverit. Alterum vero nos ipsi revocaveramus, [si] talis discordia nobis occurreret. » Et Augustinus libro secundo *contra Cresconium grammaticum Donatistam,* [cap. 40] : « Ego, inquit, literas Cypriani non ut canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero, et quod in eis divinarum scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. » Et infra [in eod. cap.] : « Viri hujus laudem assequi non valeo, ejus multis litteris mea scripta non comparo, ejus ingenium diligo, ejus ore delector, ejus caritatem miror, ejus martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit non accipio, quia ecclesia non accipit, pro qua sanguinem fudit. » Et idem Augustinus libro primo *super Genesim ad litteram* versus finem [cap. 37] : « In rebus, inquit, obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si qua etiam divina scripta legerimus, que possint salva fide, qua imbuimur, alias et alias parere sententias, in nullam earum nos ita precipiti affirmatione proiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverint corruamus, non pro sententia

divinarum scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus esse scripturarum, que nostra est; cum potius eam, que scripturarum est, nostram esse velle debeamus. Ponamus, inquit [cap. 38], in eo quod scriptum est : Dicit Deus lux et facta est lux, alium sensisse lucem spiritualem, alium corporalem factam. Esse lucem [spiritualem] in creatura spirituali, fides nostra non dubitat; esse autem lucem corporalem celestem, aut etiam supra celum, vel ante celum, cui succedere nox potuerit, tamdiu non est contra fidem, donec certissima veritate refellatur. Quod si factum fuerit, non hoc habebat scriptura divina, sed hoc senserat humana ignorantia. » Hec Augustinus ibidem.

Attento etiam quod Augustinus, Gregorius, Jeronimus, Origenes, Hylarius, Cyprianus, Beda, Hugo et Richardus de S. Victore ac Magister Sententiarum, necnon multi, ymmo quamplurimi alii famosi ac notabiles doctores tam Universitatis hujus Parisiensis, quam aliarum Universitatum nonnulla in scriptis suis reliquerunt, que nec ipsi viventes retractaverunt, nec postmodum super hoc auctoritatem habentes dampnaverunt, que tamen communis scola theologorum non admittit dogmatizanda, asserenda vel affirmanda propter malum sensum, quem generare possent in animis auditorum. Attentis etiam deliberationibus viginti septem magistrorum in theologia super hac materia mature habitis : hiis omnibus diligenter attentis, salva reverentia S. Thome, quem credimus verisimiliter bonum habuisse sensum, dicimus propositiones magistri Johannis supradicti inferius annotatas sub forma ibidem contenta et expressa fore publice revocandas in scolis, ubi eas dixit.

Prima[3] *proposicio :* Major est unio ypostatica in Christo, quam unio trium personarum in essentia increata.

Istam dixit se dixisse recitative, nichil asserendo.

Secunda proposicio : Possibile est esse aliquam puram creaturam, que in puris naturalibus ita posset sibi et homini mereri, sicut anima Christi, concurrente habituali gratia. Non est tamen aliqua possibilis, que tam convenienter, congruenter et sufficienter hominem posset redimere et salvare, sicut Christus.

Revocanda est tanquam falsa, male sonans et erronea ad intellectum probacionis sue, videlicet de gratia anime Christi, quoad primam partem ejus.

Tertia proposicio : Aliqua pura creatura racionalis potest in suis puris naturalibus Dei essentiam beatifice intueri.

Revocanda est tanquam falsa, alias Parisius condampnata, et tanquam erronea in fide, maxime ad intellectum probacionis sue, videlicet de gracia anime Christi.

Quarta proposicio : Aliqua pura creatura est possibilis, perfectior Christi anima in merendo, puta gracia anime Christi.

Revocanda est tanquam falsa, erronea, absurda in theologia et philosophia, et theologice doctrine irrisiva. *Quinta supposicio*, quam assumit dictus magister ad probacionem sue secunde proposicionis, cum suis correlariis, est ista : « Quod essencia anime Christi

transsubstancietur, et gracia ipsius anime [Christi] vices gerat essencie anime Christi quoad omnia, scilicet quoad informare corpus et ipsum vitaliter immutare, et quoad substare accidentibus anime Christi, scilicet intellectui et voluntati, et eas ad suas debitas operaciones inclinare. Item quod talis gracia remanens post transsubstanciacionem, esset creatura racionalis et libera. »

Quinta proposicio : Videtur michi quod talis creatura, si poneretur, esset simpliciter extra genus.

Revocanda est, ut immediate precedens.

Sexta proposicio : Ponere aliquod creatum vel aliqua creata esse simpliciter et absolute neccesse esse, non est in aliquo contra fidem.

Revocanda est tanquam falsa et male sonans in fide secundum modum loquendi communem theologorum, nec est ex dictis S. Thome asserenda in sensu quem reddit, attenta prima proposicione, quam assumit ad declaracionem dicte proposicionis, in qua dicit quod aliqua res creata est simpliciter et absolute neccesse esse, equippollet isti : aliqua res creata impossibile est non esse.

Septima proposicio : Neccesse esse non repugnat esse causatum.

Revocanda est tanquam falsa et erronea in fide, attento primo correlario ejusdem proposicionis cum sua probacione, in qua dicit quod neccesse esse est illud, quod est immutabile tam secundum substanciam, quam secundum accidens, quod soli Deo congruit.

Octava proposicio : Magis est consonum fidei ponere aliquid citra primum esse absolute et simpliciter neccesse esse, quam ponere ipsum sine aliqua addicione esse neccesse esse.

Revocanda est tanquam falsa et erronea propter falsam implicacionem et erroneam comparacionis, que includit, quod aliquam rem creatam esse neccesse esse, est consonum sacre scripture, et per consequens aliquod creatum esset increatum, quod contradiccionem includit.

Nona proposicio : Asserere aliquid fore verum, quod est contra sacram scripturam, est expressissime contra fidem.

Revocanda est tanquam falsa et injuriosa sanctis et doctoribus, si eam intelligat universaliter, prout in probacione ejus videtur pretendere : quia aliquid est contra sacram scripturam, quamvis hoc non sit evidens, et illud asserere, non est expressissime contra fidem, patet, quia altera istarum duarum proposicionum, « Deus potest creare suppremam speciem, » et « Deus non potest creare suppremam speciem » est contra sacram scripturam ; et tamen nulla earum est expresse contra fidem. Et ita de multis aliis proposicionibus sibi invicem contradictoriis inter sanctos et doctores disputabilibus et disputatis.

Decima proposicio : Non omnem hominem, preter Christum, contraxisse ab Adam peccatum originale, est expresse contra fidem.

Revocanda est tanquam falsa, scandalosa et piarum aurium offensiva et presumptuose

asserta, non obstante probabilitate questionis, utrum beata Virgo fuerit in peccato originali concepta. Item quia Eva non contraxit peccatum originale ab Adam.

Undecima proposicio : Beatam Mariam Virginem et Dei genitricem non contraxisse peccatum originale, est expresse contra fidem.

Revocanda est tanquam falsa, scandalosa, presumptuose asserta et piarum aurium offensiva.

Duodecima : Tantum est contra sacram scripturam, unum hominem esse exemptum a peccato originali preter Christum, sicut si decem homines de facto ponerentur exempti.

Revocanda est tanquam falsa, scandalosa, presumptuose asserta et piarum aurium offensiva.

Tertiadecima proposicio : Magis est expressum contra sacram scripturam, beatam Virginem non esse conceptam in peccato originali, quam asserere ipsam fuisse simul beatam et viatricem ab instanti sue concepcionis vel sanctificacionis.

Et postquam probavit correlarium, dixit quod pari modo videretur posse dici, quod magis est expressum, etc., quam ipsam fuisse unitam ypostatice.

Revocanda est tanquam falsa, scandalosa, presumptuose asserta et piarum aurium offensiva, sicut precedentes.

Quartadecima proposicio : In exposicione sacre scripture, sive determinando per ecclesiam, sive declarando per doctores, sive excipiendo per quemcumque, de scriptura sacra, et non aliunde, trahenda est determinacio, declaracio sive excepcio, sicut in grammatica, que regulas ponit in eadem, excepcio reperitur.

Revocanda est tanquam falsa et erronea, si intelligatur, quod exposicio vel excepcio sit trahenda expresse et explicite ex scriptura sacra, et non aliunde, prout videtur pretendere. Aliter regula non esset ad propositum suum[4], quia multe sunt contra eam instancie, sicut de ista : « Omne, quod in os intrat, per secessum emittitur » [*Matth.*, xv, 17]. « Omnes a maximo usque ad minimum avaricie student » [*Jerem.*, vi, 13]. « Nemo ascendit in celum, nisi qui descendit Filius Dei » [*Joh.*, iii, 13]. « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas non est in nobis » [1 *Joh.*, i, 8]. Preterea, ista regula detrahit determinacionibus et usibus ecclesie catholice, ex revelacione enim seu inspiracione divina, et ex instructione Apostolorum in primitiva ecclesia multe exposiciones sacre scripture sunt tradite. « Sunt autem et alia multa, que fecit Jhesus, que si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros. » Johannis ultimo [xxi, 25][5].

Super quibus proposicionibus sic in forma per Universitatem Parisiensem ad requestam dicte facultatis theologie reverendo in Christo patri episcopo Parisiensi[6], ordinario judici in hac parte, judicialiter exhibitis, factoque super hiis processu, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, die veneris, in [pro]festo beati Bartholomei, vice-

simatercia mensis Augusti, hora prime, in aula episcopali Parisiensi, presentibus reverendo in Christo patre domino Ferrico[7], in sacra pagina professore, episcopo Autissiodorensi, honorabili et circumspecto viro magistro Yvone Helie, Universitatis prefate tunc rectore, et magistro Symone Freron, succentore ecclesie Paris., aliisque quamplurimis, per eumdem reverendum patrem dom. episcopum Parisiens. lata est sentencia in hunc modum :

Habita[8] diligenti et matura deliberacione cum peritis, ordinamus et districte precipiendo mandamus, quatinus nulli decetero presumant predictas proposiciones quatuordecim, aut aliquam ipsarum dogmatizare, publicare, predicare, affirmare aut sustinere, publice vel occulte, alioquin in omnes et singulos rebelles et inobedientes et contra hujusmodi ordinationem nostram venientes ex nunc prout ex tunc, sentenciam excommunicacionis proferimus in hiis scriptis, et ipso facto volumus eosdem ipsam sentenciam excommunicacionis incurrere, necnon auditores earundem prefata sentencia volumus innodari, nisi infra octo dies aut quam cito commode fieri poterit, attenta distancia locorum, a tempore audicionis dogmatizacionem, publicacionem, ut supra, nobis aut officiali nostro revelent et detegant : salva semper in omnibus sancte sedis apostolice ordinacione, reverencia et honore, cujus sentencie absolucionem nobis specialiter reservamus. Et hanc presentem ordinacionem nostram volumus et precipimus publice et solemniter in sermonibus et scolis legi et manifestari. Contra vero personam ipsius magistri Johannis de Montesono, si apprehendi possit, ad arrestacionem et incarceracionem et examinacionem, invocato ad hoc si opus sit auxilio brachii secularis, et alias secundum juris remedia procedemus.

Hoc documentum insertum est instrumento an. 1403, Aug. 21, quo Dominicani restituuntur, in Arch. nat. Paris. M. 67 b, n° 57 (vid. D'Argentré, *Coll. jud.*, I², p. 149).

Hucusque schedula facultatis theol., de qua supra n° 1557 et infra n° 1564, reputabatur documentum apud Baluze, *Vit. pap. Aven.*, II, 991; D'Argentré, l. c., p. 62 (vid. Jourdain, n° 828) sub ejusdem temporis nota editum, quod exstat originaliter in Arch. nat., l. c., n° 50. Sed ibidem prooemium, quod nemo hucusque observabat, in breviorem formam redactum est, demptis Sanctorum et S. Thomae auctoritatibus, quae, ut in instrumento abbreviato notatur, « *in dicte facultatis cedule* judicialiter exibite prohemio continentur ». Igitur breve instrumentum refertur ad facultatis schedulam, quae sola episcopo Paris. praesentata est. — Quantum ad 14 propositiones vid. *Tractatum Universitatis* (de quo n° 1565) et Nat. Alexandrum, *Hist. eccl.* (Paris., 1714), VII, p. 129 sqq.

1. Radulphus Glachardi. — 2. Sed opusculum non est S. Thomae. — 3. Nunc concordat, demptis quibusdam lectionibus variantibus, instrumentum breve usque in finem. Abhinc tantum, sine quocunque prooemio, usque in finem propositionis 14mae, in Bibl. Amplon. Q. 151, fol. 23b (ad an. 1389); Bibl. caes. Vindob., ms. lat. 4384, f. 269, Bulaeus, IV, 620; *Opp.* Gerson., ed. Dupin, I, 693. — 4. Hucusque edd. et mss. in nota 1 allatae. Breve documentum econtra ut supra. — 5. Hic desinit schedula facultatis theologiae. Quae sequuntur postea addita sunt. — 6. Petro d'Orgemont, de quo p. 424, not. 1. — 7. Cassinelli, de quo saepius. — 8. « Hec est sententia, occasione cujus alienatio fratr. Predicat. facta est a nobis », dicitur in instrumento an. 1403, Aug. 21. Sic solum « via quadam indirecta » fratres Praedicatores ab Universitatis consortio segregati sunt, ut notat Gerson in *Epist. sec. ad studentes Collegii Nav.* : « Memoriter teneo cur et qualiter primitus ab Universitatis consortio via quadam indirecta segregati sunt fratres predicti. Statutum enim et conclusum erat, ut omnis gradus et honoris in Universitate expers fieret, quisquis non juraret tenere condemnationem super erroribus predictis ab Universitate prius, dehinc ab episcopo Paris. factam. Distulerunt hoc agere baccalarei e fratribus predictis tunc expediendi, [ex]cusantes se a superioribus suis licentiam ad hujusmodi prestationem juramenti necdum petiisse vel habuisse. Ex hac origine neque gradus, neque cathedram, neque sermones posterius adepti sunt. Audivi tamen, ex post aut omnes aut plurimos eorum ad prefate conditionis adimpletionem presto fuisse » (*Opp.*, I, 112). Non exstat certum aliquod decretum Universitatis Paris., quo Praedicatores ab Universitate excludebantur.

1560. *Litterae rectoris et Universitatis Paris. ad omnes Christi fideles adversus errores et modum agendi Johannis de Montesono.* √

Auctor harum litterarum e dicendi genere facile intelligitur Petrus de Ailliaco. Sicut semper, evomit virus acerbitatis suae, temperamentum nesciens.

1388, Februarii 14, Parisiis.

Universis Christi fidelibus rector et universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium salutem in Domino, et cum Phinees zelum fidei jugiter obtinere. Eorum qui nos antecesserunt herere vestigiis affectantes, et commissum nobis agrum egregio volentes decorare cultu, curandum in primis arbitramur, ut sagaci vigilique opera nocivi evellantur, extirpenturque errorum frutices, vepres et tribuli, ut superexcrescentes quoque aridi atque inutiles, nunc supervacuarum, nunc pestiferarum opinionum rami, veritatis falce rescindantur, quatinus perinde nostro in agro selecta omnium salubrium dogmatum semina fertiliter pullulent, ut insite in eo plante decoros parturiant salubris doctrine flores, uberrimosque veritatis gignant fructus, ut ad extremum odor ejus tanquam odor pleni agri, cui benedixit Dominus, undique se diffundat. Hec professio nostra, hic assiduus labor, hee nostre sunt insompnes vigilie. Sed ecce nobis evenit, quod sub parabola agro suo contigisse summus agricola conqueritur. In nostri namque agri florentissima ac venustissima parte, ubi semen optimum satum erat, inimicus homo, et quod molestius ferendum est, inimicus filius, videlicet frater Johannes de Montesono, Ord. S. Dominici, non veritus est zizanias seminare, nec deformes hispidosque perversissimorum dogmatum presentibus annexorum tribulos inserere formidavit. Tam ceca, tam audax, tamque preceps semper est in malo affectata temeritas, tam omnia contempnens elata inconsultaque presumpcio. Hii errorum frutices ne alcius profundiusque radices agerent, et darent simplicium pedibus offendiculum, decanus singulique theologice facultatis magistri, ut de more habent, obviare curaverunt, et predictum Johannem ad se accersitum primitus secundum evangelicam doctrinam, secrete inter eos et caritative, ut ab erratis resipisceret, monuerunt. Sed comperta ejus pertinacia, qua asserebat, usque ad mortem suas se defensurum conclusiones ex injuncto et non sine magno, ut aiebat, consilio positas, comperta postmodum mendosa ejus illusione, nam illo tunc quo jurejurando pollicitus erat dicta sua ad predicte facultatis arbitrium retractare, minime comparuit : tandem, post examinatam diligenter ac longissimo temporis tractu rei veritatem nedum per seipsos, qui amplius quam triginta erant, sed per suos etiam sufficienciores bachalarios, euvangelico parentes consilio, dixerunt reliquis trium facultatum suppositis, tanquam fratribus suis, quos nichilo magis idem Johannes audire curavit. Quamobrem prenominate facultatis theologice magistri, tribus aliis facultatibus sibi coassumptis et coadjunctis, nunciaverunt ecclesie, reverendo scilicet in Christo patri episcopo Parisiensi, ordinario judici in hac parte. Qui, quam maturo consilio, quam librato judicio, quam multiplici dierum intervallo, quam observatis in omnibus juris cerimoniis, quam miti sentencie moderamine, admonito repetitis vicibus

inquisitore[1] aut ejus vices gerente, ut sibi adjungeretur, eoque aut renuente aut dissimulante, processerit, apud pene omnes Parisiensis diocesis innotuisse putamus, et apud facti nescios scripti super hoc processus id faciliter atque luculenter poterunt indicare. Hec actorum per nos summa est, reliqua attingamus.

Satis superque fuisse debuerat adverse parti mendaciis et perniciosissimis mendaciis nostrum studium replevisse, necnon infracta contumacique cervice ordinarium judicem suum propriamque matrem contemptui habuisse. Sed finem modumque nescit incoata pertinaciter iniquitas. Ecce enim ad appellacionem confugit, et eam que in refugium innocentis cause instituta est, nisus est ad sue punicionis diffugium assumere. Ceterum ad Romanam curiam et ad omnium aures eam incolentium, sicuti fideli relacione didicimus, nunc apertissimis circonsonat mendaciis, nunc clandestinis susurracionibus circonstrepit, nunc[2] conviciis seipso dignissimis in nos nostraque supposita ore spurcissimo debachatur, nunc excusaciones, nunc accusaciones sine veritatis glutino confusas involvit. Et modo invidiam allegat, modo rancorem, modo inconsultam precipitemque judicii sentenciam, jure quidem optimo, ut qui sordidus est, sordescat adhuc. Et si is qui in Deum et sanctam sanctarum matrem ejus temerarius est, in homines reperiatur injurius : quid mirum, quidve stupendum? Nichil quippe insolitum agitur. Antiqua res est, ut veritatis inopes falsitate se contegant, et o utinam conviciator iste noster tam proximus esset veritatis agnicioni, quam longe ab hiis sumus viciis que confingit! Ferimus hec leviter. Scimus equidem nundum adeo facilem contra nos invaluisse credulitatem, ut talia de nobis suspicentur, apud graves presertim et eos qui nos moresque nostros agnoverunt.

Sed opinatur fortassis degener hic viperinusque filius, nos a prosecucione erronee assercionis sue deterrere per hanc appellacionem utique frivolam, perque commissionem quam importunissimis extorsit mendaciis, vigore cujus quoslibet pro libito voluntatis citare sibi, ut intelleximus, concessum est. At vero, si ita sperat, fallitur. Omnia profecto prius passuri sumus incommoda, quam inter nos hereticam sinamus pullulare pravitatem. Quamquam sane id quod in nobis est, peregisse videri possumus et posse videmur, ulteriorem cause decisionem ex summi pontificis officio, nobis aliter non prosequentibus, expectare; nam morem nostrum duntaxat ab antiquissimo jugiter observatum insecuti sumus; proposiciones, judicio quidem nostro liquida ac solida veritate condampnandas, ne apud nos dogmatizentur inhibendo, et subditos juratosque nostros, si quas hujusmodi dixerint, ad retractandum compellendo.

Hiis omnibus accedit, quod non sine magna admiracione nuper audivimus, majores nempe Ordinis S. Dominici (an totus Ordo, nundum scimus) adjuncti sunt huic proprie matris veritatisque contemptori, sub hac tamen protestacione (ne quid de auditis omittamus), quod nonnisi proposiciones veras, aut que beati Thome doctrinam tangere possunt, prosequi intendunt[3]. Qualis sit hec adjunctio et quam cauta, ne eam versutam dixerimus, aliorum sit judicium. Nos autem millesies diximus, et ut videmus non sufficit, qualiter

sancti Thome doctrinam in dicta nostra condempnacione nequaquam reprobamus; sed hunc ejusque fautores, doctrinam ejus ad distortum fideique absonum sensum adaptantes, aut ultra quam fieri debet, contra ejusdem doctoris documentum dilatantes, condampnandos audacter asserimus. Hoc modo adversariis impetimur, hoc modo vim patitur veritatis tuicio.

Quocirca futuris, quantum fas nobis est, periculis salubri remedio obviare cupientes, hanc communem fidei fideliumque omnium quam suscepimus causam in publicum deducendam censuimus, ut quemadmodum omnes tangit, ita communi omnium favore prosequatur; et ut justicia nostra et adversariorum irracionabilis conquestio omnibus innotescat.

Adsit nunc igitur quisquis est fervens fidei zelator, quisquis verus ecclesie filius, quisquis denique pius nostri veritatisque quam tenemus amicus. Appellamus vos inprimis omnes et singulos reverendos in Christo patres in altis ecclesiasticarum dignitatum sedibus constitutos, clerumque totum evocamus. Exibete vos nobis viros favorabiles auxiliatoresque in synodis ac sermonibus aliisque factis publicis, causam nostram justissimam propalate; nullo pacto doctrinam hanc, quam condampnavimus, vanam ac peregrinam divulgari, aut palam vel occulte dogmatizari permittite, ejusmodi assertores aut promulgatores omni via racionabili compescendo : scientes quoniam, secundum Apostolum, sermo talis ut cancer serpit, corrumpuntque bonos mores colloquia prava. Jam venerabilis capituli Parisiensis adjunccio atque favor impensus magnam nobis spem dant afferuntque, quia similiter facient reliquarum ecclesiarum collegia, cause, quam tuemur, cognita dignitate, et ad ita faciendum exhortamur in Domino. Subditos vero juratosque nostros ammonemus, et nichilominus districte requirimus, ut se nobis causeque nostre adjungant, et se adjutores prebeant, quilibet secundum status sui qualitatem : magistri in rescribendo opiniones suas super condampnatis apud nos articulis; ceteri in consulendo, notificando ac revelando quidquid cause nostre fore sciverint opportunum. Omnes ad extremum fideles exhortamur in Domino, ut non adversariorum susurracionibus aures prebeant faciles, ne in erroris precipicium incidant, quin pocius reprobatas per nos proposiciones pro erroneis habeant, nisi fortassis per sedem apostolicam aliter fuerit diffinitum, quod nec speramus nec sperandum fore quovis modo suspicamur. Ad hos fines hec scribimus, ad has conclusiones anhelamus per hec scripta. Valete in eo, cujus causa agitur, Virginis gloriose Filio, et spem fiduciamque nostram, quam de vobis assumimus, frustrari nequaquam permittite. Et quod in universali dicimus, dictum sibi sigillatim quilibet arbitretur. Datum Parisius in nostra congregacione generali, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo septimo, die quartadecima mensis Februarii apud Sanctum Maturinum, hora prime Beate Marie, super hoc specialiter celebrata, appositis nostris ac prefate facultatis theologie sigillis.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67 b, nº 51. Superest sigillum facultat. theol. — Bulaeus, IV, 621 *Opp. Gersonii*, ed. Dupin, I, 694 sqq. D'Argentré, *Coll. jud.*, I², 64, ubi tamen, incuria scriptoris, textus truncatus In edd. (vid. etiam Jourdain, nº 831) initium litterarum perperam « Et cum Phinees zelum » assignatur.

1. Fr. Vitale. Vid. num 1464, not. 1 — 2. Ab hinc usque « Hiis omnibus » desunt apud D'Argentré. — 3. Vid. infra no 1562.

1561. « *Parisiens. Universitas ad appellationem Johannis de Montesono improbandam eminentis scientie viros merito nominandos, Petrum de Alliaco, Egidium de Campis, Johannem de Novavilla*[1], *Ord. S. Bernardi, in s. pagina magistros, necnon et Petrum de Allainvilla*[2], *Ord. S. Ben., doct. in jure can., ad Rom. curiam destinaverat jam Quadragesima transacta.... Tamquam fidei orthodoxe athlete veridici intemerateque gloriose Marie virg. matris Dei zelatores causam ejus fideliter deffensarent, quod peractis pascalibus feriis cum omni obediencia perficere maturarunt.* »

1388, Aprilis.

Chron. du relig. de S. Denys, ed. Bellaguet, I, 512 sq. — Istis quatuor annumerandi sunt Johannes Gerson, in *Epist. sec. ad stud. Collegii Nav.* scribens . « quae (condemnatio) dum defenderetur in Rom. curia, ego ipse, baccalareus cursor tunc existens, cum ceteris precellentissimis atque sapientissimis viris ab Universitate legatis presens interfui » (*Opp.*, ed. Dupin, I, 112); et Petrus Plaoul, mag. in art. et bacc. in theol. (vid. infra Rot. an. 1388, no 1563).

1. Seu de Villanova, ut in *Catal. licent.*, licent. an. 1386 (1387). Fortasse idem ac Johannes de Savigniaco apud Bul., IV, 986. — 2. Seu Agnevilla, ut supra semper scribitur, prior S. Vigoris, et postea abbas S. Eligii. Vid. no 1507.

1562. *Deliberatio Capituli generalis Ord. Praed. in favorem Johannis de Montesono lite pendente inter ipsum et Universitatem Paris.*

1388, circa Maii 17, Rutenis.

Cum sanctissime matri Marie, et nostri Ordinis patrone singularissime et precipue, cultus specialis et reverentia impendenda sit[1]...., ut in tribulatione nostro Ordini imminenti[2] oportunum remedium dignetur misericorditer impetrare, et quam nonnulli sub *Conceptionis* nomine honorare conantur, nos sub nomine vere Innocentie et *Sanctificationis* ipsam potius honoremus : ordinamus quod in honorem B. Marie fiat festum totum duplex *De Sanctificatione* ejusdem Virginis gloriose cum officio de Nativitate ipsius, mutato nomine Nativitatis in nomen Sanctificationis, donec per nostrum Ordinem de officio Sanctificationis aliter sit provisum....

Cum, quia contra nonnullos qui perperam et injuste, ut tenemus, veritatem fidei sacreque scripture ac doctoris nostri eximii sancti Thome Parisius condemnaverunt, Ordo noster habeat in Romana curia necessario litigare, quod non potest congrue facere absque expensis sufficientibus pro hoc ipso; eapropter habita deliberatione super modo hujusmodi necessaria pro expensis hujusmodi conferimus, quod juxta nostrorum conventuum numerum pro summa mille et quinquaginta florenorum equaliter dividendo (que summa plus minusve videtur posse sufficere pro expensis faciendis de proximo et jam factis) quilibet conventus ad sex florenos sit taxandus. Quapropter provincia Hispanie[3] juxta premissa tenebitur solvere centum sexaginta et unum florenos, provincia Tholosana tenebitur ad centum nonaginta duos florenos, provincia Francie ad tercentum sexaginta florenos, provincia Aragonie in centum tredecim florenos, provincia Provincie ad centum sexaginta duos florenos, provincia Lombardie superioris ad quadraginta octo florenos, conventus Friburgensis[4] provincie Theutonice ad septem florenos.

Mandamus igitur omnibus et singulis prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, deffinitoribusque capitulorum provincialium de proximo celebrandorum in singulis provinciis in virtute sancte obedientie et sub pena excommunicationis, quatenus in ipsis capitulis summas pro suis provinciis superius assignatas distribuant, et suam quotam convenientem assignent cuilibet in communi, et fratribus in particulari, taliter de tempore solutionis disponendo, quod totam summam, ad quam superius sua provincia est taxata, mittere possint et de facto mittant ad curiam Romanam tradendam et solvendam procuratoribus institutis vel instituendis in lite predicta, vel illis, seu illi, de quo, vel de quibus dicti procuratores ordinabunt, ad tardius infra duos menses computandos a fine capituli suarum provinciarum....

Fragmenta Capp. general Ord. Praed. (e cod. olim in conv. Barcinon. conservato) ad Ord. Praed. pertinentia. Assignationes baccal. vid. supra nº 1547. — Johannes de Montesono tunc Avenione morabatur, et 3 Augusti aufugit. Vid. infra nº 1567.

1. In ms. spatium plurium linearum. — 2. Propter litem Universitatis Paris. contra Johannem de Montesono, cujus partes tenuit. — 3. Notatu dignum, cum ex hoc appareat, quae provinciae mag. generalis Eliae Raymundi Tolosani, seu potius Clementis VII partes tenuissent. — 4. In Brisgovia. Fratres ejusdem conventus « vero pontifici Clementi juramento astricti erant » (Act. Capit. general. an. 1386), cum ipsa villa Friburgum jam ab an 1380 Clementi VII adhaeserit (vid. Valois. *Le Grand Schisme en Allemagne*, 1893, p. 42). Conventus Ord. Praed. ex praecepto Capituli generalis an. 1386 fratres expulsos de conventu Basileensi, ubi major pars Urbanum VI secuta est, recipere et benevole tractare debuit (Acta Capit. gen.).

1563. « *Rotulus presentatus per nuncios Universitatis Paris.* », *contra Johannem de Montesono ad curiam destinatos.*

1388, Julii 11.

Supplicant sanctitati vestre humiles filii ac devoti oratores vestri nuncii Universitatis Parisiensis *in causa fidei*, quatenus supplicationes inferius contentas dignetur eadem sanctitas ei[s]dem nunciis misericorditer concedere ac cum effectu breviter expedire.

Et primo devoto vestro[1] Petro Playoul, cler. Leodiens. dioc., mag. in art. et bac. in theol., nuntio Universitatis Paris., familiarique continuo conmensali re^mi^ patris domini P[etri] cardinalis Ebredunens.[2], nullum beneficium assecuto, exceptis canonicatu et prebenda eccl. S. Audomari de Sancto Audomaro, Morinens. dioc.

Item motu proprio Johanni Arnaudi de Gersonio, cler. Remens. dioc., mag. in art. et bac. in theol. [de beneficio ad collat. episc. Paris.].

Item Egidio Sansoneti, cler Trecens., mag. in art et stud. in theol.

Item Radulpho Presbyteri, cler. Suessionens. dioc.

Item Petro Sansoneti, cler. Trecens.

Item Ludovico Maugier, presb. Rothomag.

Item Martino Lenguelin, cler. Rothomag. dioc.

Item Johanni Fabri, presb. Rothomag. dioc.

Item Johanni Guelloquet, cler. Rothomag.

Item Symoni Bonifrumenti, cler. Lingonens. dioc., stud. Parisius in jure can.

Item Symoni Petre, presb. Lingonens. dioc.

Item Alano de Alneto, Leonens. dioc.

Item Johanni de Mota, cler. Eduens. dioc.

Item Aymoni Pomerii, presb. Lugdunens. dioc.

Item Johanni Rose, cler. Remens. dioc.
Item Johanni Martini, cler. Turonens. dioc.
Item Johanni Gonnel, cler. Carnotens. dioc.
Item Johanni de Ponte, cler. Cameracensi, bedello nunciorum Universitatis Paris. pro causa fidei ad Romanam curiam destinatorum.
Item Bertrando de Drisic, cler. Trecorens. dioc.
Item Guillermo Copegorge, cler. Nanetens. dioc.
Item Johanni le Guichous, presb. Briocens. dioc.
Item Yvoni Magni, cler. Trecorens. dioc.
Item Johanni Lucdore, cler. Tornacensi, mag. in art. et stud. in jure can. in tertio an. auditionis sue existenti.
Item Johanni Jolineti, presb. Autisiodorens. dioc. [de can. eccl. Nivernens.].

[24]

Fiat pro omnibus. G. — Et quod transeat sine alia lectione. — Fiat. G. — Et remittatur examen ad partes. — Datum Avinione quinto id. Julii, anno decimo.

Reg. Vat. Supplic. Clementis VII, an. 10 (nº 69), fol. 158.

1. Haec formula, in sequentibus a nobis omissa, ante fere quemlibet repetitur. — 2. Petri Amelii, de quo saepius.

1564. *Petrus de Ailliaco in curia Rom. enarrat, qua ex causa et quomodo Universitas Paris. contra Johannem de Montesono processerit, et quid dictus frater egerit.*

1388, Maii-Julii, Avenione.

Prima veritas est, quod anno Domini Mº CCCº octogesimo septimo, ante mensem Julii, dictus fr. Johannes in scolis frat. Predicatorum Parisius publice dogmatisavit 14 propositiones falsas, erroneas et plurimum scandalosas; quarum quinque posuit in suis *vesperiis,* prout patuit ex certis cedulis per eum confessis; alias vero novem posuit in questione de *resumpta,* sicut patuit ex quaterno suo propria manu scripto. Et ibidem multa tunc arroganter asseruit, affirmans etiam quod illa dicebat ex injuncto, nec sine magno consilio, et quod si vellet, etiam silere non posset[1].

2ª est, quod celebrata postmodum congregacione solempni omnium magistrorum in theologia Parisius, inter quos frater iste presens affuit, cum theologice facultatis decanus cepisset quasdam ejus proposiciones, sibi fideliter per scolasticos (qui ex eisdem scandalizati fuerant) scripto tenus exhibitas recitare, vix paucas expresserat, cum dictus frater, qui nundum fuerat nominatus, sui impaciens nec bene sibi imperans, se ad responsionem obtulit, dicens quod non oportebat eum silere; et quod iste conclusiones ab eo processerant, ipsasque usque ad mortem sustineret, iterum repetens, eas non sine magno consilio posuisse.

3ª est, quod ad visitandum predictum quaternum ejus propria manu scriptum, et ex ordinacione dicte facultatis per eum exhibitum, deputati fuerunt sex magistri, tres religiosi et tres seculares; qui, licet post longum examen essent in opinione concordes, tamen suam relacionem super hoc facere noluerunt, nisi darentur iterum alii sex ex parte ejusdem facultatis, qui iterum cum aliis dictum quaternum et quedam alia ejus scripta per ipsum

postea confessata, diligentissime visitaverunt et diligenti visitacione omnia scruptati sunt.

4a est, quod, non obstante predictorum xij magistrorum concordia, ut totum securius et irreprehensibilius ageretur, date fuerunt omnibus magistris et pluribus bachalariis predicte facultatis certe cedule antedictas asserciones continentes, ut quilibet suam super hiis opinionem scriberet[2]; ex quibus cedulis per novos iterum deputatos recollectis, et concordatis xxvij magistrorum tunc presencium ac demum vj superveniencium opinionibus, semper eas in miciorem partem trahendo, *cedula* illa, que dicitur *facultatis theologie*[3], confecta est.

5a est, quod predicta cedula per tot deputatorum consultaciones ac dicte facultatis congregaciones varias sic diligenter examinata, et servata in ea S. Thome et doctrine sue reverencia, prout ex ejus prologo clare patet, ipsa exhibita fuit predicto fratri, ut juxta formam ipsius dictas suas asserciones, que scandalum generaverant, retractaret. Qui ita se facturum intra terciam[4] diem promisit; sed ipse promissum suum in hoc, sicut et in omnibus aliis, violavit[5].

6a est, quod facultas predicta se ab eo spretam percipiens et illusam, premissa dicte Universitati nunciavit, eam in juris subsidium requirens, ut in hac causa sibi adjungeretur supplicando : quod matura prius deliberacione habita concessum est.

7a est, quod postquam Universitas et facultas antedicte quod potuerant et debuerant, quantum in ipsis erat, perfecerant, postea nunciaverunt hec omnia reverendo in Christo patri domino episcopo Parisiensi, judici ordinario in hac parte, et presentata eidem cedula facultatis predicte, sibi prout in similibus casibus fieri solitum est, requirendo supplicaverunt, quatenus super hiis vellet judicialiter procedere.

8a est, quod ad hanc instanciam et requestam dictus Paris. episcopus precepit et precipiendo mandavit, ne predictus frater, qui adhuc Parisius presens erat, ab inde recederet, sed ad certam diem tunc assignatam personaliter compareret, responsurus in aula episcopali et coram dicto episcopo super hiis que obicerentur eidem. Qui sic judicialiter evocatus per se aut per alium nullatenus sufficienter comparuit : ideo pro prima vice contumacie penam incurrit.

9a est, quod, iterum bina vice interposito debito temporis spacio, dictus frater citatus fuit, nec comparuit; et sic tercio contumax reputatus est et excommunicatus.

10a est, quod, licet hiis attentis idem episcopus potuisset contra eum proferre sentenciam, tamen adhuc quarta vice et de superhabundanti prefato reo aliam dietam assignavit; et interim longo temporis intervallo matura deliberacione habita cum peritis et precipue cum theologie et juris canonici doctoribus : tandem in dicto termino, licet multo graviorem potuisset, tamen miciorem protulit sentenciam, ordinando scilicet et precipiendo quod dicte proposiciones xiiij sub excommunicacionis pena non dogmatizarentur aut publicarentur Parisius, et quod contra dictum reum, si apprehendi posset, ulterius, prout juris esset, procederet.

11a est, quod in dicto processu coram dom. episcopo in omnibus semper admonitus fuit inquisitor heretice pravitatis, aut ejus vicesgerens, ut se in hac causa juxta formam juris adjungeret; qui tamen pluries reverenter vocatus comparere aut noluit aut dissimulavit.

12a est, quod tam dicta facultas quam episcopus Paris. predictas ordinacionem suam et sentenciam semper ordinacionis s. sedis apostolice submiserunt et submittunt.

13a est, quod dictus fr. Johannes contra premissas veritates multa notorie falsa alias in consistorio proponendo asseruit, et multa dixit injuriosa contra dictos episcopum et magistros theologice facultatis, et specialiter eos Manicheos et hereticos nominando, quod tamen ipsi in suis ordinacionibus vel sentenciis de eo non dixerant, nec aliquam suarum proposicionum hereticam nominaverant.

14a est, quod in dicto consistorio ipse in dictis suis multipliciter variavit, quia alia et longe aliter, quam Parisius dixerat, ibidem proposuit, et eciam coram dominis commissariis alia exhibuit, quam in consistorio dixerat; et insuper in querela sua vel supplicacione, super qua citacio dictorum episcopi et Universitatis surrepticie impetrata est, multa manifeste posuit et in eis ac specialiter in quadam assercione, que repugnanciam claudit et heresim continet implicitam, suam frivolam appellacionem fundavit....

Ceterum quod ipse de quorundam odio conqueritur, si equo animo consideretur, hoc allegasse pudebit : quomodo enim trium aut paucorum, ut ipse ait, odium tot varias diversorum hominum mentes excecare potuisset, et a recti judicio dismovere? Qualiter tot et tante literature, discretionis ac probitatis viros in unam concordiam adunare? Sunt contra hujus fratris asserciones *multa mil[l]ia* vestre humilis ac devote *Universitatis Parisiensis supposita*[6], inter que plurimi sunt doctores et bachalarii, exercitati et edocti in theologica disciplina; sunt insuper hujus sentencie dictus Parisiensis episcopus cum capitulo ecclesie sue, totusque sue dyocesis clerus et populus; sunt cum eis conventus trium Ordinum mendicancium Parisius, et aliarum plurium dyocesum; sunt postremo in hac concordia plurium civitatum, universitatum, et collegiorum consensus. Et generaliter idipsum pene omnes sentire videntur, ad quos hujus cause notitia propalatur....

E secunda *Propositione facta in Consistorio per Petrum de Allyaco contra Joh. de Montesono* in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 3122, fol. 3b, 4b sq. — Bulaeus, IV, 627, 629; *Opp Gersonii*, ed. Dupin, I, 702, 704 sq.; D'Argentré, *Coll. jud.*, I2, p. 69, 71. — Ista propositio, quae in mto occupat fol. 3b-6b, incipit · « Veritatem meditabitur guttur meum ». Exstat ibid. (ms., fol. 1-3b) prima *Propositio coram papa facta per m. Petrum de Allyaco contra Montesono Ord. fr. Pred.*, quae incipit : « Pater sancte, in nomine tuo serva eos ».

1. Vid. supra no 1557, *Relatio historiae*. — 2. In Universitate Paris. quaestiones litigiosae saepe, per schedulas tractabantur et decidebantur. Gerson affert casum, eamdem personam ponere centum schedas ad opinionem suam, « tamquam diversi posuerint, ut secundum pluralitatem schedarum judicetur » (*Opp.*, ed. Dupin, II, 8; vid. p. 15). — 3. Quae supra no 1559 edita est. — 4. Ms. et edd. : « certam ». Sed vid. num 1557. — 5. Superius dicta concordant cum illis no 1557 relatis. — 6 Bene notandum, Petrum de Ailliaco loqui de « multis millibus suppositis Univers. Paris. ». An. 1394, Febr., schedae, in quibus supposita suam opinionem de cessione pontificum scribebant, « decem mille numerum excedebant » (*Chron. du rel. de S. Denys,* II, 100; vid. infra *De Schismate*). Utique attendenda sunt verba Gersonii in nota 2 allata. Sed pro isto numero

suppositorum etiam numerus magistrorum et doctorum affertur An. 1394 fere quadringenti simul congregati erant (vid. *De Schismate*), licentiatis, baccalareis et scholaribus minime computatis

---

1565. « *Tractatus ex parte Universitatis studii Paris. pro causa fidei contra quemdam fratrem Ord. Praed. editus.* »

An. 1388.

Apostolicis Petri verbis edocti, « parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos racionem de ea, que in nobis est, fide » [1 *Pet.*, III, 15], ad tuitionem ejus quam profitemur orthodoxie, et ut rationabilis quorumdam errorum condemnatio Parisius nuper facta, ac justificatio exorte super hoc cause, et adversantium omnium, quicumque sint, injusta irrationabilisque conquestio, oblocutio atque vexatio singulis innotescat, presentem tractatum sub apostolice Petri sedis et sedentis in ea summi pontificis correctione, duximus compilandum, in quo universis Christi fidelibus, qui ipsum lecturi vel audituri sunt, fideli supplicamus affectu, ut equo animo puraque mentis acie prospiciant universa....

Ad honorem Sancte et individue Trinitatis, cujus fidei causam agimus, presentem tractatum adversus errores fratris Johannis de Montesono, Ordinis frat. Predicatorum, nuper in Parisiensi studio condampnatos, ex deliberacione Universitatis studii Parisiensis, et specialiter doctorum, bachalariorum facultatis theologie compositum, in tria capitula distinguemus.

In primo, ad fundandum processum factum contra dictum fratrem per dictam facultatem theologie, ac etiam processum inde secutum coram domino episcopo Parisiensi, ad instantiam Universitatis predicte, declarabitur qualiter ad dictos episcopum et facultatem theologie pertinet assertiones hereticas, vel in fide erroneas contra asserentes eas Parisius condampnare.

In secundo declarabitur, et tam rationibus quam auctoritatibus sanctorum et doctorum probabitur, quod assertiones dicti fratris per cedulam dicte facultatis dicto domino episcopo tradite fuerunt rationabiliter condampnate.

In tertio, quia magister ac procurator generalis, et nonnulli dicti Ordinis fratres, contra dictum episcopum et sibi adherentes ad sanctam sedem apostolicam appellaverunt, pretendentes inter memoratas dicti fratris assertiones, ut prefertur, dampnatas aliquas [ad] sancti Thome de Aquino pertinere doctrinam, quam asserunt per ecclesiam approbatam : ideo declarabitur, doctrinam hujusmodi sancti Thome non sic approbatam esse, quod propter eam oporteat antedictam condampnationem aut dicti episcopi processum aliqualiter impediri....

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 3122, fol. 7-48, sub rubrica ut supra In fine legitur . « Hunc tractatum composuit reverendus pater dom. Petrus de Ailliaco, s. theol. doctor et episc. Camerac., condam mag. Collegii Navarre ». — Truncatus exstat tractatus ad calcem edd. *Sententiarum* Petri Lombardi, in quibusdam edd. *Comment. Bonaventurae super Sententias* (v. g. in ed. Koberger, t. II in fine, an. 1500), et in *Opp. Gerson.*, ed. Dupin, I, 709-722 Integre apud D'Argentré, *Coll. jud.*, I², p. 75-129, cujus lib. ms. ad typographos traditus exstat in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 16402.

1566. *Universitas Paris. causam contra Praedicatores in Parlamento praesentat.*

1388, Decembris 7, Parisiis.

Lundi vij^e jour de Décembre. — Ce jour sont comparus en la court de ceans le recteur et les deputez de l'Université de Paris, ont fait dire et proposer par la bouche de mess. Ferry Cassinel evesque d'Auceurre, que l'Université a certain cause touchans la foy contre les Jacobins, et ont esté les cas proposez devant le roy contre les Jacobins, auxquels fut assigné jour pour respondre; et pource que le roy empesché d'autres besoignes ne les a peu ouyr, il a commis la besoigne à mons. le chancelier[1], à l'evesque de Bayeus[2] et à mess. Arnaut de Corbie[3] premier president en Parlement, devant lesquels il comparurent aujourdui à viij jours à Sainte Katherine, et lors il leur assignèrent jour ceans à aujourdui, et pource il sont venus en la court et se sont presentez et presentent contre les Jacobins et ont requis qui soit enregistré.

Arch. nat. Paris. X^1a 1474, fol. 214^b. In margine legitur « Curia de presentatione Universitatis Paris. contra Jacobitas ».

1. Petro de Giaco — 2. Nicolao de Bosco, de quo supra. — 3. Qui eodem mense factus est cancellarius Franciae.

1567. *Sententia excommunicationis lata contra Johannem de Montesono a tribus cardinalibus, quibus doctrinae ejus dijudicandae cura commissa fuit a Clemente VII.*

1389, Januarii 27, Avenione.

Miseratione divina Guido[1] episcopus Penestrin., Leonardus[2] tit. S. Sixti et Amelius[3] tit. S. Eusebii sancte Rom. eccl. presb. cardinales, judices et commissarii per sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum Clementem divina providentia papam septimum cause seu causis ac partibus infrascriptis specialiter deputati, universis et singulis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, cantoribus, scolasticis, precentoribus, et thesaurariis, canonicis cathedralium et collegiatarum ecclesiarum, gardianis Ord. frat. Minorum, prioribus Ordinum fratrum Predicatorum, Heremitarum S. Aug., et beate Marie de Monte Carmeli, ceterisque religiosis cujuscunque religionis et Ordinis, presidentibus, exemptis et non exemptis, necnon ecclesiarum parrochialium rectoribus, vicariis perpetuis, capellanis curatis et non curatis, notariis publicis et tabellionibus per civitates et dioceses ac provincias Cesaraugustanam[4] et Terragonensem[5] in Aragonia et Cathalonia ac per civitates et dioceses Avinionensem[6], Rothomagensem, et Parisiensem[7] et aliis ubilibet constitutis, ad quem seu quos presentes nostre littere pervenerint seu fuerint presentate, salutem in Domino, et nostris ymo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Dudum orta questionis materia inter discretum virum .. procuratorem facultatis sacre theologie Universitatis Parisiensis et ipsam Universitatem ex parte una, et magistrum Johannem de

Montesono, in sacra theologia magistrum Ord. frat. Pred. Valentinens. dioc. in Cathalonia oriundum, de et super nonnullis articulis et conclusionibus per ipsum fratrem Johannem preter et contra fidem catholicam, ut pro parte Universitatis asserebatur, in suis publicis sermonibus et aliis actibus tactis et publicatis coram reverendo in Christo patre domino episcopo Parisiensi, ab ipsoque domino episcopo et quibusdam pretensis pronuntiacionibus et gravaminibus aliis dicto fratri Johanni per eundem dominum episcopum, ut asserebat, illatis, ad dominum nostrum papam predictum per eundem fratrem Johannem contra partem sibi adversam appellato, idem dominus noster papa ad ipsius fratrem Johannis supplicationem nobis commisit quod de premissis nos informaremus et alias in causa et causis ejusmodi procederemus, prout in diversis commissionibus nobis factis plenius continetur. Et subsequenter, pluribus proposicionibus pro parte dicte Universitatis et requisicionibus in consistorio publico coram eodem domino nostro papa et reverendissimis in Christo patribus dominis cardinalibus et nobis tunc sibi assistentibus contra eundem fratrem Johannem presentem super hoc factis et propositis, reverendissimus in Christo pater dominus Petrus cardinalis Ebredunensis inhibuit eidem magistro Johanni de Montesono de mandato dicti domini nostri pape, vive vocis oraculo, ut dicitur, sibi facto, quod sub pena reddendi se convictum de et super iis de quibus inter ipsum et Universitatem Parisiensem lis pendet in Romana curia, non auderet se absentare ab eadem curia, donec et quousque de et super dubiis ipsius litis esset per sedem apostolicam determinatum, prout in quodam publico instrumento coram venerabili viro magistro Roberto de Freta, legum doctore, sacri palatii causarum apostolici et a nobis ad presentem causam auditore deputato, postea exhibito et producto continetur. Et deinde ad audientiam ipsius domini nostri pape deducto quod prefatus magister Johannes de Montesono, spretis mandatis apostolicis supradictis, nec curans finem dicte cause expectare, a curia Romana illicentiatus, ut dicitur, recessit post et contra hujusmodi prohibicionem : et idcirco prefatus dominus noster papa nobis mandavit et commisit vice vocis oraculo quod contra dictum fratrem Johannem per nos vel alium seu alios a nobis deputatum seu deputatos, deputandum seu deputandos, procederemus, non obstantibus feriis indictis seu indicendis, etiam in mense Augusti, in quo tunc eramus et in quo communiter strepitus causarum propter ferias conquiescit, in causa et causis ipsis coram nobis et aliis, sicut prefertur, pendentibus ....[8] etiam ad instantiam procuratoris fiscalis, et eo cum procuratore Universitatis adjuncto, et etiam divisim et ex officio, et ad declarationem vel penarum impositionem, quas propter arrestum fractum et recessum suum ipse frater Johannes debet incurrere, et que occasione hujusmodi debent et possunt sibi infligi ab homine vel a jure, ipsumque fratrem Johannem et omnes alios sibi adherentes et fautores et quorum interest vel intererit citare et citari facere et mandare in curia Romana et extra, et etiam dictum fratrem Johannem personaliter et per edictum publicum in ipsa Romana curia in locis et diebus, de quibus nobis videretur expedire, et per modos per quos ordinaremus, etiam tempore illo in quo vacabat apostolicarum

audientia publica litterarum, affigendum, seu etiam publicandum[8] .... et quod etiam contra dictum fratrem Johannem procedere valeamus per nos vel alium seu alios a nobis deputandos in Romana curia et extra ad omnem censuram ecclesiasticam et invocacionem brachii secularis et alias, prout in dictis nostris commissionibus et presertim ultima continetur....

Subsequenter vero comparentibus coram nobis et dicto magistro Roberto auditore predicto venerabilibus viris magistris Aymone Henrieti in utroque jure licentiato fisci domini nostri pape et curie Romane, ac Alberto de Mediolano prefate Universitatis Parisiensis procuratoribus et instanter requirentibus, quatenus contra dictum fratrem Johannem juxta commissionem et commissiones nobis factas procedere curaremus, nos cardinales judices et commissarii predicti, volentes in causa et causis hujusmodi mature procedere, ad ipsorum procuratorum etiam divisim instantiam ad hospitium seu albergariam Johannis de Suessione ad signum de Francia in carreria vocata La Bocaria in civitate Avinionensi prope cancellum seu libratam reverendissimi in Christo patris domini cardinalis Ebredunensis, in quo hospitio seu albergaria idem frater Johannes hospitatur et diu inhabitavit, certum nuntium juratum destinantes, sibi injunximus quod si dictus frater Johannes fuisset ibidem seu alias in curia Romana inventus, ipsum ex parte nostra citaret ad certum peremptorium terminum competentem, ad dicendum et opponendum quicquid dicere vel opponere vellet contra hujusmodi commissionem ultimam nobis factam et in causa et causis hujusmodi alias procedendum prout de jure. Qui quidem nuntius juratus iens et postea rediens retulit magistro Roberto de Freta sacri palatii apostolici et presentis causarum auditori predicto quod in eodem hospitio fuit sibi dictum per hospitissam dicte albergarie, quod frater Johannes predictus fuerat in dicta albergaria per tres menses et ultra hospitatus et quod de hospitio predicto et curia Romana recesserat, ut ipsa credebat, die tertia mensis Augusti proxime lapsa. Et ulterius volentes nos de premissis plenius informari, cum nonnullis personis et fratribus etiam de Ordine Predicatorum ipsius notitiam habentibus inquisivimus diligenter. Et quia, ut premittitur, et per informationem quam per dictum magistrum Robertum auditorem et subdelegatum a nobis ad hanc causam, ut prefertur, deputatum fieri fecimus diligenter, invenimus dictum fratrem Johannem de curia Romana recessisse et se absentasse ab eadem, ideoque eundem fratrem Johannem de Montesono principalem per nostras citacionis litteras peremptorie et per edictum publicum in valvis majoris et fratrum Predicatorum Avinionens. ecclesiarum affigendum citavimus, ut certo peremptorio termino post affixionem et publicacionem dictarum litterarum in locis predictis factas idem frater Johannes personaliter et per se ipsum compareret in judicio coram dicto magistro Roberto auditore a nobis, ut prefertur, deputato hora vesperorum in hospitio habitationis sue ad dicendum et opponendum, quicquid dicere vel opponere vellet verbo vel in scriptis contra commissionem nobis ultimo factam, ut prefertur, necnon ad procedendum et procedi videndum in causa et causis hujusmodi prout de jure foret pro-

cedendum ad instantiam ipsius procuratoris fiscalis dicti domini nostri pape et ejus curie Romane et procuratoris Universitatis predictorum, et cujuslibet eorundem etiam divisim, copia ipsius commissionis sibi decreta, si eam habere voluisset.[8] Loca vero superius nominata tanquam publica et ydonea ad citationem nostram hujusmodi publicandam et citationes alias de quibus infra sequitur ad instar edictorum publicorum, que olim in albo pretoris scribebantur, duximus eligenda, que citaciones ipsas quasi suo sonoro et patulo judicio publicarent, in quibus modo premisso ipsas affigi decrevimus, cum in audientia publica litterarum contradictarum legi vel publicari tunc non possent propter vacaciones indictas, ne predictus frater Johannes citaciones predictas ad ejus notitiam non pervenisse in futurum valeret allegare; cum non esset verisimile, apud ipsum fratrem Johannem remanere incognitum quod tam patenter et notorie apud omnes fuisset publicatum; volentes nihilominus et auctoritate apostolica decernentes, prout idem dominus noster papa voluit et decrevit, quod citaciones nostre modo premisso execute eundem fratrem Johannem citatum taliter artarent et astringerent, ac si ipse citaciones fuissent dicto fratri Johanni presentialiter intimate.

In quo quidem termino in judicio coram domino Roberto auditore predicto hora vesperorum in hospitio habitationis sue ad jura reddendum pro tribunali sedente comparentibus fiscali dicti domini nostri pape et curie Romane ac Universitatis predicte procuratoribus, dictasque citaciones reportantibus, ipsiusque fratris Johannis principalis personaliter citati et non comparentis nec aliquid contra commissionem nobis factam dicere vel opponere curantis contumaciam accusantibus, ipsumque per ejusdem auditorem contumacem reputari petentibus, prefatus magister auditor ipsum fratrem Johannem personaliter citatum et non comparentem, licet usque ad horam debitam expectatum, reputavit, prout erat, quoad actum hujusmodi merito contumacem, et in ejus contumacia ad dictorum procuratorum et cujuslibet ipsorum instantiam et requisitionem eundem fratrem Johannem de Montesono principalem ad dicendum et allegandum causas justas et rationabiles, si quas haberet, quare non deberet in scriptis excommunicari ex eo et pro eo quia de mandato dicti domini nostri pape arrestatus in Romana curia et prohibitus ne de eadem curia recederet, donec dicta causa que inter Universitatem magistrorum et scolarium studentium Parisius ex parte una, et dictum fratrem Johannem ex altera tunc pendebat et adhuc pendet indecisa, esset finita, idem frater Johannes arrestum, ut dicebatur, fregit et illicentiatus de eadem curia Romana recessit, per edictum publicum in valvis seu portis majoris et fratrum Predicatorum Avinion. ecclesiarum nostras citacionis litteras affigendo personaliter citari et citandum esse decrevit, ipsumque personaliter citavimus et peremptorie ad certum peremptorium terminum competentem.

In quo quidem termino in judicio ....[9] idem magister Robertus auditor et commissarius antedictus eundem fratrem Johannem de Montesono principalem sic personaliter citatum et non comparentem .... reputavit exigente justitia merito contumacem, et in ejus

contumaciam ipsum in scriptis excommunicavit et excommunicatum publice nuntiari voluit et mandavit, prout in litteris nostris super hoc confectis plenius continetur.

Deinde vero postquam magistro Roberto de Freta auditori commissario a nobis deputato supradicto relatio fide digna facta extitit, quod nostre littere denuntiationis sententie excommunicationis supradicte fuerunt in curia Romana et extra publicate et in valvis seu portis ecclesiarum majoris et fratrum Ordinis Predicatorum Avinion. et Paris. successive affixe et legitime execucioni debite demandate sic et taliter, quod idem frater Johannes de Montesono non potuit neque potest ignorantiam sententie excommunicacionis supradicte pretendere vel allegare, die date presentium litterarum nostrarum infrascripta comparuerunt in judicio coram prefato domino Roberto de Freta auditore sepedicto in hospitio habitationis sue hora vesperorum ad jura reddendum pro tribunali sedente discreti viri magister Petrus Vernerii bacallarius in legibus in Romana curia et venerabilis viri magistri Aymonis Henrieti in utroque jure licentiati ac domini nostri pape et Romane curie procuratoris, et Johannes Careti etiam in decretis bacallarius, magistri Alberti de Mediolano in Romana curia et Universitatis Parisiensis supranominate procuratoris principalis, supradictorum substituti procuratores, prout de eorum mandatis in actis cause coram eodem magistro Roberto auditore habitis dicitur constare legitimis documentis, et dixerunt et proposuerunt quod frater Johannes de Montesono principalis supranominatus dictam excommunicationis sententiam in eum, ut premittitur, promulgatam post denuntiationem publicam ejusdem in curia Romana et extra per nostras litteras publice divulgatam, intimatam, et publicatam per nonnulla tempora spiritu diabolico ductus sustinuit et adhuc sustinet animo indurato, communionique fidelium se temere ingesserat et ingerebat, ac gregem dominicum sua labe nequiter inficiebat, claves sancte matris ecclesie viliter contemnendo. Quare eundem magistrum Robertum auditorem et commissarium cum instantia debita requisierunt ut ad penas graviores et sententias alias contra prefatum Johannem de Montesono principalem procedere ipsasque sibi infligere et dictis procuratoribus petentibus concedere dignaretur. Prefatus vero magister Robertus auditor et commissarius attendens et considerans quod justa petentibus non sit denegandus assensus, et quod parum prodesset obedientia humilibus, si inhobedientibus contumacia non noceret, ut eum, quem Dei timor aut virtus propria ab errore non revocat, saltim coherceat severitas discipline, sententiam excommunicacionis in ipsum fratrem Johannem latam, ut prefertur, in scriptis aggravandam ipsumque fratrem Johannem sic excommunicatum aggravandum fore decrevit et aggravavit, necnon participantes cum eodem fratre Johanne principali ac sibi adherentes consiliarios et fautores in premissis; monuitque et per nostras presentes litteras monendos fore decrevit ne eidem in aliquo participent, adhereant, faveant, aut consilium, auxilium sibi prestent, vel favorem, personis et casibus a jure permissis duntaxat exceptis.

Que omnia et singula vobis omnibus et singulis supradictis ac universis Christi fide-

libus intimamus, insinuamus et notificamus, et ad vestram et vestrum cujuslibet ac ipsorum notitiam deducimus et deduci volumus per presentes. Vosque omnes et singulos supradictos et vestrum quemlibet in solidum auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, primo, secundo, ac tertio peremptorie tenore presentium requirimus et monemus communiter et divisim, vobisque et cuilibet vestrum in virtute sancte obedientie, et sub excommunicacionis pena, quam in vos et quemlibet vestrum canonica monicione premissa ferimus in hiis scriptis, nisi feceritis quod mandamus, districte precipiendo mandamus quatenus vos et quilibet vestrum infra sex dierum spatium immediate sequentium, quorum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos dies pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica vobis universis et singulis assignamus, postquam fueritis requisiti, seu aliquis vestrum fuerit requisitus, prenominatum fratrem Johannem de Montesono principalem excommunicatum et aggravatum in vestris ecclesiis et monasteriis singulis diebus dominicis et festivis, feriatis et non feriatis, pulsatis campanis et candelis accensis et demum extinctis, publice nuntietis seu nuntiari mandetis et faciatis artius a vestris subditis[10] evitari, necnon omnes et singulos quos lator presentium vobis duxerit nominandos usque ad numerum quadraginta personarum, de quarum nominibus et cognominibus nos et dictum magistrum Robertum auditorem et commissarium nostrum per vestras patentes litteras aut instrumentum publicum certificare curetis, auctoritate nostra immo verius apostolica moneatis nominatim et expresse sub excommunicacionis pena, quos nunc etiam monemus per presentes, ne cum dicto fratre Johanne de Montesono, ut premittitur, excommunicato et aggravato participent seu eidem se conjungant loquendo, consulendo, scribendo, dictando, osculando, stando, sedendo, eundo, comedendo, bibendo, molendo, coquendo, ignem vel aquam seu alia victualia dando, vendendo, ministrando, parando[11], aut alias eidem fratri Johanni operas et servitia faciendo, seu quovis modo humanitatis solatio seu communicacionis genere participando, personis et causis a jure permissis duntaxat exceptis, alioquin in ipsos et quemlibet ipsorum sic monitos et cum eodem fratre Johanne excommunicato post monitionem hujusmodi participantes, ut prefertur, canonica monitione premissa, si sic moniti non destiterint aut desistere non curaverint, lapso sex dierum spatio supradicto in hiis scriptis excommunicacionis sententiam proferimus.... In quorum fidem et testimonium omnium premissorum presentes litteras aggravatorias fieri fecimus, sigillisque nostris jussimus impendentibus munimine roborari. Datum Avinioni die mercurii vicesima septima mensis Januarii, indictione duodecima, anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo nono, pontificatus dicti domini nostri domini pape Clementis septimi anno undecimo.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67^b, n° 53. Supersunt tria sigilla cardinalium. Pertinebat ad Arch. Univ. (B. 7. f). — *Vidimus* officialis Paris ejusdem anni, ibid. n° 44. — Ex alio fonte Baluze, *Vit. pap. Aven.*, II, 996. Apud D'Argentré, *Coll. jud.*, I^2, p. 147, tantummodo initium et finis documenti, quod ubique in edd. et in *Vidimus* Arch. nat. (M. 67^b, n° 44) insertum est litteris officialis Paris., qui illud ad instantiam rectoris et Universitatis Paris. legi et publicari fecit « in curia episcopali, nobis sedentibus pro tribunali loco solito dicte curie, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo octavo[12].

die decima septima mensis Martii, presentibus venerabilibus et discretis viris et magistris Johanne Furglais, Johanne de Camineto, licentiatis in decretis, Adam de Sancto Amando, Johanne de Valle, bacallariis in decretis, Johanne Millon[is] magistro in artibus, Galtero de Lingonis, altero promotore curie Parisiensis, Stephano de la Caille, notario apostolico, et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. »

1. De Malesec, card. S. Crucis Hierosol. ad an. 1375, Dec. 20; episc. Praenest. ab an. 1383. — 2. De Giffono, Ord. Min., card. ab an. 1378, Dec. 16. — 3. Amelius de Lautreco, de quo jam supra. — 4. Quia ibid. Capitulum generale Ord. Praed. proximum celebrari debebat, quod tamen an. 1391 solum evenit. — 5. Quia ex ista provincia Johannes de Montesono originem duxit. — 6. Quia processus ibid. — 7. Quia imprimis ex istis fratres Praedicatores culpabiles. — 8 Sequuntur solitae formulae. — 9. Ut supra « In quo quidem »; hic solum etiam de excommunicationibus sermo est. — 10. Orig. : « subsiditis ». — 11. Or. : « parendo ». — 12. Baluze perperam . « nono ».

1568. *Litterae Universitatis Paris., quibus Praedicatoribus in actibus scholasticis, supplicationibus, sermonibus post omnes alios magistros, praesentatos, baccalareos, saeculares et regulares, locus assignatur, si contingat eos admitti.*

1389, Januarii 20, Februarii 19, 21, Parisiis.

Universis presentes litteras inspecturis rector[1] et universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium, salutem in Domino sempiternam. Nos ex certis et rationabilibus causis in certis aliis litteris plenius expressis ad perpetuam rei memoriam voluimus, statuimus et irrefragabiliter per presentes ordinamus, ut videlicet fratres Predicatores seu Jacobite cujuscunque conditionis aut status extiterint, quotiens eos ad actus publicos seu facta quecunque dicte nostre Universitatis vocari vel admitti continget, totiens infimum locum honoris et reverentie per nos vel magistros [obtineant, et] in omnibus predictis actibus scolasticis, publicis et consuetis, scolaribus, bachalariis aut magistris, cujuscunque status fuerint [postponantur et locum] ultimum et infimum assignatum obtineant et in eisdem per eos ad quos spectat, collocentur, ut puta magistri in theologia post omnes alios magistros, juvenes et antiquos, tam seculares quam alios religiosos illius facultatis, in congregationibus, vesperiis, aulis episcopi, principiis quibuscunque et in quacunque facultate ultimum locum habeant et infimum, nec in disputationibus dicte facultatis theologie ante alios magistros tam seculares quam alios religiosos cujuscunque Ordinis arguere presumant, eisdemque fratribus Jacobitis in hujusmodi disputationibus et actibus scholasticis quibuscunque, [in] quibus arguere consuetum est aut respondere, aut alium actum quemcunque scolasticum facere, post predictos magistros volumus locum ultimum et infimum assignari, et tam[2] in sermonibus, [quam] processionibus seu disputationibus coram domino nostro rege vel alibi, et generaliter in quibuscunque factis Universitatis dictos fratres locum honoris ultimum et infimum retinere volumus et habere. Et quod bachalarii presentati predicti Ordinis post presentatos aliorum Ordinum, videlicet Minorum, Carmelitarum et Augustinensium, Cisterciensium et aliorum, cujuscunque Ordinis extiterint, ac etiam post seculares et religiosos in scolis et aliis locis et actibus nostris ultimum locum habeant, ut puta si sedeant et arguant, in actibus nostris publicis supradictis infimum locum retineant. Et ad omnes et singulos dicti Ordinis fratres presentes et futuros hanc nostram ordinationem extendentes, secularesque necnon aliorum Ordinum

magistros [et] bachalarios tanquam digniores, excellentiores et in fide orthodoxa firmiores per presentes ordinavimus supradictis presidere secundum ordinem hactenus observari consuetum. Dictam ordinationem nostram seu statutum tenore presentium intimantes, et in valvis ecclesiarum affigi, nec non tam in scolis quam in sermonibus intra studium nostrum et etiam ubilibet publicari et denunciari volentes, mandantes et precipientes omnibus juratis nostris quibuscunque presentibus et futuris sub pena perjurii, resecationis et a nostro consortio privationis, eandem firmiter observare et observari facere, consuetudinibus aut statutis seu aliis etiam juramento vallatis nostre presenti ordinationi et statuto obviantibus hactenus in contrarium observatis non obstantibus quibuscunque, quas vel que quoad premissa nostre ordinationi seu etiam statuto nolumus derogare, quod omnibus tenore presentium volumus esse notum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Datum Parisius in nostra congregatione generali magistrorum tam regentium quam non regentium apud Sanctum Maturinum super hoc specialiter terna vice[3] ad predicta ordinandum et statuendum congregata et vocata diebus 20 mensis Januarii, 19 Februarii et consequenter[4] 21 ejusdem mensis Februarii.

Bulaeus, III, 356. Cf. Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, I, p. 402. Charta, quam Bulaeus exscripsit, videtur fuisse vetustate pessumdata. — Hoc documentum, ut monuimus *Chartul.*, I, nº 354, not. p. 403, perperam ad an. 1259 a Bulaeo editum est, cujus auctoritatem secuti etiam nostris temporibus quidam docti revera de anno 1259 (1260) agi putaverunt (vid. Kaufmann, *Die Geschichte der deutschen Universitäten*, I, 286), quanquam Denifle, *Die Univers. des Mittelalters*, I, p. 67, not. 234, p. 110, not. 239, jam scripserat istud ad aetatem Johannis de Montesono rejiciendum esse. Verba « an. 1259 » addiderat ipse Bulaeus, ut non raro solebat, interdum feliciter ut infra *De Schismate*, alias ut in nostro instrumento improspere. Quippe quod, a tempestate Alexandri IV tenore et vocabulis (v. g. Jacobita) abhorrens, ut Denifle, l. c., jam probavit, tribuendum esse huic aetati, immo an. 1389 palam demonstrat altera sequentium epistolarum (nº 1570), quae an. 1389 post Martii 25 scripta, id statutum Universitatis tunc conditum refert : « Quod si Predicatores aliquando ad gremium Universitatis redierint et recipientur, ipsi fratres in omnibus actibus scolasticis .... eant ultimi », et similia narrat *Chron. du religieux de Saint-Denys*, ed. Bellaguet, I, 578. Itaque statutum hoc nihil aliud est quam illud quod modo citavimus. Nunquam tamen in vigore fuit, nam usque ad an. 1403, Aug. 21, Praedicatores extra Universitatem fuerunt, et anno praedicto Universitas, ipsis in consortium Universitatis receptis, « omnes penas ordinatas aut statutas occasione discordie preterite gratiose relaxavit et abolevit », certo quodam juramento excepto (Arch. nat. Paris. M. 67 b, nº 57). Vid. tom. IV *Chartul.*

1. Johannes Manchon seu Manson. — 2. Bul. : « cum ». — 3. Quia ad statutum condendum tunc tres congregationes requisitae erant. Vid. supra, p. 429 et 431, not. 8. — 4. Bul. : « concorditer ».

1569. *Epistola Georgii de Rain, mag. artium Paris., ad quemdam in Universitate Vindobon. de lite Universitatis Paris. contra Praedicatores.*

1389, Februarii 17, Parisiis.

Scripsi vobis de controversia fratrum Predicatorum et Universitatis Parisiensis, que condempnavit xiiij proposiciones, quas unus fratrum Predicatorum in vesperiis suis dixit, et sunt iste que sequuntur, quas ipse asseruit esse veras et catholicas[1]....

Istas proposiciones condempnavit episcopus Parisiensis aliquas tamquam hereticas[2], aliquas vero tamquam male sonantes in fide et piarum aurium offensivas; propter quas proposiciones, et specialiter propter illas que sunt de Concepcione beate Virginis, ipsi

Predicatores sunt resecati ab ipsa Universitate, ita quod ipsi Predicatores modo non predicant nec in gallico nec in latino, nec eciam faciunt actus scolasticos quoscunque; ymo ita odio habentur, quod ipsi merito possunt dicere illud psalmi : « Facti sumus obprobrium vicinis nostris », etc. [*Ps.* LXXVIII, 4]. Et cum aliqui eorum transeunt per vicos, parvi et magni clamant contra ipsos : *Huet, Huet*[3], etc. Habet Universitas intentum suum et honorem contra ipsos, et ipsi Predicatores jam quasi sunt penitus destructi in Francia, quia ubique heretici appellantur. Alia nova pro nunc non occurrunt. Sed rogo recommandetis me m. H[enrico] de Hassia, et m. H[enrico] de Oytta[4], et m. Friderico[5] confessori ducis, cum quibus in Domino semper feliciter valeatis. Scriptum Parisius xvij^a^ die Februarii.

Vester in omnibus totus GEORGIUS DE RAIN[6], magister in artibus, canonicus ecclesie Altissiodorensis.

Bibl. caes. Vindobon. ms. lat. 4384, saec. xv, fol. 269, sub rubrica . « Scripta de Parisius magistro Henrico de Hassia pie recordationis directa ». Sed epistola minime ad Henricum dirigitur, qui in ipsa salutatur — Denis, *Codd. mss. theol. Bibl. palat. Vindob.*, I, 1, p. 1776.

1. Sequuntur 14 propositiones supra editae — 2. Quod minime verum est — 3. In *Chron. du rel. de Saint-Denys*, I, 492, narratur, qua ex causa hoc nomen Praedicatoribus impositum sit, ubi affertur, secundum vulgarem modum loquendi hoc vocabulum daemoni ascriptum esse, « quociens passiones aeree ultra modum seviebant solitum ». P 494 exscribuntur imprecationes versibus compositae contra *Huetum*. — 4. De quo ad an. 1377 in *Lib. proc. nat Angl.* in *Auctar. Chartul.*, I, p. 527, 40, et postea. Licent. in theol e *Catal. licent.* an. 1380 (1381). An. 1382 circiter Parisios reliquit, i. e. circa idem tempus atque Henricus de Hassia. — 5. De Nueremberga, Ord. Carmelit., prof. in theol. (vid. Kink, *Gesch. der Universität Wien*, II, 94). — 6. Georgius de Rain fuit dioec Aquilejens., ut legitur in Reg. Suppl. Bened. XIII, an. 10 et 11, p. 3, fol. 160 (inter mag. in theol. non regentes). In *Catal. licent.* in theol. vocatur Georgius de Sclavonia, et fuit licent. an. 1400, Maii 2. Fuit Sorbonicus (vid. Franklin, *La Sorbonne*, 227 « Georgius Ryn de Sclavonia »). Vid. *Auctar. Chartul.*, I, p 662, 18, et pluries.

1570. *Altera epistola Georgii de Rain ad eumdem de eodem argumento.*

1389, post Martii 25, Parisiis.

Humili recommendacione premissa, magister mi et domine precarissime, scripsi vobis de controversia Universitatis Parisiensis et fratrum de Ordine S. Dominici, quomodo Universitas obtinuit suam causam contra dictos fratres, et quod ille xiiij proposiciones per quendam magistrum, vocatum Johannem de Montesono, de Ordine eorum, in scolis temere asserte, sunt per Universitatem et episcopum Parisiensem condempnate, ita quod modo dicti fratres de Parisius recesserunt et specialiter magistri et alii graduati; et qui adhuc manent, sunt in maxima confusione nec audent publice per vicos incedere; ymo omnes qui alias de Concepcione Virginis predicaverunt, ipso modo capiuntur et carceribus includuntur. Unde rex Francie potestate sua dedit auctoritatem capiendi xl de dictis fratribus dicti Ordinis, quos Universitas voluerit nominare; sed et papa totidem. Et jam sunt plures capti et in carceribus detinentur. Inter quos unus magister in theologia solemnior clericus totius Ordinis, vocatus magister Johannes Thome, qui in carceribus detinetur, in die Annunciacionis b. Virg. Marie plura que hic inferius continentur coram populo innumerabili in ecclesia b. Virg. Marie[1] Parisiensi revocavit dicens :

Ego mag. Johannes Thome frater Ord. Predicatorum predicavi ante xiiij annos, *etc.*[2].

Ecce talia iste magister hic jam ter revocavit, et adhuc debet semel coram populo, et semel coram clero revocare. Similiter Universitas Parisiensis persecuta fuit confessorem regis Francie[3] super eisdem articulis et proposicionibus et oportebat ipsum coram rege cum magna confusione revocare.

Sic ergo fratres Predicatores hic Parisius nec legunt nec predicant, sermones enim quos diebus dominicis in conventu eorum faciebant in Universitate, tam seculares quam religiosi diebus dominicis predicant secundum ordinem antiquitatis eorum, et baccalarii faciunt collationes; et sic habent jam baccalarii exercitium sermonum, quod prius habere non solebant ipsi[4].

Propter controversiam predictam statutum est in Universitate, quod, si aliquando fratres Predicatores ad graciam et gremium Universitatis redierint et recipiantur, ipsi fratres in omnibus actibus scolasticis, processionibus et aliis honoribus eant ultimi, qui alios in honore precedebant[5]. Et sic Ordo eorum hic in Francia videtur esse quasi destructus, et timeo quod temporibus nostris ad suum honorem nunquam poterit relevari. Hec sunt que pro nunc scribenda occurrunt. Si aliqua sunt nova, michi rescribatis, precipientes michi vobis in omnibus obedire parato.

Bibl. caes. Vindob. ms. lat. 4384, fol 269. — Denis, l. c., p. 1777.

1. Martii 25. De hac revocatione vid. infra n° 1572. — 2. Sequitur integra revocatio, de qua l. c. — 3. Scil. Guillelmum Volan, episc. Ebroicens. Vid. infra n° 1571. — 4. Sermonibus et collationibus diebus dominicis in eccl. S. Jacobi Praedicatores per decretum Universitatis fuerunt privati, et ambo exercitia ad fratres Minores translata sunt, ut infra n° 1578, et ibid. not. 3, legitur, et partim refert *Chron. du rel. de Saint-Denys*, ed. Bellaguet, I, 578, ad an. 1388. Minime tamen credendum sermonibus dictis, Praedicatoribus amotis, tam facile provisum fuisse quam Georgius de Rain supra scribit, Johanne Gerson narrante in *Epist. sec. ad studentes Collegii Nav.*. « deesse frequenter sermones in Universitate, etiam dominicales ad Clerum » (*Opp.*, ed. Dupin, I, 111). — 5. Vid. supra n° 1568.

REVOCATIONES

(n[i] 1571-1579).

1571. « *Revocatio Guillelmi (de Volan), Ebroicensis episcopi, confessorisque regis Caroli VI, super certis propositionibus alias per eum prolatis, in presentia regis et plurium dominorum ad instantiam Universitatis* »

1389, Februarii 17, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Noverint universi presens instrumentum publicum inspecturi, quod anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo octogesimo octavo more Gallicano, indictione duodecima, mensis Februarii die decima septima, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi anno undecimo, coram illustrissimo et excellentissimo principe ac domino nostro domino Karolo Dei gratia Francorum rege, in nobilium ac potentium dominorum Ludovici Ducis Borbonie, Petri de Navarra, Inguerranni de Couciaco, Henrici de Barro, Oliverii de Clisson conesta-

bularii Francie, Hugonis de Saluciis, ac reverendorum in Christo patrum ac dominorum nostrorum Bernardi Lingonensis[1] et Philippi Noviomensis[2] episcoporum domini nostri Francorum regis prefati consiliariorum : necnon plurium aliorum dominorum, nostrorumque notariorum publicorum subscriptorum et testium infra nominatorum ad hec vocatorum specialiter et rogatorum presentia, personaliter constituti venerabilis et circunspectus vir magister Johannes Manson, rector Universitatis Parisiensis, et reverendus in Christo pater ac dominus dominus Ferricus[3] Dei gratia Autisiodorensis episcopus, necnon venerabiles et discreti viri magistri Petrus de Ailliaco, Dominicus Parvi, sacre theologie professores, Galtherus Grassi, decretorum doctor, Johannes Voygnon, magister in medicina, Michael Prepositi Francie, Radulphus de Tilia Picardie, Nicholaus Pitemen Normanie, et Egidius de Jutfaes[4] Anglicane nationum procuratores, ab eadem Universitate in hac parte deputati et commissi, eidem domino nostro regi per organum prefati magistri Petri de Ailliaco dixerunt et exposuerunt, quod ipsi ad eundem dominum nostrum regem ex parte dicte Universitatis pro certis negotiis ipsam tangentibus et pro responsione habenda a reverendo patre domino Guillermo[5], de Ordine fratrum Predicatorum seu Jacobitarum, necnon prefati domini nostri regis confessore, episcopo Ebroicensi, de et super quibusdam falsis conclusionibus tangentibus fidem per ipsum episcopum Ebroicensem prolatis et dictis destinati fuerant; idcirco antequam ad alia negotia et facta predicte Universitatis, que eidem domino nostro regi, et in ejus ac consilii sui presentia exponere habebant, procederent nomine dicte Universitatis, dictum episcopum Ebroicensem instanter requisiverunt prefati deputati per organum sepedicti magistri Petri de Ailliaco, quatenus in presentia domini nostri regis, et prefatorum dominorum et omnium aliorum ibidem existentium et presentium predictas conclusiones per ipsum prolatas et dictas tanquam male et contra fidem et veritatem dictas et sonantes revocare vellet, prout facere tenebatur et alias eas revocare promiserat. Qui quidem episcopus Ebroicensis non coactus, non seductus, sed propria voluntate sua motus predictas conclusiones per ipsum, sic ut premittitur, prolatas et dictas revocavit modo et forma contentis in quadam papirea cedula, quam ibidem alta et intelligibili voce de verbo ad verbum legit, cujus etiam tenor talis est :

Ego Guillelmus, Ebroicensis episcopus, male motus, inconsulte et male informatus, dixi alias propositiones que secuntur. Et primo quod Universitas Parisiensis condempnavit istam propositionem : « anima intellectiva est immortalis ».

Item dixi quod propositiones alique condemnate fuerunt per Universitatem que sunt vere et catholice, et quod auderem eas predicare et dogmatizare coram rege vel papa aut alias ubicunque.

Item dum dominus episcopus Autisiodorensis ultimate proposuit coram rege, iddem repetii dicendo : « hoc dixi et adhuc dico, et predicarem coram papa, et faciatis me conveniri quando volueritis, et bene me deffendam. »

Item dixi quod, sicut viginti octo[6] magistri in theologia Universitatis Paris. condempnaverant propositiones de Montesono, ita erant viginti octo de Ordine nostro, videlicet de majoribus et solemnioribus clericis totius mundi, qui eam approbaverant, et sic poteram eas approbare et predicare.

Item addidi et dixi quod magistri Universitatis Parisiensis non intelligebant doctrinam sancti Thome.

J'ay veuee la sentence de la faculté de théologie, approuvée et soustenue par l'Université de Paris, et aussi de monseigneur l'evesque de Paris, donnée contre quatorze conclusions dictes et affermées par frère Jehan de Montson,

de l'Ordre des frères Prescheurs; ycelle veuee et considérée, je croy que ladicte sentence est bonne et juste, et promet par mon serment non preschier ne dogmatiser le contraire publiquement, ne en occult par moy, ne par autre, et ne donray aucune faveur audit de Montson, ne à ses fauteurs ou adhérens en ceste cause, reservée l'auctorité de nostre saint père, si comme elle est reservée en ladite sentence.

Qua quidem cedula per eundem episcopum Ebroicensem de verbo ad verbum lecta, idem episcopus Ebroicensis flexis genibus prefatum dominum nostrum Francorum regem instanter requisivit, eidem humiliter supplicando quatenus regi Arragonum et domino nostro pape scribere dignaretur et vellet, eosdem requirendo quatenus fratrem Johannem de Montesono, de quo in cedula preinserta fit mentio, facere capi, et Parisius adduci puniendum secundum ejus demerita, prout juris erat et etiam rationis, vellent.... Acta fuerunt hec in domo regali de Lupera Parisius, videlicet in camera dicti domini nostri regis, sub anno, indictione, mense, die, et pontificatu predictis, presentibus venerabilibus viris magistris Philippo Parentis bacallario in theologia, et Johanne Britonis in artium facultate magistris, Cameracens. et Lexoviens. dioc., ac pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Gerardus de Versigny, presbyter Laudunens. dioc., publicus auctoritate apostolica notarius, *etc.*

Et ego Gaufridus Morelli, clericus Senonensis dioc., *etc.*

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67 ^{b}, n° 52, sub rubrica ut supra. — Bibl. Vat. cod. lat. Reg. 870, fol. 13 : « Instrumentum revocationis facte in presentia regis ac rectoris et deputatorum Universitatis Paris. per episc. Ebroicens. de quibusdam falsis conclusionibus per ipsum dictis sine auctoritate aut presentia cancellarii Paris. » Similes rubricae, mutatis nominibus, ante alias revocationes in hoc codice contentas leguntur. In margine inferiori fol. 13 scriptum est manu saec. XVI « Pro Roberto Goullet », i. e. eodem, qui an. 1517 Parisiis edidit *Compendium recenter editum de multiplici Paris. Universitatis magnificentia.* — Bul., IV, 638.

1. Bernardi de la Tour. Vid. supra n° 1461, not. 5. — 2. Philippi de Moulins, an. 1388, Dec. 2, translati a sede Ebroicens. ad Noviomens. (Reg. Av. Clem. VII, vol LII, fol. 247). — 3. Cassinelli. — 4. Seu Egidius Bartholomei de Jutfaes, ut scribitur in *Lib. proc. nat. Anglic.* ad an. 1381, Febr., quando determinavit. Vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 601, 4. — 5. De Volanno. Iste episcopus, ut supra etiam scribitur, confessor regis fuit, posteaque « rex statuit quod deinceps confessorem jacobitam non haberet » (*Chron. du religieux de Saint-Denys*, ed. Bellaguet, I, 582). An. 1379, Jul. 13, fit, post translat. Ademari ad Tricastin. sedem, episcopus Bethlemitan (Reg. Av. Clem. VII, vol. XIII, f. 528 ^{b}), et post translationem Philippi an. 1388, Decemb. 2, episc. Ebroicens. (ibid., vol. LII, f. 246). Minime mag in theol. fuit. — 6. Vid. supra n° 1557, not. 12.

1572. *Revocatio Johannis Thomae, Ord. Praed., mag. in theol.*

1389, Martii 21, 25, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Anno ab Incarnatione ejusdem Domini millesimo CCC^{mo} octogesimo octavo secundum usum, stillum et consuetudinem eccl. Gallicane, indictione duodecima, mensis Marcii die xxj, pontificatus .... Clementis Dei providentia pape septimi anno xj°, in venerabilium ac circumspectorum virorum magistrorum et dominorum Johannis Manchon, rectoris Universitatis studii Paris., Guillermi de Gardino, Dominici Parvi, secularium, et Johannis Columbi, Ord. frat. Min., sacre theologie doctorum; Yvonis

Kaerengar[1], Ricardi de Fonte, ac [Fulconis de Blandeyo] prioris de Strata, decretorum doctorum; Martini Gasel, Johannis Voignon[2], in facultate medicine magistrorum; Johannis Baillivi Francie, Victoris de Baillolio Picardie, Mathei de Longolio Normanie, et Egidii de Jutfa[e]s Anglicane nationum procuratorum, magistrorum in artium facultate, plurimorumque aliorum doctorum et magistrorum quattuor facultatum predictarum per venerabiles et circumspectos magistros et dominos rectorem et Universitatem predictos ad infrascripta audientium specialiter deputatorum, et in personis ipsorum, almam matrem Universitatem studii Paris. ibidem presentantium meique notarii publici et testium infrascriptorum ad infrascripta vocatorum et rogatorum presentia, personaliter constitutus magister Johannes Thome, jacobita, in theologia magister, non vi aut metu ad hec inductus .... revocationis rotulum alta et intelligibili voce in verbis gallicis scriptum de verbo ad verbum legit .... audientibus et ascultantibus et intelligentibus utriusque sexus populi ad hec audiendum ibidem convocatis multitudine copiosa. Cujus rotuli tenor sequitur et est talis :

Il y a trois ans passez, que je maistre Jehan Thomas preschay publiquement en l'eglise de S. Severin, de S. Marry et en plusieurs aultres eglises de la ville de Paris, c'est assavoir que la Virge Marie fut conceue en péché originel, et que qui tient le contraire, il croit mal et péche mortellement et est heresie. Et que la feste de la Conception de la Virge Marie n'estoit point à celebrer. Quant au premier point, où je disoie que qui tient le contraire, c'est assavoir que qui croit que la Virge Marie n'ait esté conceue en péché originel, croit mal, je le révocque et rapelle comme faulx et malsonnant, ce par « croire mal », je entendois que celluy qui tient, que la Virge Marie ne fut pas conceue en péché originel, creust contre bonnez moeurs et toutes voyes. Ainsi le sonne et donne à entendre la seconde partie de ma proposition. Quant au second point, où je disoye que qui tient, que la Virge Marie ne fut pas conçeue en péché originel, il péche mortellement, je le révocque et rappelle comme faulx, erreur en la foy, et comme chose scandaleuse, presumptueuse, maulvaise, et desplaisante à tout bon entendement et offensible de toutes bonnes oreilles Quant au tiers point où je disoie que celui qui tient la Virge Marie n'estre pas conceue en péché originel, tient heresie, je le revocque et rappelle comme faulx, maulvais, presumptueusement affermé et offensible en toutes bonnes oreilles. Quant au quart point où je disoie que la feste de la Conception de la glorieuse Virge Marie n'estoit point à celebrer, je le revocque et rappelle comme faulx et maulvais.

Item, il y a quatorze ans passez, que je translate et mue le texte de Jheremie de latin en françoys[3], du xvij chapitre jusques au xxx, et en ce translatant, je inseray et traictay ceste question, c'est à sçavoir, si la Virge Marie fut conceue en péché originel, ou non? Et en faisant je confesse que je fis mal, et que presumptueusement je le fis, et promet par ma foy et par mon serment faire diligence de recouvrer ce que je escrips en celle matière, et de le exhiber et bailler à ma mère l'Université, et se sur ledit livre ou escripture on treuve aucunes erreurs ou choses malsonnantes, je m'en soubzmet et promet par mon serment estre à l'ordonnance et à la correction de maditte mère l'Université de Paris, et jure que je ne sçay où il est, ne malicieusement ne l'ay mys hors de mes mains.

Item, aulcuns dient que ay presché publicquement en Avignon, que l'Université de Paris s'étoit autresfoys revocquée en la doctrine sainct Thomas. Bien est vroy que je preschay publiquement en Avignon que la doctrine sainct Thomas estoit approuvée par le pape Urbain Quint, et neantmoins aulcuns, c'est assavoir l'Université de Paris, qui estoit pour lors, l'avoit impugnée et se efforçoit de l'impugner. Quant au premier point, qu'elle soit approuvée par le pape dessudit, je n'en sçay rien, fors que par ouyr dire. Quant au second, je tien et croy fermement que ma mère l'Université de Paris oncques ne erra en la foy, ne contre bonnes mœurs, et aussy que oncques elle ne se rappella, mais tousjours a esté la droite lumière et defensure de la foy[4].

Item, j'ay dit devant le roy que ceulx qui tiennent que la Virge Marie ne fut pas conceue en péché originel, tiennent contre la doctrine saint Pol. Je le revocque et rappelle comme faulx et presumptueusement dict, car la doctrine saint Pol n'est pas le texte nuement, ains est le texte avec le sens ou entendement du Saint Esprit.

Item, j'ay dit que je n'ay soustenu frère Jehan de Montson Jacobin ès propositions dites par luy, fors tant

seullement en celles, que nous de nostre Ordre disons estre de saint Thomas. Et toutesfoys je tien et croy que le dit Montson ait follement et maulvaisement parlé en ses propositions, en quoy je le soustenoye et aussy en toutes les aultres, qu'il a dictes.

Item, je confesse et ay dit, que j'ay esté mandé en Avignon par maistre Jacques de Mareul[5] naguerez inquisiteur à Paris, maistre du saint palais du pape, où je allay pour defendre la doctrine, que je sçavoye estre bien et justement condampnée, et tien de present, croy et sçay que justement[6] et loisiblement elle est condampnée par monsieur l'evesque de Paris et la faculté de theologie, soustenue et approuvée par l'Universitay de Paris ma mère.

Item, en Avignon par plusieurs foys, je me seoye ès consistoires du pape euprès le dit Montson, et sembloit que je luy fusse assistent, et confesse avoir esté ès conseuls du convent des frères Prescheurs de Paris, quand ilz ordonnèrent qu'ilz apelleroient, et quand ils appellèrent contre reverend père en Dieu monseigneur l'evesque de Paris, et contre l'Université. Je dis que en me soiant près dudit frère Jehan de Montson, et aussy en appellant de ladite sentence, je filz mal et comme follement conseillé. Item, je confesse que en la faveur que j'avoye à mon Ordre, et pour ce que mon Ordre donnoit faveur audit Jehan de Montson, je ne me suys voulu adjoindre à monseigneur l'evesque de Paris en procès qu'il a fait contre le dit Montson, mais renoncé à l'office d'inquisition en laquelle je estoie constitué par l'inquisiteur, tendant à fin que je ne me adjoinisse avec monseigneur l'evesque de Paris. En ce faisant je dis et confesse avoir mal fait.

Item, je afferme et dict que quant j'alloy en Avignon pour defendre la doctrine dessusdite, que je y alloye du mandement du saint père le pape; mais je confesse et dy que je y alloye non pas du mandement du pape, mais du mandement maistre Jacques de Mareul, maistre du saint palais Et en ce disant, je faisoie mal et deshonneur à notre saint père le pape. Item, je confesse et dy que ès choses dessus dites j'ay mal fait et mal dit, et croy fermement que la sentence de mons l'evesque de Paris et de la faculté de theologie approuvée par ma mère l'Université, donnée contre les quatorze propositions de frère Jehan de Montson est bonne et juste, sainctement donnée, bien ordonnée, comme il appartient au cas. Et jure par mon serment, que ausdites quatorze propositions, ne aucunes d'icelles mises par ledit frère Jehan de Montson de notre Ordre, ne donray faveur, conseil, ne aide, ne n'yray contre la sentence donnée par mondit seigneur l'evesque de Paris et par la faculté de theologie dessusdite. Et aussy je jure par mon serment, que audit Montson ne à ses fauteurs, adherens ou conseillers ne donneray conseil, aide, ne confort en occult ne en appert, ne par voie directe ou oblicque; mais garderay et defendray à tout mon pouvoir la sentence devant dicte, et la cause de ma mère l'Université. Et toutes ces revocations devant dictes, faites par moy, je promet et jure que les ay faictes et dictes de bon cueur et bonne volunté, et ainsi l'ay en cueur, comme je le exprime de bouche. Et en cry mercy à la benoiste Virge Marie, et à notre mère saincte eglise, à monseigneur l'evesque de Paris, et à ma mère l'Université, et aussy à ma mère la faculté de theologie, et leur supplie qu'ilz me le veuillent pardonner.

Super quibus omnibus et singulis magistri et domini rector et deputati supradicti nomine et vice rectoris et Universitatis Paris. studii omniumque et singulorum quorum interest vel intererit aut qui sua putaverint, crediderint interesse quomodolibet in futurum a me notario publico....

Acta fuerunt hec multum solenniter Parisius de mane hora quasi octava ante portale occidentale ecclesie Sancti Germani Autissiodorens. post sermonem ibidem factum ad populum, anno, indictione, *etc.*

Item eisdem anno, indictione et pontificatu quibus supra, die jovis in festo Annunciationis dominice, que erat mensis Martii dies xxv in venerabilium ac circumspectorum virorum et magistrorum et dominorum Roberti Cardon[7], rectoris universitatis studii Parisiensis, Galeranni Pendref, Johannis Goulein[8], Guillermi de Gardino et Dominici Parvi, sacre theol. doctorum; Walterii le Graes, Johannis de Crepone et Ricardi Belet, decretorum doctorum; Guidonis Garin, Johannis Voignon et Johannis Pluimon, in facultate medicine magistrorum; Johannis Millon loco Francie, Victoris de Bailliolo Picardie, Ursini

de Talevende Normanie ac Gerardo de Lederdam loco Anglicane nationum procuratorum in artium facultate magistrorum plurimorumque aliorum doctorum et magistrorum quatuor facultatum[9] predictarum .... presentia .... magister Johannes Thome Jacobita magister in theologia non vi aut metu ad hec inductus nec incarcerationis aut alicujus alterius compulsionis timore ad hec coactus sed sua spontanea atque libera voluntate corde contrito .... revocationis rotulum, quem prefatus magister Johannes Thome per prius, videlicet die dominica xxj[a] die mensis Martii legerat Parisius ante portale occidentale ecclesie S. Germani Autissiod. prout superius est expressum .... legit et omnia et singula in eodem rotulo contenta ore proprio pronunciavit[10].... Acta fuerunt hec multum solenniter Parisius de mane hora quasi nona vel circiter in parvisio ecclesie Paris. post sermonem ibidem factum ad populum per reverendum in Christo patrem et dominum Ferricum Dei gratia Autissiodorens. episcopum anno, indictione, mense, die et pontificatu predictis, presentibus reverendo in Christo patre ac domino Johanne[11] Dei gratia Morinensi episcopo ac venerabilibus et circumspectis viris dominis Reginaldo de Capella consiliario regis....

Et ego Johannes Stavere, Tornac. dioc., mag. in art., publ. apost. et imperiali auctoritate notarius, *etc.*

Bibl. Vat. cod. lat. Reg. 870, fol. 14[b]. — D'Argentré, *Coll. jud.*, I[2], p. 134, e *primo registro censurarum*, ubi nomina saepe adulterata. In Bibl. nat. Paris. ms. lat. 15107, fol. 200[b], narratur quod Dominicani Johannem Thomae « ad sidera usque attollunt ». Vid. etiam supra n° 1355.

1. Ms. · « Galenghar ». Ipse scribit in Arch. nat. J. 517, n° 221, ut supra. — 2. Ms. hic et infra : « Vaignon ». Designatur Johannes Voignon, qui an. 1392 inter canonicos Paris. invenitur, ut apparet e LL. 108[a], Arch. nat., ubi semper Voignon, Woignon. De ipso saepe supra. — 3. Quod bene notandum est, cum minime notum esset, Johannem Thomae inter traductores partis Vulgatae in linguam gallicam numerandum esse. In quibusdam mss[tis] revocationis Martii 25 (vid. infra) continetur « de ij capitulo usque ad 30 ». Vid. infra p. 527. Cum apud D'Argentré, I, 2, p. 133, editum sit : « je translate ... le texte de *Theologie* ... du 17[e] chapitre au 30[e] », nihil inde intelligendum fuit. Scimus autem Johannem de Siaco (Sy) in galicum vertisse Bibliam usque ad Jeremiae cap. 18 (cf. Samuel Berger, *La Bible française*, p. 242); verisimiliter Johannes Thomae an. 1373-87 operam Johannis de Sy persequi conatus erat. — 4. In latino : « dico, quod mater mea Universitas Paris. nunquam erravit in fide nec contra bonos mores, nec unquam revocaverit, sed semper fuit luminare et defensatrix fidei ». Vid. supra n° 1557. — 5. I. e. Jacobi de Moreyo, de quo saepe. — 6. Ms. · « injustement ». — 7. Qui Martii 24 in rectorem electus est. — 8. Ms. et D'Argentré · « de Gaillon ». Designatur mag. notus Ord. Carmel — 9. Ms. : « facultate ». — 10 Haec revocatio Martii 25 iisdem verbis atque illa Martii 21 concepta erat, ut supra dicitur. Sed Georgius de Rain (supra n° 1570) eam misit Vindobonam in forma breviori et in lingua latina (« Ego mag. Johannes Thome.... ante xiiij annos », *etc.* Vid. Denis, *Codd. mss. theol. Vindob.*, I, 1, p. 1778), et sic etiam invenitur in Bibl. Amplon. Q. 151, fol. 23[b]; Bibl. Caes. Vindobonens. ms. lat. 4948, fol. 149[b]. — 11. Johanne (Tabari), archidiac. de Pontivo in eccl. Ambian., an. 1384, Jan. 19, fit episc. Morin. (Reg. Av Clem. VII, vol. XXXIII, f. 399).

1573. *Petrus de Tureio, card. S. Susannae et legatus in Francia, Martii 25, Rotomagi commorans, cuidam decretorum doctori praecipit, ut contra Radulphum Morelli et Richardum Mariae, Ord. Praed. Rotomagens., qui male de b. Maria Virgine praedicaverant, procedat. Richardus Mariae, « adherens Johanni de Montesono heretico », qui inter alia dixit, Universitatem Tolosanam approbasse conclusiones positas per Johannem de Montesono, Rotomagi Maii 10 suas assertiones revocat.*

1389, Martii 25-Maii 10, Rotomagi.

D'Argentré, *Coll. jud.*, I[2], p. 135-138.

1574. *Revocatio Adami Suessionens., prioris conventus Nivernens. Ord. Praed.*

1389, Maii 16, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Anno ab incarnatione ejusdem Domini millesimo CCC[mo] octuagesimo nono, indictione xij[a], mensis Maii die xvj[a], pontificatus .... Clementis divina providentia pape septimi an. xj[o], in venerabilium ac circunspectorum virorum magistrorum et dominorum Roberti Cardon, rectoris Universitatis studii Paris., Hervei Sulven et Guillelmi de Gardino, sacre theologie doctorum, Ivonis Carengar, Bertrandi de Monnavalle abbatis Gaudi-Vallis[1], decretorum doctorum, Guidonis Guarini in facultate medicine magistri, Simonis le Renvoisié Francie, Egidii de Dullendio Picardie, Richardi Habart Normanie, et Johannis Manchon loco Anglicane nationum procuratorum in artium facultate magistrorum, plurimorumque aliorum .... presentia, personaliter constitutus fr. Adam de Suessione, Jacobita, prior conventus fr. Jacobitarum Nivernensis .... quemdam errorum suorum predictorum revocationis rotulum in verbis gallicis scriptum alta et intelligibili voce, de verbo ad verbum legit, et omnia et singula in eodem rotulo contenta ore proprio pronunciavit, audientibus, ascultantibus et intelligentibus utriusque sexus populi ad hec audiendum convocatis multitudine copiosa, cujus rotuli tenor sequitur et est talis :

Bonnes gens, je frère Adam de Soissons, prieur du convent des Jacobins de Nevers par l'ordonnance et auctorité de l'Université de Paris, mère et fontaine de toute science, et par espicial lumière de la foy, je viens icy comme à ce je me suys raisonnablement submits, pour vous dire et affermer certaines choses qui me sont imposées et rappeller certaines erreurs autrefois preschées par moy ou diocèse de Nevers. Et premièrement je confesse devant vous et afferme que à bonne cause et raisonnable on m'a fait prendre et mener à Paris pour tenir prison, jusques à tant que j'eusse eu correction de plusieurs defaultes... j'aye presché ou diocèse de Nevers en plain sermon au peuple que se la Virge Marie fust trespassée devant la mort et passion de son glorieux fils nostre Sauveur Jhesu-Christ, elle fust descendue en enfer pour ce qu'elle avoit ésté conceue en péché originel. Ceci ainsi généralement dit et enttendu selon ce que communement l'en entend par enfer et par espicial consideré la cause que je alleguoye pource qu'elle avoit esté conceue en péché originel ; je le révocque et rappelle comme faulx.... Tiercement, en ce que pour plus approuver ladicte parolle j'ay adjousté en icelle predication, que se je affermoye sur la damnation de mon âme, et que en icelle foy je voulloie vivre et mourir, comme je eusse peu dire de article de foy. Je confesse avoir très grandement erré et le rappelle .... je requiers humblement et à joinctes mains à Dieu, à sa glorieuse mère, à l'eglise et à tous bons chrestiens et par especial à monseigneur l'evesque de Nevers[2], et à ceulx qui estaient presens en icelle predication, mercy, pardon et misericorde, et en peine de ce m'est imposé, et je me oblige à tenir, sur peine de estre reputé convaincu de heresie, que je ne prescheray en tout le diocèse de Nevers d'ycy à deux ans ....

Acta fuerunt hec Parisius multum solenniter de mane hora quasi nona in cimeterio parochie SS. Innocentium post sermonem ibidem factum ad populum per reverendum mag. Flamingum du Martroy, magistrum in artibus et baccalarium in theologia, anno, *etc.*

Et ego Johannes Cardonis de Craonna, presb., mag. in art., auctor. apost. et imperiali notarius, *etc.*

Bibl. Vat. Cod. lat. Reg. 870, fol. 18. Bibl nat. Paris. ms. lat. 12849, fol. 45. — Bul., IV, 638.

1. Bul. perperam : « Grandis Vallis », ut etiam Péries, *La faculté de Droit*, p. 60, licet in Bibl. Arsen. Paris.

ms. 1123, fol. 12, ad an. 1393 : « Gaudivallis ». Sed ab an. 1250 abbatia Grandis Vallis in Francia non existebat, et jam prius Grandis Vallis dioec. Basileens. in colleg. eccl. mutata erat Scribendum ut in ms. « Gaudii-Vallis », Ord. Praemonstrat., Carnot. dioec., ubi ab an. 1387, Decemb. 18, Bertrandus de Monavalle, decret. baccal., post obitum Roberti abbas fuit (Reg. Aven. Clement. VII, vol. XLIX, fol. 18). Doctor decret. factus est 1387-1389. — 2. Mauritio de Collengis, Ord. Praed., episc. Nivernensi ab an. 1381, April. 1 (Reg. Av. Clement. VII, vol. XXI, fol. 11).

1575. *Ferricus Cassinelli, episc. Autissiodorens., rectori Universitatis Stephanum Gontier, Ord. Praed. Paris., ad examinationem et punitionem propter communionem cum Johanne de Montesono restituit.*

1389, Maii 31, Autissiodori.

Venerande discretionis ac scientie viro domino rectori[1] alme Universitatis Parisiensis, Ferricus permissione divina Autissiodorensis episcopus salutem in filio Virginis gloriose. Cum frater Stephanus Gontier, presbyter religiosus de Ordine fratrum Predicatorum, suo habitu dimisso, in habitu seculari ac sue religioni difformi, a conventu Paris. et absque licentia sui superioris recesserit; et hinc inde apostatando per partes diffugerit, ad nostramque civitatem Autissiodorensem accesserit, et in locum ubi erat hospitatus reverendus in Christo pater ac dominus dominus Nivernensis episcopus[2], nocte cum magno[3] cultello habituque seculari predicto intrav[er]it, predicto reverendo patri insidiando, prout ex vehementi presumptione poterat apparere; cumque propter hoc ad instantiam et requestam predicti reverendi patris per inscitiam scolaritatis eadem nocte captus, et in castro Autissiodorensi imprisonatus fuerit, deindeque per priorem conventus fratrum Predicatorum Autissiodorensium requisitus, ac eidem priori per prepositum Autissiodorensem pro puniendo traditus et deliberatus, cum revera sibi tradere nec liberare debuisset : quapropter nobis sufficienter informatis dictum prepositum monuimus, seu moneri fecimus, ut sub pena interdicti dictum prisionatum in statu quo captus fuerat, nobis restitueret tanquam loci ordinario. Qua monitione precedente predictus prepositus dictum prisionatum recuperavit, et in pristina prisione seu castro Autissiodorensi retrusit aut retrudi fecit : predictus vero prepositus monitionibus nostris obtemperans, in statu et habitu quibus supra, dictum prisionatum nobis restituit et deliberavit. Qui quidem religiosus prisionatus sic nobis restitutus super pluribus per nos interrogatus inter cetera coram nobis confessus fuit, quod ipse fuerat presens quando procuratores ex parte fratrum Predicatorum fuerunt constituti et ordinati; et fuit unus de consentientibus ad appellandum ab Universitate in causa que coram domino nostro papa vertitur super facto fidei inter predictam Universitatem et magistrum Johannem de Montessono. Quare verisimiliter presumimus et presumi debet, ipsum fratrem Stephanum prisionatum, ut supra, suspectum de crimine heresis, excommunicatumque et aggravatum, tanquam fautorem, coadjutorem, necnon adherentem falsis propositionibus per prefatum magistrum Johannem de Montessono positis, ac per Universitatem Parisiensem condemnatis, predictas sententias damnabiliter incurrendo. Hinc est quod ad vos, tanquam ad verum fidei catholice defensorem, predictum fratrem Stepha-

num Gontier prisionatum, apostatam, suspectum et excommunicatum in habitu quo captus fuit et nobis restitutus, transmittimus, ac pro punitione condigna per vos aut deputatos vestros sibi imponenda destinamus vobis, seu a vobis deputatis, quoad ejusdem prisionati examinationem, correptionem, ac excessus punitionem juxta quantitatem demeritique qualitatem.... In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Datum Autissiodori ultima die Maii, anno Domini 1389.

HOQUERON[4].

Bibl. nat. Paris. ms lat 12849 (apogr. saec. XVII), fol. 47. — Bul., IV, 640, omnino mancum.

1. Roberto Cardon. — 2. Ord. Praed., scil. Mauritius de Collengis. Vid. n° 1574, not. 2. Ut ex supradictis et n° 1574 apparet, ipse adversarius propositionum Johannis de Montesono fuit. —3. Bul. omittit « cum magno .... apparere » — 4. Ms. add. « sigillum in cera rubea pendet ».

1576. *Revocatio facta per fratrem Gauffridum de Sancto Martino, Ord. Praed.*

1389, Junii 22, 24, 28, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Anno ab incarnatione ejusdem Domini millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indictione duodecima, mensis Junii die vicesima quarta, pontificatus .... Clementis divina providentia pape septimi anno undecimo, in reverendi in Christo patris et domini Johannis Ambianensis episcopi[1], venerabilium ac circumspectorum virorum magistrorum et dominorum Johannis Caverii rectoris Universitatis studii Parisiensis, Christofori de Cugneriis, Johannis Columbi Ordinis fratrum Minorum, Alphonsi de Bonavilla sacre theologie doctorum, Ricardi abbatis Sancti Martini Trecensis, Petri de Lupimonte, Ricardi de Fontibus decretorum doctorum, Guidonis Guarini facultatis medicine magistri, Johannis Fioti Francie, Johannis Houssette loco Picardie, Johannis Manchon loco Normanie, Mathei Roder[2] loco Anglicane nationum procuratorum in artium facultate magistrorum, plurimorumque aliorum doctorum et magistrorum quattuor facultatum predictarum .... presentia, personaliter constitutus frater Gauffredus de Sancto Martino Jacobita Ordinis fratrum Predicatorum conventus Parisiensis, qui dictus Gauffredus cum antea per longum tempus fuisset virtute cujusdam regie commissionis captus et deinde statim post ejus captionem positus et detentus in carceribus domini episcopi Paris., comparens dictus Gauffredus coram domino officiali Parisiensi ac venerabili viro magistro Roberto Cardon[3], tunc pro illo tempore rectore, ac deputatis singularum facultatum et nationum, non vi aut metu .... ordinationi et dispositioni rectoris et universitatis studii Parisiensis submisit se. Deinde dictus Gauffredus fuit examinatus super certis articulis et propositionibus per dominum officialem Parisiensem, rectorem et deputatos Universitatis Parisiensis. Et responsionibus factis per dictum Gauffredum, iterato dictus Gauffredus submisit se sicut prius dictum est. Ulterius dictus Gauffredus ex consensu et permissione rectoris et Universitatis studii Parisiensis una cum custode carcerariorum domini episcopi Parisiensis anno, indic-

tione, mense subscriptis, die vicesima secunda accessit personaliter ad Sanctum Mathurinum Parisius, ubi celebrabatur congregatio generalis Universitatis Parisiensis regentium et non regentium et per juramentum. Et ibi supplicavit cum maxima humilitate ac genuum multiplici flexione quatenus attenta ejus longua detencione corporisque proprii infirmitate, rector et Universitas vellent procedere ad ejus celeriorem deliberationem quam possent, intuitu pietatis et misericordie, salvo tamen in primis semper ipsi rectori et Universitati honore suo. Qua supplicacione sic facta, dictus magister Robertus Cardon tunc rector ad instantiam et requisitionem dicti Gauffredi posuit eam in deliberatione. Et tunc facultates et nationes se traxerunt ad partem ut inter se deliberarent, ut moris et consuetudinis est in talibus fieri. Demum dictis facultatibus et nationibus in unum congregatis, ut deliberationes suas referrent, fuit deliberatum per omnes quatuor facultates via Sancti Spiritus, nemine reclamante, quod frater Gauffredus deliberaretur modo et forma sequentibus : Primo quod ipse haberet revocare et retractare certas injurias per ipsum dictas in sermone fiendo de mane ad clerum apud fratres Minores Parisius juxta tenorem cujusdam cedule sibi tradende nomine rectoris et Universitatis studii Paris. Item quod in prima congregacione generali, in qua vocaretur ipse personaliter, haberet accedere et ibi peteret veniam a rectore et Universitate de perpetratis ab ipso. Item eodem modo peteret veniam a decano et facultate theologie, quam specialiter offenderat. Item quod si contingeret ipsum in posterum dicere quod Parisiens. Universitas fecisset eum capi sine causa justa seu rationabili, seu eciam quod posset probari eum se dixisse, hoc facto haberet revocare ad populum in gallico. Item quod omnia predicta promitteret adimplere et tenere sub pena relapsus. Quibus sic deliberatis dictus Gauffredus fuit per dominum rectorem vocatus in presencia tocius congregacionis, fueruntque sibi ea que erant deliberata publicata et manifestata. Que omnia et singula dictus Gauffredus promisit adimplere sub pena relapsus antedicta.

Quibus sic factis dictus Gauffredus fuit reductus ad domum episcopi, et modicum post fuit deliberatus. Deinde fuit sibi missa cedula ex parte rectoris Universitatis, juxta cujus tenorem ipse haberet revocare et retractare certas injurias per ipsum dictas. Qua cedula recepta, dictus frater Gauffredus anno, indictione, mense, die suprascriptis in capite presentis instrumenti, presentibus ibidem nominatis, que dies erat festum Nativitatis S. Johannis Baptiste in sermone facto ad clerum de mane apud fratres Minores Paris. revocavit ac retractavit ac alta et intelligibili voce de verbo ad verbum legit.... Sequitur forma revocacionis....

Ego frater Gauffredus de Sancto Martino, Jacobita conventus Paris., in vestrarum dominacionum ac paternitatum presencia constitutus, ex spontanea ac libera submissione mea matri mee Universitati facta revocare teneor aliquas proposiciones .... Nam primo ductus maligno spiritu dixi, tenui et maliciose publicavi, quod quatuor fatui magistri in theologia condampnaverant proposiciones de Montesono .... Item contribui et dedi pecunias meas sicut et alii fratres mei Ordinis fecerunt pro deffensione proposicionum dicti de Montesono, et in sic contribuendo dabam favorem dicto de Montesono et ejus false doctrine .... Item postquam per dominum nostrum regem fuit Universitati matri mee data commissio ut caperentur illi de Ordine meo, qui maliciose doctrinam dicti de Montesono

tenerent aut tenuissent, nisus sum pro toto posse meo ipsam impedire .... Item recognosco et fateor publice quod mater mea Universitas fecit michi magnam graciam in hoc scilicet, quod ita cito me a carceribus expedivit et eciam quod ad plures revocaciones ad populum vel alibi me non obligavit.. .

Acta fuerunt hec Parisius multum solempniter anno, indictione, mense, die, hora, loco et pontificatu predictis, presentibus venerabilibus ac circonspectis viris magistris Roberto d'Archières, magistro camere compotorum regis, Petro de Tonnere consiliario regis in Castelleto, Guidone de Villaribus, canonico S. Germani Autissiodorens., procuratore in Parlamento, Petro de Ruella, Johanne Guioti ac Johanne Moramer et quamplurimis aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Item eisdem anno, indictione et pontificatu quibus supra, die vicesimaoctava mensis Junii, in qua erat vigilia festi beati Petri, in congregacione generali Universitatis Paris. regencium et non regencium et per juramentum hora prime Nostre Domine apud Sanctum Maturinum Parisius, ibi ex mandato domini rectoris personaliter comparens dictus Gaufredus, cum maxima humilitate ac genuum multociens reiterata flexione, posita manu sua in manu domini rectoris peciit veniam a rectore et Universitate de obmissis per eum, promisitque fide media in manu domini rectoris obedire perpetuis temporibus rectori et Universitati, justamque causam Universitatis pro omnibus suis viribus erga universos et singulos, cujuscumque status aut condicionis fuerint, deffendere. Et incontinenti post accessit ad facultatem theologie, et manu sua posita in manu magistri Johannis Golain tanquam decani, cum maxima humilitate ac genuum multiplici flexione peciit veniam a facultate theologie, quam confitebatur se specialiter offendisse, promittens se ulterius facturum quicquid eorum voluntas dictaret seu ordinaret .... presentibus reverendo in Christo patre domino Johanne episcopo Silvanectensi[4], Stephano de Calidomonte[5] magistris in theologia, Galtero Grassi decano facultatis decretorum, Herveo Costioti, Petro de Themericuria decretorum doctoribus, Stephano de Tullo, Guidone Guarini, magistris in medicina, Johanne Fioti Francie, Egidio de Dullendio Picardie, Ursino de Talvande Normanie, et Th[i]elmano de Treveris Anglicane nacionum procuratoribus, in arcium facultate magistris, et quamplurimis aliis testibus ad premissa vocatis et specialiter rogatis.

Et ego Johannes Cardonis de Craonna, presbyter, magister in artibus, Laudunens. dioc., publicus auctoritate apostolica ac imperiali notarius, *etc.*

Originale in Arch. nat. Paris M. 67 b, n° 56. — Bibl. Vat. cod. lat. Reg. 870, fol. 20. D'Argentré, *Coll. jud.*, I², 138, cum adulteratis nominibus.

1. Johannis de Boissy, a sede Matiscon. translati ad sedem Ambianens. Vid. supra n° 1527, not. 1. — 2. Orig. . « Rodec », ms. et D'Argentré · « Rodic ». Designatur Mathaeus Roede (Roeder), qui postea, Octob. 10-Decemb. 16, rector fuit. Vid. p. 454, not. 19. — 3. Fuit rector Martii 24 usque ad Junii 23, qua die Johannes Caverii electus est. — 4. Johanne de Diodona, de quo saepius, tunc provisore domus Sorbonae ab an. 1388. — 5. Qui communiter de « Calvomonte » vocatur. Supra n° 1429.

1577. *Revocatio Johannis Adae, Ord. Praed., mag. in theologia.*

1389, Aug. 20, 29-Septemb. 12, 26.

In nomine Domini, amen. Anno ab Incarnacione ejusdem Domini millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima, mensis Augusti die vicesima, que erat dies Sancti Bernardi, pontificatus .... Clementis divina providencia pape septimi anno undecimo, in venerabilium et circonspectorum virorum magistrorum et dominorum Johannis Caverii rectoris Universitatis studii Parisiensis, Johannis Goulain, de Ord. B. Marie de Monte Carmeli, Hervei Sulven, reverendi in Christo patris Petri abbatis Sancti Victoris prope Parisius sacre theologie doctorum, Yvonis Karengar, Ricardi Belet decretorum doctorum, Guidonis Garini in facultate medicine magistri, Guillermi Gratier loco Francie, Johannis Houssette loco Picardie, Ursini de Talvande Normanie, Th[i]elmani de Treveris Anglicane nacionum procuratorum in artium facultate magistrorum, plurimorumque aliorum .... presencia personaliter constitutus magister Johannes Ade, Jacobita, in theologia magister, non vi aut metu ad hoc inductus, non incarceracionis nec aliquo alio compulsionis timore ad hoc coactus .... in signum perfecte contricionis sue quendam errorum suorum predictorum revocacionis rotulum in verbis latinis scriptum alta et intelligibili voce de verbo ad verbum legit....

Domini mei reverendi, ego frater Johannes Ade de Ordine fratrum Predicatorum, magister in theologia, venio hic propria voluntate ad revocandum certas proposiciones alias per me indebite pluribus in locis assertas. Et primo dixi, alias asserui et publice predicavi in sermone, quod festum Concepcionis beate et gloriose Virginis Marie non erat sollempnizandum nec colendum, et qui cole[re]nt dictum festum male facerent plus quam bene. Illud revoco tanquam falsum, presumptuosum, scandalosum et piarum aurium offensivum.

Item dixi, asserui et publice predicavi in sermone, quod qui non coleret nec sollempnizaret dictum festum, non peccaret, quamvis ego scirem episcopum precepisse contrarium, et quod gentes non deberent dimittere operas suas propter dictum festum. Illud revoco tanquam falsum, presumptuosum, scandalosum in contemptum episcopi et auctoritatis episcopalis et piarum aurium offensivum.

Item predicando ad populum increpavi illos qui in laudem Virginis Marie tenebant, eam non fuisse in originali peccato conceptam, improperando eis et dicendo : *En volés-vous faire une deesse? Tout ainssy comme ce je vossisse dire que luy attribuer celte loenge estoit la faire deesse.* Illud revoco tanquam falsum et in fide erroneum et piarum aurium potissime devotarum Virgini offensivum.

Item dixi, asserui et predicavi quod, si quis habeat curatum contra quem haberet rancorem vel quod crederet eum non esse ydoneum, quod auctoritate propria ire posset ad alium, et quod melius esset sacerdotibus confitentibus in ecclesia Sancti Jacobi de Carnificeria quod irent ad sermonem, quam confiteri illos quos confitebantur in dicta ecclesia, ubi ego predicabam. Quoad id quod dixi quod auctoritate propria in casibus supradictis ire potest ad alium, dico quod illud est contempnere et vilipendere auctoritatem superioris, sine quorum licencia in talibus aut similibus casibus non licet ad alium ire ; et expono quod si vadat ad religiosum per papam et episcopum notorie approbatum, illud non est auctoritate propria, sed auctoritate superioris, ut premittitur, sibi concessa. Dico eciam quod nec rancor nec credulitas de non ydoneitate sunt sufficientes cause de vitando curatum suum, ymo male facit tenendo rancorem et propria auctoritate credendo curatum non esse ydoneum.

Item dixi et asserui quod fratres Predicatores erant curati et papa et episcopus, et quod si curati illorum quorum audierant confessiones, nollent ipsis ministrare eucaristiam ex eo quod ipsi non essent confessi ipsis curatis seu commissis ab ipsis, quod si ipsi venirent ad ipsos religiosos, quod ipsi ministrarent eis eucaristiam, quia majorem potestatem habebant quam curati. Illud revoco et dico me false et male dixisse, fratres Jacobitas Ordinis mei

esse curatos. Quoad illud de administracione eucaristie dico quod si in tali predicto casu religiosi ministrarent, essent excommunicati; et per amplius dico, quod in materia subjecta non habent majorem auctoritatem quam curati, et per hoc dico me male et false dixisse in predictis.

Item dixi quod ego favi magistro Johanni de Montesono. Dico quod fatue et insipienter dixi et favi.

Item dixi et asserui quod proposiciones de Montesono, quas posuit in vesperiis suis et aliis locis alias condempnate, erant vere. Dico me in hoc false, fraudulose et erronee dixisse; et credo firmiter quod sententia domini episcopi Parisiensis, in facultate theologie approbata et substentata per matrem meam Universitatem Parisiensem, data contra quatuordecim proposiciones fratris Johannis de Montesono sit bene et juste ac sancte data et bene sive legitime ordinata, prout casum decet sive prout casus exigit; et juro per fidem meam et sub pena relapsus promitto quod nunquam decetero dictis proposicionibus nec alicui illarum assertis seu positis per Johannem de Montesono de Ordine nostro dabo auxilium, concilium vel favorem, nec ibo contra sentenciam datam per dominum Parisiensem episcopum et per facultatem theologie supradictos....

Item teneo et credo quod dictus de Montesono fatue et male locutus sit in omnibus proposicionibus per eum assertis sive dictis, et si aliquid falsum aut suspectum inveniatur in libro translato per magistrum Johannem Thome[1] nundum examinato ad plenum, quod ad me processerit ad id revocandum ex nunc et ex tunc me submitto tanquam illius particeps aut conscius.....

Acta fuerunt hec multum sollempniter Parisius de mane hora quasi septima in Sancto Bernardo ante sermonem ibi faciendum ad clerum anno, indiccione, mense, die et pontificatu predictis, presentibus venerabilibus et discretis viris Johanne Goulain, Hemone Bohic, Henrico de Tremonia[2] in sacra theologia magistris, Radulpho de Ulmonte in artibus magistro ac in utroque jure licenciato, Gauffredo Morelli et Johanne Danton juniore notariis apostolicis publicis, et quamplurimis aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Item eisdem anno, indiccione et pontificatu quibus supra, die dominico in festo Decollacionis beati Johannis Baptiste, que erat mensis Augusti dies vicesimanona, in venerabilium ac circonspectorum virorum magistrorum et dominorum Johannis Caverii rectoris Universitatis studii Parisiensis, Christofori de Cugneriis, Eveni Bohic, Alphonsi de Bonavilla sacre theologie doctorum, Johannis Baudouardi[3], Ricardi Belet, Eustacii de Rivo decretorum doctorum, Guidonis Garini, Petri Dares in facultate medicine magistrorum, Johannis Fioti Francie, Reneri Probihominis Picardie, Guillermi Carpentarii Normanie, Bertholdi de Alcmaria Anglicane nationum procuratorum, in artium facultate magistrorum, plurimorumque aliorum doctorum .... presencia personaliter constitutus magister Johannes Ade, Jacobita, in theologia magister, non vi aut metu ad hoc inductus nec incarceracionis aut aliquo alio compulsionis timore ad hoc coactus .... quemdam errorum suorum predictorum revocacionis rotulum in verbis gallicis scriptum alta et intelligibili voce de verbo ad verbum legit et omnia et singula in eodem rotulo contenta ore proprio pronunciavit audientibus et ascultantibus et intelligentibus utriusque sexus populi ad hoc audiendum ibidem convocatis multitudine copiosa. Cujus rotuli tenor sequitur et est talis[4] ....

Acta fuerunt hec multum sollempniter Parisius de mane hora quasi octava in S. Jacobo de Carnificeria, in medio sermonis ibidem incepti ad populum....

Item eisdem anno, indiccione et pontificatu quibus supra, die dominico post festum

Nativitatis Virginis gloriose, que dies fuit duodecima dies mensis Septembris, in venerabilium ac circonspectorum virorum magistrorum et dominorum Johannis Caverii rectoris Universitatis studii Parisiensis, Johannis de Karolay canonici Parisiensis, sacre theologie doctoris, Johannis de Lupimonte, Johannis Baudoardi, Galteri Grassi decretorum doctorum, Johannis de Pluimono[5] in facultate medicine magistri, Johannis Fioti Francie, Reneri Probihominis Picardie, Guillermi Carpentarii Normanie ac Bartholdi de Alcmaria Anglicane nacionum procuratorum, in artium facultate magistrorum, plurimorumque aliorum doctorum et magistrorum .... presencia personaliter constitutus magister Johannes Ade, Jacobita, in theologia magister .... quendam errorum suorum predictorum revocacionis rotulum in verbis gallicis scriptum .... alta et intelligibili voce de verbo ad verbum legit et omnia et singula in eodem rotulo contenta ore proprio pronunciavit, audientibus, auscultantibus et intelligentibus utriusque sexus populi ad hoc audiendum convocatis multitudine copiosa.... Acta fuerunt hec multum solempniter Parisius de mane hora quasi nona vel circiter in parvisio ecclesie Parisiensis circa medium sermonis ibidem facte ad populum anno, indiccione, mense, die, pontificatu, loco et hora predictis, presentibus venerabilibus et discretis viris et dominis Amblardo de Mirolio canonico Parisiensi, Radulpho de Venizello, Johanne de Sancta Cruce presbyteris, Colino Charon notario apostolico et quamplurimis aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Item eisdem anno, indiccione, pontificatu quibus supra, die dominica vicesimasexta mensis Septembris in venerabilium et circonspectorum virorum magistrorum et dominorum Johannis Caverii rectoris Universitatis studii Parisiensis, Johannis Trelon, Eveni Boyc, Johannis Columbi in theologia magistrorum, Johannis Baudouardi decretorum doctoris, Guidonis Guarini, Johannis de Salecia in medicina magistrorum, Johannis Pasquerii loco Francie, Johannis de Zondis loco Picardie, Guillermi Carpentarii Normanie, et Bertholdi de Alcmaria Anglicane nacionum procuratorum, in artium facultate magistrorum, plurimorumque aliorum doctorum et magistrorum .... presencia personaliter constitutus magister Johannes Ade, Jacobita, in theologia magister .... prefatum errorum suorum predictorum revocacionis rotulum in verbis gallicis scriptum .... alta et intelligibili voce de verbo ad verbum legit... Acta fuerunt hec multum sollempniter Parisius de mane hora quasi nona vel circiter in claustro Sancti Honorati prope castrum regale de Lupara post sermonem ibidem factum ad populum anno, indiccione, mense, die, loco, pontificatu et hora predictis, presentibus venerabilibus et discretis viris Goberto Bintardi magistro in artibus, Symone Bourdon cive Parisiensi, Johanne Tancomari notario Castelleti Parisiensis, Gaudeffrido Morelli ac Johanne Danton juniore notariis apostolicis et quamplurimis aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Cardonis de Craonna, presbyter Laudunens. dyoc., mag. in art., publicus auctoritate apostolica ac imperiali notarius, *etc.*

Duo originalia in Arch. nat. Paris. M. 67^{b}, n^{is} 54 et 55. — Bul., IV, 641-647.

1. Scil. in traductione gallica Jeremiae 17-30, de qua supra p. 520, not. 3. — 2. Utrumque orig. : « Tremonia ». Bul. « Ceromania ». Vid. p. 491, not. 2. — 3. Orig. potius : « Baudenardi ». — 4. Sequitur eadem omnino revocatio supra edita in lingua gallica. — 5. Unum orig. « Ploimonno », alterum : « Pluimonno ». Vid. supra p. 455.

1578. *Revocatio Petri de Chanceyo, Ord. Praed.*

1389, Octobris 10, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Anno ab incarnatione ejusdem Domini millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indictione duodecima, mensis Octobris die decima, pontificatus .... Clementis divina providentia pape septimi anno undecimo, in venerabilium ac circonspectorum virorum magistrorum et dominorum Johannis Caverii rectoris Universitatis studii Parisiensis, Christophori de Cugneriis, Ord. frat. Min., s. theologie doctoris, Ricardi Belet, Ricardi de Fonte, Galteri Crassi decretorum doctorum, Guillermi Carnificis, Johannis Comitis, Petri Dares in facultate medicine magistrorum, Symonis le Renvosié, Francie, Johannis de Ruella, loco Picardie, Petri Mauge, Normanie, et Bertholdi de Alcmaria, Anglicane nacionum procuratorum, in artium facultate magistrorum, plurimorumque aliorum doctorum .... presencia personaliter constitutus frater Petrus de Chanseyo, Jacobita, conventus Cathalanensis[1], non vi aut metu ad hoc inductus .... quendam errorum suorum predictorum revocacionis rotulum in verbis latinis scriptum alta et intelligibili voce de verbo ad verbum legit ....

Domini mei reverendi, ego frater Petrus de Chanseyo, Jacobita, venio hic propria voluntate ad revocandum certas proposiciones alias per me indebite assertas in pluribus locis, et primo confiteor et coram vobis assero, quod ex justa et racionabili causa fui captus et Parisius adductus ad tenendum carceres, donec recepissem correctionem de pluribus falsitatibus, in quibus defeci Que quidem falsitates tangunt veritatem nostre fidei et honorem beate Virginis gloriose. Et primo a quinque annis vel sex, aut citra, predicando in domo nostra in Cathalano de materia conceptionis Virginis gloriose, dure reprehendi tenentes quod ipsa non fuit concepta in peccato originali, dicendo ista verba vel consimilia in gallico correspondenti : « Alique muliercule murmuraverunt per civitatem istam ex eo, quod lector noster eis alias predicavit quod Virgo Maria fuit concepta in peccato originali Male faciunt de ita murmurando, quia verum dicit idem lector; fuit enim concepta, et quicunque credit oppositum, male credit, nam fuit concepta de Joachim et Anna, sicut et nos concipimur. » Illud revoco tanquam presumptuose dictum quoad illam clausulam : « et quicumque credit oppositum, male credit ».

Item, solvi unum manutergium precii unius franci pro contributione litis in Avinione pro fratre Johanne de Montesono, eo quod non habebam pecuniam, scilicet decem solidos michi impositos pro dicta lite. Dico me male fecisse et Johanni de Montesono temere me favisse in hoc.

Item, a tempore quo littere Universitatis super reprobacionum (*sic*) conclusionum dicti fratris fuerunt Cathalani publicate, in quodam sermone meo in ecclesia beate Marie in Vallibus, intrans materiam reprobacionis dictarum conclusionum per Universitatem, dixi ista verba vel consimilia in gallico : *Je me merveille que on nous demande, quar nous avons esté ainssy fermes en la foy, comme religieux qui furent oncques.* Et post multa verba Ordinis mei laudativa in eodem sermone hanc subjunxi fabulam cujusdam probi hominis, qui vidit in orto suo quendam leporem, et lepose (*sic*) viso reversus fuit ad domum suam et invitavit vicinos ad dictum leporem comedendum; cumque in crastino ad capiendum leporem reversus fuisset, non invenit leporem, et tunc dixit : « Nondum est captus lepus, nondum est captus lepus. » Et subjunxi gallice : *Ainssy vous di-je que encore n'est-il pas prins le lièvre*, per hoc dans intelligere audientibus, partem fratris Johannis de Montesono colorem justicie et veritatis habere, et per hoc non esse captum nec capiendum, condampnatum aut eciam condampnandum. Dico me non applicasse exemplum de lepore ad illos de Universitate, sed ad Augustinenses; et dico, temere et presumptuose me

dixisse, et debere ab eisdem Augustinensibus veniam humiliter petere, tam Parisius, quam in loco ubi sic locutus sum.

Item, a tempore publicacionis sentencie Universitatis super illis conclusionibus supradictis, dixi de illam confirmantibus sive approbantibus, verba que secuntur, vel similia : *Aucuns coquars appellent l'Université de Paris leur mère. Mais nous n'avons mère que saincte esglise.* Si hoc intelligebam de magistris vel studentibus Parisius, revoco tanquam falsum, presumptuosum, temerarium et piarum aurium offensivum.

Item, a tempore prefato nuper existens in domo Girardini de la Cloche hospitalarii, cum a me quereretur, qualiter michi erat; respondi quod male, et quod totus populus clamabat contra nos. Et cum michi replicaretur, quod non erat mirum, cum teneremus falsas opiniones et contra Universitatem Parisiensem, que est fons scientie, ego respondi verba que secuntur, gallice et publice : « Nos non tenemus neque tenuimus falsas opiniones; sed quecumque diximus, vera sunt. » Et tandem conclusive subjunxi : *Volés-vous que je vous en die : l'Université de Paris a mal estudié, nous ly en dorrons à estudier.* Et post plura verba subjunxi quasi despective : *Que puet-on dire de la Vierge Marie? par Dieu elle fust mortèle, et si m'a donnet* (sic) *cest habit :* ostendendo meum capulare. Illud revoco tanquam falsum, presumptuosum et temerarium et ridiculosum quoad ultimam clausulam [2].

Acta fuerunt hec multum sollempniter Parisius post prandium hora quasi quarta vel circiter apud fratres Minores, post collacionem ibidem factam ad clerum Universitatis Parisiensis (que collacio de vesperis et sermo de mane temporibus preteritis quibuslibet diebus dominicis Parisius apud Jacobitas fieri consueverunt; qua collacione et eciam sermone predicti Jacobite, demeritis ipsorum exigentibus, in instrumentis publicis alias super hoc confectis plenius expressatis, perpetuo sunt privati, et in ipsorum Jacobitarum confusionem apud predictos fratres Minores predicti sermo et collacio in perpetuam rei memoriam perpetuo sunt translati [3]), anno, indictione, mense, die et pontificatu predictis, presentibus venerabilibus ac circonspectis viris reverendo in Christo patre Pascali [4], abbate de Cultura, Petro Biaublé [5] in utroque jure licentiato, Gauffredo Niczonis, domini nostri regis Francie secretario ac canonico Masticonensi, Roberto de Acheriis, magistro compotorum regis, Petro Cramette, canonico Morinensi, Petro de Tonodoro, canonico Tournacensi, et quamplurimis aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Cardonis de Craonna presbyter, magister in artibus, Laudunensis dyocesis, publicus, *etc.*

Originale in Arch. nat. Paris. M. 67^{b}, nº 45. Pertinebat ad Arch. Univ. (B. 7. i) — D'Argentré, *Coll. jud.*, I^{2}, p. 141.

1. Ms. : « Cathanensis », i. e. Catalaunensis (Châlons). — 2. Sequuntur aliae revocationes quoad praedicationes de Conceptione b. Virginis; demum firmum propositum pro futuro tenendi sententiam Parisiensem affirmat, veniamque Petrus petit. — 3. Vid. supra nº 1570. In documento n^{i} sequentis narratur, sermonem a Jacobitis ad Minores translatum esse « in congregatione generali alme matris Universitatis Paris. magistrorum regencium et non regencium et per juramentum celebrata Parisius in Sancto Maturino ». Vid. D'Argentré, p. 146. Verisimiliter hoc factum est in una istarum congregationum, in quibus Praedicatoribus ultimus locus assignabatur. Vid. n^{um} 1567. — 4. Pascali Huguenot, juris utr. doctore, qui an. 1369, Decemb. 17, cum esset bac. in decret. et prior prioratus S. Hilarii Abrincens. dioc., factus est abbas de Lonleio, O. S. Ben. (Reg. Av. Urb. V, vol. XXIII, fol. 16^{b}), an. 1376, April. 4, translatus est ad abbatiam S. Petri de Cultura (Reg. Vat. Greg. XI, nº 290, f. 110) Mancum in *Gall. christ.*, XIV, 478, 495. — 5. Seu « Beaublé », de quo p. 477. not.

1579. *Johannes Nicolai, antiquior Jacobita, bis apud Minores, et semel apud Carmelitas, dum sermo haberetur, confitetur se fuisse fautorem Johannis de Montesono suarumque propositionum; fratres, qui revocaverant, veritatem revocasse, eosque haereticos esse et neminem cum ipsis debere communicare. Veniam petit.*

1390, Septemb. 8, 11, Parisiis.

D'Argentré, *Coll. jud.*, I², pp. 144-147. — Acta sub rectore Universitatis Roberto Cardeny (v. *Auct. Chartul.*, I, 604, 30), praesentibus Petro [Ducis] abbate S. Victoris Paris., Johanne Goulein, Carmel., Herveo Sulven, Guillelmo de Gardino, Dominico Parvi, Henrico Herout, Stephano de Mesnillo[1] (*D'Arg.* : Magnillo) ministro Maturinorum Paris , Johanne Vitalis, Ord. Min., *mag. in theol.;* Richardo abbate Trecensi, Herveo Costroti, Henrico Bueve (*D'Arg.* : Buenae), Yvone Karengar (*D'Arg.* : Liarengar), Herveo Rousselli, Richardo de Fonte, Johanne de Socco (*D'Arg* : Sacto), Petro de Lupimonte, *decret. doctor.;* Radulpho de Harbis, Guidone Guarin, Martino Gazel, Petro Verelli, Thoma Graffart, Thoma Blanchechappe, *medic. mag.;* Petro de Chissiaco (Henrici Chicoti[2] loco) Franciae, Johanne Fabri (Sept. 11 · Radulpho Blanche) loco Picardiae, Mattheo Pielli Normanniae, Guillelmo Mare Anglicanae nationum procuratoribus, aliisque.

1. Ipse scribit (in Arch. nat Paris.. J. 517, nº 148) · « frère Estienne du Mesnilfouchart, menistre de l'esglise Saint-Maturin de Paris. », *etc.* Vid. infra *De Schismate*, nº 1678. In *Catal. licent.* ad an. 1389, quando licentiatus est : Stephanus Colini. — 2. D'Arg. : « Clicoti ».

1580. *Clemens VII duobus magistris in theol. Ord. Praed. permittit ut, defuncto magistro generali Ord , nomine Ordinis cum Universitate Paris. tractare, promittere, etc., valeant.*

1390, Februarii 27.

Dilectis filiis Petro Borrerii[1] et Godefrido de Warria, Ord. frat. Pred. ac sacre pagine professoribus, salutem, etc. In desideriis nostris potissime geritur et[2] instantia multe solicitudinis excitamur, ut cunctos ecclesie Romane filios et fideles in pacis unitate servemus et inter eos quamlibet dissensionis materiam precidamus. Sane nuper attendentes, quanta dispendia quantaque pericula proveniebant animarum et quanta oriebantur scandala ex dissensionis materia inter dilectos filios Universitatem Parisiens. et fratres Ord. Pred. suscitata, ac vias et modos exquirentes per quas hujusmodi dissensioni finis imponeretur, venerabilem frat. nostrum Johannem episcopum Tusculanum[3] ac dilectum filium Petrum[4] tit. S. Susanne sancte Romane ecclesie presbyterum, cardinales, commissarios duximus deputandos de beneplacito et assensu carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustris super tractatu pacis et exterminatione dicte dissensionis inter prenominatos ordinando. Cum autem nos ad presens tractatum et articulos super hiis per eosdem commissarios matura deliberatione ordinatos ac nobis et eidem regi gratos et acceptos eidem Universitati transmittamus, et sicut accepimus quondam Helias Raymundi, magister generalis dicti Ordinis, hujusmodi tractatu per eosdem commissarios ordinato nondum expedito, viam fuerit universe carnis ingressus, et non sit eidem Ordini de alio generali provisum[5] : nos, ne propterea que fuerint agenda nomine dicti Ordinis cum eadem Universitate dictorum tractatus et articulorum vigore retardentur vel alias postponantur, volentes super hiis providere, ac de vestre discretionis industria et probitate plenam in Domino fiduciam obtinentes, vobis et vestrum cuilibet omnia et singula que continentur in dictis tractatu et articulis nomine dicti Ordinis gerendi et exercendi, obligandi, inhibendi, tractandi et pro-

mittendi, mandandi et alia faciendi secundum tenorem contentorum[6] in eisdem tractatu et articulis, que pro dicte dissensionis sedatione et pacis reformatione fuerint oportuna, et que in hac parte generalis ejusdem Ordinis facere posset, plenam et liberam concedimus presentium tenore potestatem. Non obstantibus, *etc.* Datum Avinione iij kal. Martii, anno duodecimo.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. LVIII. *De curia*, quat. 1.

1. Sitne Petrus Borroni (vid supra nº 1343), qui fuit procurator generalis Ordinis? — 2. Reg. · « ut ». — 3. Johannem de la Grange, O. S. B., episc. Ambian.. card. S. Marcelli ab an. 1375, Dec. 20, episc. Tuscul. ab an. 1379. — 4. Petrum de Tureio, de quo supra p. 481, not. 1, et nº 1573. An 1389 Clemens alios commissarios elegit. Vid. nº 1567. — 5. Novus mag. generalis, Nicolaus de Troia, an. 1391 solummodo, in Capitulo generali Caesaraugustae circa Maii 14 celebrato, electus est. — 6. Aegre ferimus, hunc tractatum articulosque dictos ad nos non venisse.

1581. *Clemens VII Jacobo de Moreyo, Ord. Praed., sacri palatii et in theol. magistro injungit, ut Guillelmo Catou, Ord. Praed., qui logicam et philosophiam, et Parisiis librum Sentent. ante duos annos legit, post examinationem saltem duorum magistrorum, magisterii honorem impertiat, cum « Parisius ex certis causis in theol. magistrari non possit ».* Dat. Avenione iiij non. Junii, anno duodecimo. « Viri sacre ».

1390, Junii 2, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. LVII, *Divers. form.*, quat. 5, fol. 13. — Istae « certae causae » bene notae sunt. Fratres Praedicatores, ut supra vidimus, propter Johannem de Montesono et sequaces ejus ab Universitate Paris. alienati erant. Sic an. 1393, Junii 29, idem Jacobus de Moreyo mandatum recipit. ut Stephanum Guerrederii ejusd. Ord., qui Andegavis et Rupellae legit et baccalareus palatii apost. factus est, ad magisterii gradum promoveat, « cum propter discordias et questiones jam diu inter Universitatem Paris. et nonnullos fratres Ord. Pred. excitatas, fratres ejusd. Ord., quantuncunque sufficientes existant, ad quoscunque gradus in dicta facultate in eadem Universitate promoveri non possint » (ibid., vol. LXVIII, f. 404b).

1582. *Clemens VII cancellariis Paris. et Tolosan. injungit, ut contra fautores errorum occasione quaestionis inter Universitatem Paris. et Praedicatores procedant. Revocat postea hanc ordinationem.*

1390, Martii 1-1391, Julii 12, Avenione.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Petro de Ailliaco cancellario ecclesie Parisiensis et in sacra pagina professori, ac Aycardo de Quimballo[1] cancellario studii Tholosani, salutem et apostolicam benedictionem. Solent perverse mentes, dum ad earum insolencias refrenandas nervus publice discipline lentescit, lapsiores fieri ad peccandum et eo amplius ad flagitia currere, quo ad reprimendas easdem magis pia fuerit auctoritas presidentis. Propter quod ne exemplum impunitate periculosius in alios dirivetur, expedit sic debitam executionem[2] adhibere justicie, quod commissa jam crimina puniantur et audacia committendorum (*sic*) similia precludatur. Accepimus siquidem quod in diversis et variis regni Francie partibus propter discordiam habitam inter dilectos filios Universitatem Parisiensem et fratres Ordinis Predicatorum nonnulla scandala et oblocutiones populorum sunt exorta nonnulleque pululationes errorum incipiunt exoriri. Nos

igitur super hiis salubriter providere volentes ac cupientes quod cessantibus oblocutionibus, sublatis scandalis et erroribus extirpatis, fides in dictis partibus vigeat incorrupta, de vestre circunspectionis industria in hiis fiduciam gerentes in Domino specialem, vobis et vestrum cuilibet inquirendi et procedendi auctoritate nostra contra quoscunque exemptos religiosos et seculares, qui errores seu conclusiones temerarias aut malesonantes perniciosas seu prebentes materiam scandalorum aut oblocutiones in ecclesia sancta Dei generantes occasione dicte questionis fovent vel sustinent, ac ipsos et eorum quemlibet juxta delictorum exigenciam et prout via justicie suadebit eadem auctoritate corrigendi et puniendi, sic quod alii a similibus retrahantur, et invocandi ad hoc si opus fuerit auxilium brachii secularis, non obstantibus ...... plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Avinione kal. Marcii, pontificatus nostri anno duodecimo.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. LVIII, quat. primo *De curia*. In Arch. nat. Paris. L. 365, nº 48, bulla inserta est litteris Clementis VII iiij id. Julii, an. tertiodecimo (1391, Jul. 12). Sub hac enim temporis nota Clemens VII (*Ad fut. rei mem.* « Providentia sedis ») priores litteras supra editas revocat, dicens . « Nos igitur ex certis rationabilibus et justis causis animum nostrum moventibus, quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, litteras ipsas et ipsarum continenciam et tenorem auctoritate apostolica et ex certa scientia revocamus, cassamus et annullamus ac juribus et efficacia vacuamus. » Vid. praeterea infra nº 1583.

1. In ultimo termino sui longi cancellariatus haec fiebant, cum ejus successor, Petrus (Rabat), leg. doctor, cancellarius eccl. Tolos., jam an. 1395, Aug. 2, episcopus Matiscon. nominatus sit (Reg. Aven. Bened. XIII, vol. I, fol. 174). — 2. Reg. : « expeditionem ».

1583. *Clemens VII omnes causas inter Universitatem Paris. et Ord. Praed. ad audientiam suam advocat.*

1391, Julii 12, Avenione.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Sedis apostolice providencia circunspecta de et in rebus omnibus et agendis disponere consuevit, prout qualitati temporum et locorum conspicit in Domino salubriter expedire. Hinc est quod omnes et quascunque questiones, controversias atque causas inter dilectos filios Universitatem Parisiensem et Ordinem fratrum Predicatorum quomodocunque et qualitercunque ac ubicunque et coram quibuscunque vertuntur cum dependentibus, emergentibus et connexis, ad nos et nostras manus ac ad audientiam nostram tenore presentium ex certa scientia, auctoritate apostolica advocamus, inhibentes venerabili fratri nostro episcopo Parisiensi et quibuscunque aliis judicibus ecclesiasticis aut secularibus ordinariis vel quomodolibet delegatis, ne de dictis questionibus, controversiis atque causis se decetero intromittant, ac decernentes irritum et inane si secus super hiis a quoquam .... contigerit attemptari. Nulli ergo, *etc.* Datum Avinione iiij id. Julii, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Jo. de Neapoli.

Orig. in Arch. nat. Paris. L. 365, nº 49. Ad haec vid. not. ad num 1582. — Haec quantum ad istam discordiam sufficiant. Quaedam documenta afferre omisimus, quae Ord. Praed. tantum respiciunt, nec operae pretium esse duximus opinionem de causis politicis Universitatis in hac quaestione a K. Muller, in *Zeitschr. f. Kirchengesch.*, VIII, 230 sqq , propugnatam refellere.

1584. *Clemens VII Guillelmo de Cussey, monacho monast. S. Benigni de Divione, O. S. B., concedit, ut in Parisiens. studio jus canonicum suis sumptibus audire valeat, superioris sui nec petita nec obtenta licentia.* Dat. Avinione xvij kal. Februarii, an. duodecimo. « Religionis zelus ».

1390, Januarii 16, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. LIX, quat 4, *Divers. form.*

1585. *Clemens VII (Petro de Ailliaco) cancellario Parisiens. injungit, ut Petrum Magistri, Ord. Eremit. S. Aug., qui dudum in Basiliensi et Metensi per plures annos Sententias et deinde in Parisiensi studiis Bibliam legit, et demum tam in provinciali quam generali Capitulis per fratres dicti Ordinis ultimo celebratis ad legendas Sententias in studio Parisiensi nominatus et postulatus exstitit, ad legendas Sententias in scholis ordinariis loci dictorum fratrum Parisiens. pro anno sequenti tempore aestivali auctoritate apostolica deputet et deinde ad honorem magisterii studeat promovere sibique legendi et regendi ubique in facultate praedicta licentiam largiatur.* Dat Avinione id. Junii, anno duodecimo. « Illis qui assumpti ».

1390, Junii 13, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. LIX, quat. 5, *Divers. form.* — E *Catal. licent.* (ubi « Petrus Lemaistre », sicut ipse etiam scribit, Arch. nat. Paris. J. 517, nº 203), an. 1397 in theol. licentiatus est.

1586. *Carolus VI, rex Francorum, prohibet, ne quis medicinam vel chirurgiam exerceat, nisi sit approbatus.*

1390, Augusti 3, S. Germani in Laya.

Charles par la grace de Dieu roy de France au prevost de Paris[1] et à tous noz autres justiciers ou à leurs lieuxtenans, salut. Il est venu à nostre congnoissance que plusieurs praticiens tant en medecine comme en cirurgie se exposent indeuement à visiter malades et abusent desdictes sciences en eulx promettant et acertenant les garir et curer de leurs maladies et de eulx faire chose, laquelle il ne sauroient ne pourroient et contre les termes de la verité desdictes sciences, dont plusieurs perilz et inconveniens se sont et pourroient plus grans ensuir se pourveu ny estoit. Pour quoy nous, qui ne vouldrions telz choses dissimuler ne souffrir, nous mandons en commettant, se mestier est, et à chascun de vous, si comme à lui appartendra, que sur ce vous informer diligemment et à ceulx que vous trouverez non expers et insouffisans à pratiquer ès dictes sciences, defender sur telles paines qu'il vous semblera à faire de raison que en aucune manière ilz ne excercent la pratique desdictes sciences. Et ou cas que aucun non maistrisié ès sciences dessuz dictes vouldroit dire et maintenir, soy estre souffisant pour la dicte science excercer, nous ne voulons que aucunement il y soit receu jusques ad ce qu'il vous appère qu'il soit examiné et trouvé souffisant par ceuls à qui il appartient. Donné à Saint Germain en Laye le iij[e] jour d'Aoust l'an de grace mil trois cens quatre vins et dix, et le x[e] de nostre règne. *Par le Roy en son conseil*,

L. BLANCHET.

Arch. nat. Paris., Livre rouge vieux du Châtelet, Y 2, fol. 101[b] (91[b]), sub rubrica · « Lettre pour les cirurgiens et

medecins, que aucuns n'y soient receuz à prattiquer, s'il ne sont trouvez souffisans. » In fine « Publiées en jugement ou Chastellet de Paris, le lieutenant tenant le siège le mercredi xvij jour d'Aoust l'an MLCCCIIII^{xx} et dix. J. DE FONTENAY.— Publié souffisaument es lieux acoustumez a faire cris par Jehan Le Maire, crieur du roy nostre sire, le samedi xxe jour d'Aoust l'an IIII^{xx} et dix. J. LE MAIRE. — Collation faite à l'original scellé en cire jaune et à simple queu, qui fu rendu au doyen de la faculté de medicine, nomine m^{e} Thomas Blanchechappe. J. LE BÈGUE ». — Bul., IV, 673 *Ordonn. des rois*, VII, 354.

1. Johanni de Folleville.

1587. « *Secuntur nova statuta [facultatis decretorum], facta anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, xxviij^{a} die Septembris; que debent legi quolibet anno cum predictis*[1]. »

1390, Septembris, 28. Parisiis.

Cum nos, decanus et collegium facultatis decretorum Parisiensis, commodum et utilitatem scolarium et bacchalariorum in eadem facultate legentium affectantes, ipsorumque sumptus et labores ac onera eis incumbentia in parte relevare volentes, certis et legittimis causis nos ad hoc moventibus, nuper statuimus et ordinavimus, quod nullus ad gradum bachalariatus in jure canonico admissus aut in posterum admittendus decetero plura proposita facere teneatur, sed unico et primo proposito dumtaxat, cum harenga bene, laudabiliter et sollempniter facta, sit contentus, ut per hoc ipsi bacchalarii a multitudine propositorum ceterisque sumptibus et oneribus circa hoc incumbentibus amodo releventur; cumque sit juri consonum, ut qui in uno relevatur, in alio laborem utiliter subire non recuset : idcirco nos, prefati decanus et collegium ejusdem facultatis, honori ac in ea legentium utilitati (dicta etiam proposita in melius commutando) providere cupientes, tribus edictis pro statuendo, ut moris est, sollemniter factis, et omnibus doctoribus super hoc specialiter evocatis, maturaque deliberacione prehabita, statuimus et ordinamus, etiam declarando et supplendo ad alia statuta, que secuntur :

Et primo, quod decetero nullus in forma canonistarum admittatur ad examen pro licentia in jure canonico Parisius optinenda, nisi prius per quadraginta menses completos ad minus in v annis iiij^{or} libros juris canonici integre, bene et debite legerit in studio generali, quarto libro *Decretalium* minime computato, nisi cum eo legerit *Clementinas*. Cum illo tamen qui tres libros juris canonici et majorem partem alterius perlegerit, dummodo xl menses predictos in quinque annis, ut premittitur, compleverit, poterit per facultatem dispensari; ita tamen, quod postmodum predictum librum, per suum juramentum complere teneatur. Quo completo de hoc fidem faciet in facultate, nisi ex justa et rationabili causa super hujusmodi lectura per facultatem fuerit cum eo dispensatum, omnibus tamen doctoribus regentibus ad hujusmodi graciam seu dispensacionem eidem faciendam primitus per tres missas specialiter evocatis.

Item, quia graduati in jure civili, in rigore examinis vel in forma legistarum ad lecturam admissi, ad acquirendum legum scientiam noctes frequenter cum magnis laboribus transeunt insompnes; et dignum est ut qui majores amplectuntur labores ampliori gaudeant prerogativa libertatis : idcirco nos, prefati decanus et collegium, statuimus et ordinamus,

quod decetero nullus scolaris aut bacchalarius in legibus, vel eciam graciose licenciatus, admittatur in forma legistarum ad examen pro licencia in jure canonico Parisius optinenda, nisi prius per xxiiij^or menses completos ad minus, in tribus annis, tres libros juris canonici integre, beneque et decenter legerit, quarto libro *Decretalium* minime computato, nisi cum eo legerit *Clementinas*. Cum illo tamen qui duos libros et majorem partem tercii perlegerit, dummodo dictos xxiiij^or menses in tribus annis compleverit, poterit per facultatem dispensari; ita tamen quod dictum librum per suum juramentum complere teneatur : de quo fidem faciet facultati, nisi ex justa et rationabili causa super ipsius libri complemento per facultatem fuerit cum eo dispensatum; omnibus doctoribus regentibus ad hujusmodi dispensacionem faciendam primitus per tres missas specialiter evocatis. Antiquis statutis quoad licenciatos in jure civili in rigore examinis in suo robore duraturis : videlicet quod nullus licentiatus in legibus in rigore examinis admittatur ad licenciam in jure canonico Parisius, nisi in duobus annis, non currendo sed temperate et decenter, legerit per XVI menses completos ad minus, et in ipsis duos libros juris canonici, quarto libro minime computato, nisi cum illo legerit *Clementinas*. Poterit tamen cum illo qui legerit unum librum aut majorem partem alterius, dum tamen perfecerit menses, per facultatem dispensari : ita tamen, quod ipsum librum postmodum perficiat per juramentum. In predictis vero casibus, xxviij dies continuos pro mense statuimus computari.

Item, quia inter ceteros libros *Decretalium*, sextus liber utilis esse dignoscitur, idcirco nos, decanus et collegium prefati, statuimus et ordinamus, quod qui sextum librum *Decretalium* utiliter beneque et debite perlegerit, hoc pro uno libro et majori parte alterius eidem computabitur; ita quod, si in forma canonistarum, duos libros *Decretalium* cum VI^to; si vero in forma legistarum ut licentiatus in legibus in rigore examinis sextum librum *Decretalium* cum *Clementinis* vel medietatem alterius libri *Decretalium*, alii vero legiste duos libros cum sexto, integre legerit : ad examen pro licencia in jure canonico Parisius optinenda poterit admitti. Poterit tamen facultas lecturam alterius libri seu majoris partis ipsius eidem indicere, si hoc facultati videatur expedire : quam per suum juramentum tenebitur adimplere et de hoc fidem facere facultati.

Item, quia circa hujusmodi lecturas et scolas doctorales quamplurime fraudes hactenus sunt commisse, et insimiliter committi poterunt in futurum : idcirco nos, prefati decanus et collegium, hujusmodi fraudibus, quantum possumus, obviare volentes, statuimus et ordinamus, quod decetero quilibet bachalarius legens in jure canonico Parisius, quolibet anno in principio sue lecture unam cedulam a proprio doctore, sub quo et in cujus scolis leget, ipsius doctoris et decani facultatis sigillis sigillatam, recipere teneatur; quam idem bachalarius, cum ad lecturam suam incipiendam proclamari voluerit, bedello generali facultatis afferet seu afferri faciet, ut proclametur : alioquin bedellus generalis aut subbedellus per sua juramenta neminem proclamabunt aut facient proclamari; et statim proclamatione facta tenebitur dictus bedellus vel subbedellus ad decanum transire, et nomina

proclamatorum pro illa die, et scolas doctorum in quibus sunt proclamati, in scriptis dicto decano dare, ut fraus evitetur; et contrarium faciens graviter punietur ad arbitrium facultatis, antiquis statutis quoad legentes de mane in suo robore duraturis. Dicte autem cedule forma erit ista : « Talis bachalarius in jure canonico Parisius incipiet hodie, tali hora, talem librum *Decretalium*, pro tali anno seu libro sue lecture, in scolis talis doctoris, etc. »

Item statuimus et ordinamus, quod si, scolis doctoralibus repletis, aliquem bachalarium in scolis non doctoralibus legere contingat, ex dispensacione facultatis, quam petere tenebitur in facultate collegialiter et obtinere, antequam in ipsis legere valeat et tempus acquirat; talis bachalarius quolibet anno teneatur habere cedulam, sigillo decani sigillatam, quam, antequam proclametur, bedello generali facultatis aportabit, ut prefertur; alias minime proclamandus; et si contrarium fiat, talis nullo modo acquiret tempus, et est alias puniendus ad arbitrium facultatis. Et ut hujusmodi statuta irrefragabiliter observentur, nemini contra ipsa fiat gracia per juramentum.

Item est statutum, ut omnis fraus evitetur et debitam diligentiam quilibet bachalarius circa suam lecturam adhibeat, quod decanus facultatis in quolibet anno tenebitur, quando sigillabit cedulas dictorum bachalariorum, prout superius est ordinatum et statutum, ponere in libro vel registro facultatis ordinate, omnia nomina bachalariorum legentium in nonis Beati Jacobi ad unam partem, et nomina bachalariorum legentium in nonis Beate Marie ad aliam partem; et etiam in quoto volumine sive in quoto anno sue lecture erunt; et quem librum pro quolibet anno legerint; et utrum integraliter, aut semiplene, ut per hoc domini doctores certius sciant et verius cognoscant per quantum tempus quilibet bachalarius legerit, et quos libros, et quantum de quolibet.

Item, quod omnes bachalarii Parisius legere volentes in jure canonico, quolibet anno teneantur lecturam suam incipere in secunda die legibili immediate post festum beati Dyonisii[1]; et debent tunc proclamari eorum cedule per bedellum vel subbedellum facultatis in lectione matutinali; quas cedulas tenebuntur prefati bachalarii petere et recipere a bedello, et illas conservare et aportare cum aliis cedulis in facultate ante examen pro licentia optinenda. Et qui tunc cum aliis, ut prefertur, non inceperit, nullo modo proclametur postea, nisi de licentia facultatis, quam petere tenebitur in facultate; et ibidem tunc coram doctoribus in collegio de causa sui impedimenti fidem facere per proprium juramentum, vel alias prout videbitur facultati expedire.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1123, fol 4-7, sub rubrica ut supra. In ms. 1121, p. 55 (in « Statuto dom. Alani cardinalis »), eadem leguntur, imprimis a « Item quia graduati in jure civili », usque « Item quia circa hujusmodi lecturas », et quae deinde sequuntur, exscribuntur in ms. 1121, p. 26 (vid. infra in *Appendice*) — Jourdain, nº 867.

1. Vid. supra p. 431, not. 1.

1588. *Statuta pro religiosis e monasterio Majoris Monasterii Ord. S. Ben. Parisiis studentibus.*

1390, Junii 1-Octobris 30.

Universis presentes litteras seu presens publicum instrumentum inspecturis fratres Gaufridus Chocardi de Belismo, Paulus Moneti, Beate Marie de Campis prope Parisius, prioratuum priores, commissarii ad infrascripta a reverendo in Christo patre ac domino Elia[1] permissione divina abbate monasterii Majoris Monasterii Turonensis, prout per litteras commissionis ejus sigillo in cauda duplici et in cera viridi, ut prima facie apparebat, sigillatas, quarum tenor talis est :

« Elias permissione divina humilis abbas monasterii Majoris Monasterii Turonensis reverendo patri domino abbati B. Marie de Lonlayo[2], necnon discretis fratribus nostris de Belismo et B. Marie de Campis, salutem in Domino. Quoad visitandum et ordinandum statum religiosorum nostrorum Parisius studentium, moresque ipsorum reformandum, et, si sit necesse, puniendum et corrigendum, ceteraque omnia et singula faciendum circa reformacionem personarum et domus necessaria, seu quomodolibet opportuna, vobis et vestrum cuilibet in solidum, de quorum peritia et discretione atque fidelitate plenam in Domino fiduciam obtinemus, committimus vices nostras. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Datum nostro teste sigillo, die prima mensis Junii anno Domini M CCC XC ».

Specialiter deputati, salutem in Domino. Notum facimus quod nos virtute litterarum prefati domini abbatis, accessimus ad domum collegii religiosorum virorum scolarium dicti Ordinis Majoris Monasterii Parisius studentium in vico Sancti Jacobi Parisius fundati, et idem collegium diligenter, bonaque dicti collegii, jura et redditus eidem collegio spectantia et pertinentia, necnon refectiones in eodem collegio faciendas visitavimus. Et quia invenimus per diligentem informationem per nos de ipso factam, quod in dicto collegio in personis, in edificiis, redditibus et aliis plurima sunt necessario facienda et reformanda, statuimus et ordinavimus certa statuta tenenda et observanda, que inferius describuntur.

I. Et primo quod in dicto collegio sint de presenti sex scolares solummodo, quorum unus erit magister et alii quinque sub ipso studentes : videlicet magister Gaufredus Bertrandi in decretis, magister dicte domus, fratres Martinus, etc. Et si contingat quod dictus abbas predictus committat officium procuratoris alteri quam priori B. Marie de Campis predicto vel alteri beneficiato, in dicto collegio recipietur et cum aliis communiter vivet, sicut hactenus consuetum est. Supradictos vere scolares, facta diligenti examinatione et inquisitione per nos de vita, moribus, scientia et conversatione predictorum, elegimus et nominavimus, tamquam sufficientes et idoneos, ibidem moraturos.

II. Item, statuimus et ordinavimus quod per predictos scolares omnibus diebus dominicis et festivis, quibus non legetur, cantentur vespere tractim et in crastinum matutine et missa; et fiant omnia predicta tali hora quod statim in exitu misse omnes scolares in

cappis vadant simul ad sermonem, et post secundas vesperas ad collationem, et quod omnes intersint in dictis horis...[3].

VII. Item, quod omnes indifferenter jaceant in dormitorio, et quod magister, quoties voluerit, intret studium vel cameram cujuslibet, et si ibidem reperiat aliqua irreligiosa aut inhonesta, ea corrigat et emendet juxta qualitatem excessus.

VIII. Item, quod inter se, tam in domo quam alibi, et omnibus locis, loquantur verbis latinis, prout inter bonos scolares est fieri consuetum, et quod contrarium faciens puniatur....[4].

XII. Item, quod omnes simul in aula comedant nec aliquis extra comedat, nisi ex causa necessaria et legitima, et de licencia magistri speciali, in quo casu ministrabitur ei dumtaxat quantum in aula cum aliis habuisset.

XIII. Item, post comestionem non remaneant diu in aula, nisi super lectionibus seu questionibus velint inter se conferre....[5].

XVII. Item, quod janue teneantur clause dum scolares sedebunt in prandio et in cena; et precipimus quod claudantur bona hora sero, scilicet antequam sit obscura nox; et si quis scolarium fortassis tunc veniret de villa, tunc vocet seu percutiat ad januam sine strepitu, sed mature et modeste....[6].

XX. Item, quod nullus recipiatur ad gradum in aliqua facultate sine speciali licentia domini abbatis.

XXI. Item, quod scolares, preter actum scolasticum, non exeant domum absque licentia magistri petita pariter et obtenta, nec vadant per villam sub colore et umbra eundi ad studium vel sermones, et quod non stent vel sedeant diu in porta.

XXII. Item, quod actus scolasticos laudabiliter et diligenter continuent, tam audiendo quam studendo, sermonibus, disputationibus et lectionibus ordinariis interessendo, prout cuilibet est concessum.

XXIII. Item, quod nullus jaceat extra domum, nisi de licentia speciali magistri, et omnino caveant a tabernis, a locis et spectaculis irreligiosis et inhonestis.

XXIV. Item, quod nullus beneficiarius recipiatur ad expensas dicte domus; et si quis scolarium fuerit beneficiatus, infra duos menses collegium exire teneatur....[7].

XXVII. Item, in dicto collegio fiat arca communis in qua ponantur vasa argentea, littere et statuta collegii et sigillum commune, et eciam omnes pecunie per quemcumque recepte ibidem ponantur; in qua sint tres claves, quarum magister habeat unam, procurator collegii unam, et tertia alteri scolarium committatur; et ibidem erit papirus communis, in qua ponentur et transcribentur recepte collegii, ac eciam omnia que qualibet hebdomada per prepositum pro victualibus et aliis factis collegii expendentur. Qui prepositus in fine sue hebdomade in presentia magistri et scolarium computare tenebitur. Et fiet prepositura per quemlibet scolarium successive.

XXVIII. Item, quod ter in anno fiant generalia computa, videlicet infra octavas Pasche,

Assumptionis B. Marie Virginis, et Nativitatis Domini; et eadem die, qua computabitur, omnes habentes libros collegii exhibebunt illos in presentia magistri et scolarium, quorum magister habebit cedulam; et eadem die legentur presentes constitutiones, ne possint a quoquam ignorari. Volumus etiam quod cuilibet scolari noviter venienti legantur, ne aliqua ignorantia se valeat excusare....[8].

XXXI. Et generaliter omnia alia et singula statuimus et ordinamus. Quod si in contrarium predicti scolares fecerint, volumus quod per dictum magistrum puniantur, secundum quod sibi videbitur expedire. Nostre tamen intentionis non existit, quod statutum de restrictione numeri predictorum scolarium, nec etiam de positione victualium, in perpetuum observetur; sed factis reparationibus necessariis in dicto collegio, solutis debitis ac supportatis oneribus de presenti incumbentibus, reducatur ad statum pristinum et antiquum. Et ad majorem plenioremque securitatem, volumus et ordinamus unanimiter sigillis nostris propriis una cum signo et subscriptione Johannis Coustelli, clerici Remensis diocesis, publici apostolica et imperiali auctoritate notarii, presens publicum instrumentum seu litteras communiri et eis appendi, cum interpositione auctoritatis [et] decreti prefati domini abbatis, in testimonium veritatis premissorum. Acta fuerunt hec in aula dicti prioratus B. Marie de Campis, anno Domini M CCC XC, indictione xiv, mensis Octobris die penultima, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Clementis divina providentia pape VII anno xij, presentibus, etc.

Et ego Johannes Coustelli, clericus Remensis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, *etc.*

Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, p. 395-398. — Eodem an., Novemb. 2, Elias abbas statuta praedicta confirmavit, scholaremque quemdam amovit a dicto collegio. Félibien, l. c., p. 398.

De collegio quodam pro religiosis Majoris Monasterii (*Marmoutier*) Parisiis fundando jam an. 1295 agebatur (vid. *Chartul.*, II, nº 587). Ast an. 1328 nondum possederunt domum habitationis propriam et congruam, ita ut Gaufridus de Plesseio eodem anno eisdem quatuor domos in majori vico S. Jacobi donaverit (vid. doc. apud Félibien, l c., p. 391), ubi collegium, de quo supra fit sermo, institutum est. Ab hoc collegio distinguas Collegium *Du Plessis* pro saecularibus ab eodem Gaufrido de Plesseio Parisiis, alteri contiguum itemque ab abbate Majoris Monasterii dependens, fundatum, de quo in vol. *De Collegiis* agetur.

1. An. 1383, Octob. 10. translatus est de abbatia de Terissonio Sarlatens. dioec. ad abbatiam SS. Sergii et Bacchi dioec. Andegav. (Reg Av. Clem VII, vol. XXIX, f. 161b), an. 1388, Septemb. 5, ad Majus Monasterium (ibid , vol. L, fol. 359b) — 2. Johanni, de quo supra p. 448, not. 6. — 3. Sequuntur ordinationes de officio divino, de habitu; — 4. de refectione; — 5. de dormitorio, de ludo taxillorum. — 6. Ne introducantur mulieres suspectae, nec canes vel aves. — 7. Rixae impediantur. — 8. Sequuntur ordinationes de pecuniis et reparationibus.

1589. « *Secuntur nomina* [25] *dominorum doctorum regentium Parisius in facultate decretorum.* »

1390-1391, Parisiis.

Magistri Herveus Costioti,
P[etrus] de Themericuria,
Ricardus abbas Sancti Martini,
P[etrus][1] Sancti Michaelis,
Henricus Bueve[2] decanus facultatis.
Stephanus de Porta,

P[etrus] de Lupimonte,
Herveus Rousselli,
Robertus de Dours[3],
Radulphus de Lesia[4],
P[etrus] de Agnevilla,
Johannes de Socco,
J[ohannes] de Crepone,
Ivo Kaerengar,
Bernardus de Oratorio,
Ricardus Bellet,
Galterus Crassi,
Ricardus de Fonte,
Symon abbas de Ceresiaco[5],
Fulco de Blandeyo,
Mauricius de Kaergourant,
Bertrandus de Mornavalle[6] abbas Gaudivallis,
Robertus Neptis[7],
Eustacius de Rivo,
P[etrus] de Campo Diverso.

Bibl. Arsen Paris. ms. 1123, fol. 12. De omnibus jam supra in diversis locis. — Jourdain, p. 191, not. 2; Péries, *La faculté de droit*, p. 60. In ms^to (vid. etiam Jourdain et Péries) ad rubricam additur « an. Dom. milles. CCCXCIII, xx^a die mensis Januarii ». Sed haec temporis nota 1393 (1394) non convenit, cum Simon de Bosco tunc abbas S. Petri de Gemeticis fuerit (vid. not. 5). Documentum pertinet verisimiliter ad an 1390 vel 1391.

1. De duobus abbatibus Richardo Papin et Petro Regis (Le Roy) jam supra. — 2. Ms. . « Bueus ». Ipse an. 1398 scribit « Bueuve » (Arch. nat. Paris. J. 517, nº 163). — 3 Tunc decanus S. Marcelli, officialis Paris. Péries : « Dovis ». — 4. Ipse scribit « Raoul de Leyse » (Arch. nat , l. c., nº 211). — 5. Simon de Bosco, qui an. 1388, Maii 9, ut novus doctor decretorum affertur (p. 468), eodem an., Maii 8-15, electus est in abbatem S. Vigoris de Ceraseyo seu Cerasiaco, O. S. B. (Reg. Av. Clem. VII, vol. L, f. 46^b), an. 1391, Febr. 6, translatus ad abbatiam S. Petri de Gemeticis (ibid., vol. LXI, f. 198). — 6. Seu « Marnaval ». Vid. supra nº 1574, not. 1. In ms^to additur (om. Jourdain et Péries) · « qui obiit an. 1480, hoc est an. M IIIIc VIIIx »! Potius scribendum : 1408. — 7. « Robert la Niepce » ipse scribit, in Arch. nat., l. c., nº 215.

1590. *Causa Universitatis coram Parlamento propter quemdam scholarem in carceribus detentum.*

1391, Januarii 12, Parisiis.

Jeudi xij^e jour de Janvier. Entre l'Université de Paris et Me Yvez de Kaerloguen, d'une part, et Me Dreux d'Ars, Me Aleaume Chassemarée et Jehan le queux, d'aultre part. L'Université dist.... que Me Yvez est homme de bonne vie, maistre es ars et bachelier en decret, et est estudiant et ne se mesle que de l'estude. Dist qu'il vint à sa congnoissance que un sien ami appellé Alain fu mis prisonnier en Chastellet. Il l'ala veoir et visiter, et durant [que] ils y fust, Jehan le queux[1] lui dist qu'il demourroit, il fu esbahis et dist que il n'avoit rienz fait et qu'il parlast au prevost[2] et estoit escolier. Neantmoins il le mist en prison disant que, feust escolier ou non, il seroit mis en prison, et le mist en une prison appellée *oubliète*, aultrement dite le *pré aus clercs*, ou l'en met les larrons et murdriers; et dist que il y fu iij nuis et iij jours sanz feu, sanz lit, sanz lumière, et un jour sanz menger[3], et dist que pour ce un maistre ala devers Me Dreux et Me Aleaume et le requist, et aussi les promoteurs de monseigneur de Paris; mais ilz respondirent par plusieurs fois par manière de derrision .... Pour ce qu'ilz ne povoient parler à lui, y envoièrent un jeune filz son frère pour savoir son estat, qui trouva qu'il y estoit. Et dist qu'il fu mis en prison quant il se nomma escolier. Finablement fu sceu que il y estoit, et pour ce fu blasmé un sergent appellé Chiefdeville pour ce que par lui l'en avoit sceu que il y estoit, et dist que lors il fu mis hors de la prison sur les carreaux en disant : « se il est ceans, faitez luy venir », et ne le

vouldrent rendre encore; mais assez tost après le rendirent sans lui rienz demander, disant qu'ilz n'avoient cure de son argent et sanz lui vouloir bailler escroe. De ce s'est plaint à l'Université qui s'est informée, et quant elle l'a trouvé vray elle s'est traicte devers le roy, a optenu mandement par vertu duquel informacion a esté faite, requiert qu'elle soit veue, et ont esté adjournez les dessus diz. Si requiert l'Université qu'il facent amende à eux et à la partie, honorablement en jugement et en plainne Université et en Chastellet, sanz chapperon et à genoulx, et Jehan le queux aussi mis en la prison par telle manière et autant de temps que il y fu, et en amende prouffitable à la discrétion de la court, et à tenir prison jusques à plainne satisfaction et en ses dommages, despens et intéretz, et aussi que le procureur du roy soit adjoint avec eulx et que Jehan le queux qui est officier responde en personne .....[4].

Arch. nat. Paris. X[1a] 1475, fol. 175-176.

1. I. e. coquus detentorum, ut ipse ait in fine fol. 176. — 2. Johanni de Folleville. — 3. Unde apparet quo modo tractarentur. In *Auctar. Chartul.* I, ad an. 1398, p. 787, 3, mentio fit cujusdam, qui in carcere « mortuus fuit ex defectu victus ». — 4. Omittimus caetera, cum nihil ad Universitatem afferant, quamvis nonnullius momenti quantum ad mores et consuetudines aevi illius illustrandos.

1591. *Clemens VII « .. Parisiens. et .. Tholosan. cancellariis », ut Petro Baliste, Ord. Praed., qui Parisiis vel Tolosae librum Sentent. extraordinarie legere, et tandem magisterii honorem recipere desiderat, hujusmodi licentiam largiantur.* Dat. Avinione iiij kal. Februarii, an. xiij°.

1391, Januarii 29, Avenione.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. LXIV, f. 213. — Cum Clemens VII cancellario Paris. etiam mandatum dederit, Petrum Baliste ad Sententias legendas admittendi, videtur Clementem sperasse, litem inter Universitatem et Praedicatores bonum exitum consecuturam. Sed eodem an., mens. Maii vel Junii, Johannes Sancii, Ord. Praed., theol. mag., a Clemente VII mandatum recepit, Petro Avenione vel Montispessulani, postquam Sententias legisset, magisterium donandi (ibid., fol. 263[b]).

1592. *« Statutum nacionis [Anglicanae] conclusum per magistrum Theodericum de Asperen[1] procuratorem », contra potationes et convivia.*

1391, Februarii 8, Parisiis.

Statutum et ordinatum est per magistros *nacionis Alemanie*[2] tribus vicibus per eorum juramenta ad statuendum specialiter evocatos, ut supra scriptum est, ad utilitatem et proficium et pro bono communi tocius nacionis predicte, videlicet quod decetero nulle fiant potaciones, nec speciales, nec generales, nec etiam convivia in nacione predicta de pecuniis perpotabilibus, videlicet de pecuniis recipiendis a magistris pro prima procuratoria, et pro jocundo introitu, pro mensibus distribuendis in examine Sancte Genovefe, item pro pecuniis recipiendis pro procuratoriis tempore determinantium et tempore vacacionum[3] et de pecuniis recipiendis a receptore tempore sue institucionis, et de omnibus aliis pecuniis perpotabilibus, si que sint alie, sed omnes iste pecunie reserventur pro usu nacionis et recipiantur per receptorem nacionis, salvo tamen festo sancti Eadmundi dum-

taxat, quod quidem festum nacio voluit celebrare singulis annis ut hactenus fuit celebratum, retenta nacioni potestate predicte destituendi hujusmodi statutum in posterum, dum sibi videbitur expedire, magistris tamen nacionis primitus tribus vicibus ad destituendum specialiter per eorum juramenta evocatis. Anno Domini millesimo tricentesimo nonagesimo primo, more ecclesie Romane, mensis Februarii die octava.

Bibl. nat. Paris., nouv. acquis. l., 535, fol. 145ᵇ. — Bulaeus, IV, 674. — Hoc documentum unicum restat e *Libro procur. nat. Anglic.* an. 1383, April. 4-1392, April. 5. Vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 659, not. 5.

1. An. 1387 intitulatus est « Theodricus de Asperen, Trajectens. dioc., bachal. in art. Paris. » in Universitate Heidelbergensi (vid. Toepke, *Die Matrikel der Universität Heidelberg*, I, 21). — 2. Vid. *Auctar. Chartul.*, I, ad an. 1400, Aug. 25. — 3. Bul. perperam : « baccalariandorum ».

1593. *Carolus VI, rex Francorum, confirmat privilegium fori Universitatis Paris., et quidem propter vexationes in ducatu Normanniae.*

1391, Aprilis 26, Parisiis.

Charles par la grace de Dieu roy de France. A noz amez et feaulx genz tenans nostre eschiquier à Rouen salut et dileccion. Nostre amée fille l'Université de Paris nous a fait exposer en complaignant que comme elle et ses suppos estudians en la dicte Université aient plusieurs beaulx privilèges, lesquelx leur ont esté donnez et octroiés par noz predecesseurs roys de France et confermez par nous, et entre les autres aient certains privilèges par lesquelx nostre dicte fille et ses singuliers suppos puent et doivent faire citer et convenir toutes personnes qui sont tenues à eulx en nostre ville de Paris pardevant les conservateurs de ladicte Université, lesquelx sont leurs juges en toutes leurs causes personnelles et autres dont lesdiz privilèges font mencion, ce nonobstant quant aucun des suppos de ladicte Université fait citer ou convenir aucune personne à Paris pardevant lesdiz conservateurs ou aucun d'eulx, noz baillifs et officiers de nostre duchié de Normendie et par especial les baillifs de Caen et de Harecourt ou leurs lieuxtenans se sont efforciez et efforcent de jour en jour de les y empescher et ont fait et font prendre le temporel de ceulx qui font faire citacions ou adjornemens, se aucun en ont en nostre main, et de ceulx qui n'en ont point il font emprisonner leurs plus prochains amis jusques à ce qu'il aient fait mettre au neant les dictes citacions ou adjornemens et leur font pour cause de ce pluseurs autres empeschemens, qui est ou grant grief, dommage et prejudice de nostre dicte fille et de ses diz suppos, et en venant et entreprenant contre la teneur de leurs privilèges dessusdiz, requerant sur ce nostre provision. Pourquoy nous, eue consideracion à ce que dit est, et à ce que la plus grant partie de noz officiers de nostre dicte duchié est à present à nostre dit eschiquier, vueillans aussi les privilèges de nostre dicte fille et de ses suppos estre tenuz et gardez sanz enfraindre, vous mandons que vous faites ou faciez faire inhibicion et defense de par nous à noz diz officiers, sur certaines et grosses peines, qu'il n'empeschent ou molestent nostre dicte fille, ne ses vrais suppos contre ne ou pre-

judice de leurs diz privilèges, maiz d'iceulx les facent et laissent joir et user paisiblement sanz contredit ou empeschement aucun. Et se aucun avoit esté empeschié ou son temporel prins ou ses amis emprisonnez indeuement pour la cause dessus dicte, si faites tout mettre à plaine delivrance par tèle manière que nostre dicte fille n'ait plus cause d'en retourner plaintive pardevers nous. Car ainsi nous plaist-il estre fait de grace especial par ces presentes, nonobstant ordenances, mandemens ou defenses que l'en dit sur ce avoir esté faictes par vous en nostre eschiquier dernier tenu et autres quelconques faites ou à faire au contraire. Donné à Paris le xxvj^e jour d'Avril, l'an de grace mil CCC IIII^xx et XI, et de nostre règne le onziesme.

Par le roy à la relacion du conseil, CHARITÉ.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 66^a, n° 27. Pertinebat ad Arch. Univ. (A. 6. r). — In *Rec. des privil. de l'Université de Paris*, p. 12, breve summarium. — Ut e n° 1598 apparet, supposita Universitatis nihilominus in Normannia vexata sunt.

1594. *Ordinationes Capituli generalis Ord. Praed. Assignationes baccalareorum pro studio Paris.*

1391, circa Maii 14, Caesaraugustae.

Significamus[1] fratribus universis, quod rev. pater frater Petrus[2] prior provincialis in provincia Aragonie (prout vicarius Ord. generalis) nuper in curia Rom. existens concessit serenissimo principi domino duci Bituric.[3], nostri desolati[4] Ordinis singularissimo protectori, quod quilibet conventus Ordinis usque ad annum ordinaret unum fratrem, qui pro eo singulis diebus missam tenebitur celebrare....

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum Sentencias Parisius pro anno presenti fratrem Albertum Roberti de provincia Francie, cui substituimus fratrem Johannem Stephani de provincia eadem, in casu quo dictum fratrem Albertum contingeret impediri[5]. Pro primo vero anno extraneis debito, assignamus ibidem ad legendum Sententias, quantum nostra interest, fratrem Johannem Poleti[6] de provincia Francie, pro secundo anno extraneis debito assignamus ibidem ad legendum Sentencias, quantum nostra interest, fratrem Anthonium Genebreda de provincia Aragonie.

Ad legendum Bibliam ibidem [assignamus] fr. Petrum de Marologio de prov. Francie....

Fragmenta Capp. gener. Ord. Praed. e cod. Barcinone conservato desumpta. — In hoc Capitulo Nicolaus de Troia, Elia Raymundi Tolosano an. 1389 defuncto, in magistrum generalem pro ditionibus Clementi VII subjectis electus est.

1. Antea exscribuntur ordinationes pro studiis generalibus Ordinis, « dempto conventu Parisiensi », de lectionibus; prohibetur ne quis studens « pro suo bejanio » expendat ultra unum francum; pro sermone ad clerum nonnisi medium. — 2. Ms. : « prius ». Prior provincialis et vicarius Ordinis erat Petrus Corregerii, mag. in theol. — 3. Seu *de Berry*. Quo igitur pacto Siméon Luce asserere potuit, tunc solos duces Burgundiae conjunctissimos fuisse cum Dominicanis, qui « étaient inféodés à la cause des ennemis de leur pays » ? — 4. Propter Johannem de Montesono. — 5. Isti duo jam an. 1388 ad Sententias legendas Parisiis assignati erant (vid. supra n° 1547), sed propter litem inter Universitatem Paris. et Praedicatores minime legere potuerunt. — 6. Postea magisterium in theol. assecutus est et tempore inquisitionis contra assertiones Johannis

Parvi seu Petit an. 1413 et 1414 (non an. 1377, ut scribitur in *Répertoire des sources histor.* par U. Chevalier, p. 1854) inquisitor regni Franciae fuit. Vid. Quétif-Echard, I, p. 754.

1595. *Lis Universitatis Paris. coram Parlamento contra Macaeum Revel judaeum, qui medicinam injuria exercebat.*

1391, Maii 11, 19, Parisiis.

Du jeudy xj[e] jour de May MCCCXCI. Entre Macé Revel juif appellant d'une part, contre le doyan et la faculté de médicine, le procureur du roy et l'Université d'aultre part. Macé dist que il est bon médecin et bien expert, et sont aus Juifs permises toutes œuvrez et prattiques mécaniques et spéculativez permises, et par especial a le roy octroié à Macé que il puist prattiquer, et mandé au prevost de Paris que il le fist jouir et user de l'octroy du roy, et furent appellez les maistres de médicine, qui s'opposèrent et plaidèrent devant le prevost de Paris, et furent appointiez les parties à bailler par memoire; dist que le stille du Chastellet est que parties peuent en tel appointement bailler ce qu'ils veulent pour droit au jour de la collacion, dist que les memoirez bailliéez à la court, le procureur du juif bailla un *Vidimus* de son octroy, et après le jour de la collacion voult bailler les originaux, mais partie les debati, et pour ce vindrent en jugement, et quand le juif fu retourné, qui avoit sa lettre avec luy, si requist que ses lettres feussent receuez, et proposoit son stille, et que partie n'y avoit point d'interest, car il feust par ce cheus en fait. Ce nonobstant le prevost, sanz demander aus assistans, dist qu'elles ne seroient pas receuez, dont il appella; si conclut mal jugié, et appointié et bien appellé; et se aide des lettrez que le roy lui a octroiéez, par lesquelles le roy mande que l'appellation soit mise au néant et vaillent opposition; et requiert qu'ellez soient enterinéez. A ce conclut et à despens.

Le procureur de l'Université et le doyan et faculté de médicine et le procureur du roy dient, que par les statuts de la faculté de médicine nul ne peut practiquer se il n'est licencié en la faculté et ainsi en ont usé. Dist oultre que estre maistre en médicine est dignité dont le juif n'est pas prenable, et si a tres grans perilz, car ilz baillent et donnent potions, et allègue l'auctorité du Pseautier que il n'ont point, *qui jurat proximo* [xiv, 4]. Or dist-il que soubz umbre de ce que Macé se dist maistre, il a eu lettrez du roy de practiquer, qui sont subreptissez, car il a teus les status de la faculté, et sur ce fu plaidié devant le prevost; après le plaidié fait entre, les parties furent par le prevost appointiez à bailler par memoire avec tant de lettrez, actez et instrumens dedans certain jour, et lui avoit esté faite inhibicion de practiquer, à peine de cent lib.; au jour ne bailla point de original, mais à la collation les voult baillier, et si estoit de fait; pource que le clerc ne les voult recevoir vindrent en jugement, et fu sur icelle recepcion plaidié d'une part et d'aultre, et requéroit le juif que elles feussent receuez pour droit. Mais pource que partie disoit que c'estoit fait que ne se savoit prouver que par les lettrez, veu le memorial, et eue l'opposicion des assistens, le prevost dist que elle ne seroient point receuez. Pour ce appella le juif, si

conclut bien jugé et mal appellé, et rend à tout le fait du juif, par le scien, qu'il sont d'acord, eccepté du stille que propose le juif, qui dist que pour droit il povoit bailler qui en peut servir pour droit; car elles ne pourroient servir que pour prouver le fait que il avoit congié de practiquer, qui est principal; et propose que depuis l'inhibicion à lui faite du prevost il a practiqué. Si requiert qu'il soit declaré les painnes estre commisez par le juif, ne les lettres dont il s'aide à present ne peuent estre enterinéez sanz enteriner les premières qui sont subreptices. Item, droit est acquis à partie, si ne se peut faire, car il a gangné son principal, parce que ce fait n'est pas prouvé et ne fait parce que dit est à recevoir, aucun n'a pas bonne cause et ne doit pas estre obtemperé aus lettres, au moins ou prejudice de partie, supposé que il y feust optemperé quant à l'amende, et à ce conclut. La partie viendra demain repliquer, et est ordené que cependant un commissaire de la court s'enforme, se depuis l'inhibition le juif a practiqué.

Vendredi xix[e] *jour de May*. En la cause de l'Université de Paris et le procureur de la faculté de médicine et le procureur du roy d'une part, et Macé Revel juif d'aultre part, qui replique et soustient son impetracion, disant que elle contient toute la matière du cas, si ne sont pas subreptices, et si dist que la partie ni a point d'interest et ainsi fait bien à recevoir, mesmement qu'il n'est point doubte que le roy ne le puist octroier, ne partie n'a pas gangnié sa cause, car au fort ne pourroient elles estre mises que en fais, à quoy povoit mouvoir les juges le *Vidimus* que Macé avoit mis devers la court. Et ainsi appert que l'Université en ce n'a point d'interest, et oultre fait difference, se partie ne mettoit ses lettres en enqueste, ou en tel cas ouquel il ne fault pas neccessairement faire sa preuve, car ou premier cas il dechevoit de sa preuve, mais ou second non. Conclut comme dessus et à l'enterinement de ses lettres.

Le procureur du roy dist que inhibicion fu faite au juif par le prevost que pendant le procès il ne pratiquast. Neantmoins environ Pasquez il visita le seigneur de Fontainnes et lui bailla medicinez; item un chappellain de monseigneur de Coucy; item le grenetier de Blois environ Noel et aussi M[e] Guillaume de Neauville; item la sœur de la femme Henry de Courval, laquelle par imperité est morte comme l'on dit; item a visité l'enfant Jaquet, le clerc du tresor et un chappellain de Chèle, et continue encore, et se ceste sepmaine a visité Jehan Fagot si est par ce encouru es painnes et de ce a esté faite informacion du commandement de la court par laquelle est trouvé ce que dit est. Si conclut que il soit declairé que il est encouru es painnes et pour ce excecuté, et qu'il tiengne prison selon la deffense, et samblablement condempné à amendes ce que il a continué et toujours fait, et tenir prison jusques à plainne satisfaction, et ne doit estre optemperé aus lettrez qu'il a optenuez, comme par importunité optenuez. Et ce assez à presumer, attendu que celui qui les a signées a esté en sa cure et qu'elles ont esté rescriptez et ne sont pas verifiéez, ce qui est necessité, et si lui fu faite la deffense en jugement. Par ce appert qu'ellez sont iniquez et torconnières, et à ce conclut.

L'Université, quant à l'appel, reprent son fait et dist que en la faculté de médicine a plus grant peril que en aultres, car aussi les juifs peuent les simples gens introduire; si sont les status en médicine plus estroitement à garder. A l'appointement respont que ilz estoient appointiez à mettre ce que ilz vouldroient devers la court, et se il povoit mettre pour droit la preuve de son fait, ce seroit *oppositum in objecto*, et il ne povoit aultrement prouver son fait que par ses lettrez et propose le stille contraire à celui que propose le juif, à lettre respont comme aultrefois a fait et comme le procureur du roy.

Finablement appointié est que les parties mettront leur impetracion et sentences et informacions, et la court tout veu fera droit.

Arch. nat. Paris. X1a 1475, fol. 243b, 246b. — Ibid., fol. 341, committuntur a curia Parlamenti (Maii 20) magistri G. Porel et Petrus le Fèvre ut a dicto judaeo inquirant an medicinam exercuerit necne postquam praepositus eum monuisset; adnotatumque in margine : « Pronunciatum tercia Junii, nonagesimo primo ». — Partem priorem instrumenti, sed mancam, edidit Félibien, in *Hist. de la ville de Paris*, IV, 544.

1596. *Capitulum Cluniacense definit, ut priores (Fulco de Blandis) S. Martini de Campis et [S. Arnulphi] de Crispeyo collegium scholarium Paris. reforment. Si ibidem prior Montis Desiderii remaneat, eligatur aliquis scientificus scholaris in suppriorem.*

1392, Maii 5, Cluniaci.

Bibl. nat. Paris., nouv. acq. lat., 2263, fol. 80b.

1597. « *Rotulus doctorum in decretis Universitatis Paris.* »

1392, Junii 7.

Beatissime pater, si cunctis se reddat eadem vestra beatitudo gratiosam, hiis qui litterarum scientiis nocte dieque diutius insudarunt, vestra clementissima paternitas se largius prebeat favorabilem et gratiosam. Vestre siquidem sanctitati supplicant humiliter et devote oratores vestri continui decretorum doctores actu regentes in predicta facultate in studio vestro Parisiensi infrascripti, quos ad petendum non cupiditas ducit, sed vivendi necessitas cogit.....

Radulphus de Lesya, curatus parroch eccl. de Solerrio Paris. dioc. ....., qui per undecim annos et amplius in dicta fac. Parisius regentavit (*sic*).

Item Richardus Bellet, bachal. in leg., rector parroch. eccl. S Georgii de Romiliaco super Andelam, Rothomag. dioc., et can preb. eccl. colleg. S. Guremondi Belvac. dioc.

Item Martinus de Kaergourant, presb. Corisopit. dioc., mag. in art. ac decanus predicte facultatis decret., rector parroch. eccl. de Merle

Item frater Robertus Neptis, can. regularis monasterii S. Laudi Ord. S. Aug.

Item Stephanus de Porta, presb., can. eccl. secul. et colleg. S. Hylarii majoris Pictavens.

Item Yvo de Kaerangar. [6]

Fiat pro omnibus. G. — Et dignetur eadem sanctitas vestra signare de beatissima manu sua per « fiat ut petitur ». — Datum Avinione septimo id. Junii, anno quartodecimo.

Reg. Vat. Suppl. Clementis VII, an. 14, p. 2 (no 74), fol. 149b

1598. *Conatibus aliquorum paene evenisset ut viri ecclesiastici sicut laici temporalibus dominis ducatus Normanniae in causa judicii submitterentur, immo laici et imprimis curiales recusabant coram Universitate in praejudicium privilegiorum judicialiter comparere, et supposita Universitatis ad exactiones regias solvendas compellebant. Doctores et magistri congregationes fecerunt et querimoniam circa festum Trinitatis, Junii 9, ad regem detulerunt; sed, iterato repulsa accepta, Universitas a lectionibus cessavit, donec rex Julii 15 vel 16 rectori et viginti deputatis Universitatis, antequam magister in theologia placitum Universitatis coram rege explicare potuerit, orantibus annuit.*

1392, Junii 9-Julii 16, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, ed Bellaguet, II, 12-16. In *Auctar. Chartul.*, I, p. 666, 9, scribitur, Julii 16 Universitatem jam per 28 dies a lectionibus cessasse, i. e. a Junii 19. Factum potius Normannos, quam alias nationes tangebat, ut e *Chron.* et e nº 1593 apparet. Bulaeus, IV, 673, primam partem rubricae, sed nimis mancam, e Gaguino ad an. 1391 affert.

1599. *Lite mota inter magistrum Guillelmum Veulet*[1], *licentiatum in decretis paedagogumque ex una parte, et Nicolaum Bertin, examinatorem Castelleti, nonnullosque virgiferos seu servientes ejus ex altera, queritur mag. Guillelmus quod domus sua (in qua parvi scholares circa 50 tanquam in collegio aluntur) a Nicolao Bertin, in crastino S. Dionysii, decima hora post meridiem, violata fuerit, libri puerorum lacerati, pueri male habiti, quorum unus Robertus de S. Germano, e lecto tractus, fere nudus in Castelletum abductus sit; ac petit Nicolaum gentesque ejus ad emendam honorabilem condemnari. Nicolaus adversatur dicendo plura maleficia a scholaribus commissa. Universitas, causa Guillelmi suscepta, negabat Nicolao jus rumpendi fores, cum ad justitiam ordinariam recurrere is potuisset. Curia designat commissarios ad concordiam reducendam.*

1391, Decemb. 19-1392, Augusti 1, Parisiis.

Arch. nat. Paris. X^{1a} 1476 (*Cons.*), f. 23, 29, 63, 180^{b}. Textus ap. Bul., IV, 674-678. — De isto negotio adhuc an. 1392, Novemb. 18, et an. 1393, Aug. 5, in curia agebatur, neque ad finem perductum erat (X^{1a} 1477, fol. 3 et 171).

1. Fuit nat. Picard. Vid. supra rot. an. 1387, p. 456.

1600. *Clemens VII (Petro de Ailliaco) cancellario Paris. injungit ut Petrum Salomonis*[1] *Ord. Min. anno futuro ad legendas Sententias admittat.* Dat. Avinione iiij id. Septembris, anno quartodecimo. « Viri sacre ».

1392, Septembris 10, Avenione.

Reg. Aven. Clem. VII, vol. LXV, fol. 436. « Expedita iij kal. Febr. an. xv, tradita parti kal. Febr. an. xv » an. 1393.

1. An. 1397 licentiatus est in theol. e *Catal. licent.* An. 1398 ipse scribit « frère Pierre Salemon, maistre regent ou couvant des frères Meneurs » (Arch. nat. Paris. J. 517, nº 207). Quaedam de illo in *Bibl. de l'École des chartes*, tome L (1889), p. 9, not. 4, et p. 576.

1601. *Lite mota coram Parlamento inter Nicasium Morise studentem baccalareumque in decretis curatumque S. Martini Albi, dioec. Rotomagens., et Universitatem Paris. ex una parte, ac reginam Blancam amplectentem rationes officiorum suorum ex altera, cum familiarius Nicasii, nomine Conterain, missus ad redditus colligendos, male tractatus esset a gentibus religiosorum loci dicti Fontaine-Gueret, Universitas petebat causam remitti ad praepositum Paris., conservatorem privilegiorum Universitatis, contradicente regina, quae privilegia Normannorum objiciebat. Universitas et Nicasius arguebant Universitatem Normannis praestare privilegiis antiquissimis, neque ituram in Normanniam ut causam ageret, neque se citavisse reginam « directe » sed tantum gentes ejus rebelles. Curia decrevit reginam ejusque gentes extra causam relinqui, litem vero de scholare et religiosis ad diem mercurii hebdomadis sequentis remitti.*

1393, Martii 4, Parisiis.

Arch. nat. Paris. X^{1a} 1477 (*Cons*), fol. 66^{b} « Mardi 4 Mars 1392 ». — Editum in extenso in *Recueil des privil. de l'Univ. de Paris*, p. 12. Bul., IV, 682.

1602. *Carolus VI, rex Francorum, Universitatem Paris. eximit a decimis, a Clemente VII impositis.*

1393, Martii 7, Parisiis.

Charles, par la grace de Dieu roy de France, à tous commis et deputez à exploictier, cuellir et recevoir le dixiesme ordonné estre levé en nostre roiaume et par nostre saint père octroié[1] à nostre tres cher et tres amé cousin le roy de Sicile pour la conqueste dudit royaume de Sicile, salut. Comme après ce que noz bien amez les recteur[1], maistres, estudians et suppos de nostre fille l'Université de Paris sont plusieurs fois venuz devers nous pour le fait et occasion dudit dixiesme non paier, nous aions ordonné par deliberacion en nostre conseil que lesdis recteur[2], maistres, estudians et suppos de nostre dicte fille qui seront tesmoingniez soubz le signet dudit recteur estre vraiz estudians et suppos d'icelle, de quelque estat ou condicion qu'ilz feussent, soient francs, quittes et exemps dudit Xme paier, mesmement que quant nostredit saint père pour nostre fait nous en a octroié aucuns, nous lesdis recteurs, maistres, estudians et suppoz en avons fait tenir quittes et paisibles, nous vous mandons et estroitement enjognons et à chacun de vous si comme à luy apartendra, que lesdis recteur, maistres, estudians et suppos de nostre dicte fille et chacun d'eulx, et qui tesmoigniez vous seront par ledit recteur, comme dit est, vous tenez et faites tenir quittes, paisibles et exemps dudit dixième paier, octroié à nostredit cousin le roy de Sicile, sans les contraindre ou souffrir estre contrains, ne aucun d'eulx à en paier aucune chose. Et se aucuns des fruiz de leurs benefices ou autres biens estoient pour ceste cause pris, saisis, arrestez ou empeschez, lez leur mettez ou faites mettre à plaine delivrance et d'abondant grace. Pour ce que lesdis recteur, maistres, estudians et suppos de nostre dite fille sont beneficiez en plusieurs et divers lieux de nostre royaume, et que ces presentes ne pourront aucunement estre presentées en tous les lieux ou mestier seroit, il nous plaist et voulons que au *Vidimus* d'icelles, fait soubz le scel de nostre prevosté de Paris, soit adjousté plaine foi et y soit obey comme à l'original, nonobstant quelconques lettres empetrées ou à empetrer non faisans expresse mencion de ces presentes. Donné à Paris le vij^e^ jour de Mars l'an de grace mil CCC IIII^xx^ et XII et le xiij^e^ de notre règne. *Par le roy*, G. DE LAFONS.

Vidimus praepositi Paris. Johannis de Folleville, ejusdem anni, sabbato, Martii 8, in Arch. nat. Paris. M. 66^a^, n° 28. Pertinebat ad Arch. Univ. (A. 15. i). — Sub eadem temporis nota Carolus rex idem privilegium concessit « à recteur, maistres, estudiens, et suppos » Universitatis Aurelianens., et quidem fere iisdem verbis (apogr. in Arch. Vat., Instrum. miscell. ad an. 1392, Martii 7), quod omnes editores hucusque fugit. De facto adeas *Chron. du rel. de Saint-Denys,* II, p. 38 sq.

1. Clemens VII an. 1392, Maii 15, jusserat « decimam omnium reddituum et proventuum » sumi ab omnibus ecclesiasticis in regno Franciae ad Schisma exstirpandum in Italia et ad subveniendum Ludovico regi Siciliae (Reg. Av. Clem., vol. LXVI, f. 55^b^); an. 1393, Januar. 18, mandavit Antonio episc. Magalon., ut decima recolligeretur (Reg. Vat., n° 305, f. 2). — 2. Ms. hic et infra « recteurs ». Aurelian. instrumentum jure : « recteur ».

1603. *Decretum facultatis medicinae pro abolenda practica medicinali, vulgo dicta « escarmouche », duorum fratrum.*

1393, Martii 22, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Per hoc presens verum et publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et notum sit, quod anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, indictione prima, mensis Martii die vicesima secunda, pontificatus .... Clementis divina providentia pape septimi anno quinto decimo, propter hoc personaliter constitutus magne discretionis ac prudentie vir magister Godefridus Parvi de Varennis, magister in artibus et in medicina, Parisius actu regens in dicta facultate medicine ac ejusdem facultatis medicine decanus, in congregatione venerabilis facultatis medicine ac magistrorum reverendorum regentium et non regentium in medicina infra scriptorum, et per juramenta sua vocatorum et sub omni pena ac cum cedula et pro secunda vice ad statuendum et dispensandum, si opus sit, et super quibusdam aliis, in presentia mei notarii publici subscripti, reverendorumque magistrorum ac testium subscriptorum, dictus dominus decanus nomine decani facultatis medicine narravit et retulit et ad memoriam reduxit :

Quomodo, nomine quo supra, ipse alias, videlicet anno, indictione, pontificatus quibus supra, prefati mensis Martii die octava, fecit vocari magistros regentes et non regentes et per juramenta ipsorum ad congregationem sine cedula in capitulo Sancti Maturini Parisius, ubi consuetum est ipsam facultatem convenire, super aliquibus tangentibus et concernentibus honorem dicte facultatis medicine, et ad statuendum, si opus esset; ac ulterius die date presentis instrumenti fecit magistros dicte facultatis medicine regentes et non regentes solempniter vocari cum cedula et sub omni pena et pro secunda vice ad statuendum et dispensandum, si opus esset. In qua congregatione ipse requisivit a quolibet magistro infrascripto votum, intentionem et deliberationem ac opinionem super infrascripta statuenda successive, secundum quod in talibus moris est ac fieri consuetum. Quorum magistrorum votis, intentionibus, deliberationibus et opinionibus per ipsum decanum, prout ex officio suo interest, in unum recollectis, dictus dominus decanus ex deliberatione majoris et sanioris partis magistrorum in dicta congregatione existentium, ut asseruit, nomine decani et facultatis medicine, ac tam conjunctim quam divisim per modum statuti virtute deliberationis dictorum magistrorum ibi existentium et inferius subscriptorum et pro secunda vice, conclusit, quod practica medicinalis expectatoria et vulgariter nuncupata « escarmouche », que cotidie exercetur ultra pontes Parisius in domo duorum fratrum, sita in vico Sancti Dionisii, faciente unum conum vici *Tablatorie*[1], et in domo eidem domui duorum fratrum opposita, que facit alterum conum dicti vici *Tablatorie* et in eodem vico Sancti Dionisii, aboleretur de facto; que practica de facto est in vituperium, infamiam, vilitatem, dedecus et detrimentum totius facultatis medicine et singulorum suppositorum ejusdem facultatis, ipsamque practicam suprascriptam dictus dominus decanus nomine quo

supra abolitam esse decrevit, ac per modum statuti ipsam de facto et realiter abolitam esse conclusit. Super quibus omnibus et singulis dictus dominus decanus, nomine decani facultatis, tam conjunctim quam divisim ac nomine privato et nomine omnium et singulorum, quorum interest et intererit, aut qui[2] interesse putaverint seu crediderint quomodolibet in futurum, petiit a me notario subscripto sibi fieri unum vel[3] plura publica originalia instrumenta, personas astantes invocando in testes.

Acta fuerunt hec Parisius sub anno, indictione, mense, die, pontificatu quibus supra, in capitulo Sancti Maturini, in dicta congregatione, hora quasi nona ante meridiem, presentibus venerabilibus et discretis viris magistris et dominis reverendis Thoma de Sancto Petro, cancellario Baiocensi canonicoque Parisiensi, Guillermo Carnificis, Johanne de Bellomonte, Radulpho de Harbis, Petro Varelli, Petro de Ausonno, Thoma Blanchechappe, Johanne V[o]ignon, Alberico Divitis, Johanne Richardi, Johanne Comitis, Johanne Salecii, Johanne de Plommiono[4], Johanne Leporis, Thoma Lemauge, Petro Mioti, Guillermo de Senonis, Johanne Parvi, Henrico Pelati, Johanne Tancardi, in facultate medicine magistris, ipsamque facultatem medicine constituentibus et in personis suis ipsam representantibus, Johanne de Pontaube[r]t[5], clerico, principali bedello dicte facultatis medicine, et Johanne d'Acy subbedello ejusdem, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Cardonis de Craonna, presbiter, magister in artibus, Laudunensis diocesis, publicus auctoritate apostolica ac imperiali notarius, *etc.*

Arch. nat. Paris. MM. 266, p. 169.

1. Seu *Tableterie*. Vid. Jaillot, *Recherches*, etc., I *Quartier Sainte-Oportune*, p. 52. — 2. Ms. add. « sunt ». — 3. Ms. « et » — 4. Ms. « Probomiono ». Vid. supra p. 457, not. 6. — 5. I. e. Ponte Auberti.

1604. *Capitulum generale Cisterc. injungit abbati monasterii Belli-Prati*[1], *studii S. Bernardi Paris. praesentato, et provisori dicti studii, mag. in theol.*[2], *ut cum domina Yolanda*[3] *de Flandria comitissa Barensi tractent, sub qua conditione quidam « jardini » pertinentes ad S. Bernardum eidem concederentur.*

1394, Septembris 12, Cistercii.

Martène, *Thes. nov. anecd.*, IV, 1528.

1. Laurentio de Rua, abbati Belliprati (post cessionem Guillelmi) ab an. 1390, Aug. 22, tunc bacc. formato (Reg. Av. Clem. VII, vol. LVIII, *Provis.* fol. 15. Deest in *Gall. christ.*, IX, 836). Licent. in theol. an. 1395 e *Catal. licent.* — 2. Matthaeo de Dunis (cujus cognomen ad an. 1396 desideratur apud Ehrle in *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, VI, 220), priori S. Bernardi Paris. Licentiatus in theol. an. 1391 e *Catal. licent.* Post an. 1398 factus est abbas de Belloprato; an. 1404, Octob. 15, abbas de Mortuomari (Reg. Av. Bened. XIII, vol. XL, fol. 90), an 1405, Julii 3, abbas Claraevall. (ibid., fol. 173 b). Graviter errat *Gall. christ.*, IX, p. 836, ubi iste Matthaeus « Pillart » ponitur ad an. 1373 ut abbas Belliprati, ad an. 1374 abbas Mortuimaris; e contra XI, 311, ad an. 1404 ut abbas Mortuimaris, et, ut videtur, ab an. 1373-1404 abbas Belliprati. Ast Matthaeus, qui an. 1373 abbas Belliprati fuit, an. sequenti *resignavit*, et Nov. 27 Guillelmus factus est abbas (Reg. Av. Greg. XI, vol. XXI, f. 94). — 3. Martène « Hollandis ». Yolanda fuit filia Roberti de Flandria, domini de Cassel.

DE SCHISMATE

(Continet n°s 1605-1695, an. 1378-1394.)

Reservavimus in finem quae Universitas Paris., Schismate durante, usque ad mortem Clementis VII egit. Ea etiam facta, majoris tantum momenti, quae in superiori parte jam tacta sunt et Schisma respiciunt, aut in *Auctario Chartularii* I leguntur, per modum regestorum inseruimus. Non opus est illa iterum in *Indice* afferre. Abstinemus verba facere de tractatibus, qui nec ab Universitate scripti, nec ad eam certo modo destinati erant vel pervenerant.

Quam personam Universitas Paris. gesserit, ex ipsa documentorum et gestorum serie, qua multa hucusque scripta corriguntur et supplentur, conspicuum redditur. Tres tempestates distinguendae sunt *prima* admodum brevis, qua Universitas Urbanum VI sponte ut papam canonice electum agnovit; secunda, qua, potius ducta, post diversas vicissitudines declarationem pro Clemente VII edidit, eique dehinc adhaesit; tertia, qua proprio motu privatoque consilio incessit. In *secunda* tempestate, quae 11 annos circiter perduravit, status Universitatis non absimilis fuit flebili animi statui quo laborabat Carolus VI ab an. 1392 · pauca momenta lucida, ut an. 1381, statimque timor auctoritatis regalis, quandoque cupiditas beneficiorum oculos mentis caligine obtexit. Fortasse culpa doctorum non tam gravis erat, ut primo aspectu videtur. Cum enim Carolus V et dux Andegav. informationes tantum pro Clemente, vix pro Urbano admisissent (vid. n^um^ 1616, not. 3; n^um^ 1640), doctores quasi necessario ad partem Clementis declinabant, abstinueruntque, excepto an. 1381, de hac valde ardua quaestione disputare et determinare in scholis, immo id prohibitum erat (vid. n° 1628). Specie nationes Anglicana et Picardica, ut etiam plura supposita aliarum nationum et facultatum, meliora secuta sunt. Specie tantum. Supposita enim plerumque determinationem episcoporum suorum et principum patriae, minime semper perspecta principia secuta sunt. Quodammodo jam sententia saeculo XVI famosa personat : *cujus regio, illius et religio.* Sic v. g. natio Anglicana divisa erat Scoti, in quorum patria partes Clementis VII tenebantur, pro Clemente VII decertarunt; Alemanni vero, qui majorem partem nationis formabant, Leodienses et Trajectenses, paucis exceptis, magis minusve partes Urbani VI sequebantur, cum in eorum patria Urbanus VI pro vero papa teneretur. Quid etiam profuisset Alemannis adhaerere Clementi VII, qui ipsis non potuisset beneficia conferre ibidem, ubi nulla auctoritate fruebatur? Et assecutio beneficiorum revera cardo fuit illis temporibus.

In *tertia* tempestate, ab an. 1390, Urbano VI defuncto et Bonifacio IX electo, Universitas Paris., praelatis Franciae dormientibus, expergefacta viribusque suis potita, opus unionis Ecclesiae, licet irrito primo conatu, aggressa est, nihilominus tamen credendo Clementem VII esse verum papam. Tunc demum perspicere coepit, quae damna respublica christiana e Schismate acceperit, et quae adhuc immineant. Magistri qui opus unionis aggressi sunt, existimarunt, doctores Ecclesiae, et quidem Universitatis Paris., in corpore Ecclesiae esse quasi rationem dictantem, quid agendum, quid bonum, quidve malum esset; praelatos vero Ecclesiae quasi voluntatem, cujus proprium esset exsequi et auctoritate id definire, quod a doctoribus scholastice discussum et determinatum erat; Universitatis Paris. proinde esse monere papam, praelatos, regem ac principes atque fideles, uno verbo, omnes hucusque negligentes ut ad unionem Ecclesiae laborarent (cod. Vat. lat. 4927, fol. 95^b^ et passim. Vid. infra n° 1663). Curia Clementis se opposuit, et rex Universitati silentium indixit. Revera facultas decretorum credidit ex hoc Universitatem per obedientiam regi, « patri Universitatis », necessario ligatam, pronuntiavitque « supersedendum esse de prosecutione unionis Ecclesiae ». Sed mox conatibus aliquorum magistrorum facultatis theologiae, inter quos Egidius de Campis, Johannes Gerson, Guillelmus Barraut, et tandem Petrus de Ailliaco, tota Universitas commota Philippum Burgundiae ducem et quandoque etiam regem ipsum, semper vacillantem ob susurrationes papae Clementis et ducis Bituric.. sibi conciliavit. An. 1394 libellum suum de tribus viis ad Schisma abolendum aptis, post longam discussionem compositum, pervulgavit regique praesentavit, dolente Clemente papa VII, qui, per 16 annos nullum adhibens remedium ad Schisma tollendum, dolore tactus de epistola Jul. 17 ab Universitate ad eum directa, diem supremum clausit (n° 1693, not. 2). In fine illius pontificatus auctoritas papalis, Clementis imprimis culpa, tam concussa erat in Francia, ut plerique assererent, nihil omnino curandum esse quot papae essent, duo, tres, decem vel duodecim; singulis regnis singulos praefici posse (vid. n^um^ 1690).

Optima ea fuit Universitati tempestas, durante Schismate Sub Benedicto XIII magistri saepius impetibus animi obedierunt, in damnum solidae doctrinae, quod probant subtractio obedientiae atque propositiones ejusmodi impune prolatae · « Ecclesia non est aliud nisi conjunctio omnium existentium in charitate » (PIERRE PLAOUL), etc., quod testatur magnum irarum certamen, moderamine carens, cum Benedicto XIII.

1605. « *Universitas Paris., cognita Urbani VI electione, in generali congregatione cantavit* Te Deum laudamus »

1378, ad Maium, Parisiis.

Chron. duc. Lotharing. et Brabant. Edmundi de Dynter, ed. de Ram, III, 101 — Urbanus VI April. 8 in papam electus est, sed Parisiis « environ le moys de May » nuntium electionis accipiebant (*Les grand. chron. de France*, ed. P. Paris, VI, 441). Quantum ad electionem vid. N. Valois, *L'élection d'Urbain VI* (extrait de la *Rev. des quest. hist.*), 1890.

1606. *Universitas Paris. ad Urbanum VI mittit rotulum, cum quo nuntii Universitatis Avenionem primo profecti sunt.*

1378, post Jun. 12.

Vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 558, 36 sqq., et supra nº 1419, et ibid. not. 2, ubi de vicissitudinibus nuntiorum Universitatis agitur. Si Johannes Danton in rotulo Universitatis an. 1379 scribit, se alias « pro presenti rotulo » ante creationem Clementis missum esse (supra, p. 258), significare videtur, se missum esse « cum rotulo Universitatis », qui tamen non signatus est.

Nuntios primo Avenionem (qua iter facere solebant ad Romam) profectos esse, ibidemque mense Julio pro majori parte stetisse, apparet e nº 1608. Avenione eo tempore quo Urbanus VI Romae electus est, et postea usque ad Dec. 5, quo Egidius de Monteacuto obiit, sex cardinales morabantur.

1607. *Cardinales Anagniae commorantes Universitati Paris., ut Nicolaum de S. Saturnino gratiose recipiat et audiat.*

1378, Julii 15, Anagniae.

Cardinales Anagnie[1] existentes, venerabilibus amicis nostris carissimis rectori, doctoribus et magistris Universitatis Parisiensis, etc. Venerabiles amici carissimi, mittimus ad serenissimum principem dominum nostrum regem venerabilem et religiosum virum mag. Nicholaum de S. Saturnino[2], magistrum palatii, necnon sacre theologie solempnissimum professorem, latorem presentium, de nostra intentione plenarie informatum, super nonnullis arduissimis negotiis, fidem catholicam ac statum sacrosancte Romane et universalis ecclesie continentibus[3] et honorem. Ea propter vos affectuosissime deprecamur, quatinus propter Deum et ecclesiam sponsam suam dictum mag. Nicholaum velitis gratiose recipere, benigniter audire, ac sibi tanquam personis nostris propriis in exponendis per eum fidem credulam adhibere, rescribentes in omnibus fiducialiter queque grata. Valete in Domino fideliter et votive. Scriptum Anagnie die xv^a Jullii[4].

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14644, fol. 177. — Bulaeus, IV, 465.

1. Primi cardinalium, de Agrifolio et Pictavensis, jam in fine Aprilis vel in principio Maii Anagniam recesserunt (Bibl. nat. Paris., ms. lat. 11745, f. 138ᵇ; 176, depositiones Menendi Ord. Min., et Fernandi Petri, decani Tirasonens.); ultimi ante festum S. Johannis Baptistae (24 Junii), scilicet Petrus de Luna et Glandatens., qui tribus vel quatuor diebus ante dictum festum Romam reliquerunt (ibid., fol. 132ᵇ, 160ᵇ; 176). — 2. Vid. infra nº 1610. Postea a Clemente VII creatus card. (vid. nº 1280. not. 5), cum primum ab Urbano VI cardinalatum acceptaverit, sed postea renuntiaverit : « dom. N. de S. Saturnino (*ms.* : Severino), qui capello ab ipso (Urbano) recepto aliquandiu pro cardinali se gesserat, tandem veritatem agnoscens statum simul cum capello rejecit, exsecratus intrusionem Barensis, ut patet per publica instrumenta » (Arch. Vat., arm. 54, nº 49, f. 14ᵇ). Cf. Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, p. 491. — 3. Ms. : « continen. » — 4. Bul. adjungit « an 1378 ».

1608. *Marsilius de Inghen, nuntius Universitatis Paris., ab ipsa petit quid sibi faciendum in tempestate illa, quae post aliquos menses peracta electione Urbani VI Romae*, etc., *saevit.*

1378, Julii 27, Tibure.

Venerabilibus et discretis viris rectori et omnibus nunciis Universitatis Parisiensis, dominis et magistris suis predilectis. Reverendi magistri mei et domini singulares, noveritis me Tibure in territorio Romanorum, ubi pro nunc est papa, sanum quamvis tristem

et multis prepeditum angustiis residere. Insuper quod ecclesia Dei, videre meo, non in centum annis in tanto fuit scismatis periculo, quod Deus avertat; nam papa, sicut prescripsi, cum Florentino[1] et Mediolanensi[2], S. Petri[3], et de Ursinis[4] cardinalibus, residet in civitate Tiburtina; cardinales vero alii tredecim in numero resident in Anagnia, et ut dicitur, isti primi et populus Romanorum ac communis Ytalie dicunt, eum qui fuit archiepiscopus Barrensis, esse vere et rite papam; cardinales vero secundi, ut dicitur, referunt contrarium, scilicet propter Romanorum impressionem electionem esse nullam et fuisse irritam, eo quod non libera; sicque dictum quondam Barrensem non esse vere papam. Propter quod etiam dicti cardinales Britones et alios armorum homines et stipendiarios advocari fecerunt pro sui custodia, qui actu venerunt Anagniam, et transeundo Romanorum[5] magnam interemerunt multitudinem. Quapropter omnes Gallici Rome etiam existentes fuerunt periclitati et plurimi interfecti, et quasi omnes forenses furia suadente fuissent interfecti. Quid autem cardinales facere velint cum dictis armorum gentibus, vulgo ignotum est. Quidam enim [dicunt] ipsos ad novam electionem velle procedere, unde et alios cardinales Tibure existentes citari fecerunt[6] et nescitur ad quid; quidam dicunt ad pape novam electionem vel creationem; alii dicunt ad videndum agi et discuti de nullitate electionis Urbani pape moderni; alii dicunt, cardinales cum dictis gentibus velle conduci ad locum tutum, et ibi de novo velle eligere. Quid autem verum sit, latet comunes, quamvis ut hoc occultum satis cito sciatur oportet. Insuper ob hanc causam advocatum vestrum Anagnie, procuratorem in via ad Avinionem, me vero Tibure subsistere, nec aliquid ulterius attemptaturum, nisi de novo percepero literis vestris mentem vestram, scilicet quomodo et coram quo volueritis procedi; etsi vellem, non auderem neque possem. Quare super hoc non sitis negligentes supplico, quin voluntatem vestram rescribatis : quia revera maximis periculis hic maneo et sumptibus michi intollerabilibus, facientes in hoc diligentiam vestram, supplico devote. Insuper si Rome et coram domino Urbano volueritis procedi, sicut nuper vobis scripsi, remittatis copiata privilegia virtute compulsorie, quia illis vos uti oportebit in processu cause. Publicis enim litteris per episcopum Silvanectensem[7], quas mecum duxi, non statur neque datur fides, sicut pluries vobis scripsi. Quare etiam in hoc non deficiatis.

Ceterum de *rotulo vestro* nichil percepi, nisi quod mag. Guillelmus de Oesterzele[8] venit Romam et fuit Anagnie[9]; *de ceteris nunciis bene audivi, quod visi sunt Avinioni,* plus non percepi. Insuper nulla sunt nova nisi mala; hoc solo dempto quod papa heri publice in consistorio confirmavit electionem factam de rege Almanorum[10] per electores, et ipsum pronunciavit futurum imperatorem, quamvis ex parte imperatoris nulli ambassiatores pro illo fuerint missi. Ceterum regina Sicilie misit pape ducentas[11] lanceas et centum homines pedites valentes pro sui defensione. Papa dicitur infra octo dies Romam reversurus; nescio, si fiet[12]. Utinam cum bona voluntate vestra vobiscum existerem, et infra biennium carnibus non vescerer, quia revera pericula gravissima sunt omnibus forensibus nunc in

patria ista, discordia superius[13] scripta hoc inducente et procurante. Dominus vos dirigat feliciter et longeve. Scriptum Tibure die xxvij[a] mensis Jullii[14]. Vester minimus

MARCELLIUS DE INGHEN.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14644, fol. 177[b]. — Bulaeus, IV, 466. — Marsilius de Inghen jam an. 1377, Maii seu potius post Maii 5, pro negotiis Universitatis ad curiam profectus est, ut legitur in *Lib. proc. nat. Anglic.* (vid. *Auctar. Chartul.*, I, 519, 4 sqq.). April. 19 in congregatione nationis annuntiavit, se ad curiam, imo « ad partes longinquas » proficisci (ibid , p. 517, 11), curia enim tunc in Italia, minime Avenione residebat. Nihilominus Marsilius primo Avenionem petivit (vid. l. c., p. 523, 26, 37 sq.), ibique saltem ad an. 1377, Novemb. 23, morabatur (vid. l. c., p. 529, 7). Fortasse sperabat Gregorium XI Avenionem reversurum. Nescimus quando Avenionem reliquerit et Romam versus profectus sit. Ejus nomen non legitur in *Lib. procur.* ab an. 1377, Aug. 7 (vid. ibid., p. 523, 42), usque ad an. 1378, Junii 12 (ibid., p. 558, 34; 559, 5), tempore quo ipsum cum Henrico de Thenis in partibus Italiae et quidem in curia Urbani VI invenimus. Perperam asseritur, Gerardum de Kalkar etiam Romae fuisse. Vid. n[um] 1419, not. 2, et *Auct. Chart*, I, p. 562, 44; 563, 12.

1. Petro de Corsinis, episc. Portuens., card. ab an. 1370, Jun. 7, cum tunc esset episc. Florentinus. — 2. Simone de Borsano, card. SS. Johan. et Pauli, ab an. 1375, Dec. 20, cum esset archiep. Mediolan. — 3. Bul. « Patri ». Fuit Franciscus de Tibaldeschi, card. S. Sabinae, dictus S. Petri, ab an. 1368, Sept. 22. — 4. Jacobo de Ursinis, card. S. Georgii ad vel. aur. ab an. 1371, Jun. 8 — 5. Sic clare et quidem recte in ms[to]. — 6. Marsilius, plerumque de rebus parum certus, non audivit igitur, tres cardinales Florentin., Mediolanens. et de Ursinis jam 26 Julii (« in crastino S. Jacobi, die lune », Bul., IV, 528) Tibur reliquisse. — 7. Verisimiliter Adamum de Nemours. Vid. p. 246, not. 12. — 8. Ms. non clare : « œster zelo »; Bul. : « Coster zelo ». De Guillelmo de Oesterzeele, mag. in art. et in med., pluries supra, n° 1419, not. 2; infra n[is] 1612, 1624. — 9. Cum cardinalibus dissidentibus. — 10. Wenceslao. Vid. Gayet, *Le Grand Schisme*, II, Docum., p. 182 sq. — 11. Bul. perperam : « 2000 ». — 12. Bul. « fui ». — 13. Bul. « serius » — 14. Bul. adjungit « an 1378 ».

1609. *Cardinales dissidentes Anagniae degentes Universitati Paris. scribunt de « invasore » Urbano VI.*

1378, Augusti 21, Anagniae.

Miseratione divina collegium sancte Romane ecclesie cardinalium dilectis filiis .. rectori, magistris, doctoribus et scolaribus Universitatis Parisiens., salutem et post litterarum gloriosa certamina eterne felicitatis bravium adipisci. Scripsisse nos vobis recolimus per dilectum filium Johannem de Guignicurte, in sacra theologia baccallarium[1], ea que per insanum populum miserabilis urbis Rome ejusque officiales perfidos dira tirampnide ausuque sacrilego, beluarum sevientium more, dum post obitum felicis et sancte recordationis domini Gregorii pape XI ad futuri electionem pontificis curaremus, tam in personas nostras quam bona enormi actuum multiplicatione infeliciter patrata sunt, ut per ipsorum effrenatam maliciam aliquis in sede apostolica intruderetur, prout rei exitus lucide demonstravit. Hac itaque occasione habet Petri sedes sessorem apostaticum, unice dilecte domini invasorem, satorem erroneorum dogmatum et veritatis tocius contemptorem. Hunc certe non tradidit canonica electio, hunc spiritus Domini non vocavit, hunc non stabilivit consensus, hunc truculenta rabies et seva timoris incussio in apostolica sede intrusit. Ne igitur intrusus ipse, qui datus in sensum reprobum terreni fastus appetitor factus est et proprie salutis contemptor per suam obstinatam maliciam et obstinationem iniquam fideles aliquos super presenti negotio faceret dubitare, ad publicationem quandam processimus, sicut per dilectum filium Petrum de Corbeya, secretarium regium, presentium portitorem, informabimini plenius, cujus relatibus fidem petimus adhiberi. Dat. Anagnie xij kal.[2] Septembris,

anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, apostolica sede vacante.

G. BYE.

Originale in Arch. nat. Paris. M. 65ª, nº 4, epistola clausa, tribus sigillis, taeniolis membr. appensis, munitum; supersunt taeniola cum fragmento sigilli. Pertinuit ad Arch. Univers. (A. 3. e). — Bibl. nat. Paris. mss. lat. 14644, fol. 177; 12849, fol. 26. Bulaeus, IV, 479. D'Achery, *Spicil.*, I, 765.

1. Carolus V in nota ad comitem Flandrens. missa dicit, eum « circa mensis Julii initium » Parisios venisse. (Bibl. Rotomag. O. 20, seu 1355, cod. celeber *Gemmetic.*, fol. 42ᵇ; Bul., IV, 523). De ipso saepius supra. Remanebat semper baccalareus, et quidem solum « cursor »; nihilominus an. 1406 « estoit reputé le plus grand clerc du monde » (vid. Bourgeois du Chastenet, *Nouv. hist. du Concile de Constance*, Preuves, p. 196, 229). — 2. D'Achery ; « xvij kal. ».

1610. *Petrus archiepiscopus Ebredunensis ad cancellarium Paris., quod non obstante inthronisatione Bartholomaei (Urbani VI) sedes apostolica adhuc vacat.*

1378, Septembris 7, Avenione.

P. archiepiscopus Ebredunensis[1] venerabili viro domino Johanni de Calore cancellario B. Marie Paris., domino et amico carissimo. Reverende pater, domine et amice carissime, quia scivi vos esse Caput omnium Parisius studentium ex officio[2] precipue veritatem sequentium ex doctrina, et testimonium vestrum ex persona fore precipuum apud dominum nostrum regem, idcirco hactenus distuli vobis rescribere quid esset tenendum de papatu istius Bartholomei quondam Barrensis. Nunc autem visa per me autentica scriptura legitime procurationis et alia canonice[3] declarationis, quod ipse non fuit nec est verus papa (quas etiam scripturas aliquando videbitis, ex nunc autem earum *Vidimus* mittuntur domino regi sub forma quam passa est celeritas, non quam auctoritas exigebat), respondendum vobis duxi, quod pro certo secundum Deum et conscientiam verum reputo et teneo ipsum nunquam fuisse papam, nec esse debuisse, consideratis que circa ejus electionem scivit attemptata fuisse. Et certe si fuisset bonus homo, sicut antea credebam, adepta securitate pro se et dominis cardinalibus et curialibus ipse debuisset de facto cessisse, quatenus de facto tenebat[ur]. Et si alii voluissent eum reeligere, potuisset remansisse sicut ipsi predixerant; adhuc tamen fuisset perniciosum exemplum et in futurum tractum ad consequentiam, quod per impressionem laicalem posset finaliter obtineri papatus, et multo facilius dignitates inferiores. Absit autem hoc tanti mali seminarium ab ecclesia Dei; absit et a nostris temporibus tantum malum, qui non sufficimus reformare errores alios multiplices, ymo nec enarrare per singula, tot videmus cotidie pullulare. Itaque, pater et domine, quia de veritate principalis conditionis dom. rex jam habuit quamplures informationes particulares a quibusdam dominis cardinalibus et per dom. episcopum Famagustanum[4], et iterum per magistrum palatii[5], a tredecim dominis de Anagnia[6], et similiter quinque de hoc loco[7] : nunc autem debitis solempnitatibus servatis sufficienter et juridice in bona forma habebit hanc de qua premisi[8] probationem et decisionem. Teneatis, consulatis, predicetis et Christi fidelibus divulgetis quod non obstante intronizatione facta de Bartholomeo adhuc vacat apostolica sedes, et adhuc perdurat metus mortis in cordibus cardinalium, si eligerent

quemcunque citramontanum. Orandus est igitur Deus universaliter et singulariter ut prospiciat de excelso et viduitati subveniat sponse sue. Pater et dilectissime domine, secundum scientiam et prudentiam tibi datam hec loquere et exhortare in Christo Jesu domino nostro, qui te multis prodesse faciat et preesse tribuat ad salutem. Scriptum Avinioni die vij^a mensis Septembris[9].

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14644, fol. 175^b. — Bulaeus, IV, 479.

1. Petrus Amelii. Fuit olim in Universitate Paris. studens. Vid. *Chartul.*, II, 628, not. 12. Card. S. Mariae in Transtiber. eodem an., Dec. 16. — 2. Cf. supra n° 1246. Gerardus Machetus, mag. art. et theol., saec. sequenti de cancellaria scribit, « quae totum pondus gymnasii scolastici super se gerit, et potissime certamen illud sac. theol. examinis ». — 3. Ms. · « canonicis ». — 4. Arnaldum ; vid. supra p. 284, not. 4. An. 1379, Jul. 11, episc. Lombariens. (Reg. Av. Clem. VII, vol. XV, f. 447^b). — 5. Nicolaum de S. Saturnino, de quo saepe supra. Ambo « circa medium mensis Aug. penes regem applicuerunt », scribitur in not. ad comitem Flandrens. (Cod. Rotomag. O. 20, f. 43; Bul., IV, p. 523). — 6. I. e. cardinalibus ultramontanis dissidentibus. — 7. Avenione existentes. — 8. Ms. : « permisi ». Bul. : « de consequentia promissi » — 9. Bul. add. « an. 1378 ». Launoius, *Nav. gymn. hist.*, p. 893, epistolam perperam refert ad an. 1379, Dec. 7.

1611. *« Factum magistri et domini Jacobi de Seva[1], missum Universitati Paris. super electione Urbani VI », et pro ipso. Vix tamen tunc ad manus doctorum pervenit.*

1378, Augusti-Septembris.

Incipit : « In Dei nomine, amen. Quia quecunque distinguuntur ». Sub rubr. ut supra in Bibl. nat. Paris. mss. lat. 12544, fol. 1; 14643, fol. 170-187. Exstat ibid. 1470, fol. 76-102. Arch. Vat., arm. 54, n° 18, fol. 18-34, sub rubrica coaeva, sed alia manu : « Factum datum et missum de Roma per bullam, quod dicitur Jacobi Ceue ». Tractatus in hoc ms^to absolutus est (divis. in 118 partes cum Appendice), sicut etiam ibid., n° 15, fol. 126-149, sub rubrica alia manu coaeva : « Falsi articuli compositi per Jacobum de Seua legum doctorem ». In his duobus mss. in margine exstant glossae contra tractatum. Ibid., n° 37, f. 30^b-56^b, sine auctoris nomine. Fragmentum ibid. n° 14, fol. 164-174. Cod. Vat. lat. 4924, fol. 18-68, sub rubrica : « Incipiunt scripta dom. Jacobi de Senis, doctoris utriusque juris », etc. Cod. Eichstadiens. 269 (saec. xv), sine auctoris nomine, pag. 204-245, e quo Pastor, *Gesch. der Päpste*, I (ed. 2^a), p. 684, fragmentum, perperam Johanni de Lignano ascriptum. Bibl. Berolin. ms. lat. 210, fol. 71-104. — Bul., IV, 485-514, sed mancum. — Bulaeus tractatum ad « Julii 3 » perperam adscribit; nam temporis nota qua specie finitur tractatus in duobus mss. prioribus . « Datum Avinione anno a Nativitate Domini M CCC LXXVIII, indictione prima, die tertia mensis Julii, pontificatus domini nostri domini Urbani pape VI an. primo », pertinet ad epistolam duorum cardinalium Castellano arcis S. Angeli missam, in eisdem mss. annexam tractatui, qui mense Augusto potius compositus est. An 1382 Jacobus negavit se alicujus scripti pro Urbano VI esse auctorem. Vid. *Journal de Jean le Fèvre*, par Moranvillé, p. 31, ubi « Jaque de Seva », p. 33 : « Seve ».

Baluze hunc tractatum confundit cum opere Johannis de Lignano *De fletu ecclesiae* (*Vit. pap. Aven.*, I, 1082 sq.), dicendo eum esse partem dicti operis, ex auctoritate ms^ti Colbert 815, i. e. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 1470. Ast in isto ms^to operi Johannis de Lignano post praefationem (fol. 72-76) et ante Factum cardinalis Orsini cum consilio Johannis de Lignano (fol. 103-123,de quo infra n° 1631), facti narratio a Jacobo de Sève (fol. 76-102) inserta est. Et sic etiam in Arch. Vat., arm. 54, n° 18, fol. 67^b, post *Fletum eccl.* notatur in margine « subjicitur primo casus Jacobi Ceue, secundo casus suus (Johannis) cum alegoria hujus ». Sed desunt folia sequentia.

1. In mss. saepe « Sena ». Et sic apud Bul. et Jourdain. Sed vid. Baluze l. c.; Barjavel, *Biog. Vaucluse*, II, 405. Jacobus Ceva seu de Sève fuit auditor rotae sub Gregorio XI, et sub Urbano VI marescallus curiae. Vid. n^um 1615. In Franciam missus ad regem, captus et in carcere detentus est (vid. l. c., et n^um 1616, not. 3), sed, ut an. 1381 asserebatur, per homines armorum dom. comitis Gebennens., cardinalibus Clementis VII invitis (Arch. Vat , arm. 54, n° 49, f. 15).

1612. *Plures magistri et scholares Universitatis Paris. comitantur cardinales dissidentes.*

1378, Maii-Septembris, etc.

Factum notatu dignum et hucusque ignotum. Vid. supra p. 451 (Simon Reginaldi), 458 (Guillelmus Sauvalle), 459 (Simon Vimont). Si dicunt, se Clementem VII Romae, Anagniae, etc., secutos esse, intelligitur pro tempore, quo Clemens adhuc car-

dinalis cum aliis cardinalibus se Urbano VI opposuit. Cum cardinalibus dissidentibus Anagniae commoratus est etiam nuntius Universitatis cum rotulo ad Urbanum VI (vid. nº 1419) Guillelmus de Oesterzeele, mag. art. et med. (vid. ibid., et nº 1608). Ipse cum aliis, ut in rotulo quodam verisimiliter an. 1379 composito dicitur, « curiam Romanam cum multis laboribus damnisque et adversitatibus infinitis secutus est », i. e. Clementem VII tam ante quam post ejus electionem (vid. num 1437). Guillelmus de Oesterzeele tamen non secutus est Clementem de Italia in Franciam, nam an. 1379, Maii, jam Parisiis in congregatione apparet (vid. num 1624). Radulphus de Ulmonte, licent. in utroque jure (vix tamen tunc in Italia praesens), semper partem cardinalium dissidentium tenuit, jam ante Septemb. 8 vel 11, omnes quos potuit ad hanc partem trahendo (supra p. 254). Johannes Perusandi eodem an. cum Arnaldo episcopo Famagustano (supra nº 1610) fuit Romae (p. 283).

1613. *Primum concilium regium. — Carolus V in suum palatium convocat nonnullos episcopos et clericos Universitatis Paris. aliarumque Universitatum ut audiant episcopum Famagustanum et Nicolaum de Sancto Saturnino, magistrum sacri palatii, a collegio Cardinalium dissidentium missos, exponentes Bartholomaeum (Urbanum VI) vi minisque electum, non jure papam esse.*

1378, Septembris 8 vel 11[1], Parisiis.

Les Grandes Chroniques de France, ed. P. Paris., VI, p. 442. — Guillelmus de Salvarvilla narrat in illa congregatione eccl. Gallicanae fuisse circiter 6 archiepiscopos, 30 episcopos, plures abbates et doctores in theol. et in utroque jure et alios sapientes, qui dicebant, « quod cardinalibus titulum electionis [Urbani] pape VI reprobantibus non erat absque majori et maturiori consilio adhaerendum » (apud Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 561). In nota per Carolum V ad comitem Flandrens. missa narratur . « datum fuit dom. nostro regi consilium quod pro tunc se non determinaret, sed adhuc differret se determinare ». Bul., IV, 524. Similiter Henricus de Hassia in *Epistola pacis* scribit (ibid., p. 576). Propter hoc in *Memoria eorum quae sunt injuncta dom. Egidio de Bellemere* Avenione, ad referendum Clementi, mense Octob. (Arch. Vat., Instrum. miscell., 1378), notatur « Item informetur dom. noster de hiis que fecerunt episcopus Famagustan. et magister palacii cum rege Francie, et de responsione per regem facta de consilio prelatorum ad hec convocatorum, que responsio est tradita et etiam deliberacio ipsorum prelatorum dicto domino Egidio per extensum, et secundum illam expedit, ut videtur dominis meis, quod dom. noster provideat *et mittat unum vel duos de dominis cardinalibus ad regem Francie, et de illis saltim unum qui fuerit in conclavi Rome in nominatione illius Bartholomei* per impressionem notoriam facta, qui sit regi gratus ». Quod et factum est, nam missus est card. Lemovicensis. Vid. infra nº 1618. Nihilominus tamen rex Carolus jam tunc partes tenuit cardinalium dissidentium, inter quos Robertus de Gebennis (postea Clemens VII), ad quos post congregationem supradictam duas epistolas direxit. Vid. Valois, *Le rôle de Charles V au début du Grand Schisme* (1888), p. 25, nº 4 (p. 10 sqq.).

1. In *Grand. Chron.* assignatur sabbatum, Septemb. 11; in nota per Carolum V comiti Flandrens. missa : « ad octavam diem mensis Septemb. » (Cod. Rotomag. O. 20, fol. 43; Bul., IV, 523) refertur.

1614. *Secundum concilium regium. — Carolus V, convocatis in nemus Vincennarum episcopis sapientibusque clericis, scilicet abbatibus, magistris in theologia, doctoribus in decretis et legibus aliisque nobilibus, partem Clementis VII amplectitur eumque verum papam agnoscit, « cum omnes et singuli dederint regi consilium quod se declararet ad partem domini pape Clementis VII, et contra dictum Barensem ».*

1378, Novembris 16, Vincennis.

Les Grandes Chron. de France, ed. P. Paris, VI, 446; in epistola regis, Nov. 16, ad cardinales (Valois, *Le rôle de Charles V*, etc., p. 24), et in nota missa per eumdem regem comiti Flandriae (Cod. Rotomag. O. 20, fol. 43; Bul , IV, 524), e qua verba supra inclusa[1], ubi insuper scribitur, regem circa mens. Novemb. habuisse nova de creatione Clementis. In *Chron. des quatre prem. Valois*, p. 270, dicitur « aprez la Saint Martin d'yver » Froissart (*Œuvres*, ed. per Kervyn de Lettenhove, IX, 145) narrat regem inter alios rectorem et magistros Universitatis vocasse, et tandem « la grigneur partie de l'Université de Paris s'inclinoit à Clément». Ast Henricus de Hassia in sua *Epistola pacis* hoc secundum concilium vocat « concilium paucorum » (Bul., IV, 576). et similiter Guillelmus de Salvarvilla scribit, illud non ita magnum fuisse ac concilium Septembris (Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 562). Certe tamen jam tunc non pauci Universitatis Paris Clementi VII adhaeserunt.

1. Similia in continuatione dictae *Chronique normande*, in Cod. Vat. lat. 4791, fol. 167b, Bibl S. Genovefae, H. f. in-fol. 38.

1615. *Urbanus VI summis laudibus Universitatem Paris. cumulando gaudet quod defensio ipsius ab illa suscepta sit, et eam exhortatur pro futuro. Epistola tunc minime Parisios pervenit.*

1378, Novembris 21, Romae.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis .. rectori, magistris, doctoribus, scolaribus ac Universitati studii Parisiensis, salutem et apostolicam benedictionem. Inter, imo supra ceteras studentium Universitates, in quibus scientiarum gemma resplendet, vestra Parisiensis velud quoddam sydus radiat, et pulsis procul ignorancie ac errorum tenebris doctrine sue lumine circumlucet. Ex ipsa nempe ceu ex quodam purissimo fonte semper sani verique dogmatis rivuli profluxerunt, qui per innumeros alveos pronius discurrentes falsarum opinionum limum absterserunt. Hujus quidem fontis claritatem nulla unquam quantunlibet impetuosa vis pluvie turbidavit. Vobis itaque, dilectissimi filii, qui ex hoc limpidissimo fonte dulcissimas litterarum aquas avido haustu elicitis, congaudemus, nobis et sancte Romane congratulamur ecclesie, cui talia ligna fructus producencia dulcissimos secus decursus aquarum in tam ingenuo viridario summus parens rerum plantavit. Quidni gaudeamus et exultet spiritus noster, quando intra felicia castra Parisiensis studii tot doctissimos ac magnanimos veritatis et orthodoxe fidei pugiles intuemur. Seviat hereticorum pravitas, quantum potest; evacuet contra tam munitissima castra pharetras suas turba scismatica: nam sunt milites alumpni nostri ad resistendum promptissimi, veritatis et fidei thorace muniti, habentes bicipicia spicula, quibus hostium precordia penetrentur; habent et faces ardentissimas caritatis, quibus illorum machine confundantur; habent et scaturientis fontis undas, quibus eorum facule protinus extinguantur. Ut nec illud pretereamus, cujus sola recordatione plurimum consolamur, quodque nuper cum ingenti gaudio fide dignorum relatione percepimus, quemadmodum vos adversus eorumdem hereticorum atque scismaticorum assertionem subdolam contra nos impudice loquentium nonnullas sanctas, veras ac saluberrimas, et quales professionem vestram decet, in nostrum, imo memorate fidei favorem et veritatis defensionem sententias publice tenuistis, et eas contra quoscumque contrarium profitentes defensastis. Pro quibus universitatem vestram meritis in Domino laudibus prosequentes, devotionem vestram requirimus et hortamur attentius, ac per aspersionem pretiosissimi sanguinis Jesu Christi, cujus in hac parte res agitur, obsecramus, quatinus causam justitiamque nostram toti mundo notoriam, quam dicti pseudochristiani, veri satellites Antichristi, obnubilare ac scisma perniciosissimum in Dei ecclesia suscitare moliuntur, suscipere imo jam susceptam velitis defensare tanquam legitimi certatores. Et ne inconsutilis Christi Jesu tunica lanietur, sub divine potentia dextere vos murum inexpugnabilem opponatis hostiumque multitudinem nullatenus formidetis, sub signis militantes victricibus veritatis; que, licet quandoque calumpniantium fucatis argumentorum coloribus impugnetur, vinci tamen non potest, et illorum nequit multitudine conculcari. Nichil enim felicius quam pro veritate bellare; nulli clariores triumphi, nulla

pinguiora spolia reportantur, quam que veritas defensa pollicetur. Eya ergo, athlete magnanimi ac veritatis et orthodoxe fidei devotissimi defensores, contra illarum impugnatores et hostes feliciter insurgatis, ut proinde preter eterne mercedis premia humanarumque laudum preconia nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam ac exaudicionem in vestris peticionibus tanquam bene meriti reportetis.

Ceterum[1] ne calumpniantium predictorum versutia verbis inanibus et fallacibus vestre circumspectionis prudentiam circa facti ac rei geste positionem seducat, ecce dilectis filiis nobili viro Jacobo Ceva[2], militi et legum doctori, nostre Rom. curie marescallo, necnon Raymundo de Capua[3], Ord. frat. Predicat. professori, penitentiario nostro, harum latoribus, commisimus quod tam vive vocis oraculo, quam per quarumdam scripturarum eandem veram seriem continentium [ostensionem] quantum ad ea que in facto consistunt[4], curent [vos] plenius informare, quorum in hac parte relatibus et instructionibus per vos indubiam cupimus dari fidem. Datum Rome apud Sanctam Mariam in Transtiberim xj kal. Decembris, pontificatus nostri anno primo. FRANCISCUS.

Originale in Arch. status Senensi (cum sigillo plumbeo), diplomatico ad an. Proven. patrimonio dei Resti ecclesiastici; S. Domenico di Siena. — Haec epistola tunc minime Parisios pervenit. Jacobus Ceva enim captus et detentus est per partem adversam Urbano VI (vid. not. 2), a qua jam prius Raimundus de Capua impeditus usque Vintimilium tantum iter fecit, indeque propter insidias schismaticorum, « consocio suo », ipsi a pontifice dato, suadente, Januam reversus est, ut ipse scribit (vid. *Acta SS.*, April., tom. III, p. 937, n[is] 336, 337), et post aliquod temporis cum ista bulla et cum aliis, ab Urbano *ad regem Franciae aliosque directis* (v. infra *Addenda*), Senas petivit. Ideoque ibidem hodie istae epistolae originales, omnes « litterae clausae », inveniuntur.

Nihilominus an. 1381 Universitas Paris. de hac epistola ad ipsam directa certior facta est (vid. infra n[um] 1640), epistolamque divulgavit, quamvis truncatim et cum textu depravato In omnibus enim sequentibus mss[tis] et edd. omnia desunt quae ad latores epistolae referuntur, quia an. 1381 haec omnia inutilia erant. Sic in Bibl nat. Paris. ms. lat. 14643, fol. 187 (cum textu pessimo); ms. lat. 12849 (apograph. rec.), fol. 27. Ms. Amplon. (Erfurt) Q. 145, fol. 21. — Bulaeus, IV, 481. In *Vit. sec. Clem. VII* apud Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 549 (textus purior). Raynaldus, *Ann. eccl.*, ad an. 1378, n° 61.

Chron. du rel. de S. Denys, ed. Bellaguet, I, 88, ut etiam Juvenal des Ursins, *Chron.* ed. par Godefroy (1653), p. 12, hanc epistolam ad an. 1381 referunt, specie tantum seriem et relationem gestorum perturbantes. Vid. infra ad n[um] 1640. Urbanus VI Universitatem Paris. laudare potuit, quia statim ejusdem electioni adhaesit et postea in congregatione Septemb. 8 vel 11 rationem cardinalium dissidentium non approbavit. Quae Novemb. 16 evenerunt, nondum scivit. Si auctor operis *Chron. des quatre prem. Valois*, p. 271, recte refert, Urbanus VI jam prius aliam epistolam ad Universitat. Paris. destinavit scribens, « comme de la monicion des cardinaulx avoit esté enoint et sacré ». Verisimiliter ejusdem tenoris ac litterae encyclicae directae ad alios : *Is qui eterna potentia*, in Arch. Vat., arm. 54, n° 47, f 15 (mancum ap. Raynald., an. 1378, n° 16)

1. Abhinc usque ad not. temporis omnia desunt in mss[tis] et edd. supra allatis. — 2. De quo n° 1611. Ex hoc apparet verum nomen (cujus tanta difficultas) hujus viri. Scimus nunc praeterea, qua occasione Jacobus Ceva ab Urbano in Franciam destinatus et postea captus sit, de quo scribit Franciscus episc. Faventinus (vid. n[um] 1616, not. 3, et supra n° 1611, not. 1). — 3. Qui fuit confessarius Catharinae Senensis, et an. 1380 in Capitulo generali Bononiae (circa Maii 13) celebrato post scissionem Ordinis (vid. n[um] 1447, not.) in magistrum generalem illius Ordinis partis, quae Urbano VI adhaesit, electus est. — 4. Agitur supra de tractatu Jacobi Ceva pro declaranda Urbani VI vera electione. Supra n° 1611.

1616. *Universitas Paris., Carolo V dans responsum, deliberat in facto schismatis interim se in neutris partibus remansuram, cum in Universitate non sit adhuc concordia.*

1379, Januarii 8, Parisiis.

Anno Domini 1378[1], die 8 Januarii, Universitas magistrorum et scolarium tam regentium quam non regentium apud Bernardinos legitime et per juramentum a domino rectore[2]

congregata super facto schismatis duorum de papatu contendentium, statuit hoc modo. Quia virorum non est litterali scientie incumbentium omni vento circunferri, nec rumoribus quibuscunque aut etiam omnibus testimoniis credere, *qui enim cito credit, levis est* [*Eccl.*, XIX, 4], ne aliquando de nobis conqueratur sancta mater ecclesia, quod nos, qui positi sumus in specula *ut reddamus omni poscenti rationem* [1 *Petr.*, IV, 5], indormivimus suis periculis dicentes : Relinquamus ipsos disputationibus eorum, et interim quiescamus : postquam audivimus pluries varias allegationes juris a magistris decretorum et in theologia scripto et verbo propositas, que reddunt deliberationem nostram difficilem[3], unanimi consensu et deliberatione omnium facultatum et nationum deliberavimus et statuimus in hunc modum :

Videlicet rogandum esse suppliciter et humiliter dominum nostrum regem ex parte Universitatis filie sue, ut pro sua pia paternitate sustineat nos aliquandiu in nostra dubitatione, nec velit tam cito nos cogere ad determinandum pro uno aut pro altero dominis contendentibus, attento quod difficile est filie sue in hoc negotio habere concordiam, pro eo quod non est adhuc satis informata de veritate, et quod multi dicunt, quod melius esset utrumque de dominis contendentibus cogere ad renunciandum papatui, et neutralem esse Universitatem.

Item decrevimus unanimi consensu quod dominus rector in colligendo vota, quando determinandum erit, et concludendo, non concludat pro tribus (sicut facit aliquando secundum quod potest per statutum, quando materia non est tam gravis et ponderosa), sed ita quod omnes sint contenti; in ista materia maxime ardua faciat consentire omnes facultates et nationes, *ne una quidem,* si fieri potest, *dissentiente.* Insuper dicta Universitas rogavit dominum rectorem, ut eat ad Vicennas cum bona comitiva et bedellis, habeatque unum proponentem ad supplicandum domino nostro regi et consilio suo ex parte Universitatis filie sue, quod velit utrumque punctum sibi concedere. Et deputati sunt ad comitandum dominum rectorem ex singulis facultatibus et nationibus duo magistri, et magister Gervasius Christiani pro introducendo ad dominum regem. Datum in congregatione generali in ede Bernardinorum habita anno et die ut supra.

Bulaeus, IV, 565, ex instrumento Herouvallii. — Ea differentia inter deliberationes Universitatis Januarii 8 et Maii 24 (infra n° 1624) existit · scilicet Januarii 8 Universitas consensum *unanimem* omnium facultatum et nationum in unum vel alterum papam exegit, et, cum non potuerit habere, haesitavit declarationem emittere; Maii 24 vero consensu *majoris* tantum *partis* contenta erat ad declarationem pro Clemente. Januarii 8 nondum singulae facultates et nationes privatas congregationes de hoc casu tenuerant nec conclusiones fecerant Hac conclusione Januarii 8 non obstante admittere quis potest, jam tunc magnam, fortasse majorem partem suppositorum Universitatis, e subditis regis Franciae compositam, cum Carolo V Clementi VII adhaesisse. Quomodo aliter Universitas Paris. jam hoc ipso mense vel in principio sequentis de rotulo mittendo ad Clementem VII consilium habere potuit? Vid. infra n^is 1619 et 1620.

1. Bul. perperam « 1377 ». — 2. Matthaeo Scoto, nat. Anglic., ab an. 1378, Dec. 16-1379. Martii 24. Vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 569, not. 4, et p. 576, 24. — 3. Propter allegationes tam pro Urbano quam pro Clemente. Certe tamen vix tales pro Urbano receperunt, cum Franciscus de Urbino, episc. Faventin. (in Arch. Vat., arm. 54, n° 14, f. 196; 48, f. 14^b), dicat « nunquam enim in Francia pro domino Urbano fuerunt informationes recepte, ymmo cum ad istum finem illuc destinaretur quidam valentissimus doctor et miles advocatus antiquus Rom. curie, nomine dominus Jacobus de Ceva, natione provincialis, fuit per partem adversam captus et detentus », *etc.* Vid. Martène, *Thes. nov*, II, 1092, et n^um 1611 atque not. 1.

1617. *« Allegationes quorundam magistrorum Paris. facte per priorem Carnotens. »*, *Johannem de Bournazel, decret. doct. Paris.*

1378, Novemb.-1379, Januarii, Parisiis.

Incipit : « Vacante sede apost. per obitum fe. re. Gregorii XI », in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14644, fol. 162, sub rubrica ut supra. Cod. Rotomagens. O. 20, f. 12 . « Allegaciones doctorum Parisiens. ». Cod. Vat. lat. 4153, fol, 57, sub rubrica : « Allegaciones infrascripte sunt facte ex falsis suppositis contra veritatem, et ideo non procedunt, et dato quod essent vere, posset debite responderi ». — Bulaeus, IV, 555-564. — Hae allegationes minime cum disputationibus in scholis confundendae sunt. Tractatus innititur casu seu relatione historiae, an. 1378, Aug. 2, a cardinalibus ultramontanis Anagniae edito (de quo infra n° 1631, not. 1), ut auctores ipsi narrant et e tractatu apparet. Scriptus esse videtur ad determinandam Universitatem Paris. pro Clemente VII, post cujus electionem compositus est. Mensibus Februarii et Martii an. 1379 Johannes Bournazel, et mag. theol. Hugo de Lenvoisié (de quibus pluries in *Chartul.*) cum Aimerico episc. Paris. aliisque ut legati Caroli V in Alemannia morabantur, ubi inter alia apud Wenceslaum et principes adhaesionem parti Clementis VII procurare debebant (vid. Valois, *Le grand Schisme en Allemagne*, Roma, 1893, p. 14 sq.). Tractatus verisimiliter antea compositus est, et ut opinamur adhuc ante Januar. 8.

1618. *Carolus V in castello Luparae audit cardinalem Lemovicensem*[1], *a Clemente VII missum ut de electione Urbani VI et de nominatione Clementis certior notitia fieret; praesentibus multis principibus, praelatis, magistris in theologia, doctoribusque aliarum facultatum Universitatis Parisiensis ceterarumque Universitatum Franciae.*

1379, durante Quadragesima[2]*, Parisiis.*

Les Grandes Chroniques de France, ed. P. Paris, t. VI, p. 452. Vid. Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 1068. Missus est Parisios iste cardinalis propter consilium praelatorum an. 1378, Sept., Parisiis celebratum. Vid. n^um^ 1613, not.

1. De quo vid. supra p. 250, not. 6, et p. 454, not. 18. Quamvis legatus etiam in Scotiam, semper Parisiis remanebat. Vid. *Chronographiam reg. Franc.*, ed. Moranvillé, II, 376. — 2. Februarii 27 prima dominica Quadragesimae fuit, Pascha April. 10.

1619. *Tres facultates Universitatis Paris. et nationes Gallicana et Normannorum, quaelibet separatim et diversis temporibus, in suis congregationibus determinant Clementi VII adhaerendum esse tanquam vero papae.*

1379, Januarii 8-Maii 21, Parisiis.

Facultates theologiae, decretorum et medicinae, et duas nationes Gallicanam et Normann. jam ante Maii 21 pro Clemente VII se determinasse nobis dicit Carolus V in suis litteris Maii 21 (infra n° 1623). De *fac. decret.* hoc etiam apparet ex infra relatis n° 1624, p. 567, ipsaque in fine rotuli an. 1379 (supra p. 249) enuntiat, in quadam congregatione (quae congregationes Universitatis Maii 22 et 24 praecessit) 19 solemnes doctores congregatos esse et Clementi VII adhaesisse. In ista facultate fuerunt tres antiquiores et auctoritate graves semper pro Clemente · Symon de Cramaudo, Johannes de Bournazel et Johannes Fabri. *Facultas medicinae* in congregatione Maii 22 pronuntiat, se antea pluries in favorem Clementis VII declarationem emisisse. De *natione Gallicana* hoc scimus e n° 1622, et ex relatione Simonis Freron, tunc temporis magistri et gubernatoris Collegii Navarrae, supra p. 247 exscripta, ubi dicit se primum, antequam Universitas integra declarationem emitteret, in nat. Gallicana laborasse, ut Clementi VII adhaereret. Quantum ad *nat. Normannorum* hoc eruitur ex dictis rectoris in congregatione Universitatis Maii 22. *Fac. theologiae* tunc certe divisa erat et minime ut aliae facultates procedere potuit, ut e p. 567 apparet. Sine dubio major pars istius facultatis Clementi adhaerebat, sed auctoritas Henrici de Hassia et fortasse quorumdam aliorum determinationem retardavit. Henricus de Hassia pro « neutralitate » fuit (vid. n^um^ 1629, not.), et in sua *Epistola pacis* proposuit ut ad dirimendum jus utriusque papae judices, « qui neutraliter usque adhuc se tenuerunt ». constituerentur (vid. n° 1663), « et precipue mater veritatis et nutrix equitatis Parisiensis Universitas » (Ms. Paris. 14644, fol. 160, et Bul., IV, 577, qui omisit nomen « Urbanista », ex quo deinde ordinem invertit). Ut Henricus de Hassia, sic etiam nationes *Picard.* et *Anglic.* « neutrales » seu « indifferentes » erant.

Congregationes istae post Januarii 8 et ante Maii 21 celebratae sunt. Minime tamen ante Maii 24 Universitas integra suffragium commune pro Clemente VII emisit, quamvis jam in instrumento Maii 22 annus pontificatus « domini nostri Clementis divina providentia pape septimi » afferatur.

1620. *In Universitate Paris. de rotulo mittendo ad Clementem VII agitur.*

1379, Januarii, Februarii, etc.

Jam ante Februarii 12 de rotulo mittendo agebatur, et sub hac temporis nota, sicut in natione Anglicana referebatur, dominus rex putabat nationem impedire, quin rotulus concluderetur et mitteretur ad Clementem (*Auctar. Chartul.*, I, 569, 19 sqq.). Ergo jam tunc de conclusione rotuli actum est. In *articulis communibus* (supra, p. 245) dicitur, sedem Silvanectens. *nunc* vacare, quod an. 1379, ante Febr. 11, evenit (vid. ibid., p. 246, not. 12), et postea, donec Johannes de Diodona episcopatum assumpsit. Si praeterea Bulaeo, IV, 961, fidem adhibere possimus, Henricus Chicoti qui in rotulo Universitatis, nat. Gall., ut procurator designatur (vid. supra p. 259, not. 5), an. 1378 (1379), Januarii 13, in procuratorem nat. Gallic. electus est. Fortasse mense sequente continuatus fuit.

Opinamur in quacumque facultate et natione, quando in earum congregationibus determinabatur de adhaerendo Clementi VII vel non adhaerendo, discussum fuisse de rotulo mittendo. Unde apparet qua ratione natio Gallicana rotulum separatum mittere potuerit. Sic etiam explicatur cur Gerardus de Kalkar nat. Anglic., qui anno praeterito destinatus erat ad rotulum nationis portandum ad Urbanum VI, cum quo rotulo tamen Parisios ante Septemb. 29 rediit, jam in congregatione April. 30, an. 1379, nationi supplicare potuit, « *ut a legatione facienda ad Clementem absolveretur*, attento quod Alemania se ad Urbanum determinasset » (*Auctar. Chartul.*, I, 578, 47). Et natio nullo modo volebat « ipsum ad Clementem iturum » (ibid., p. 579, 9). Antehac in *Auctar.* semper de inrotulatione magistrorum agitur. Universitas rotulum communem nondum mittere potuit, quia nondum suffragium commune pro Clemente emiserat.

1621. *Tertium concilium regium. — Carolus V in nemore Vincennarum circumdatus proceribus regni, multis episcopis, abbatibus atque doctoribus auditum praebet cardinalibus, Lemovicensi scilicet, de Agrifolio et Pictavensi, referentibus et disputantibus de veritate electionis Clementis VII et vanitate electionis Urbani VI, praesente etiam Petro cardinali Eduensi.*

1379, Maii 7, Vincennis.

Les Grandes Chron. de France, ed. P. Paris, VI, 457. *Chron. des quatre premiers Valois*, ed. S. Luce, p. 280, ubi scribitur : « et prescherent et firent preschier... que le pape Clement estoit vray pape et que le pape Urbain n'estoit pas pape. Le roy de France fut de leur accord, car le dit pape Clement estoit de son lignage, *maiz les clercs de l'Université de Paris ne le furent pas*, ne le peuple. Les prelas tindrent l'opinion du roy affin qu'ilz ne perdissent leurs benefices. » Quae hic de Universitate Paris. dicuntur, *cum veritate minime congruunt*, ut ex antecedentibus patet.

Instrumentum ineditum de hoc Concilio exstat Avenione, Arch de Vaucluse, fonds des Célestins d'Avignon, n° 9. Assistentes Universitatum enumerantur : Johannes de Calore, cancellarius, Gerardus de Vervino, penitenciarius, Symon Freron, Radulphus Gachart, Jacobus de Moreyo, Ord. Praed., Joh. Goulain, Ord. Carm , Joh. Nazart, Ord. Min., Joh. de Lambale, Ord. August., Stephanus de Calvomonte, Joh. Liauret (*lege* Karoloet), *in s. pagina magistri;* Jacobus Divitis, Pontius [de Frezenchiis], decanus S. Amati Duacens.. Evrardus de Tremagon, Petrus de Thuryaco[1], custos eccl. Lugdunens.. Joh. de Bornazello, Guillelmus de Chenaco, Symon Cramaudi, Robertus de Grignonneria (*Andegav.*), *utriusque juris professores.*

1. An. 1382, Maii 2, episc. Malleacens (Reg. Av. Clem , vol. XXVII, f. 321), an. 1385, Jul. 12, card. S. Susannae.

1622. *Natio Gallicana et plura supposita facultatis medicinae rotulum communem ad Clementem VII per Petrum de Ailliaco, nuntium suum, mittunt.*

1379, ante Maii 24.

Vid. supra p. 243, 252, 255, 259. — Rotulum mense Maii compositum esse concludere quis posset ex hoc, quod Guillelmus le Dos in rotulo ut procurator nationis allatus, mense Maii procurator fuit (vid. infra n° 1624). Nihil tamen obstat, Guillelmum mense Maii continuatum fuisse in procuratoria, et jam in mense praecedente procuratorem fuisse. Rotulum communem Universitatis rotulus nat. Gallic. praecessit, ut exprimitur supra p. 449 (Gerardus Pignoti), p. 452 (Buevinus de Winvilla) et n° 1554, p. 484. Ante declarationem Universitatis (Maii 24) Clementi VII praesentatum esse scribitur supra p. 449 (lin. 1), et ibid. (Gerardus Pignoti). Nescimus tamen ubinam iste rotulus Clementi VII praesentatus sit.

Solum an. 1395 (1396), Februarii 22, decretum est ab Universitate, ne facultas, natio, collegium, congregatio scholarium vel graduatorum rotulum separatum ad papam sine consensu Universitatis mitteret. Vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 715.

Plura supposita facultatis medicinae nationi Gallicanae, ex qua erant, se adjunxerunt, quia nesciebant Universitatem suum rotulum communem ad Clementem VII postea missuram

Fortasse hac occasione unus alterve rotulorum particularium (supra n^is 1434 sqq.) expeditus est.

1623. *Carolus V, rex Francorum, Universitatem Paris. invitat, ut in quadam congregatione suffragium commune pro Clemente VII velut vero papa emittat, cum singulae facultates et duae nationes hoc jam fecerint.*

1379, Maii 21, Vincennis.

A noz tres chiers et bien amés les recteur et maistres de nostre fille Université de Paris de par le roy. Tres chiers et bien amez, pour ce que tous jours avons grant desir et affection, ainsi que à tout prince catholique appartient, que en saincte eglise ait vraye unité et concorde, et tout scisme et division soit ostée, et meismement de nostre royaume et d'entre nos subgiez, et il soit ainsi que par les attestations des cardinaux du sainct colliège de Rome à nous envoiéez ja pieca per escriptures autentiques et solennes et après la deliberation, conseil et advis de pluseurs arcevesques, evesques, abbés et autres prelas, de maistres en theologie et en decrès ayons esté conseilliez, et darrienement par les assertions des cardinaux, qui à present sont en nostre ville de Paris, faictes publiquement et solennelment de bouche et leurs consciences en la presence des arcevesques, evesques et autres prelas, de pluseurs de vous qui y ont voulu estre, et de tout le peuple, soyons acertenés et affermés que Bertholemi, jadit arcevesque de Bar, est intrus ou sainct siège de Rome, et pape Clement VII[me] est vray pastour de l'eglise universelle : nous (qui ne vouldrions aucunement que vous, qui estez si souffisans personnes, fussiez devis[1] en tel cas qui est si grant et notable et touche nostre foy, et meismement que les facultés de theologie, de decret et de medicine et les nations de France et Normandie, qui sont le greigneur partie de vous, sont determinés à la saincte vraye et saine partie de nostre dit saint père pape Clement[2], ainsi que de ce somes acertenés) vous requerons très acertes et si chier que vous avez et devez avoir le bien et soustenement de nostre foy, que vous maistres en votre assemblée veulliez avoir deliberation ensemble collegialement, et vous decliner à la dicte vraye et saine partie de notre dit sainct père le pape Clement. Si comme les consciences de vous tous sont et doivent, ainsi que nous tenons, estre enfourméez par la manière que dit est, sachans que ce vous le metez en reffuz ou delay, vous nous ferez desplesir, et que sur ce aurés deliberé veulliez rapporter à noz amez et feaulx conseillers l'evesque de Laon[3] et l'abbé de Saint Vaast[4]. Et pour ce que vous miex sachiez que ce vient de nostre propre science, nous avons escript nostre nom à ces letres. Donné au Boys de Vincennes le xxj[e] jour de May.

Litterae insertae instrumento nº 1624 edito.

1. I. e. divisi. Bul. « denis »! — 2. Abhinc usque « Si comme » deest apud Bul. — 3. Petro de Monteacuto, qui postea fuit card. Laudunens., de quo saepe in *Chartul.* Vid. p. 222, not. 6. — 4. Johanni Fabri, doctori decret., qui fuit oriundus e civitate Parisiens., « in qua natus sum et nutritus, et in jure can. licet insufficiens doctoratus », ut in fine praefationis tractatus contra Johannem de Lignano scripsit, in Arch. Vat., arm. 54, nº 18, fol. 203 (Bul., IV, 998, perperam « Duacens. »), An. 1368 factus est abbas Trenorchiens., an. 1370, Febr. 20, transl. ad abbatiam S. Vedasti (Reg. Av. Urbani V, vol. XXIII, f. 22). An. 1379, inter Martii 9 et Maii 21 (non Jun. 18, ut Valois, *Le rôle de Charles V*, p. 10, not. 4, asserit), in Flandriam jussu Caroli profectus est (Cod. Rotomag. O. 20, f. 42[b], Bul., IV, 523). An. 1380, Martii 5, episc. Carnot. (Reg. Av. Clem. VII, vol. XIX, f. 48[b]), ab an. 1381, Febr., cancellarius ducis Andegavens. (*Journal de Jean le Fèvre*, par Moranvillé, I, p. 1).

1624 « *Declaratio Universitatis studii Paris. facta pro domino nostro Clemente papa septimo* », *renitentibus nationibus Picard. et Anglicana.*

1379, Maii 22, 24, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Universis Christi fidelibus rector et Universitas magistrorum et studentium Parisius in qualibet facultate, salutem et sinceram in Domino veritatem. Amica Dei veritas, que tunc de terra orta est, cum justitia de celo prospexit [*Psalm.*, LXXXIV, 12].... Cum igitur dubium fuerit aliquamdiu inter nos super facto rescenti electionis pape summi pontificis agitatum et per aliquos curiosos, qui contra doctrinam apostoli querentes plus sapere quam oportet, sepe de hiis que non multum expediunt disceptatum : tandem ad commonitionem, exortationem et requisitionem serenissimi et benignissimi principis domini nostri Karoli Dei gratia regis Francorum, rei et utilitatis publice magnifici directoris, super hoc pluries congregati, matura deliberatione et informatione sufficienti ac diligenti tam juris quam facti prehabita, ex puris mentibus et nullo ar[c]tante nostrum judicium nisi Deo, ad omnem scrupulum de cordibus fidelium et disceptationis materiam amputandum concordavimus, declaravimus, determinavimus nosmetipsos in modum qui sequitur et in formam :

Videlicet quod anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono, indictione secunda, die vicesima secunda mensis Maii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi anno primo, in mei notarii publici testiumque subscriptorum propter hoc specialiter vocatorum et rogatorum presentia personaliter constitutis venerabilibus et circumspectis viris dominis et magistris :

Johanne Stralen[1], *rectore* universitatis magistrorum et scolarium Parisius studentium,
Guillermo dicto le Dos[2] Gallicane,
Goddefrido Bake [Beke] Picardie,
Johanne Pertuison Normanie,
et Johanne de Maguntia[3] Anglicane,

nationum procuratoribus, facientes (*sic*) collegium *facultatis artium;*

Johanne de Bellomonte,
Gervasio Christiani,
Herveo Camaroti,
Petro Beliardi,
Nicolao de Oliveriis,
Johanne Croizie,
Petro Bouscheti,
Radulpho de Herbes,
et Guidone Guerini,

magistris in *facultate medicine* et facientes collegium dicte facultatis;

Gervasio Boysouche decano,
Johanne de Bornasello,
Symone de Cramaudo,
Petro de Themericuria,
Johanne Balduini,
Johanne Capitisberi [Capitis Bituricensis],
Henrico Beuve[4],
Petro Blondi,
et Petro de Lupimonte,

doctoribus in *facultate decretorum* facientesque collegium predicte facultatis;

Stephano de Calvomonte[5] presidente loco decani,
Johanne de Karoloet,
Henrico Herout[6],
Reginaldo de la Buscherie,
Balduino Agni,
et Francisco de Mediolano,

in sacra pagina professoribus, facientes collegium *facultatis theologie*,

et omnia et singula collegia facultatum supradictarum simul facientia nobile collegium venerabilis studii Universitatis Parisiensis ad congregationem generalem *apud Sanctum Maturinum* solempniter factam et per cedulas rectoris ut moris est convocatam, prout in arduis dicte Universitatis negotiis est fieri consuetum, ipseque magister Johannes de Stralen rector in presentia omnium ibidem existentium dixit et exposuit publice quod serenissimus princeps dominus Karolus Dei gratia Francorum rex suas certi tenoris litteras clausas sigillo suo secreto ut prima facie apparebat sigillatas rectori et magistris dicte Universitatis direxerat, ad quas aperiendas, legendas et audiendas predictos magistros cujuslibet facultatis principaliter ibidem convocari et congregari fecerat. Deinde prefatus magister Johannes rector dictas litteras ad aperiendum michi notario publico subscripto tradidit, porrexit ac etiam assignavit, quas quidem litteras in presentia omnium et singulorum ibidem existentium de mandato et licentia ipsius domini rectoris in dicta congregatione aperui et easdem alta et intelligibili voce legi et perlegi, quarum quidem litterarum supradictarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis : « A noz tres chiers et bien amés les recteur », *etc. ut supra* n° 1623.

Qua lectura sic per me notarium subscriptum facta et per ipsos dominos audita prefatus rector requisitus fuit quod ipse contenta in dictis litteris regiis in deliberatione poneret. Qui dominus rector respondens dixit quod contenta in eisdem litteris erant nimis ardua, et protunc non auderet ea proponere nec in deliberatione ponere[7], nec etiam contra mandatum et requestam domini nostri regis ire vel ei inobedire. Sed petiit quod prefati magistri circa hec in singulis facultatibus et nationibus deliberarent more solito quid esset super tenore ipsarum ulterius faciendum seu etiam respondendum. Nec alio modo premissa posuit in deliberatione, sed requisivit prefatas nationes et facultates quatenus ad partem se traherent particulariter, ut moris est, segregatim quilibet magistrorum in natione et facultate sua.

Qui quidem magistri ad partem pro deliberationibus super tenore dictarum litterarum habendis quilibet in natione et facultate sua se traxerunt. Et paulo post reversi fuerunt ad congregationem communem pro deliberationibus reddendis. Et primo retulit prefatus magister Johannes rector nomine *facultatis artium*, quod due nationes[8] adherebant[9] et adherere volebant domino nostro Clementi pape septimo tanquam vero pontifici et vicario Christi, et quod ipsi non intendebant recedere aliqualiter decetero ab ista adhesione; et due alie nationes[10] dixerunt quod fieret alia congregatio solempnis et per juramentum regentium et non regentium apud Sanctum Bernardum Parisius, et quod contenta in litteris domini nostri regis in deliberatione plenius ponerentur, et super hoc fieret respon-

sum deputatis dicti domini nostri regis. Deinde venerabilis vir magister Johannes de Bellomonte decanus *facultatis medicine* nomine ipsius facultatis et pro ipsa deliberata retulit, quod *alias*, non solum semel sed pluries, predicta facultas consenserat et de presenti consentiebat parti et adhesioni prefati domini nostri domini Clementis pape septimi tamquam vero summo pontifici. Et tunc subsequenter magister Gervasius Boysouche decretorum doctor decanus ejusdem *facultatis decretorum* nomine ipsius et pro ipsa deliberationem habitam per magistros facultatis retulit, et dixit dictam facultatem *alias* deliberasse adherere parti et electioni domini Clementis pape septimi, et eandem electionem tamquam justam tenere, et adhuc adherebat eidem domino nostro Clementi pape septimo tamquam vero vicario Jesu Christi, et electionem dicti domini Clementis fuisse et esse veram, justam, sanctam et canonicam, et dictum Bartholomeum antipapam intrusum antichristum et apostaticum reputabat. Hiis dictis vir venerabilis magister Radulphus G[l]aschardi sacre pagine professor presidens *facultatis* predicte *theologie* nomine ipsius et pro ipsa deliberationem retulit, quod pauci magistri in illa congregatione fuerant, et factum in dictis litteris contentum erat multum arduum et tangebat totam christianitatem, et super hoc volebat dicta facultas habere majorem deliberationem.

Quibus sic deliberatis et in communi proloqutis prefati decani facultatum, videlicet medicine, decretorum et theologie et magister Guillermus le Dos procurator nationis Francie nominibus dictarum facultatum et nationis requisierunt prefatum dominum rectorem, quatenus die martis immediate sequenti generalem congregationem faceret et celebraret apud Sanctum Bernardum hora tertiarum, vocatis magistris regentibus et non regentibus, et per modum expedientis contenta in dictis litteris ponerentur in deliberatione, ad finem quod responsio dictarum litterarum fieret deputatis dicti domini nostri regis, videlicet dominis episcopo Laudunensi et abbati Sancti Vedasti a dicto domino nostro rege commissis pro responsione earumdem litterarum ab Universitate predicta recipienda. Que quidem congregatio in dicto loco Sancti Bernardi ad diem et horam supradictos fuit per dictum dominum rectorem ut requisitus fuerat assignata. Super quibus omnibus et singulis supradictis venerabilis et circumspectus vir dominus Amelius de Brolio decretorum doctor, cantor Turonens., tanquam nuncius prefati domini nostri domini Clementis pape VII^{mi} et reverendissimorum in Christo patrum et dominorum dominorum cardinalium sancte Romane ecclesie, per me notarium subscriptum petiit sibi fieri unum vel plura publicum seu publica instrumentum seu instrumenta. Acta fuerunt hec Parisius in loco predicto sub anno, indictione, die, mense et pontificatu quibus supra, presentibus venerabilibus et discretis viris magistris Johanne de Triumfonte, Petro de Clamenges, Johanne Luqueti, Johanne de Rancuria, Guillermo Gorran, Philippo Ping, magistris in artibus, et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Item[11] adveniente illa die martis, que fuit vicesima quarta mensis Maii, in *Sancto Ber-*

nardo, hora tertiarum, anno et pontificatu predictis, in mei notarii publici, plurium aliorum testiumque subscriptorum propter hoc specialiter vocatorum et rogatorum presentia personaliter constitutis prefatis

Magistro Johanne de Stralen, *rectore* dicte Universitatis magistrorum et scolarium Parisius studentium,
Guillermo le Dos,
Godefrido Bake[12],
Johanne Pertuison,
et Johanne de Maguntia,

nationum Francie, Picardie, Normanie et Anglie *procuratoribus;*

Johanne de Guistri[13],
Evrardo de Contis,
Guibberto de Selceto,
Gervasio Christiani,
Herveo Camaroti,
Guidone de Castroforti,
Guillermo Carnificis,
Guillermo de Hoesterzelle,
Petro Beliardi,
Johanne de Bellomonte decano,
Nicolao de Oliveriis,
Johanne [Voignon] de Poligniaco,
Johanne Croizie[14],
Guidone Guerini,
Johanne Chereton[15],
et Johanne Saffre,
et Petro Bou[s]cheti,

magistris in artibus et medicina, facientes collegium *facultatis medicine;*

Item Johanne Fabri abbate Sancti Vedasti Attrebatens.,
Jacobo Divitis decano Parisiens.,
Pontio Flescherii decano Douacens. [*ms.* Donatens.] Atrebatens. [*ms.* Morinens.] dioc.,
Petro Prepositi decano Noviomensi[16],
Johanne de Bornasello,
Symone de Cramaudo scolastico Aurelian.,
Herveo Costioti,
Petro de Them[er]icuria priore prioratus Sancti Georgii prope Hisdinium Morinens. dioc.,
Johanne Balduini,
Symone de Guernetot[17] abbate Beate Marie de Bononia supra mare,
Gervasio Boysouche, priore de Vilanis Cenomanens. dioc., decano facultatis,
Amelio de Brolio, cantore Turonensi,
Stephano de Porta,
Petro Blondi,
Henrico Beuve[18],
Johanne Capitisberi,
et Petro de Lupimonte,

facientes collegium *facultatis decretorum;*

Necnon Johanne de Calore cancellario eccl. Paris.,
Radulpho G[l]aschardi,
Johanne de Karolay,
Petro Julioti,
Guirardo de Ver[v]ino,
Jacobo de Moreyo,
Johanne le Fourbisseur,
Johanne Thoma,
Ricardo Guernonis,
Johanne de Nazar,
Stephano de Calvomonte,
Johanne de Karoloet,
Symone Freron,
Alano de Lambala,
Nicasio de Regalimonte,
Henrico de Hassia[19].
Petro de Duroforti[20],
Henrico Herout,
Reginaldo de la Buscherie,
Balduino Agni,
et Francisco de Mediolano[21],

magistris in theologia, facientes collegium *theologie facultatis,*

et omnia et singula collegia supradicta facientia nobile collegium Universitatis Parisiensis ad congregationem generalem in capitulo Sancti Bernardi regentium et non regentium etiam per juramentum ut moris est in factis arduis dicte Universitatis solempniter cele-

bratam, prefatus dominus rector in presentia omnium et singulorum dominorum ibidem existentium proposuit, quod de novo dictus dominus noster rex sibi et Universitati alias suas certi tenoris litteras per certum suum specialem nuncium miserat et eas receperat, quas una cum primis litteris regiis preinsertis michi Guillermo dicte Universitatis notario apperiendas et legendas tradidit, porrexit seu etiam assignavit; easque aperui, legi et perlegi alta voce et intelligibili ac etiam de mandato, voluntate et assensu dicti domini rectoris. Et primitus et ante omnia prefati domini, videlicet rector et singuli magistri singularum nationum et facultatum facientes nobile collegium dicte Universitatis Parisiensis, lecturam predictarum litterarum, de quibus tenor superius de verbo ad verbum est insertus, habere voluerunt, quam eisdem feci. Quarum quidem litterarum secundarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis :

Dilectis[22] nostris rectori et magistris filie nostre Universitatis Parisiensis ex parte regis Rector et vos magistri dilecte filie nostre Universitatis Parisiensis affectantes ex precordiorum medullis, quod super factis ecclesie sancte Dei ac fidei orthodoxe nunc in discussione vergentibus in clero et populo in dictione nostra precipue constitutis vera concordia, quietudo mentium et caritativa unitas, omnium errorum et deliramentorum semota caligine, reformentur, vos intimo cordis affectu rogamus, vobis nichilominus districte precipiendo mandantes, quatenus cunctis passionibus, inmoderatis favoribus vel odiorum foventis (*sic*) ab animo vestrum cujuscumque rejectis solum Deum et ejus judicium habentes pre oculis ad dirimenda scismata, inminentibus etiam scandalis obviando, super contentis nostris in apicibus[23] vobis ultimate directis sic mature, sancte et juste et deliberate et cum effectu reali concludere studeatis, nobis superinde vestra laturi responsa, quod cedat ad laudem divinam et ecclesie ac fidei predictarum firmitatem et illibatam pariter unitatem, nostrumque beneplacitum et populi nobis commissi quietem, vestri quoque opitulante Deo meritum et honorem. Datum in domo nostra Decoris supra Maternam die xxiij[a] Maii.

Quibus quidem litteris eisdem sic lectis et perlectis ut premittitur de mandato, voluntate et assensu dicti domini rectoris[24] et singulorum magistrorum predictam congregationem facientium ad deliberandum, prout in precedenti congregatione apud Sanctum Maturinum celebrata, de qua supra fit mentio, ordinatum et deliberatum fuerat super responsione facienda predictis dominis episcopo et abbati, dicti domini nostri regis ad hoc deputatis, traxerunt se ad partem predicte nationes et facultates, prout in talibus est fieri consuetum. Et post intervallum et circa spatium unius hore illius diei vel circa, prefati domini rector, nationes et facultates iterum ad dictam congregationem redierunt, et ibidem primo, more solito, prefatus dominus rector deliberationem retulit nomine *facultatis artium,* videlicet quod natio *Gallicana* reputabat dominum Clementem papam septimum esse verum papam et vicarium Christi in terris et prefatum B[artholomeum] verum intrusum in sede beati Petri, quare dixerunt quod decetero volebant parti domini Clementis tamquam pape vero adherere. Item magistri nationis *Normanorum* deliberaverunt quod reputabant dominum nostrum regem Francie et prelatos sui regni in hoc esse bene informatos, idcirco sufficiebat eis quod ipsi haberent fidem dicti domini nostri regis in hoc et suorum prelatorum. Item magistri nationum *Picardie* et *Anglie* deliberaverunt concorditer quod propter certas rationes loco et tempore proponendas et explicandas dicta Universitas non debebat recedere a deliberatione alias habita, scilicet a neutralitate et indifferentia[25]. Item vir venera-

bilis et discretus magister Johannes de Bellomonte, decanus *facultatis medicine,* nomine ipsius et pro ipsa deliberationem retulit, quod unanimi consensu et nemine discrepante, omni favore, odio vel timore postpositis et quocumque inordinato affectu, in eorum puris conscientiis et juramentis astricti, prout alias deliberaverant adherere parti domini Clementis pape VIImi tamquam vero Romano pontifici et vicario Christi, et prefatum B. olim Barens. archiepiscopum in sede apostolica intrusum et occupatorem dicte sedis reputabant, et eidem domino Clementi adherere volebant et debebant. Item vir venerabilis et discretus magister Gervasius Boysouche, decanus *facultatis decretorum,* nomine ipsius facultatis et pro ipsa deliberationem sue facultatis ibidem reddidit modo et forma contentis in deliberatione facultatis medicine in omnibus et per omnia, et qualiter alias deliberatum fuit in alia congregatione facta quod ipsi volebant et debebant adherere parti predicti domini Clementis pape septimi tamquam vero pape et summo pontifici. Item discretus vir magister Johannes de Calore, in sacra pagina professor, cancellarius ecclesie Parisiensis, presidens *facultatis theologie,* et nomine dicte facultatis et pro ipsa deliberationem retulit, premittendo quod pro expedienti istam deliberationem facultas receperat modo et forma contentis in quadam cedula papirea, quam idem cancellarius in manibus suis tenebat [et] pro finali et ultima conclusione seu deliberatione dicte facultatis dedit, et quam legit et perlegit de verbo ad verbum. Cujus quidem cedule tenor noscitur esse talis :

Pro responsione premittit dicta facultas secundum majorem partem magistrorum tunc Parisius in congregatione super hoc facta presentium, et aliquorum aliorum magistrorum ad partem per deputatos [facultatis] auditorum sub benevolentia dicti reverendissimi patris[26], quod corde, ore et opere semper fuit, est et esse intendit in posterum Deo dante in veritate fidei catholice et in obedientia sacrosancte Romane ecclesie firmissime stabilita et inmutabiliter radicata, et quod intendit semper servare juramenta sua, que concernunt jura, privilegia, statuta et libertates Universitatis Parisiensis et ipsius theologice facultatis. Tunc nos magistri, prout supra designati, respondemus quod (suppositis et attentis attestationibus et assercionibus tam verbothenus quam scriptothenus nobis factis per dictum reverendissimum patrem dominum cardinalem et per duos alios reverendissimos patres dominos cardinales[27] Parisius presentes, et per litteras dominorum cardinalium conscriptas et per auditores camere apostolice et penitentiarie Parisius presentes, et plures alios fidedignos super electione dicti domini Clementis VIImi ad summum pontificium) eidem domino nostro domino Clementi adheremus.

Qua cedula sic lecta et perlecta in presentia omnium et singulorum ibidem existentium prefatus rector per tres decanos facultatum predictarum requisitus fuit, quod ipse in istis vellet concludere per modum Universitatis et pro concluso habere et reputare, attenta concordia supradicta, et quod, postquam in factis Universitatis tres facultates et due nationes erant concordes, ipse[28] debebat habere pro concluso. Et ipse dixit quod conclusio sua nichil operaretur, postquam sic erat deliberatum per tres facultates et nationes predictas, nec dicti decani et magistri multum de alia conclusione curarent[29], cum sit moris et consuetudine observatum ac etiam statutis expressum[30] in Universitate, quod semper ad illam partem, ad quam tres facultates concludunt, per omnes nomine Universitatis pro concluso habeatur. Qui quidem rector in premissis alias non concludens, sed

dixit finaliter quod nesciret bene quid concludere[31]. Sed in illo momento, antequam dictus rector recederet, et dicti decani, procuratores et magistri nationum et facultatum surgerent de suis sedibus, prefatus magister Amelius de Brolio, decretorum doctor, cantor ecclesie Turonensis tamquam nuncius dicti domini nostri domini Clementis pape VIImi reverendissimorumque in Christo patrum ac dominorum dominorum sacrosancte Romane ac universalis ecclesie cardinalium, instrumentum de omnibus actis, gestis et factis in dicta congregatione ac etiam de dictis deliberationibus et responsionibus, sicut premittitur, per dictas nationes, decanos et magistros facultatum habitis a me notario publico subscripto et ab aliis ibi presentibus sibi fieri et confici petiit et requisivit unum vel plura instrumenta publica. Acta fuerunt hec in loco supradicto anno, indictione, die, mense, pontificatu quibus supra, presentibus ad hec venerabilibus et discretis viris magistris Matheo[32], Petro de Souclay, Johanne de Marchia, Stephano de Saltu abscondito, Petro de Clemenges, Johanne Luqueti, in artibus magistris, Johanne Danton seniore, et Johanne Danton juniore, Bricio Monachi, notariis publicis, et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et[33] ego Guillermus de Maresco, presbyter Sagiens. dioc. apostolica et imperiali auctoritate Universitatis Parisiensis curieque conservatoris privilegiorum magistrorum et scolarium ejusdem notarius, *etc.*

Et ego Bricius Monachi, clericus Leonens. dioc., publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius curieque Parisiensis juratus, *etc.*

Et ego Johannes Borrelli, clericus de Sancto Juniano Lemovicens. dioc., publicus auctoritate apostolica et imperiali notarius, *etc.*

Originale in Arch. Vat., Instrum. misc. D, Fasc. 3, nº 9, div. 1. A tergo inscripta est antiqua rubrica quae supra. Ibid., arm. 54, nº 19, fol. 157, apographum, ubi in margine superiori : « Originale habet dominus camerarius ; non fuit ostensum ambaxiatoribus, nec est vid[endum] » Textus in his instrumentis non semper correctus, imprimis quoad nomina, sed pejus apographum. — *Vidimus* in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 1472, fol 1-4, sub rubrica : « Copia litere Universitatis Paris. studii ». Istud *Vidimus* complectitur post introductionem rectoris et Universitatis solum congregationem Maii 24, finem congregationis Maii 26 et num 1627. Bulaeus, IV, 566, ex *Vidimus* an. eodem, Jul. 29, Avenione confecto, quod simul nos 1624, 1626 et 1627 continet, ubi textus non emendatus et nomina adulterata. Avenione, Arch. de Vaucluse, olim simile *Vidimus* exstabat, nunc vero solum apographum saec. XVII (Fonds des Célestins, H. 4). — Harum congregationum mentio fit supra p. 247 et 249.

1 Nat. Anglicanae, determinavit in art. et licentiatus est an. 1379 (*Auctar. Chartul.*, I, 421, 20, 425, 34), de quo pluries ibid. — 2. De isto et sequentibus jam pluries in *Chartul.* Vid. *Indicem*, et nos 1426-1433. — 3. An. 1370 baccal. Pragens. (*Monum. hist. Univers. Prag.*, I, 142), Parisiisque anno 1376 in art. licentiatus est (vid. *Auctar. Chartul.*, I, 500, 7, 37). — 4. Ms. « Benue ». — 5 Vid. num 1429. — 6. Bul. « Gerone ». Franciscus de Mediolano, postea allatus, fuit Ord Servorum B. M , an. 1372 scholaris bursalis collegii Tornacens. (Arch. Univers. Paris., theca V, B. 1. m), licent. in theol an. 1377 e *Catal. licent.* — 7. Cum rector e natione Anglicana fuisset, quae tunc potius Urbano VI adhaerebat. — 8. Nationes Gallicana et Normannica. — 9. Et quidem jam antea. — 10 Nationes Picardica et Anglicana. — 11 *Vidimus* Bibl. nat. post introductionem hic incipit : « Videlicet quod anno a Nativitate.... in mei notarii. . presentia personaliter constitutis ven. viris mag. », *etc* — 12. Orig. et apogr. : « Vake » ; Bul. « Balie » — 13. Orig., apogr. et *Vidimus* : « Criski » ; Bul. « Christri ». — 14. Apogr. : « Crozie ». — 15. Iste et sequens desunt in *Vidimus* et apud. Bul. — 16. In *Gall. christ.*, IX, 1034, perperam asseritur, eum an. 1374 obiisse. — 17. Simon « Garnetot », decret. doctor, an. 1379, Januar. 24, factus est abbas B. Mariae Bonon. Ord. S. Aug (Reg. Aven. Clem. VII, vol. XV, f. 419b). Mancum in *Gall. christ.*, X, 1587. — 18. Mss. : « Benue ». — 19. Seu de Langenstein. Orig., apogr. et *Vidimus* : « Hastia » ; Bul. : « Gastia » ! — 20. De quo etiam in

Auctar. Chartul, I, 528, 45. — 21. Mss. : « Meliodano ». Recte *Vidimus*. — 22. Inscriptio deest in *Vidimus* et apud Bul. In orig. primum pro inscriptione spatium relinquebatur, postea suppletum est. — 23. Apogr. « a piscibus ». — 24. Apogr. : « regis ». — 25. Januar. 8, n° 1616. — 26. Cardinalis Lemovicensis. — 27. De Agrifolio et Pictavensem. — 28. Bul. · « pape ». — 29. Ubique · « curarunt » — 30. Apogr. « expressis ». — 31. Perperam quandoque ex hoc inferebatur, Universitatem nihil conclusisse. Revera tamen Universitas suas deliberationes pro vera conclusione et determinatione habebat, ut e multis locis in rotulis, imprimis vero e p. 576 et ex epistola Clementis n° 1630 apparet. Minime tamen, et quidem propter rectorem, instrumentum hujus determinationis, ut an. 1383, Febr., confectum est. — 32. Postea spatium in omnibus mss^tis^. — 33. Subscriptio notariorum deest in *Vidimus* et apud Bulaeum, apud quem immediate sequitur instrumentum infra n° 1626 editum

1625. *Declaratio facultatis medicinae pro Clemente VII.*

1379, Maii 24, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono, die vicesima quarta mensis Maii, hora pulsationis prime Beate Marie Parisiensis, indictione secunda, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi anno primo, Universitate magistrorum regentium et non regentium ad congregationem ejusdem Universitatis congregatorum et per juramentum convocatorum in capitulo Sancti Bernardi Parisiensis per venerabilem et discretum virum magistrum Johannem de Stralen, tunc dicte Universitatis rectorem, super quibusdam articulis factam, quorum primus articulus erat super responsione danda domino nostro Francorum regi super quibusdam litteris et earum continentiis dicte Universitati directis super facto electionis dicti domini nostri Clementis et intrusione Bartholomei quondam Barensis archiepiscopi, positisque in dictis litteris contentis in deliberatione dicte Universitatis per dictum rectorem, requisitisque per dictum rectorem omnibus et singulis magistris cujuscumque facultatis per eorum juramenta, quatenus ipsi magistri super eisdem litteris deliberarent, postpositis quibuscumque favoribus, amicitiis, inimicitiis, odiis, motivis seu deliberationibus particularibus quibuscumque, facultatibus et nationibus ad partem subtractis, ut moris [est], ad deliberationes suas colligendas, facultate medicine per venerabilem virum magistrum Johannem de Bellomonte, decanum dicte facultatis medicine, ad partem convocata, in qua facultate fuerunt venerabiles et discreti viri magistri

Johannes de Guistri,
Evrardus de Contiaco,
Gervasius Christiani,
Guibertus de Celseto,
Hugo Tenoulleti[1],
Johannes de Marla,
Herveus Quemmaroti[2],
Thomas de Voyenna,
Petrus Belliardi,
Guillelmus de Ostreselle[3],
Johannes Charton,
Johannes Saffray,
Johannes de Bellomonte, decanus dicte facultatis,
Nicolaus de Olivis[4],
Johannes [Voignon] de Pouligniaco,
Johannes Croise[5],
Guido Guerini,
Petrus Bocheti,
et Radulphus de Herbis,

magistri in medicina; ipsisque expositis per dictum decanum in deliberatione predicti rectoris positis, dictus decanus ipsos omnes et singulos requisivit, ut secundum posita

deliberarent. Qui omnes et singuli deliberaverunt, nullo penitus reclamante seu contradicente, videlicet quod domino nostro domino Clementi tanquam sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici volebant adherere et ei [pro] toto posse obedire, et istam deliberationem firmam et irretractabilem volebant esse mansuram, nullamque super eadem in futurum dubietatem habere, et eamdem deliberationem toti mundo fore publicam, nec amplius super hoc per dictum rectorem volebant vocari[6]. Super quibus omnibus et singulis idem decanus petiit a me notario publico sibi fieri publicum instrumentum seu publica instrumenta, unum vel plura.

Acta fuerunt hec Parisius sub anno, die, mense, hora, loco, indictione et pontificatu predictis, presentibus ad hec venerabilibus viris Jacobo Fourrarii, principali bedello facultatis, Johanne de Revella, principali bedello Universitatis, cum pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Danton, clericus de Parisius, publicus auctoritate apostolica et imperiali ac Universitatis Parisiensis notarius, *etc.*

Arch. nat. Paris. MM. 266, p. 168. Vid. supra nº 1624, p. 565.

1. Seu « Tenoilleti ». Ms. « Tenoultez ». — 2. Ms. · « Quermevoci ». — 3. I. e. Oesterzeele. — 4. Sic et in rotulo an. 1379, nº 1432. Sed supra nº 1624 et infra nº 1626 « de Oliveriis » — 5. Ms. : « Croisati ». — 6. Ms. · « vocaturi »

1626. *Deputati Universitatis Paris. electi, qui declarationem Universitatis pro Clemente VII deputatis Caroli V, regis Francorum, denuntiarent.*

1379, Maii 25, 26, Parisiis.

Die xxv^a mensis Maii, anno Domini MCCCLXXIX, indictione secunda, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Clementis pape VII anno primo, mag. Johannes de Stralen rector Universitatis Paris.[1] predictos magistros[2] ad congregationem in Sancto Maturino congregandam iterum vocari fecit, et propter hoc comparente et existente prefato rectore, Guillelmo le Dos, Godefrido Bake[3], Johanne Pertuison, et Johanne de Moguntia, quatuor nationum facultatis artium, videlicet Gallicane, Picardie, Normanie et Anglie *procuratoribus;* item Guillelmo Carnificis, Petro Beliardi, Nicolao de Oliveriis, Johanne de Poligniaco, Johanne Croiz[i]e et Petro Bouchet, magistris in medicina facientibus *facultatem medicine;* Johanne de Bournasello, Petro Prepositi, Simone de Cramaudo, Johanne Balduini, Gervasio Besouche decano, et Petro Regis, Johanne Capitisberi, Henrico Beuve[4] et Petro de Lupimonte, doctoribus in decretis facientibus *facultatem decretorum;* necnon Johanne de Karloet, Reginaldo de la Buscherie, Henrico Herout, Balduino Agni, et Francisco de Mediolano, in sacra pagina professoribus facientibus collegium *facultatis theologie,* et predicta collegia facientia nobile collegium venerabilis studii Universitatis Parisiensis ad congregationem generalem et per modum collegii apud S. Maturinum collegialiter congregata et etiam convocata, ut moris est, prefatus rector exposuit eisdem

omnibus ibidem existentibus, audientibus et audire volentibus, quod cum prefatus dominus noster rex pluries eisdem scripsisset per suas litteras sepius insertas, de quibus nullam Universitas dederat responsionem, eosque insimul per modum collegii congregari fecerat pro recolligendo prefatas deliberationes de die martis supra insertas, nec non ad dandum et ordinandum certos deputatos ex parte Universitatis, qui haberent potestatem referendi deliberationes singularum nationum et facultatum ex parte Universitatis[5] deputatis ex parte dicti domini nostri regis, scilicet reverendis in Christo patribus dominis episcopo Laudunensi et Johanni abbati monasterii S. Vedasti Atrebatensis, et super hoc ex parte Universitatis fuerunt ordinati prefati rector una cum quatuor procuratoribus supradictis, facientibus facultatem artium pro facultate artium, Johannes de Bellomonte decanus et Nicolaus de Oliveriis magistri in medicina pro et nomine facultatis medicine, Petrus Blondi et Petrus de Lupimonte doctores et actu regentes Parisius in facultate decretorum pro et nomine dicte facultatis, Simon Freron et Johannes de S. Nazario in sacra pagina professores pro et nomine facultatis theologie, qui quidem deputati ex parte Universitatis habuerunt plenam potestatem dictas deliberationes eisdem episcopo et abbati dicti domini nostri regis deputatis referendi et dicto domino nostro regi, si expediens videbitur, regratiando prefatum dominum nostrum regem de bona affectione, dilectione et amore, quos prefatus dominus noster rex habuit et habet erga humillimam filiam Universitatem Parisiensem et supposita ejusdem. Super quibus omnibus et singulis supradictis predictus rector nomine predicte Universitatis voluit et petiit sibi fieri publicum instrumentum. Acta sunt hec in capitulo S. Maturini Parisius, anno, indictione, mense, die, loco et pontificatu quibus supra, presentibus ad hec discretis viris Bricio Monachi, Nicolao Thome presbytero, Egydio L'Empereur[6] ac Simone Thome, dicte Universitatis bedellis et subbedellis, et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Item die jovis sequenti, que fuit xxvj[a] mensis Maii supradicti[7] prefatus dominus rector prefatos deputatos ex parte Universitatis insimul congregari fecit in capitulo collegii fratrum Heremitarum S. Augustini Parisius pro dicta relatione facienda prefatis episcopo Laudunensi et abbati S. Vedasti Atrebatensis deputatis dicti domini nostri regis. Fuit relatum per organum venerabilis et discreti viri magistri Simonis Freron[8], sacre theologie professoris (in presentia venerabilium et discretorum virorum dominorum magistrorum Johannis de Stralen rectoris, Guillelmi le Dos Francie, Godefredi Bake Picardie, Johannis de Pertusone Normanie, et Johannis de Moguntia Anglie quatuor nationum procuratorum; Johannis de Bellomonte et Nicolai de Oliveriis magistrorum facultatis medicine; Petri Blondi et Petri de Lupimonte in facultate decretorum doctorum; ac Johannis de S. Nazario in sacra pagina professoris, modo et forma predictis ex parte dicte Universitatis deputatorum ad referendas deliberationes singularum nationum et facultatum prout superius sunt inserte, [qui] relationem affirmaverunt[9]), quod dicta Universitas Pari-

siensis adherebat et adherere volebat parti domini Clementis pape VII tanquam vero pape et pastori ecclesie, et quod electionem dicti domini Clementis pape reputabat esse justam et canonicam, sanctam et legitimam et prefatum B[artholomeum] in dicta sede intrusum, attentis assertionibus facti et juris prefatorum dominorum cardinalium et domini nostri regis et aliorum prelatorum de regno Francie, qui semper fuerunt et sunt in opinione dicti domini Clementis, voluerunt et volunt adherere et obedire mandatis tanquam vero summo pontifici. Super quibus omnibus et singulis supradictis prefatus mag. Amelius nomine dicti domini nostri pape et collegii cardinalium S. Roman. ecclesie voluit et petiit per me notarium publicum subscriptum sibi fieri publicum instrumentum, unum vel plura. Presentibus ad hec discretis viris Johanne Danton, Bricio Monachi notariis publicis, Jacobo le Fourier, Nicolao Thome et Simone Thome principalibus bedellis facultatis medicine, decretorum et theologie Parisius commorantibus, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Item[10] subsequenter prefati episcopus Laudunensis et abbas S. Vedasti commissarii per dictum dominum nostrum regem, ut premittitur, deputati notificaverunt dicto rectori dicte Universitatis, quod prefatus dominus noster rex libenter vellet dictam responsionem ex parte Universitatis audire. Et pro tunc ordinatum fuit per dictos rectorem et deputatos, quod ipsi deputati adirent ad presentiam dicti domini nostri regis personaliter in nemore Vincennarum in die lune proximo, que dies erit penultima mensis Maii[11].

Apographum Avenione (vid. p. 571, not.), Bulaeus, IV, 571 sq., et quidem post ultima verba « et rogatis » supra in nº 1624, p. 571, posita sic prosequuntur seu incipiunt . « Item die 25 prefati mensis, anno, indictione, mense, et pontificatu quibus supra, prefatus rector predictos magistros », *etc.* Nos ipsi mutavimus introductionem, cum olim certe de hoc, sicut de congregationibus 22, 24 et 30 Maii, instrumentum separatum existeret.

1. Vid. notam praecedentem. — 2. De quibus supra nº 1624. — 3. Bul. « Balie ». — 4. Bul « Benne » — 5. Bul. add. « et ». — 6. Bul. « Lemperiere ». Designatur Egidius Imperatoris. Vid supra nº 1430. — 7. Bul. : « supradictus ». — 8. Vid. supra p. 247. — 9. Bul. : « fecerunt ». — 10. Sequentia etiam in *Vidimus* Bibl nat. ms. lat. 1472, fol. 3. — 11. In *Vidimus* apud Bul. immediate sequitur Instrumentum infra nº 1627 editum, et quidem his verbis introductum : « Et illa die lune adveniente », *etc.* Vid. ibid. notam.

1627. *« Declaratio studii Parisiensis » Carolo V, regi Francorum, per deputatos Universitatis praesentata.*

1379, Maii 30, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod anno Domini millesimo CCC° septuagesimo nono, die penultima mensis Maii, indictione secunda, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi anno primo, in mei notarii publici subscripti testiumque infrascriptorum propter hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia personaliter constituti venerabiles et discreti viri magistri Johannes de Stralen magister in artibus, rector Universitatis studii Parisiensis, Guillermus le Dos Francie, et Johannes

de Pertusone Normanie nationum procuratores, Johannes de Bellomonte et Nicolaus de Oliveriis magistri in facultate medicine, Petrus Blondi et Petrus de Lupimonte doctores in facultate decretorum, ac Symon Freron et frater Johannes de Sancto Nazario Ord. frat. Min.[1] sacre theologie professores, deputati per dictam Universitatem studii Parisiensis[2], ut dicebant, ad refferendum domino nostro regi deliberationes singularum nationum et facultatum dicte Universitatis in congregatione generali apud Sanctum Bernardum Parisiens. regentium et non regentium solenniter die vicesima sexta mensis predicti facta, cum bedellis et aliis solennitatibus in talibus per dictam Universitatem observari consuetis ad Nemus Vicennarum in turre dicti loci venerunt et ad personam domini nostri regis predicti personaliter accesserunt, et in presentia ipsius domini nostri regis ac reverendissimorum in Christo patrum[3] ibidem existentium, videlicet dominorum .. Lemovicens., de Agrifolio, .. Pictavens. et .. Eduens. sancte Rom. eccl. cardinalium[4] nec non nobilissimorum dominorum et principum ducis Andegavens., Karoli filii primogeniti regis Navarre, Johannis[5] comitis de Haricuria et plurium aliorum baronum et militum, reverendorumque in Christo patrum .. Laudunens., .. Parisiens.[6], .. Belvacens.[7] et .. Sarlatens.[8] episcoporum et aliorum plurium dominorum ibidem assistentium, prefatus magister Symon Freron[9] sacre theologie professor sumpto themate et[10] proposito verbo Dei regratiatus fuit ex parte dicte Universitatis eidem domino nostro regi ex et pro eo, quod tam pie et benigne dignatus fuerat exortari eandem pro veritate et justitia sustinendis in[11] facto intrusionis Bartholomei olim Barensis archiepiscopi, invasoris et detentoris apostolice sedis; et deinde excusavit predictam Universitatem de longua mora per ipsam facta in[12] deliberando pluries et per longum tempus, antequam se super hoc declararet, dicendo quod hoc fecerat dicta Universitas propter arduitatem negotii et ut per solertem examinationem veritas maturius et firmius appareret, supplicando eidem domino nostro regi quod si aliqualiter predicta Universitas tardaverat super responsione sibi danda[13] super ista materia, quod vellet eandem Universitatem habere excusatam juxta illud dictum Gregorii in Omelia[14] : « Minus Maria prestitit que cito credidit, quam Thomas qui diutius dubitavit », refferens *pro conclusione finali*[15] prefatus magister Symon, vice et nomine dicte Universitatis nuncius ad hoc missus una[16] cum prefatis magistris, prefato domino nostro regi in presentia omnium et singulorum ibidem existentium, quod dicta Universitas adherebat et adherere intendebat[17] decetero prefato domino nostro Clementi pape septimo tanquam vero pape et summo pontifici. De et super quibus omnibus et singulis[18] magister Amelius de Brolio[19] peciit sibi fieri et confici per me notarium subscriptum unum vel plura publicum vel publica instrumentum vel instrumenta. Presentibus ad hec discretis viris magistris Johanne de Calore, ecclesie Parisiensis cancellario, Hugone Blancheti, canonico Parisiensi, Johanne Danton seniore, Radulpho Odonis, domino Nicolao Thome, Symone Thome, Jacobo Forrarii, principalibus bedellis facultatum theologie, decretorum et medicine, pluribusque aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et[20] ego Guillelmus de Maresco, presbyter Sagiens. dioc., apostolica et imperiali auctoritate ac laudabilis studii Universitatis Parisiensis notarius, premissis omnibus, *etc.*

Arch. Vat. Instrum. miscell. ad an. 1379, Aug. 9. Instrumentum, sub rubrica et *Incipit* ut supra, insertum est litteris Raimundi Fabri, licentiati in decret., officialis Avenion. (cui praesentatum est a procuratore fiscalis camerae apost.), et ab eo Aug. 9, in domo habitationis episcopi Avenion., publicatum. Restat taeniolum membranac. cum fragmento sigilli in cera viridi curiae officialis Avenion. Hoc idem exemplar affertur inter scripturas, « quas tradidit archidiaconus de Carrione domino legato » Petro de Luna, et describitur sic · « Declaratio Universitatis Parisiens. cum sigillo parvo in cera viridi » (Arch. Vat., arm. 54, nº 48, fol. 83). — Apographum ibid., nº 14, fol. 102, sub antiqua rubrica · « Copia declarationis studii Paris. ». — *Vidimus* in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 1472, fol. 4. Bulaeus, IV, 573, ubi instrumentum post ultima verba supra nº 1626 exscripta sic incipit : « Et illa die lune adveniente, que fuit penultima dies mensis Maii predicti, prefati, Johannes Stralen rector, Guillel. le Dos », *etc. Vidimus* et Bul. offerunt textum primum, qui postea correctus est; correctiones in *Vidimus* tam inter lineas quam in margine annotantur. Vid. notas. *Vidimus* post ultima verba nⁱ 1626, p. 575, allata incipit ut apud Bul., sed in margine affertur principium instrumenti · « In nomine Domini », *etc.* ut supra.

1. Bul. : « cordiger ». Sic etiam primo *Vidimus*, deinde in margine ut supra. — 2. Quae sequuntur usque « ad Nemus » omitt. Bul. et *Vidimus*, ubi tamen in margine quaedam, non omnia, supplentur. — 3. Bul. postea, *Vidimus* primo, sed delet. : « dominorum quatuor cardinalium ». — 4. De quibus jam supra p. 249. Perperam igitur quandoque asseritur, cardinales de Agrifolio et Pictavens. (Guidonem de Malesec) post Maii 7 Parisios reliquisse. — 5. *Vidimus* inter lineas « Ludovici ». — 6. Aymerici. — 7. Milonis de Dormans. — 8. Johannis (de Reveillon), decan. eccl. Pictav , lic. in leg., episc. Sarlatens. ab an. 1370, Octob. 2 (Reg. Av. Urb. V, vol. XXIII, f 44). — 9 Ipsemet hoc narrat supra p. 247. — 10. « Sumpto themate et » om. Bul. et *Vidimus*, ubi in margine. — 11. « in... sedis » om. Bul. et *Vidimus*, ubi in margine. — 12. « in... appareret » om. Bul et *Vidimus*, ubi in margine. — 13. Bul. et *Vidimus* inserunt « et dubitaverat ad deliberandum », in *Vidimus* deletum. — 14. Homil. 29 in Evangel., nº 1. — 15. Haec verba om. Bul. et *Vidimus*, ubi inter lineas. — 16. « una cum .. magistris » om. Bul. et *Vidimus*, ubi inter lineas. — 17. Bul. et *Vidimus* : « volebat ». — 18. *Vidimus* in margine : « talis etc. et ponatur secundum quod fuerit requisitus notarius ». — 19. Bul. et *Vidimus* : « nomine dicti domini nostri pape et collegii cardinalium s. Rom. eccl. voluit et ». In *Vidimus* deletum. — 20. Sequentia om. *Vidimus*.

1628. *Ecclesia Gallicana, praesentibus quatuor cardinalibus, coram populo universo in ecclesia Paris. congregata professa est, Clementem VII pro vero successore Petri tenendum sub poena schismatica. Amelio de Brolio[1] prohibetur, quominus in facultate decret. Paris. de hac materia repetat, ne dubia et errores disputatione durante suscitarentur in cordibus aliquorum.*

1379, Maii 30?, Parisiis.

Vid. supra p. 249. Maximi momenti est quod ibidem scribitur repetitionem de facto electionis minime admissam fuisse. Inde multa alia explicantur Immo Henricus de Hassia in sua *Epistola pacis* narrat : « nec permissum est ibi publicis sapientum disputationibus negotium discuti .. . rege et quodam processu cardinalium de nullitate electionis prime amplius super hac re disputare prohibente » (vid. Bul.. IV, 576), ut apparet jam ante Maii 23. Supra solum de fac decr. agitur. An. 1391 quidam doctor Paris. scribit quoad doctores Paris. tempestatis praeteritae, eorum negligentiam esse omnino inexcusabilem, « quia non habuerunt diligentiam ut debuerunt determinando scolastice in illa materia et disputando » (Cod. Vat. lat. 4927, fol. 93ᵇ. Vid. nᵘᵐ 1663).

1. De quo saepe; vid. p. 477 et *Indicem.*

1629. *Henricus de Hassia, mag. theol. Paris., suam* Epistolam pacis *pro unione procuranda scribit.*

1379, Maii 7-24, Parisiis.

Incipit « Genius magni Jovis vicarius », in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14644 (olim. S. Victor. 843), fol. 142. De aliis mssᵗⁱˢ vid. Kneer, *Die Entstehung der Konziliaren Theorie* (Roma, 1893), p. 64, not. 1. Delendus tamen ibidem Cod. S. Victor. 843 (olim 277), quia idem cum msᵗᵒ 14644; delenda etiam nota ex Oudino III, 1250, S. Vict. P. 9, p. 223, nam designatur ms. 14643, fol. 223, ubi vero exstat *Epistola Consilii pacis.* Idem dicendum de ms. Rotomag. O. 20 (nº 1355),

f. 117. Ibid., f. 132b, exstat solum ultimus paragraphus *Epistolae pacis* de Concilio congregando. Adjungendus est tamen ms. Bruxellens. 2245. — Apud Bul., IV, 574, fragmentum. De editione Helmstadiensi 1778-1779 vid. Kneer, p. 65.

Henricus de Hassia in ista epistola, ut an. 1381 in Epistola Consilii pacis, *quaedam astruit, ad quae Universitas Paris. solummodo post 10 annos et amplius reversa est. Clementista quaestionem ponit :* « Universitas Paris., autentica in determinatione veritatis in casu dubio, cur non vias scrutata est varias et ingeniosas ad ecclesie reunionem et scismatis diremptionem ? *Hoc melius esset,* quam sub umbra neutralitatis sine fructu otiose pigritari. Exurge igitur qui dormis, utrique litigantium epistolas scribere ad concordiam exhortantes et vias ecclesiam ad unionem reducendi eis demonstrantes. »

Urbanista : « Si Universitas informationem casus et facti a principio plenariam habuisset vel adhuc haberet, nichil puto plus expedire ad presens dirimendum scisma, quam quod publice et solenniter, libertate utriusque disputandi ei permissa, unam partem scolastice determinaret, in hoc preparando materiam et dando occasionem prelatis ecclesie, ad quos spectat determinare auctoritative et obligative in Concilio generali (*ad haec vid.* num 1663), absque cujus ritus conventu credo vix unquam posse ad plenum corda quietari omnium » (ms. Paris. 14644, fol. 160; Bul., IV, 577).

Ex quo etiam consequi videtur, epistolam ante declarationem Universitatis, durante « neutralitate » (vid. etiam no 1619. not.) scriptam esse; proindeque ante Maii 24 ponenda esset. Sed quia ni 1623-1628 invicem connectuntur, hic eam rejecimus.

1630. *Clemens VII rectori et facultati artium gratias agit de responso regi Francorum portato, hortaturque ipsum ut adhaereat.*

1379, Julii 26, Avenione.

Clemens episcopus servus servorum dilectis filiis rectori ac universis magistris facultatis artium studii Parisiensis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad nostrum, filii dilecti, pervenit auditum, quod in et super electionis negotio de nobis ad apicem summi apostolatus canonice celebrate (de qua forsan, ut aliquorum relatione didicimus, aliquantulum hesitastis), ad carissimi in Christo filii Caroli regis Francorum illustris instantiam responsionem benivolam et orthodoxe fidei congruam, ymo christicole populo necessariam pia mente dedistis. Super qua vestre devotionis eximie puritatem caritatis visceribus amplexantes vobis graciarum referimus multiplices actiones. Et quia fidelem assistentiam, qua tam moderno quam anteactis temporibus nobis et Romane ecclesie viriliter astitistis, prout assistitis, recolimus in presenti, ad vestrum salubre regimen multipliciter obligamur, tenentes et credentes firmiter quod fidei vestre sinceritas de bono in melius semper crescet inantea, nec in animum nostrum ascendere poterit, quod cum vestre Universitatis utilitatem et commodum ejusque salubre regimen affectemus, alicujus sinistra suggestio fraudulenta devotionis vestre constantiam (de qua stabili mente confidimus) a fide nostra valeat revocare. Et .... [vestram] fidelitatem requirimus et rogamus attente, quatinus in fide et serviciis nostris et ejusdem ecclesie, propter errorem scismaticum nunc (proch dolor!) plus solito fluctuantis, soliciti more fidei solite vigilantes et in constantia tanquam orthodoxi filii et divini nominis amatores in vera perseverantia et benivolentia permanentes, nobis canonice ad apicem summi apostolatus assumptis et eidem ecclesie adherere ferventer et assistere studeatis. Et sicut nostrum et ecclesie memorate affectatis honorem, et ab altissimo premiorum retributiones multipharias expectatis, modos et vias quibus Bartholomei de Perignano olim archiepiscopi Barensis et sibi adherentium temeritas refrenetur exquirite, quodque ejus littere et mandata nullum sortiantur effectum nec exequi permittantur excogitetis, unanimiter operosi ingenium acuatis, et cum industria et solicitudine

quibus poteritis elaborare curetis, omnes et singulos nobis quomodolibet adversantes ad fidei nostre semitas et gremium sacrosancte matris ecclesie reducentes.... Volumus autem quod ad nos in occurrentibus et vobis beneplacitis recursum confidentissimum habeatis, quia intendimus vobis affectione paterna, quantum cum Deo poterimus, ubilibet complacere. Et super premissis, vobis per dilectum filium Hugonem Lenvoysié[1] magistrum in theologia, decanum Rothomagensem, apostolice sedis nuncium ac capellanum nostrum, latius explicandis, velitis fidem credulam adhibere. Datum Avinione vij kal. Augusti, pontificatus nostri anno primo.

H. DE ARENA.

Orig. in Arch. nat. Paris. L. 364, nº 2. Appendet sigillum plumb. Pertinebat ad Arch. Univ. (A. 20. k). — Bul., IV, 578.

1. De quo p. 93, not. 16, et p. 132, not. 2. Supra nº 1617, notavimus eum jam principio anni 1379 pro Clemente stetisse. Fuit regis nuntius, ad curiam portaturus declarationem Universitatis.

1631. « *Factum domini Johannis de Lignano super electione B[artholomei Barens.] missum Universitati Paris.* »

1379, Augusti.

Sub hac rubrica in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14643, fol. 77, 102, 140b. — Ne quis in errorem inducatur, praesertim a Bul., IV, p. 482-485, breviter annotamus istud Factum ibid. editum, quod incipit . « Cum s. mem. dominus Gregorius papa XI die xxvija Martii obiisset », esse praecipue card. Jacobi de Ursinis, quod an. 1378, Jul., diversis doctoribus juris Italicis tamquam casum misit, ut consilium suum super istum darent, an electio Urbani canonica dici posset[1]. Sic v. g. Baldo, qui totum casum in principio sui consilii, quod incipit : « Domine Deus, qui illuminas », exscripsit (Bibl. Vat. cod. Vat. lat. 5608, fol. 83; fol. 84b). In suo secundo tractatu, qui incipit « Civitas Dei », aperte dicit istum casum, seu « thema », esse « domini Jacobi » (ibid., fol. 95; Raynald., *Ann. eccl.*, VII, p. 613), ibique eum partim succincte, partim describendo iterum inserit (et sic in Arch. Vat., arm. 54, nº 29, fol. 4, sub rubrica : « Casus sec. positionem Baldi de Perusio »). Card. de Ursinis casum misit praeterea Bartholomaeo de Saliceto, qui sicut Baldus suo consilio casum praeponit, dicendo eum fuisse transmissum de curia Rom. per card. qui vocem suam non dedit in electione Urbani, i. e. per card. de Ursinis (cod. Vat. lat. 5608, fol. 119); quae sententia etiam legitur in principio casus apud Baluze, *Miscell.*, 2 ed., I, 446; apud Dollinger, *Beiträge*, etc., III, 354. Similiter cardinalis casum suum aliis doctoribus, ut Johanni de Lignano[2], transmisit, qui illum sicut alii ut « thema » suo consilio, quod tamen apud Bulaeum deest, praeposuit (v. g. Bibl. nat. Paris , l. c.; Arch. Vat., arm. 54, nº 14, fol. 142; nº 29, fol. 37; nº 31, fol. 77; cod. Vat. lat. 4927, fol. 3; Bibl. nat. Paris. ms. lat. 1462, fol. 95, 101; Rotomag. O. 20, f. 75b; ibid., vol III, f. 17). Consilium incipit : « Circa thema premissum primo demonstrabitur.... Electio facta ad clamorem ». Sed saepe deest consilium et casus solus ut casus Johannis de Lignano exscribitur (v. g. Arch. Vat., arm. 54, nº 29, fol. 2; nº 15, fol. 71, 203 ; nº 31, fol 333; Gayet, *Le Grand Schisme*, II, Docum., p. 26).

Johannes de Lignano suum consilium, quod partim exstat ap. Raynald., an. 1378, nis 31-35, jam an. 1378, Aug., composuit, cum dicat : « vellem edoceri, si domini cardinales in Anagnia degentes in loco libero et tuto, *in quo hodie degunt*, metu Romanorum ». *etc.* (Arch. Vat., arm. 54, nº 14, fol. 153b. In msto, e quo Raynaldus, deest haec sententia). Vid. etiam Souchon, *Die Papstwahlen von Bonifaz VIII — Urban VI*, p. 104. Sed sicut Baldus et Bartholomaeus de Saliceto, sic etiam Johannes de Lignano consilium suum cardinale Jacobo de Ursinis, defuncto (1379, Aug. 15 scilicet, ut legitur in Arch. Vat. Obl. nº 43, f. 58), et quidem Aug. publici juris fecit, ut ipse testatur in suo secundo tractatu (Arch. Vat., arm. 54, nº 18, fol. 79; Bibl. nat Paris. ms. lat. 1469, fol. 226b; Raynald., VII, 631). Et tunc consilium Rom. pontifici sub rubrica *De fletu ecclesiae* inscripsit et fortasse hac occasione dissertatione astrologica adauxit, ut in Arch. Vat., arm. 54, nº 18, fol. 64b, Bibl. nat. Paris. ms. lat. 1470, fol. 72. Sic explicatur, cur consilium ejus, an. 1378 jam compositum, vulgo sine his adjunctis inveniatur.

Rodericus Bernardi affirmat, Urbanum VI Factum Johannis de Lignano ad Univers. Paris. misisse (Baluze, *Vit. pap.*, I, 1401) Certe nullum aliud Factum tanta fama fruebatur et tam saepe in msstis occurrit. Simon de Cramaudo post viginti fere annos in suo tractatu *Nunc reges intelligite* Johannem de Lignano solum nominat · « nonne reges, principes et prelati obedientie Benedicti visis scripturis Johannis de Luyano (*i. e.* Lignano) et aliorum qui pro parte Urbani scripserunt ... determinaverunt se fixo pro parte Clementis[3] » (Arch. Vat., arm. 54, nº 33, fol. 23b).

1. Abstinemus hic originem hujus casus inquirere, vel alios quamplures casus enumerare. Monemus tantum, cardinales ultramontanos Anagniae residentes casum similem de electione Urbani VI Aug. 2 edidisse (Bibl. nat. Paris., mss. lat. 11745, f. 31b; 12722, fol. 207; Arch. Vat. nº 29, fol. 14b; cf. ibid. fol. 25; nº 15, fol. 121; nº 37, fol 7; cod. Vat. lat. 4791, fol. 162b; Bibl. S. Genovefae, H. f. in-fol. 38; Rotomag. O. 20, f. 8, ubi etiam f. 166, in fine tractatus Bernardi Alamandi (vid. nº 1671), sicut in aliis msstis ibid. allatis, quae dictum tractatum ani 1393 continent. Bul., IV, 468-474; Baluze, *Vit. pap.*, II, 822 sqq.), et diversis doctoribus, etiam Paris. (vid. nº 1617), transmisisse. Incipit : « Cum propter falsam assertionem ». Commentum super hunc casum in Arch. Vat., arm. 54, nº 39. Vid. f. 42. — 2. Utriusque juris doctori, de quo Fantuzzi, *Scrittori Bolognesi*, V, 28 sqq.; Schulte, *Gesch. der Quellen und Lit. des kan. Rechts*, II, 257. In civitate Bonon. in temporalibus vicarius pro Rom. eccl. fuit (Reg. Vat. Urbani VI, nº 310, fol. 91, ad an. 1380, 1381).

1632. *Johannes Fabri, doctor decret. Paris., abbas S. Vedasti, scribit in favorem Clementis VII contra Consilium Johannis de Lignano tractatum suum* De planctu bonorum.

1379, post Augusti, Parisiis.

Bibl. nat. Paris. mss. lat. 1469, fol. 42; 1472, fol. 92; Arch. Vat., arm. 54, nº 18, fol. 203, 231 (mancum); nº 31, fol. 116-174; Codd. Vat. lat. 4153, fol. 4-22b; 5608, fol. 26-66. Incipit : « Kalodemonum angelorum scil. bonorum, pacem Christifidelium zelantium ». Tam Facto quam juridicae parti de Lignano per puncta singula se opponit, puncto adversarii *Bononiens.*, suo vero *Parisiens.* subscribens. Qua mente auctor ageret, elucidat hoc exemplum. Johannes de Lignano affert : « Omnes cardinales post electionem Barensis in papam scripserunt cardinalibus in Avenione existentibus et aliquibus regibus et principibus, quod eum sancte et canonice elegerant », et nihilominus postea contrarium dixerunt. Quod Johannes Fabri sic solvit : « Si bene profunde factum cardinalium inspiciatur, non invenitur variatio vel contrarietas, sed solum detectio simulationis, nam primo simulaverunt se in Barensem consentire, et secundo detexerunt se nunquam revera in eum canonice consensisse. Et hoc eis licuit' » (nº 31, fol. 123). Tractatus an. 1379 scriptus est Parisiis, ut legitur in ms. 1469)[1].

1. Praeter istum contra tractatum Johannis de Lignano scripserunt Petrus Raymundi de Barreria, card. Aeduens Bul., IV, 529), Petrus Flandrini, decret. doctor, card. S. Eustachii (Bibl. nat. Paris. ms. lat. 12722, f. 211; Arch. Vat., arm. 54, nº 18, fol. 102; nº 31, fol. 182; Cod. Vat. lat. 4943, fol. 1; Casanatens. ms. 1406, fol. 515), etc.

1633. *Rotulus primus Universitatis Paris. ad Clementem VII mittitur.*

1379, Octobris.

Vid. supra p. 242, ubi probavimus tunc temporis rotulum missum fuisse, de quo jam prius agebatur (vid. num 1620). Adversus nostram assertionem, quae ex ipsis instrumentis eruitur, afferre quis posset nationem *Anglicanam*, ut taceamus de *Picardica* (vid. supra nº 1424), non pro rotulo mittendo stetisse. Sed hoc minime obstat. Nam ex nº 1624 dictis apparet in Universitate consuetudinem viguisse « quod semper ad illam partem, ad quam tres facultates (theol., decret. et medic.) concludunt, per omnes nomine Universitatis pro concluso habeatur ». Praeterea natio Anglicana an. 1382 se multo fortius adversus conclusionem rotuli opposuit (vid. *Auctar. Chartul.*, I, 628, 40; 630, 27), quam an. 1379 (vid. ibid., p. 569, 19 sqq.), et nihilominus rotulus an. 1382 conclusus est, quamvis pauca supposita nat. Anglic. inrotulata essent (vid. ibid., p. 651, 9). Natio Anglic. ut natio an. 1379 certe non fovebat rotulum. Sed post declarationem Universitatis minime impedire potuit quominus ista supposita nationis, quae volebant, inrotularentur[1]. Pauca erant, et quidem fere omnia e ditionibus ubi agnoscebatur Clemens VII. Inter 17 inrotulatos 14 e Scotia fuerunt, 2 tantum ex Alemannia, dum tamen an. 1362 inter 55 inrotulatos 50 e partibus Alemanniae (cum Trajectens. dioec.) et e dioec. Leodiensi originem traxerunt. Nationis etiam *Picardicae* an. 1379 inrotulati pro majori parte erant e ditionibus regis Franciae. Quatuor tantum e dioec. Tornacens., 9 e Leodiens., et 16 e Cameracens. afferuntur, i. e. 29 de 124 inrotulatis, dum tamen an. 1362 de 188 inrotulatis 22 e Cameracens., 42 e Leodiens., et 47 e Tornacens. dioec. fuerunt, in summa 111, i. e. major pars omnium. Quantum ad difficultatem, quae inest epistolae Marsilii de Inghen, vid. infra nº 1648.

1. Idem fere (hucusque ignotum) evenit an. 1403 post restitutionem obedientiae Benedicto XIII. Natio Anglicana restitutioni non favebat. Et cum Universitas rotulum conclusisset ad Benedictum mittendum, natio non se intromittebat; ast impedire non potuit quominus Scoti et pauci alii inrotularentur (vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 863, 1, 8, et not. 1). Natio tamen rotulum ad Bonifacium IX mittendum conclusit (ibid., lin. 22; p. 864, 28).

1634. *Conradus de Gelnhausen*[1], *doctor decret. et licent. in art. Paris., praepositus Wormatiensis, suam* Epistolam Concordiae *ad regem Francorum Carolum V dirigit de Concilio generali convocando.*

1380, Maii, Parisiis.

Epistola edita apud Martène et Durand, *Thes. nov. anecd.*, II, 1200, exstat in Vat. Palat. 592, fol. 1-27, ubi inscribitur « domino Ruperto seniori comiti Palatino », et explicit « compilata Parisius anno Dom. millesimo tricent. LXXX, de mense Maii » (fol. 27b). Cod. Vat. 4927, fol 30; Vat. 4943, fol. 25; Ms. Bibl. nat. Paris. 14643 (S. Vict. 842), fol. 88 et 244; Arch. Vat.. arm. 54, nº 21, fol. 58, sub rubrica · « Incipit Epistola.... contra *R. p. dom. Benedictum* ». Verba charactere cursivo impressa inter lineas manu altera sed antiqua adjuncta sunt. Rotomagens. O. 20, fol. 50, Carolo inscripta, cum fine ut in msto 14643 : « Explicit Epistola Concordie ». Ex hoc msto (*Gemmeticensi*) editio ap. Martène facta est. Quoad temporis notam vid. Kneer, *Die Entstehung der Konziliaren Theorie*, p. 17 sq., 43, not. 1.

Carolus V, rex Franc., revera an. eodem, Septemb. 16, septem horas ante suam mortem, in desideriis habuit, « quod fieret et determinaretur super hoc (quisnam sit verus papa) per generale Concilium » (Valois, *Le rôle de Charles V*, etc., p. 29). Ex parte Clementis tunc temporis, seu potius antea, contra convocationem Concilii quidam scripserunt, inter quos praesertim card. Ebredunens. (Arch. nat. Paris. J. 518, fol. 47, 57; Bibl. nat. ms. lat. 12722, fol. 145, 166; Rotomag. O. 20, f. 44b. Cod. Vat. 4153, f. 1; 4927, f. 23b; 5608, f. 77; Arch. Vat., arm. 54, nº 31, f. 346).

1. Conradus de Gelnhausen an. 1344 determinavit et licentiatus est in artibus Parisiis (vid. *Auctar. Chartul.*, p. 70, 7; 72, 15). An. 1378 tantum ibid. in art. incipere voluit, minime tamen incepit (vid. ibid., p. 567, 27, et not. 4). Antea Bononiae decretis studuit, et quidem an. 1369, 1370 (vid. *Acta nat. Germ. Univers. Bonon.* ed. Friedländer et Malagola, p. 132 sq., 387 sq.), et doctor decretorum factus est. An. 1378 jam praepositus Wormatiensis nominatur (vid. *Auct.*, p. 567, 27), et tunc Parisiis theologiae studuit, et postea in illa licentiatus est (non ante 1369, ut Kneer asserit), sed minime Parisiis, fortasse Pragae. Gerson etiam eum nominat tantum « licent. in *art.* Parisius » (*Opp.*, II, 126). An. fortasse 1381, postquam Johannes Blanchart a Clemente VII cancellarius Paris. institutus fuerat, Parisios reliquit. An. 1387 in Universitate Heidelbergensi ut cancellarius et doctor s. theologiae intitulatus apparet. (vid. Toepke, *Die Matrikel d. Univers. Heidelberg*, I, p. 25. Cf. Kneer, p. 37, not. 1).

1635. *Carolus VI, rex Francorum, suis, imprimis Parisiensibus, Universitatis suppositis non exceptis, tallias imponit, et Clementi VII permittit in regno Franciae decimas exigere.*

An. 1381 ineunte.

Prior pars rubricae apparet e *Chronograph. reg. Francorum*, ed. Kervyn de Lettenhove, in *Istore et chron. de Flandres*, II, 510, ubi an. 1381 ante Maii; de ambabus partibus loquitur *Chron. du rel. de Saint-Denys*, I, 82, et *Auctar Chartul.*, I, ubi p. 596, 35 ad an. 1380, Nov. 26, jam agitur de proposito Universitatis, ut privilegia per regem confirmarentur. Haec privilegia respexisse exemptionem a talliis et decimis liquet e pag. 613, 35 (an. 1381, Novemb.); 627, 13 sqq.; 639, 21. Partim isti oppressioni ascribendum est, cur Universitas Paris. hoc tempore in causa Schismatis ad haesitationem reversa sit, et pro Concilio generali celebrando decertaverit. Clare hoc exprimitur apud *Chron. du rel. de Saint-Denys*, I, p. 86. Universitas an. 1382, Oct. 4, privilegium regium obtinuit (*Auctar.*, I, 627, 13 sqq.), postquam a lectionibus cessaverat (p. 626, 29). Nihilominus tamen episcopus Paris. decimas exigebat (p. 637, 41 sqq.; 639, 5, 21).

Illi, qui ex parte Clementis VII isto tempore in Francia decimas exegerunt, fuerunt imprimis duo collectores Johannes Mauberti et Armandus Jausserandi. Posterior an. 1390 jam per decem annos et ultra collector fuit, ut legitur in Reg. Vat. Clem. VII, nº 301, f. 73.

1636. *Deliberatio trium facultatum Univers. Paris., ne instrumenta de permutationibus beneficiorum, in quibus pontificatus Clementis VII affertur, magno sigillo Universitatis sigillarentur.*

1381, Martii 7, Parisiis.

Auctarium Chartul., I, 603, 5 sqq. Vid. ibid., not. 1. — Haec probant, in Universitate tunc temporis fortem cursum contra Clementem VII viguisse.

1637. « *Anno Domini millesimo CCCLXXXJ, die xx*[a] *mensis Maii, Universitas Parisiensis, solempnissime in monasterio S. Bernardi Parisius congregata*[1], *concorditer determinavit per quatuor facultates, scilicet theologie, decretorum, medicine et artium, viam Concilii generalis esse tenendam, et se pro toto posse suo hanc partem suis litteris et epistolis persuasoriis et exhortatoriis apud principes, comites et prelatos executuram.* »

1381, Maii 20, Parisiis.

Ex *Epistola Concilii* (*consilii*) *pacis* nuncupata, composita ab Henrico de Hassia seu de Langenstein, quae incipit : « Universis navicule Petri gubernacula.... regentibus », in Bibl. nat. Paris., ms. lat. 14643 (Cod. S. Victor.), fol. 223, 232 (cap. 13). De aliis mss[tis] vid. Kneer, *Die Entstehung der Konziliaren Theorie* (Roma, 1893), p. 77, not. 2. Adjungendi sunt mss[ti] Rotomag. O. 20 (vid. n[um] 1629), f. 117; Mazarin., ms. 1081 (*Catal.* 943), fol. 168[b]. Edit. : Von der Hardt, *Magn. oecum. Constant. Concil.*, II, p. 33, e quo in *Opp. Gerson* , ed. Dupin, II, 822. *Epistola Consilii pacis* an. 1381 scripta est, ut apparet e cap. 12, et quidem post Jun. 15. Cap. 13 Henricus de Hassia 14 rationibus astruit, Concilium generale esse convocandum. Ad hanc epistolam et ad istam congregationem Universitatis alludit an. 1408 Johannes Gerson in *Propositione coram Anglicis*, consid. 3, in Bibl. nat. Paris. ms. lat. 1573[a], fol. 29; mss. 3126 et 14902; *Opp. Gerson.*, ed. Dupin, II, 126. Et *Chron. du rel. de Saint-Denys*, ed. Bellaguet, I, 86 : « doctores.... nunc privatim disceptando, conferendo et scribendo, nunc publice in scolasticis actibus arguendo, standum consilio generali super discordia amborum contendentium de papatu concludebant ». Hanc conclusionem Universitatis designat etiam *Tractatus pro unione eccl.* (infra n° 1663) a quodam doctore Paris. an. 1391 conscriptus, in Cod. Vat. 4927, fol. 92 : « via per Concilium generale justissima et rationabilissima est, *secundum quod alias pretendebat Paris. Universitas* ». Idem facit Universitas ipsa an. 1394, Februarii, in Schedula communi. Vid. n° 1680. Cf. etiam *Istore et chron. de Flandres*, II, 511, ed. Kervyn de Lettenhove.

1. De hac congregatione et de deliberatione nat. Anglicanae vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 607, 37 sqq.

1638. *Clemens VII permittit Aimerico episc. Paris., ut beneficia eccles., quibus Universitatis Paris. alumnos Bartholomaeo (Urbano VI) adhaerentes privat, aliis dignis Universitatis suppositis conferat.*

1381, Junii 6, Avenione.

Venerabili fratri Aymerico episcopo Parisiensi, salutem, etc. Personam tuam.... Hodie siquidem per nos accepto quod in tuis civitate et diocesi nonnulle ecclesiastice (seculares et regulares, exempte et non exempte) persone existebant que scelerato viro Bartholomeo olim archiepiscopo Barensi per violentiam et impressionem notorias in apostolica sede intruso adherere seu in crimen intrusionis hujusmodi assistere et consilium, auxilium aut favorem prebere presumptione dampnabili non verebantur : nos tibi procedendi auctoritate nostra contra omnes et singulas personas hujusmodi ac eas puniendi et corrigendi necnon beneficiis eccl[cis] quibuscunque, etiam si dignitates etiam in cathedralibus post pontificales majores vel in collegiatis ecclesiis principales aut personatus seu officia forent, aut curam haberent animarum, privandi et amovendi ab eis plenam et liberam per alias nostras litteras concessimus facultatem. Nos igitur volentes etiam honorare personam [tuam] et per honorem tibi exhibitum aliis provideri, fraternitati tue, *si* predictarum litterarum vigore *aliquos de Universitate studii Parisiensis existentes beneficiis* suis ecclesiasticis *per te privari contigerit*, conferendi hujusmodi beneficia, de quibus eos privaveris .... singulis personis ydoneis de Universitate predicta ac in obedientia et devotione nostra existentibus,

et de illis etiam providendi ac inducendi ... concedimus tenore presentium facultatem... Datum Avinione viij id. Junii, anno tertio.

Reg. Vat. Aven. Clementis VII, vol. XXI, fol. 161.

1639. « *Mota fuit nuper questio in Universitate Paris. xv*[a] *die Junii, utrum stante controversia, que nunc est in ecclesia Dei de papatu, hereticum sit seu scismaticum, aliquem electorum negare esse papam.* Et fuit super hoc magna doctorum altercatio et congregatio. »

1381, Junii 15, Parisiis.

Ex *Epistola Consilii pacis* Henrici de Hassia, cap. 13, Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14643, fol 230[b]. Occasionem quaestionis quatuor facultatibus Universitatis praestabat sermo, quem eodem an., Maii 17, dum Hugo Aubriot condemnabatur, Aimericus episcopus Paris. coram Universitate aliisque fecit dicendo, « que tous ceulx qui ne creoient que le cardinal de Genevre (Clement VII) fust vray pape estoient herèses et schismatiques ». Vid. *Chron. des quatre premiers Valois*, p. 295. Definitum est « que aucun ne seroit tenu à herèse ne à cismatique, qui ne croirroit le pape Clement estre pape » (ibid.).

1640. *Universitas Paris. Johanni Rousse*[1], *mag. in theol., commisit viam Concilii generalis coram rege Carolo et proceribus regni practicandam. Ast Ludovicus dux Andegavens., per violentiam electionem Urbani reprobans et electionem Clementis approbare compellens, dictum magistrum in carcerem includi jussit. Universitas propterea a lectionibus cessavit. Ex quo dux Johannem restituit, ea tamen conditione ut magistri in futurum Clementi adhaererent, prohibensque quominus, sub poena indignationis regiae, deinceps electionis papae vel Concilii generalis mentionem facerent. Unde nonnulli clerici et doctores cum mag. Johanne Rousse recesserunt Urbanumque quaesiverunt. Eorum opera postea Parisiis palam fiebat bulla Urbani VI ad Universitatem Paris. directam, quae, inscio duce Andegavensi, in congregatione Universitatis perlecta est. Cum exinde dux rectori insidiaretur, rector clam Romam aufugit. Inde eum secuti sunt cantor Parisiensis*[2], *Johannes Egidii*[3], *aliique*[4].

1381, Junii 15-1382, Februarii, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, I, 86, 88; *Chron. des quatre premiers Valois*, p. 295 sq. Nota de bulla Urbani VI solum in *Chron. du rel.* invenitur. Sed ibidem ejusdem mentio fit ut cujusdam *novae* bullae, in qua Urbanus, ut *Chron.* vage scribit, « Universitati Paris. primo gratias retulit, doctores et magistros monens et exhortans, ut in fidelitate manentes minas principum non timerent, sed ut veritatis athletae fortissimi et ecclesiae sponsae Christi zelatores ad ejus unionem et sedationem horrendi schismatis constantissime laborarent ». Opinamur, tunc solum Urbani VI epistolam an. 1378, Nov. 21, Parisiis pervulgatam esse, de qua supra nº 1615, ubi in nota scripsimus, latorem epistolarum, Raymundum de Capua, ipso teste, solum Vintimilium pervenisse, indeque cum bullis Januam et postea Senas reversum esse Certum est, epistolam Urbani ad Universitatem directam magistris Paris. postea, quamvis truncatim, pernotuisse, ut probant mss[ti]. Et, si conjectura non aberramus, non invenimus aliam tempestatem quam illam, qua Johannes Rousse Romam aufugit, ubi de hac epistola certior factus eam in apographo ad amicos Parisios misit Per hoc explicatur, cur in mss[tis] nota de latoribus epistolae non invenitur (vid. supra, l. c), et sententia in *Chron. du rel.* ad verum sensum reduci videtur, quia non constat de alia posteriori bulla Urbani VI ad Universitatem Paris. directa.

Haec omnia evenerunt post Junii 15, et quaedam verisimiliter in principio anni 1382, sed ante Februar , quia dux Andegavens. postea absens fuit. Vid. *Journal de Jean le Fèvre*, par Moranvillé, I, p. 18, 20.

1. Ruysche, qui olim ut Guillelmus de Salvarvilla Clementi VII adhaesit Vid. rotulum an. 1379, p 260; 293 sqq. — 2. Guillelmus de Salvarvilla, de quo p. 290, not. 1, qui tamen an. 1382, Martii, Parisiis adhuc morabatur, postea tamen ab Urbano VI factus est archidiaconus Brabant. in eccl. Leodiensi. — 3 Johannes Egidii, natione Normannus, minime mag. in theol. fuit, ut *Chron. du rel.* asserit, sed utriusque doctor (Marsilio de Inghen, infra nº 1648, non contradicente), ut apparet e *Theoderici de Niem de Schismate libri tres*, ed. Erler, p. 281, et e Reg. Oblig.; fortasse ad facultatem decret. Universitatis tunc pertinebat. Urbanus VI eum ante an. 1388 fecit praepositum eccl. Leodiens., capellanum, auditorem litt. contradict., nuntium (vid. Arch. Vat., arm. 33, nº 12, f. 79[b], ad 10[um] an. Urbani), an. 1405, Jun. 12, ab Innocentio VII creatus est card., Jun. 19 tit. SS. Cosmae et Damian. recepit (Arch. Vat. Oblig. nº 57, f. 84), et vocatur cardinalis Leodiensis. Sub Gregorio XII etiam, an. 1408, aufugit. — 4. Minime tamen omnes Romam profecti sunt, ut *Chron. du rel.* contendit. Quidam

alias partes petiverunt, v. g. Germaniam, ut Conradus de Gelnhausen, Henricus de Oyta, qui verisimiliter jam an. 1381, non 1382 (vid. supra, p. 514, not. 4) Parisios reliquit. In Universitate Pragensi ut mag. theol. affertur ad an. 1383, Decemb. (Bibl. caes. Vindob. ms. lat. 4929, f. 262). Fortasse Henricus de Hassia etiam jam an. 1381-1382, non solum 1383 (vid. *Chartul.*, II, 646, not. 29) patriam suam petivit.

1641. *Johannes Blanchart in cancellarium Paris. instituitur a Clemente VII, quem non omnia Universitatis supposita ut papam agnoverunt.*

1381, Julii 15-Aug. 14.

Supra n° 1461. — Hoc factum gravissimi momenti fuit. Johannes de Calore, adhuc primo schismatis tempore cancellarius, a Gregorio XI institutus erat. Novus tamen (ut taceamus de card. Nicolao de S. Saturnino) ab illo papa auctoritatem habuit, quem tunc multa Universitatis supposita agitabant. Cancellarius praeterea a Clemente VII mandatum accepit nemini licentiam dandi, qui esset suspectus de adhaerendo alteri papae. Isti qui Clementem non agnoverant, licentiatos per cancellarium Paris. quasi schismaticos reputabant. Vid. supra p. 413, Simon Freron, et infra n^is 1646; 1656, sqq.; 1672.

1642. *Johannes de Jenzenstein, archiepiscopus Pragensis et cancellarius regis Wenceslai, collegio Carolino Pragensi annuntiat, plures magistros Parisiens. adhaerentes Urbano VI Parisios reliquisse, et conatus fieri ut Parisiensis Universitas Pragam transferatur.*

1381, Septembris, Francofordiae.

Venerabilibus rectori, magistris ac scolaribus universis Universitatis nostre Pragensis, salutem in Domino sempiternam. Mirabilis Deus.... Est enim quod vestre injungimus karitati, quomodo reges Francie in sacrosancte matris ecclesie fide adeo rebelles fuerunt et de presenti existunt, ut neque monita paterna sanctissimi in Christo patris et domini nostri Urbani divina providentia pape VI simulque serenissimi principis domini Wenceslai eadem gratia Romanorum et Boemorum regis illustrissimi, katholicorumque regum et principum informaciones recipiant, sed adinstar aspidis surde respuentes elegerunt pocius errare .... tenuerunt et adhuc sectantur tenere omni spurcitia nepharium Belial, Gebennensem antipapam. Verum sicut Loth uxor et filii ejus in medio nacionis perverse, sic magistri in ariopago Parisius existentes, et sicud Hebrei in ora[1] Egiptorum degentes fatigati in luto et latere serviebant, sic Universitas supradicta pro fide katholica diversis cruciatur erumpnis, et eos ad ydolatriam compellentes adinstar regis Antiochi qui observantes legem Domini trucidabat; sed prout Machabei[2] una voce resistentes dixerunt : « Si omnes gentes regi obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consenciant mandatis ejus : ego et filii mei et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum; propicius sit nobis Deus ». Et sic disposicione divina cor Pharaonis quamvis induratum sit, populus tamen Domini manu forti auxiliante Domino deducetur in terram fluentem lacte et melle, id est Boemiam, quod ad gaudium speciale vobis injungimus. Nam serenissimus et invictissimus princeps rex Romanorum et Boemorum sanctissimo in Christo patri domino nostro Urbano scribere intendit et toto desiderio laborare, qualiter predicta Universitas in Pragam transferatur, et suam legationem expedire intendit cum reverendissimo in Christo patre domino cardinali Ravennatensi[3]. Quod factum dirigat divina clementia in effectum. Plures

enim magistri adeo deturpati Parisius recesserunt, unde unus[4] in presenti advenit et premissa similiter peciit, qui una cum predicto domino nostro cardinali et honesta ambasiata desuper domini mei regis ibunt ad predictum negocium consummandum. O utinam spoliata Francia ditaretur Boemia, et veniret nobis dies consimilis, que spoliavit Egiptios et ditavit Hebreos. Mitto insuper vobis copiam instrumenti intraclusi, ut scire possitis constantiam Parisiensium magistrorum. Ego autem tamquam cancellarius Universitatis Pragensis, qui feci[5] principium, ad consumacionem laborabo. Datum Frankenforde[6], etc.

Cod. epistolaris archiepisc. Johannis de Jenzenstein in Archiv. caes. Vindobon., cod. 183, fol. 11, sub rubrica : « Litera missa rectoribus ac magistris Collegii Karoli ». — Hofler, *Magister Johannes Hus*, p. 121, not. 59. De codice vid. Loserth in *Archiv. f. österr. Gesch.*, LV, p. 267 sqq.

Scriptor hujus epistolae est Johannes de Jenzenstein, qui an. 1375, Julii 4, cum esset praepositus Wetslariens. et bacc. in decret, factus est episc. Misnens. (Reg. Av. Greg. XI, vol. XXV, f. 451), an. 1379, Martii 19, translatus ad sedem Pragens. Ipse olim Parisiis fere per biennium studuit (vid. Loserth, p. 274, not. 2), et circa an. 1375, vel paulo antea, in quadam epistola describit mirabilia urbis Paris. et Universitatis Paris. (ibid., ep. 65, p. 385). Johannes de Jenzenstein acerrimus propugnator electionis Urbani VI fuit, et an. 1381, Januarii vel Februarii, scripsit Aimerico episcopo Paris., ut Carolum VI, regem Francorum, ad veritatis propositum reduceret (ep. 15, p. 316), ad quam epistolam episcopus Paris., Martii 10, negative respondit (ep. 16). Epistola supra edita a Loserth ad mensem Martii rejicitur, sed melius ad mensem Septembris refertur, quo mense Johannes in consilio principum Francofordiae morabatur et jam plures magistri Parisios reliquerant, ut opinamur etiam Conradus de Gelnhausen.

1. Ms. : « hora ». — 2. Postea voce deleta in margine scrib. « Matathias ». Verba supra exscripta utique Mathatiae sunt, *Machab.*, II, 19-21. — 3. I. e. cum Pileo de Prata, tunc legato Urbani VI in Germania, qui jam redux ex Anglia, inter membra Consilii Frankofordensis, Septembris, fuit. Vid. Weizsäcker, *Deutsche Reichstagsakten*, I, p. 325, 13, 19. — 4. Conradus de Gelnhausen? Henricus de Hassia? Henricus de Oyta? — 5. Ms. · « feri » Designatur Johannes de Jenzenstein. — 6. Ms. : « Frabenforde ».

1643. *Clemens VII magistris et baccalareis theol. facult. Paris. scribit de sinistris quae de quibusdam suppositis fac. audivit, eosque exhortatur ad perseverandum in obedientia.*

1381, Octobris 26, Avenione.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilectis filiis magistris et bacallariis theologice facultatis studii Parisiensis, salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii, vidimus dilectum filium Johannem Alardi[1], Ord. Premonstrat., magistrum in sacra pagina, presencium portitorem, et litteras quas portavit, ac audivimus et intelleximus ipsum plene pariter et pergrate. Et quidem, dilecti filii, ut more pii patris vobiscum omnia conferamus, nunquam de vobis in universo sinistrum quidquam audivimus nec in universo vestra facultas apud nos fuit per quempiam diffamata. Verum est, et vobis id paternaliter intimamus, quod de nonnullis particularibus[2] facultatis ipsius percepimus aliqua attemptata, que nec nostrum et sancte Romane ecclesie (cui licet immeriti presidemus) honorem respiciunt, nec laudem facultatis vestre concernunt. Et licet talia sint merito compescenda, nichilominus non miramur, cum sepe contingat quod in magna turba ingenia sunt diversa, nec ob paucorum facinus sive culpam modo vellemus, quod universa vestra facultas penam vel infamiam aliquam pateretur. Speravimus enim semper, sicut speramus indubie et tenemus tam ex palpatis temporibus retrolapsis, quam ex bonis vestris ingeniis uberrimis, quod[3]

virtutibus et solitis operibus fructuosis facultatem et famam vestram conservabitis semper innocuam et intactam, et si quid ibi vel alibi sentiretis forsitan fore factum, tamquam viri vigiles et prudentes compescetis et emendare curabitis ac supplere laudabiliter et decenter. Confortemini ergo, perseverantes intente in devotione, sinceritate ac obediencia et constancia consuetis, et de nobis spem et fiduciam concipite paternales, quoniam nos de vobis tamquam devotis filiis et nostris ac predicte ecclesie incessabilibus pugilibus et athletis concipimus, fidemus et speramus; et si quid pro vestra facultate possumus utile sive gratum, ad nos audaci fiducia et fida audacia recurratis, quia quantum cum Deo poterimus votis vestris liberaliter et efficaciter annuemus, sicut latori predicto aperuimus magis late, cujus relatibus credulam fidem detis. Datum Avinione vij kal. Novembris, pontificatus nostri anno tercio.

Jo. de Trulhacio.

Originale in Arch. nat. Paris. L. 364, nº 16. Appendet sigillum plumb. funiculo cannab. suspensum. — Circa 27 Octob. mittebatur etiam « per dom. nostrum papam ad regem Francie et dom. Andegavensem » Rogerinus equitator (Arch. Vat., *Introit. et exit.*, nº 354, f. 138[b]).

1. Supra in mss[tis] semper « Cillardi », qui an. 1385 fit abbas Belliportus. Vid. p. 132, not. 4, et p. 247. — 2. De Johanne Rousse scil., de Henrico de Hassia, fortasse de Francisco de Mediolano et Andrea de Forlivio, Ord. Serv., de Henrico de Oyta, qui hoc an. licentiatus est (de quo in *Auctar. Chartul.*, I, p. 527, 40; 530, 16; 592, 8), de Guillelmo de Salvarvilla, cantore Paris., qui tamen tunc temporis non fuit actu regens. Inter baccalareos citandus Gerardus Kiicpot de Kalkar, aliique facultat. artium, de quibus in fine an. 1383 in *Auctar. Chartul.*, I, p. 659, not. 5. Inter supra exscriptos Johannes Rousse (vid. supra p. 260) et Guillelmus de Salvarvilla (vid. p. 290, not. 1) primo Clementi VII adhaerebant. — 3. Ms. potius « que »

1644. *Universitas Parisiensis, ad evitanda aliqua quae durante schismate contingere possent, statuit ut una clavium archae, in qua sigillum commune nationis Anglicanae servatur, custodiatur per unum nationis Scotiae.*

An. 1381, Parisiis.

Auctar. Chartul., I, p. 672, 1 sqq. Scoti ex parte Clementis VII erant. Revera postea Robertus de Cardeny (de quo ibid., p. 604, 40) clavem custodivit.

1645. *Judocus Ghisilius, cancellarius S. Genovefae Paris., fautor Urbani VI, et officiarii ejus a collectoribus et commissariis Clementis VII, Johanne Mauberti et Armando Jausserandi, destituuntur a suis officiis, ut alii loco eorum instituantur. Natio Anglicana cum nat. Picard. et Normann. se opponit. Natio Anglicana praeterea decrevit sic procedere ac si nullae litterae venissent, nullumque suppositum nationis a commissariis officium tentandi acceptare debere. Aliqui dixerunt, antequam officium acceptarent, potius a Parisiis statim recederent.*

1381, Decemb.-1382, April. 25, Parisiis.

Auctar. Chartul., I, p. 613, 47; 618, 38; 619, 34; 620, 7 sqq. An. 1382, Jul. 12, natio Anglicana in Parlamento etiam causam perdidit (vid. supra nº 1468). Si ante 1378 pro jure suo litigavit, hoc tamen tempore etiam impetibus animi obedivit cum in causa se intromitterent duo commissarii istius papae, quem non agnoscebant. E *Libro procur. nat. Anglic.* apparet, anno 1382 plures nationis Anglicanae Parisios reliquisse. Ipsis profectis natio Anglicana Novemb. 28 novum cancellarium et subcancellarium S. Genovefae ad juramenta admisit (*Auctar.*, I, p. 637, 15).

1646. *Natio Anglicana licentiatos in Nostra Domina auctoritate Clementis VII, siquidem per cancellarium Johannem Blanchart, ad nationem non recipit. Omnes novi procuratores ad hoc exsequendum per juramentum obligantur.*

1382, Aprilis 1, 7 et sqq., Parisiis.

Auctar. Chartul., I, p. 618, 45; 619, 21. Rationem hujus decisionis vid. supra nº 1641. Natio Anglicana tunc temporis plus quam unquam Clementi VII se opponebat, qui jura nationis quoad examen S. Genovefae violavit. Haec evenerunt duce Andegavensi absente. De aliis gestis vid. *Auctar.*, I, p. 621, 24; 625, 43; imprimis 629, 39 sqq; 630, 7 sqq; 44 sqq. Ad requisitionem Universitatis, quae deliberavit « noviter magistratos auctoritate Clementis et licentiatos debere recipi ad nacionem ut magistros » (ibid., p. 632, 33), natio Novemb. 10 cessit, postquam jam plura supposita Parisios reliquerant.

1647. *Rotulus secundus ad Clementem VII mittendus concluditur, natione Anglicana renitente, et facultate decretorum haesitante.*

1382, Octobris 12, Parisiis.

Auctar. Chartul., I, p. 628, 40. Supra nº 1474. Sed mense Novembris etiam quaedam nationis Anglicanae supposita voluerunt inrotulari (vid. ibid., p. 636, 12 sqq.; 639, 45, etc.), licet pauca (651, 9).

1648. *Marsilius de Inghen, de canonica electione Urbani VI scribens, loquitur de rotulo Universitatis Paris. mittendo ad Clementem VII concluso.*

Signa petit magister meus, quibus persuaderi potest justitia partis juste, cui firmiter adheremus. Primo dabo que contigerunt domino nostro [Urbano] in persona; secundo ea, que evenerunt hiis, quibus maledicebat seu contra quos extendit claves jurisdictionis; et tertio hec, que possunt in eo videre attendi expost secuta dispositione mundi.

Primum quod sibi contigit anno primo de mense Augusti, quando derelictus ab omnibus cardinalibus preterquam a bo. me. viro domino Francisco cardinali de Sancto Petro[1], cardinalibus de Francia cum multitudine armatorum residentibus in Anagnya et aliis cardinalibus Italicis serum verentibus redire Romam, Romanis pluribus interfectis in quodam ponte Tyberis et Castro Angeli fortissimo obtento per Britones, partis adverse adjutores, cottidie Romanos invadentes, solus cum curtizanis partium harum et Anglie Romam reversus est. Unde tanta dubitatio facta fuit oriente tunc scismate, quod vix aliquis litteras suas curavit acceptare. Quo tempore in consistorio generali existens sabbato[2] quattuor temporum Septembris, sedentibus episcopis ad pedes ejus, xxix novos creavit cardinales, quorum multi et major pars ab ipso pilleum acceperunt, quibus curiam desolatam viriliter erexit, unde debita prior obedientia prius infirmata in mentibus curtisanorum valide resurrexit. Numquid hoc fecit vi militari hominum armatorum, quorum admodum paucos protunc secum adduxit?....

Secundum[3], quod per duorum annorum primorum spatium[4] numquam rex Francie minis, promissis sive promotionibus tantum facere potuit, quod Universitas Parisiensis infra illud spatium rotulum vellet mittere ad Robertum antipapam, donec elapso dicto

termino, mortuo magistro Richardo Barbe vel saltem absente, fugientibus valentioribus suppositis Parisiensis Universitatis, sicud cantore Parisiensi, domino Johanne Egidii, magistro Johanne Ruysch[5], doctoribus in theologia vel legibus, de regno Francie existentibus, et aliis valentibus, seducto rectore[6] pro prebenda Sancti Quintini et trecentis florenis, aliisque remanentibus, primo ad antipapam, renitente natione nostra, rotulus est conclusus. Rogo, quid movet hos sapientes nisi vel cognitio juris Urbani vel Spiritus Sanctus, suarum mentium inhabitator, ad constanter remanendum cum Urbano primo electo?

Tertium, quod communis populus Francie tunc et adhuc secundum[7] diffitetur, et confitetur primum[8] et suum successorem[9] publice, quem tenerent[10], si non timerent regem. Et unde hoc si non Spiritu Sancto inspirante? Unde et multi Francigene pro indulgentiis presentis jubilei Romam advenerunt[11].

Quartum, quid movet eos, quod nos in divinis suis non prohibent sicud nos eosdem, nisi quod dictante sibi conscientia juste nos moneri?

Quintum, quod sapientia Gallicorum, potentia defuncti regis, vis armorum regis presentis, munera et promissa insuper et fictiones nunciorum[12] iniquissime numquam poterant movere, taceo principes Alamannorum, vel comitem[13], populum, commune Flandrie sibi subjectum. Ubi, queso, est sapientia, que suasit pro Urbano, ubi potentia regalis laborans pro eodem, ubi promissiones peccuniarum?....[14].

Bibl. Wolfenbuttel, cod. Guelferbytan. 76. 14, Aug., fol. 180-182, sub rubrica: « Quedam signa pro Urbano notata per Marsilium de Ingen ratione precedentis epistole » (i. e. Henrici de Hassia epistolae ad Rupertum). Haec epistola Marsilii scripta est an. 1390, cum esset Heidelbergae; sed propter rerum connexum nos eam quantum ad res Universitatis attinet hic ponimus. Quaedam jam invenies apud Hartwig, *Leben u. Schriften Heinrichs v. Langenstein*, p. 39, not. 1. Si compares Marsilium cum Henrico de Hassia, posterior multo acutior apparet, qui an. 1393 jam inter alia cessionem amborum proponebat.

1. Vid. supra nº 1608. — 2. Septemb. 18. — 3. Monendum Marsilium eorum, quae nunc de rotulo scribit, non fuisse testem ocularium, nam jam ante an. 1379, Febr. 21, Parisios, ut videtur, reliquerat (vid. *Auctar. Chartul*, I, p. 570, 15, et not. 6). Per hoc explicantur errores in sequentibus per ipsum commissos. — 4. « Per duorum annorum primorum spatium » Schismatis? i. e. a fine an. 1378 usque ad finem an. 1380, ita ut tunc vel an. 1381, rotulus conclusus esset? Sed eodem anno Universitas potius contra Clementem fuit et de Concilio generali agebat. « Per duorum annorum primorum spatium » regis Karoli VI? i. e. ab an. 1380, Sept. 16, usque ad an. 1382, Octob.? Tunc Marsilius hic agit solum de rotulo *secundo* seu de primo rotulo sub Carolo VI ad Clementem misso, et mentionem facere rotuli *primi* sub Carolo V omittit, sicut silentio transit consilia regis Caroli V habita, declarationem Universitatis an. 1379, Maii, aliaque. — 5. Isti doctores minime « valentiora supposita » Universitatis fuerunt. — 6. I. e. Johanne Luqueti, nam sub ipso rotulus conclusus est. Ast an. 1403 in rotulo ad Benedictum XIII misso Johannes, jam magister theol., suas prebendas enumerat, illa S. Quintini omissa. In Reg. etiam Clem. VII an. 1382 invenitur solum Ricardus de Los, qui tunc, Aug. 17, factus est decanus S. Quintini (vid. supra, p. 263, not. 9), minime Johannes Luqueti. Idem dicendum de Egidio de Asperomonte, sub quo rotulus missus est. — 7. I. e. Clementem. — 8. Urbanum VI. — 9. Bonifacium IX. — 10. Marsilius hic sicut in antecedentibus admodum immoderate loquitur. — 11. *Chron. du rel. de Saint-Denys*, I, 634, contrarium dicit. Clemens VII etiam sub poenis gravissimis an. 1389, Nov. 27, prohibuit, quominus sui subditi Romam accederent (Reg. Vat. Clem. VII, nº 301. f. 18ᵇ sqq.). — 12. Ms. « nunciatorum ». — 13. Ludovicum. Vid. de hoc Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 551 sq.; *Chronograph. reg. Franc.*, ed. Moranvillé, II, 376 sq. — 14. Sequuntur duo alia signa et caetera in introductione promissa.

1649. *Urbanus VI Guillermo de Salvarvilla, « cancellario eccl. Paris., in s. pagina magistro, apostolice sedis nuncio », injungit ut Roberto, olim XII Apost. card. (Clementi VII) in civitate et dioecesi Leodiens. adhaerentes suis officiis et beneficiis privet eosque amoveat tanquam haereticos et schismaticos.* Dat. Rome apud S. Petrum kal. Dec., pontificatus nostri anno quinto. « Ad audienciam nostram ».

1382, Decemb. 1, Romae.

Reg. Vat. Urbani VI, nº 310, fol. 285ᵇ. Ibid., fol. 286 et 289ᵇ, duae aliae epistolae de eodem argumento et sub eadem temporis nota exstant, directae eidem *cancellario eccl. Paris.*, cum tamen Guillelmus solum cantor eccl. Paris. fuisset, qua cantoria tunc jam privatus erat (vid. p. 290, not. 1). Fuit archidiaconus Brabantiae in eccl. Leodiens., ad quem Gerardus Groet, olim schol. Paris., *epistolam de Schismate* direxit (Cod. Vat. lat. 4927, fol. 137; Bibl. caes. Vindobon. ms. lat. 4923, fol. 192). An. 1385, Nov. 17, jam defunctus erat. Vid. Arch. nat. Paris. M. 75, nº 131.

1650. *« Declaratio Universitatis Parisiensis » pro Clemente VII.*

1383, Februarii 3, Parisiis.

Universis Christi fidelibus sacrosancte ecclesie matris nostre filiis et alumpnis, unum Deum, unum Dominum, unam fidem, unicumque baptisma, in quibus orthodoxe discipline residet intemerata structura et formula credendorum, tenentibus inconcusse, Parisiensis Universitas, primogenita studiorum in tetragono celebrium doctrinarum fundata, in apicibus fidei a sui exordio hactenus stabiliter radicata, terram suis ymbribus saporosis ad modum fluvii paradisi irrigans universam, limitibus veritatis indesinenter adherens, singulis falsigraficis supplantatis, scibilia cuncta sorbens aliis, habundantissimeque rependens, morum naturalium, intellectualium et moralium tenens dextrum, eliminansque sinistrum, non decidens in adversis, in prosperis absque timore perdurans, fons sibi proprius, cui non communicat alienus, gratiam et amorem, reverentiam et honorem in salutari supremo, in quo omnium singulariter est vera salus[1]. Notum igitur facimus per presentes omnibus et singulis presentibus pariter et futuris has nostras litteras inspecturis quod in veritate scienda plenarie scismatis in ecclesia sancta Dei, proch dolor, tam diuturne vigentis, et diuturnius disponatur durare, nisi dominus Jesus Christus ecclesie verus sponsus manus apposuerit adjutrices, interposuimus vices nostras quantum potuimus efficaces, modis nedum patentibus, sed secretis, nedum penes proximos, sed longinquos, nedum penes favorabiles, sed adversos, nedum penes clericos, sed plebanos, nedum penes Gallicos, sed Ytalicos et Lombardos, nedum penes dominos cardinales, ad quos in solidum spectat, sed etiam penes cives; et finaliter omnibus ponderatis, concorditer invenimus Bartholomeum[2], olim Barensem archiepiscopum, in sede apostolica per impressionem notoriam intrusum et nullum per consequens in papatu jus habere aut etiam habuisse, dominum vero Clementem electionem canonicam habuisse et pro vero papa debere ab omnibus catholicis affirmari.

Eapropter veraciter sic consulti, deliberato animo et diuturno, non precipitato sed maturo, a philosopho[3] eruditi quod « sermones in principio debent esse longi, executio vero velox », notorietate premissorum pensata et matre rerum experientia declarata, quam qui

negant, ratiolis frivolosis[4] herentes, debilis sunt intellectus : unanimiter et concorditer sub nostris publicis et patentibus literis et membranis declaravimus[5] mentes nostras et etiam declaramus pro justa, sancta et canonica electione domini Clementis pape VII ad summum pontificatus apicem electi[6] per dominos cardinales unanimiterque assumpti, dictum vero Bartholomeum nullum jus habere aut alias habuisse, sed ipsum in sede beati Petri dampnabiliter fuisse intrusum, de facto tantummodo non de jure, prout jura omnia humana pariter et divina clarissime protestantur, dictam suam intrusionem dampnabilem detestando, electioni vero dicti domini Clementis tanquam rite et canonice inviolabiliter adherendo. Datum Parisius in capitulo Predicatorum anno Domini millesimo trecentes. octuagesimo secundo, die iij mensis Februarii, in congregatione nostra generali per juramentum celebrata.

Orig. in Archives de Vaucluse, fonds des Célestins d'Avignon, n° 14, cum sigillo in cera rub. Univers. — Bibl. nat. Paris. ms. lat. 1470, fol. 128. Baluze, *Vit. pap. Aven.*, II, 943. — Hujus declarationis in *Lib. proc. nat. Anglic.* (vid. *Auctar. Chartul* , I, p. 647, 9) statim mentio fit. Sed minime in hac sola forma emittebatur, sed et in forma n[1] 1651, licet postea solius declarationis Febr. 3 mentio fiat (Martène, *Thes. nov.*, II, 1722). Qui hanc epistolam scripsit, malus latinitatis auctor fuit. Nondum, ut postea, Nicolaus de Clamengis ab epistolis Universitatis fuit.

1. Usque huc extenditur inscriptio, monstrum horrendum, in n° 1651 merito magna ex parte neglectum. — 2. De Bartholomaeo seu potius Urbano VI hic et postea dicta in n° 1651 omittuntur. — 3. I. e. ab Aristotele, apud quem affertur secunda pars sententiae . τὴν διήγησίν (narrationem) φασι δεῖν εἶναι ταχεῖαν (*Rhetor.*, III, c. 16, p. 1416[b], 29, ed. Bekker). Nec prima pars videtur esse Aristotelica, cum l. c., lin. 33, dicatur : δεῖ γὰρ μὴ μακρῶς διηγεῖσθαι, ὥσπερ οὐδὲ προοιμιάζεσθαι μακρῶς. Sine dubio magistri hanc sententiam prae oculis habuerunt : καὶ φασὶ πράττειν μὲν δεῖν ταχὺ τὰ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως (*Ethic. ad Nicom.* VI, c 10). — 4. Sic orig. Alibi : « rationunculis frivolis ». — 5. Supra n° 1624. — 6. Ubique · « electum », « assumptum ».

1651. *Eadem declaratio Universitatis Parisiensis, in meliorem formam redacta.*

1383, Februarii 26, Parisiis.

Universis Christifidelibus sacrosancte ecclesie matris nostre filiis et alumpnis, unum Deum, *etc. ut supra* n° 1650, *usque* indesinenter adherens, gratiam et amorem, reverenciam et honorem in salutari supremo, in quo est omnium singulariter vera salus. Notum igitur facimus per presentes omnibus et singulis presentibus pariter et futuris has nostras patentes litteras inspecturis, quod pro veritate ad plenum facienda super scismate in ecclesia sancta Dei, proch dolor, tam diuturne vigente, et quod ulterius durare dubitatur, nisi divina miseratione contra hujusmodi scisma[1] gratiam suam extendat adjutricem, vices nostras interposuimus quantum potuimus efficaces modis nedum patentibus, sed secretis. Tandem attentis dominorum cardinalium assertionibus et aliis, que in hac parte fuerant per nos attendenda, quantum melius potuimus provida deliberatione exinde subsecuta, ad honorem Dei omnipotentis, unitatem et exaltationem fidei animarumque salutem, huic tam detestabili et pernicioso scismati[2] finem imponi cupientes, tenuimus et credi[di]mus, tenemus et credimus, sanctissimum in Christo patrem et dominum, dominum nostrum dominum Clementem divina providentia papam septimum electionem canonicam habuisse et pro vero papa debere ab omnibus catholicis affirmari. Et inde veraciter consulti

deliberato animo et diuturno, non precipitato sed maturo, a philosopho[3] eruditi, quod « sermones in principio debent esse longi, et executio velox », concorditer et unanimiter alias declaravimus[4], et adhuc declaramus hiis patentibus literis mentes nostras pro sancta et juxta[5] electione dicti domini nostri pape Clementis, ad summum pontificatus honorem per reverendissimos in Christo patres dominos cardinales sancte Romane ecclesie electi canonice et assumpti, ipsumque dominum nostrum papam in verum et unicum ecclesie sancte Dei pastorem et vicarium singularem Domini nostri Jesu Christi recognoscimus et fatemur. In quorum omnium testimonium presentes literas fieri fecimus, sigillique magni nostre dicte Universitatis appensione muniri. Datum et actum Parisius in nostra congregacione generali in Sancto Benedicto regentium et non regentium et etiam per juramentum, ut est moris, solemniter celebrata anno Domini millesimo CCC° octuagesimo secundo, die xxvj mensis Februarii.

Reg. Vat. Clementis VII, n° 309, f. 15, sub rubrica : « Litera super declaratione Universitatis Paris. ». Declaratio Universitatis in curia Aven. praesentata est per mag. Aymonem Henrieti, procuratorem fiscalem papae Clementis, ut ibid. in principio scribitur, et narratur · « hec est *vera* copia sive transumptum quarundam literarum patentium ven. Universitatis Paris., sigillo ipsius in cera rubea sigillatarum ».

Ut e *Lib. proc. nat. Anglic.* (vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 654, 27) ediscimus, natio Anglicana Febr. 25 noluit declarationem Universitatis Febr. 3 alicui tradendam esse, « nisi ad minus redigeretur in forma meliori ». Haec melior forma est determinatio Febr. 26, quae sola in Archivo Avenion. Arch. Vat. reperitur.

Declarationem Universitas quocumque misit, et verisimiliter designatur per illas litteras, quas quidam Normannus, juris utriusque doctor, Pragae commorans, « per rectores extortas » asserebat (*Chron.* Zantfliet apud Martène-Durand, *Ampl. coll.*, V, 324 ad an. 1384).

1. Reg. iterum : « hujusmodi ». — 2. Reg. : « scismate ». — 3. Reg. abbrev. : « ampho ». — 4. Supra n° 1624. — 5. I. e. justa.

1652. *Rotulus secundus Universitatis Paris. unacum declaratione Universitatis ad Clementem VII mittitur, natione Anglicana annuente.*

1383, post Februarii 26.

Vid. supra nos 1474, 1477 et not. Februarii 24 nuntii juraverunt (*Auctar. Chartul.*, I, p. 654, 2, 10). Cum determinatio Universitatis, in forma meliori, sit redacta Februarii 26, nuntii non antea profecti sunt.

1653. « *Anno Domini M CCC LXXXIV, die xviij Septembris, Universitate solemniter congregata in S. Maturino ad audiendum literas dominorum ducum Biturigie et Burgundie, in quibus supplicabant Universitati, ut ipsa daret deputatos ad eundum ad* Insulam, *ubi debebat esse Concilium pro ecclesia, et quod illi deputati deferrent secum determinationem Universitatis pro domino papa Clemente : dati fuerunt deputati concorditer per totam Universitatem. Pro qua legatione electus fuit mag. Guido Custelli*[1] *concorditer via Spiritus Sancti pro natione nostra.* »

1384, Septembris 18, Parisiis.

Partie des pièces et actes qui concernent l'Université de Paris (1653), pièce 8, p. 1. Bul., IV, 603, e *Lib. proc. nat. Picard.* — Hujus Concilii apud Mansi, *Concil.*, minime mentio fit; solummodo in Arch. Vat., arm. 54, n° 14, fol. 93; Bibl. nat. Paris. ms. lat. 1469, fol. 194, exstat sermo, et apud Mansi, XXVI, 723, nota brevis de Concilio Cameracensi an. 1383, Octob. 1, pontif. Clementis VII an. secundo (Mansi « l. sexto ») celebrato. — Cameraci an. 1385 etiam Concilium fuit, ad quod ex parte Clementis provincialis Augustinensium et Egidius de Aurelianis destinati erant (*Journal de Jean le Fèvre*, I, p. 98); posterior eodem anno, Augusti, Parisiis morabatur (vid. supra p. 396). Fortasse Petrus de Ailliaco circa finem an. 1385 istud

Concilium designavit, quando dicit, « in *recenti memoria* est », Universitatem Paris. nuntios solemnes ad sedationem Schismatis in Flandriam misisse (supra p. 400).

1. I. e. pro natione Picard. Supra nº 1470, p. 311, vocatur « Cultelli ». Pro natione Gallicana fuit nuntius Johannes de Roncuria (vid. supra nº 1492).

1654. *Omnia supposita Universitatis Paris. in sinu paterno Clementis VII firmissime resident et in obedientia illius perseverant, a qua Universitatem nullus unquam error seducet nullaque vis diripiet.*

An. 1385.

Sic ille Petrus de Ailliaco, supra p. 399. Sed post paucos annos Universitas Paris., velit nolit, aliam viam ingreditur. Eodem an. 1385 Clemens VII, non contentus per octennium decimas collegisse, abbatem S. Nicasii Remens. in Britanniam et Normanniam misit, ut sub titulo inopiae papalis camerae pecunias a viris ecclesiasticis extorqueret. Precibus Universitatis Paris. rex pias aures accommodans huic conatui restitit. *Chron. du rel. de Saint-Denys,* I, 398, 400.

1655. *Declaratio nova Universitatis Parisiensis pro Clemente VII.*

1387, Februarii 9, Parisiis.

Universis Christi fidelibus sacrosancte matris ecclesie nostre filiis Universitas Parisiens. magistrorum ad quos presentes pervenerint, honorem et salutem in suppremo, in quo omnium consistit vera salus. Notum facimus singulis presentibus pariter et futuris has nostras literas inspecturis, quod cum patres nostri orthodoxe fidei catholice consueverint bona docere, mala reprobare, nescientibus quid agant, quid expectare debeant intimare, dantes illis escam salubris doctrine in tempore opportuno : nos eorum vestigia prout nobis fuerit possibile imitantes, tacti dolore cordis intrinsecus, scisma ecclesie sancte Dei audientes, proch dolor, tam diuturne viguisse et diucius paratum[1] in dispositione longiori, nisi Dominus noster Jesus Christus verus ipsius ecclesie sponsus apposuerit misericorditer vires suas, sub cura vigili non unius diei tantum, sed in multorum curriculo temporum, quantum potuimus melius, ad elucidandum veritatem, quam tenere et[2] aliis docere deberemus, insudavimus : tandem partibus per sua scripta auditis ac eciam consideratis, et diligentius multis prehabitis deliberationibus, comperuimus et in vera fidei unitate tenuimus, tenemus, et firmiter confitemur, omnes simul unanimiter confitentes, sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum dominum Clementem VII unicum verum summum pontificem universalis sancte Romane ecclesie sponsum et Christi ac beati Petri vicarium, prout in aliis nostris literis alias super hoc confectis clarius declaravimus[3], et etiam tenore presentium declaramus. Datum Parisius in congregatione nostra generali in Sancto Maturino propter hoc specialiter celebrata die ix mensis Februarii, anno Domini millesimo CCC LXXXVI.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 1470, fol. 128ᵇ; 12849, fol. 29. — Baluze, *Vit. pap. Aven.*, II, 945, Martène, *Thes. nov.*, II, 1723. — De desiderio inefficaci Clementis VII hoc anno concepto Concilium generale congregandi, vid. Jarry, *La vie politique de Louis de France, duc d'Orléans*, p. 62. Eodem anno Universitas rotulum communem ad Clementem misit. Vid. supra nᵒˢ 1537-1541.

1. Ms. : « paratam ». — 2. Ms. : « in ». — 3. Supra nⁱˢ 1624 et 1651.

1656. *In Universitate Heidelbergensi licentiati Parisiis per cancellarium auctoritate papae Clementis VII minime ut magistri recipiuntur.*

1387, Sept.-Oct., Heidelbergae.

In dicta rectoria[1] plures vocati magistri de Universitate Paris.[2] nobis advenerunt, licentiati sub anticancellariis vel pretensis cancellariis auctoritate antipape vel sibi adherentibus Parisius, super quo post plures congregaciones Universitatis decretum fuit, eos ut magistros nullatenus admitti debere.

Insuper statutum [fuit], quod licentiati auctoritate antipape, vel per intrusos cancellarios ab eodem, pro magistris apud nos non deberi acceptari[3], cum [Universitas] tales sic sustinendo graduatos[4] auctoritatem antipape videretur[5] approbare.

Bibl. Heidelberg. ms. 362 (Ann. Univers., I), fol. 40. Partim apud Hautz, *Gesch. der Univers. Heidelberg*, II, 334; Toepke, *Die Matrikel der Universität Heidelberg*, I, 20, not. 1.

1. Johannis Berswort, bac. in leg., rectoris an. 1387, Jun. 23-Octob. 10, mag. artium Paris., bac. leg. Aurelianis. Vid. ad haec *Auctar. Chartul*, I, p. 618, not. 4. — 2. In numero sequenti de sex agitur. Apud Toepke, l. c., ad an. 1387, duo intitulati nominantur. Christianus de Eckoye et Gerardus de Lederdam, ambo magistri art. Paris. et Trajectens. dioec. Gerardus Lederdam Heidelbergam iterum reliquit et Parisios reversus est (vid. n^um^ 1572, p. 520). Deinde afferuntur ut magistri Paris. Henricus Bernekote, Johannes Bote, Adam can. S. Crucis Leodiens. (Toepke, l. c., p. 30). Omnes isti, Johanne de Calore cancellario defuncto, sub cancellario a Clemente VII instituto (sive Johanne Blanchart, sive Johanne de Guignicurte) Parisiis licentiati sunt. — 3. Ms.: « acceptum » — 4. Ms.: « gradum ». — 5. Ms.: « videbitur ».

1657. *Plures magistri Parisienses Heidelbergae conventicula privata faciunt; tamen confitentur, se non esse magistros, quia licentiatos per anticancellarium Paris.*

1387, Decemb. 15-1388, Febr. 9, Heidelbergae.

Post hec informata est Universitas quod vj magistri vocati de studio Parisiensi congregationes fecerunt particulares, et quandam literam aliquibus eorum de Parisius missam minus bene sonantem[1] diversis suppeditaverunt[2], quodque diversos scolares, ut dicebatur, nisi sunt deducere a studio Heydelbergensi et, ut imponebatur ipsis, ipsum studium verbis et scriptis infamare, quamvis ipsum studium promiserint promovere juxta totum posse et nosse eorum. Fecit Universitas vocari duos eorum et seorsum examinari super diversis punctis, qui inter cetera confessi sunt, se non credere se esse magistros, quodque non haberet pretensus cancellarius Parisiensis (qui eis promittebat vel ostendebat se dare gradum) posse dandi[3]. Unde Universitas ut pia mater vitare volens turbacionem, illis indulsit, et ut ab hujusmodi particularibus et privatis synodis, diffamacionibus, machinacionibus et scolar[i]um abduxionibus hic et alibi abstinerent, sub prestito Universitati nostre prius juramento ammonuit et injunxit.

Bibl. Heidelbergens. ms. 362 (Ann. Univers., I), fol. 40^b^ — Cf. Winkelmann, *Urkundenbuch der Universität Heidelberg*, II, n° 35.

1. Verisimiliter declarationem Univers. Paris. an. 1387, Febr. 9, supra n° 1655 editam. — 2. Ms. potius: « supplicaverunt ». — 3. I. e. potestatem dandi gradum.

1658. *Universitas Heidelbergens. Philippo de Alençon, legato apostol., supplicat, ut declaret cancellarios Paris. post Johannem de Calore non habere auctoritatem, et prohibeat quominus quispiam Universitatem Paris. durante Schismate visitet.*

1388, Februarii, Heidelbergae.

Fuit actitatum tunc pluribus congregacionibus et maturis deliberacionibus, ut supplicaretur domino legato[1] nomine domini nostri ducis[2], quatenus declarare dignaretur literis suis patentibus, intrusum anticancellarium ecclesie Parisiensis nullum habere posse dandi gradum in quacunque facultate, simulque vocatos[3] magistros per hujusmodi per antipapam intrusos in cancellariatum ecclesie Parisiensis post obitum b. m. mag. Johannis de Calore non esse nec fuisse magistros, simulque precipere per partes sue legacioni subjectas, quatenus nullus durante scismate de partibus ipsis studium visitaret Parisiense, et presertim ne gradum vocatum in aliqua facultate reciperet in eodem[4], cum esset implicite auctoritatem antipape approbare et ex consequenti eum confiteri papam. Que supplicatio satis magnis laboribus et expensis fuit signata et litere fieri mandate. Que tamen litere post de voluntate domini legati, certis motivis moventibus eum, fuerunt inpedite[5] nec potuit Universitas ad earum acquisitionem quomodolibet devenire.

Bibl. Heidelberg ms. 362 (Ann. Univers., I), fol. 41. Winkelmann, *Urkundenbuch der Universitat Heidelberg*, II, nº 39.

1 Philippo de Alençon, episc. Ostiens. — 2. Ruperti I. — 3. De quibus supra. — 4. Ex *Auctar. Chartul.*, I, post an. 1392, apparet, nihilominus plures Alemannos, et inter illos non paucos ex Universitate Heidelbergensi, Universitatem Paris. visitasse ibique studuisse, qui post gradus acceptos saepe in patriam reversi in aliqua Universitate ut magistri intitulati fuerunt. — 5. Card. Ostiens. Universitati Paris. minime infensus erat. Vid. nº 1689, et praeterea nº 1672 epist. Bonifacii IX.

1659. *Urbano VI defuncto, Bonifacius IX ei succedit.*

1389, Novemb. 2, Romae.

Urbanus VI « die veneris 15ª mens. Octobris » Romae defunctus est (Arch. Vat. Oblig. nº 48, fol. 89). Die martis, 2ª mensis Novemb., Petrus de Tomacellis card. S. Anastasiae, dictus Neapolitan., in papam electus est, die martis, 9ª Novemb., coronatus (ibid., fol. 90), et nomen Bonifacii IX assumpsit. — Res ea gravis est in historia Universitatis Paris. Cum enim sensisset nova electione schisma continuari, tum expergefacta laborare coepit ad unionem ecclesiae obtinendam, conarique ut regem ac principes in id propositum induceret. Maxime est ad memoriam annus 1390 in Schismatis vicissitudinibus, Parisiensis quidem Universitatis gratia. Universitas, licet tarde, ad ea reversa est, quae Henricus de Hassia jam ante 11 et 9 annos in sua *Epistola pacis*, sed praesertim in sua *Epistola consilii pacis*, partim expresserat (vid. num 1663). A Philippo duce Burgundiae imprimis initum esse consilium unionis dictum fuit (Th. Muller, *Frankreichs Unionsversuch*, Programm, 1881, p. 8). At revera ut rex ita Philippus politicas ob causas in animo habebat Italiam cum exercitu invadere ut Clementem VII, expulso Bonifacio IX, in solium Romanum vi collocarent (Froissart, *Opp.* ed. Kervyn de Lettenhove, XIV, 281; 423, alibique. Marsilius de Inghen an. 1390 etiam de ea re loquitur in ms. Guelferbytan. 76, 14 Aug., fol. 181b. Ad haec vid. Jarry, *La « voie de fait »*, Extrait de la *Bibl. de l'Ecole des chartes*, LIII, p. 10 sqq.). Qua expeditione seu *via facti* minime parata fuisset ecclesiae unio sed scissio ac schisma latius productum (vid. Bul., IV, 771). Primi in Francia ad prosequendam ecclesiae unionem via ordinaria sine vi conati sunt neque rex Franciae neque dux Burgundiae, sed Universitas Paris., vel saltem plures illius magistri, quanquam in principio magis ad viam juris inclinabant. Mortuo Urbano VI, idonea unioni occasio fuerat; ideo aegre ferebat Universitas, cardinales novum papam elegisse, Bonifaciumque electioni annuisse. Vid. praeterea infra *Addenda*.

1660. *Legati ex parte regis Wenceslai ad regem Francorum missi offerunt Universitati Paris. epistolam, qua admonetur ut laboret ad Schisma removendum.*

An. 1390, Septembris.

Chron. des quatre premiers Valois, p. 316. De causa legationis vid. Lindner, *Gesch. des deutschen Reiches unter König Wenzel*, II, p. 321 sq. Cf. Pelzel, *Kön. Wenzel*, I, *Urkundbch*, n° 72, p 92.

1661. *Clemens VII regis, magnatorum et principum gratiam donis uberrimis commercari statuerat, ne super unione ecclesiae vocem apostolicorum virorum Universitatis Paris. audirent, quae regem jampridem pluries adierat, sed repulsam passa erat; in congregatione generali apud S. Bernardum plus quam 300 magistri interfuerunt, qui unanimiter concluserunt regem iterum adeundum. Quidam doctor in theologia*[1] *deputatus est, qui, aditu difficulter obtento, multa stilo cronico peroravit : rationibus et auctoritatibus probavit unionem necessario esse promovendam; scandala infinita ex schismate orta exposuit; reges et principes super omnes teneri sedare scandalum; ad hoc teneri omnes etiam utriusque status: sed cunctis tacentibus Universitas Paris. hoc promovere poterat*[2].

Rex non solum repulsam dedit, sed et magistris « silentium continuum edixit, si timebant regiam offendere majestatem[3] ».

Circa fin. 1390-1391, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, I, 692, 694.

1. Ut opinamur, Egidius de Campis. — 2. Ea omnia in tractatu n° 1663 excerpto luculenter exponuntur, ex quo apparet quam intime cum propositionibus supra allatis cohaereat. — 3. Vid. ad haec n°s 1662 et 1663. An. 1389, Nov., rex promisit Clementi, unionem factum iri suppressione papae Romani (Froissart, XIV, p 38). Universitas Paris. jam tunc contra *viam facti* erat; per suas conclusiones propositum regis impedivit.

1662. *Facultas decretorum Paris. asserit, desistendum esse ad tempus ex parte Universitatis a prosecutione unionis ecclesiae propter praeceptum regis*[1].

An. 1391.

Tractatus super materia unionis Eccl., cod. Vat. lat. 4927, fol. 86b, 98b, 99, et infra n° 1663. Jam tunc, ut ex hoc apparet, non solum an. 1395, decretistae se opponebant theologis. Dux decretistarum videtur fuisse Simon de Cramaudo, patriarcha Alexandrinus, qui fuit cancellarius ducis Bituricens., et olim doctor in fac. decret. Nondum tamen tunc temporis ut ab an. 1395, oppositio Normannorum efferbuit.

Nescimus, usquedum facultas decret. se opposuerit. Opinamur saltem usque ad an. 1392, quo anno ea sola rotulum parvum ad Clementem misit (vid. n^um^ 1597).

1. Supra n° 1661.

1663. *Quidam theologus Universitatis Paris. (Egidius de Campis vel Johannes Gerson) Tractatum composuit super materia unionis ecclesiae, affirmans Universitatem ad semper et pro semper obligari ad prosequendam unionem ecclesiae. Dividit Tractatum in 7 articulos.*

In 1° agit, quomodo praeceptum procurare unionem ecclesiae ad semper et pro semper obliget.

2° Quomodo laborare ad unionem eccl. diversos diversimode sub peccato obliget. Maxime obligatur Rom. pontifex, qui ad dandum bonum exemplum obligatur; propter Schisma promovere non debet filios nobilium, si sint juvenes et ignorantes. Deinde obligantur praelati et viri ecclesiastici; doctores ecclesiae; quilibet christianus.

In 3° articulo, probat negligentiam Rom. pontificis aliorumque praelatorum. Si dicatur, sufficientem diligentiam habuisse, « nam ipsi ad multas partes ambassiatores miserunt, ut cardinales et prelatos ad informandum eos de ista materia — respondetur, quod licet miserunt aliquos, tamen illi missi, quia istum instituerunt in sede apostolica, non erant convenientes instructores istius veritatis, sed homines quodammodo

neutri erant magis idonei. Deinde dico, quod ista materia per prius debebat discuti per doctores ecclesie, quam ab aliqua parte simpliciter teneri. Omne enim dubium in fide per prius debet discuti per doctores ecclesiae, quam per prelatos determinari. Ad hoc enim sunt doctores in ecclesia ut discernant, quid verum, quid falsum in fide, et prelati discussa et determinata per eos habent sententialiter definire[1] ». *Rom. pontifex (Clemens) negligens est de tanta duratione schismatis*[2]. *Multae viae sunt per quas potuisset procurare unionem. Prima via, et quidem justissima et rationabilissima,* « *secundum quod alias pretendebat Paris. Universitas* », *est* Concilium generale[3]. *Illud renuere in multis causat scandalum. Minus apta via,* « *que ab aliquibus tangitur* », *esset ut hoc negotium* « certis deputatis ab utraque parte committeretur et ab eis terminaretur ». *Tertia via, quam debuisset procurare antequam tantum durasset schisma, est* renuntiare officio papatus[4]. *Negligentia pontificis et praelatorum est inexcusabilis; fecerunt ut medici, qui* « *per 12 annos* » *expectant remedium corpori infirmo apponere. Inexcusabilis etiam negligentia doctorum potissime Universitatis Paris., qui non ut debuerunt determinaverunt et disputaverunt de hoc. Inexcusabiles reges et principes.*

In 4° articulo discutit, ad quos spectet negligentes arguere : ad pontificem, ad doctores, ad viros ecclesiasticos.

In 5° art. agit, quomodo specialiter ad Universitatem Paris. spectet prosequi unionem ecclesiae[5]. *Doctores sunt ut ratio dictans, praelati ut voluntas. Universitas Paris. vero habet doctores solemniores quocunque alio collegio. Ex quo patet error illorum dicentium,* « *Universitatem Paris. nullo modo de ista materia se debere intromittere* », *cum plus ad eam spectet, quam ad alios, immo magis quam ad coetum praelatorum, nam* « *ecclesia doctoribus istius Universitatis dedit auctoritatem scolastice determinandi et disputandi de eis que fidem concernunt* ». *Ad Universitatem Paris. pertinet arguere negligentes, ut praelatos et maxime regem Franciae, quia christianissimus est et* « *partem Clementis maxime fovit et nutrivit* ». *Unde si negligens esset in procuranda unione, quodammodo videretur esse causa durationis schismatis.*

In 6° articulo tractat, quomodo procurare unionem pertineat ad potestatem saecularem. Indirecte, non directe.

In 7° articulo agit contra « *facultatem decret.* » *Paris. asserentem, supersedendum esse usque ad tempus de prosecutione unionis ecclesiae propter praeceptum regis. Ast ad regem hoc non spectat, nisi modo accessorio. Idem dicendum de suo consilio. Nec etiam desistendum a prosecutione, ut voluntas Rom. pontificis et aliorum praelatorum captaretur. Quid enim noceret pontifici et aliis, si per doctores Paris. veritas manifestaretur et materia scolastice determinaretur? Immo hoc multum juvaret Clementem,* « *quia, ut dicitur, illi de opposita opinione maximam adhiberent fidem, si viderent quod doctores Paris. istam materiam scolastice determinarent*[6] ». « *Domini juriste et alii de parte nostra sciunt Clementem esse papam..., et alii hoc ignorant..., igitur plus peccamus impediendo eos ne veniant ad bonam unionem, quam ipsimet impediendo hujusmodi unionem. Ex quo sequitur quod illud preceptum de correctione fraterna magis obligat nos quam ipsos (scil. partis adversae, Bonifacii), quia nobis constat ipsos esse in periculo dampnacionis, cum non credant quod deberent credere; sic autem non est de ipsis (partis adversae), quia licet credant, tamen false credunt*[7] ». *Ad Universitatem ergo pertinet eos reducere, non ad ipsos nos reducere. Si igitur facultas decret. suam assertionem pertinaciter teneret, esset suspecta in fide.*

An. 1391, Parisiis.

Cod. Vat. lat. 4927, fol. 86-100. Tractatus incipit · « Questio est ista, utrum Paris. Universitas ad prosequendum unionem ecclesie ad semper et pro semper obligetur » Desinit « modo pater tenetur procurare bonum filie, sicud econtra : igitur etc. ». Terminus *a quo* est silentium per regem Universitati indictum, quod usque ad mortem Clementis ab an. 1390 bis evenit an. 1390-1391 (vid. n[um] 1661) et an. 1394 post Julii 25 (n° 1691), qui est etiam terminus *ad quem*. Sed ad hanc posteriorem tempestatem non pertinere videtur tractatus, in quo diversae quaestiones minus mature tractantur, quam in Schedula communi Februarii 1394, in epist. Junii 6 et in Punctis pro tractatu componendo. Nec illa tempestas tanto duravit, ut fac. theologiae insurgere potuerit contra fac. decret , quae insuper tunc ut aliae facultates se interdicto opponendo suas lectiones suspendit. Propter hoc tractatum ad interdictum regium an. 1390-1391 referimus, quod in ipso tractatu annuitur, cum ibi praelati ecclesiae medicis comparentur, qui *per* 12 *annos* remedium corpori aegroto afferre differunt. In tractatu reperimus insuper omnia elementa supra n° 1661 enumerata, ceterum postea etiam iterum iterumque allata. Quaedam, v. g. de determinatione quaestionis modo scholastico, jam Henricus de Hassia in sua *Epistola pacis* expressit (vid. not. 4 et 6, et n° 1629).

Ad istam circiter tempestatem (1391, Januarii 6) pertinet Johannis Gerson sermo (*Opp.* ed. Dupin, III, 990, 993), in quo asserit « jam *per spatium xij annorum* » divisionem esse, regemque sic alloquitur : « nec dubito quin, si jam pridem fuissetis informatus de hoc, quod humillima et devota filia Paris. Universitas vobis voluit super hac materia declarare, et ipsam libentissime audissetis... *Non difficulter queritur via....* Pro hujusmodi schismatis cessatione nullas adhuc me vidisse fieri orationes et generales per ecclesiam processiones, nec etiam jejunia fuerunt indicta ».

1. Vid. ad hoc supra p. 488, et de Henrico de Hassia, nº 1629. — 2. Ita prorsus. — 3. Auctor igitur solam conclusionem Universitatis an. 1381, non illam an. 1394 saepe ventilatam cognoscit. Praeterea an. 1394, Junii 6 et postea, Concilium generale tertio loco enumeratur, et omnibus viis via cessionis antefertur. — 4. Minime primum hic eae tres viae insimul afferuntur; jam ante 10 annos Henricus de Hassia Parisiis in sua *Epist Consilii pacis*, c. 14 (ubi notat, « quod *variis viis* presens schisma finem habere poterit »), 8 vias enumerat, inter quas 4am-6am · cessionem, Concilium generale, compromissum seu « quod ab utroque deputentur aliqui famosi », *etc.*, quod jam in *Epistola pacis* expressit. Separatim Concilii generalis (vid. an. 1381) et cessionis (vid. p. 561, et nis 1664, not.; 1667, 1668) saepe mentio fiebat. — 5. Vid. nº 1661, ubi jam idem pronuntiatur. — 6. Henricus de Hassia pro Urbano de hoc jam in *Epistola pacis* loquitur (vid. num 1629); in *Ep. Consilii pacis* vero ut *secundam* viam affert « per paulativam deceptionem partis ficte et false, quia nullum violentum perpetuum, et quia veritas stabilis est et perennis, falsitas vero diu latere non potest »; *tertiam* viam « per continuam diligentiam et perseverantem informationem fidelium, in qua una pars, que ferventius et efficacius laborabit, tandem obtinebit »; et *septimam* per disputationes scientificorum. — 7. Infra p. 619 et 625 spes excluditur partem adversam sibi conciliari posse, ubi praeterea jus Clementis non ita clarum esse proponitur, ut formido de contrario excludatur. et nº 1680 dicitur · nullius papae jus usquequaque certum est. Intervallo trium annorum acies mentis magistrorum acuebatur. *Viam facti* supra silentio praetereunt, quam jam Henricus de Hassia (l. c., *prima* via « per potentiam armorum ») minus rationabilem proclamavit (vid. ms. Paris. 14643, f. 233; Von der Hardt, *Conc. Constant.*, II, 35).

1664. *Bonifacius IX Petrum de Montevici, priorem Astens., et Bartholomaeum de Ravenna, priorem Insulae Gorgonii, Cartusienses, ad Carolum, regem Francorum, mittit cum epistola*[1], *qua eum exhortatur vires suas adhibeat ad sedandum Schisma. Transeuntes Avenionem a Clemente VII et duce Bituricens. detenti*[2], *sed postea precibus Universitatis Paris. jussu regis liberati, Parisios circa Natale venerunt. Ne legatio eorum proficeret, Clemens illuc Raymundum Bernardi Flamench*[3], *leg. doct., misit. Monente tamen Universitate rex Bonifacio bonum responsum dedit*[4].

1392, Julii-Decemb.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, 46, 48, 54, 56. — *Chron. des quatre premiers Valois*, p. 327. Verba ibidem exscripta . « que s'il estoit trouvé par consille de bon clers tant de l'Université de Paris que d'autres, qu'il ne fust vray pape, il s'en vouloit demettre, que celui d'Avignon aussi se submeist ad ce », non in epistola exstant. sed, *si vera sunt*, Bonifacius ea vivae vocis oraculo Cartusiensibus expressit. Jam Julii 20 Avenione morabantur, et Decemb. 2 circiter Parisios profecti sunt (Arch. Vat., *Introit. et exit.*, nº 369, f. 124, nº 370, f. 58b), et jam Martii 18, an. 1393, reduces erant. Vid. infra *Addenda*.

1. An. 1392, April. 2, apud d'Achery, *Spicil.*², I, 768, et *Chron. du rel.*, p. 48. — 2. Ad Magnam Cartusiam missi, sed saepius Avenionem vocati. — 3. Nomen in *Intr et exit.*, nº 370, f. 60 Vid. *Addenda*. — 4. *Chron. de Saint-Denys*, bis, scil. p. 56 et 106, affirmat, regem non litteras responsivas scripsisse, sed vivae vocis oraculo tantum respondisse. Cum tamen Bonitacius in secunda epistola, an. 1393, Maii 21, « memorialium regiorum per nuntios delatorum » mentionem faciat (vid. d'Achery, l. c., p. 769), Hefele in *Conciliengesch.*, VI, 697, et Th. Muller, *Frankreichs Unionsversuch*, p. 6, 8, concludebant, Carolum revera per epistolam (apud d'Achery, p. 785) litteris Clementi VII directis insertam respondisse. Ast infra in schedula communi an. 1394, nº 1680, dicitur « Avisandus est rex quod scribat alteri (scil. Bonifacio) responsive ad litteras sibi transmissas ». Ex quo apparet Carolum tunc nondum responsionem scriptam misisse.

1665. *Universitas Paris., sociata cum multitudine nobilium de regio sanguine, stationem facit ad S. Martinum de Campis pro impetranda unione ecclesiae.*

1393, Januarii 12, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, 56. *Chron. des quatre premiers Valois*, p. 327. De aliis processionibus in regno Franciae, a Clemente etiam ordinatis, ibid. Januarii 19 episcopus Paris. cum ecclesiarum rectoribus, cum rege et proceribus regni processionem ad S. Germanum de Pratis fecit.

1666. « *Conclusiones magistri E[gidii] de Campis doctoris in theologia proposite Parisius coram rege Francorum ex parte Universitatis Parisiensis.* »

1391-1393, Februarii, Parisiis.

Prima conclusio. Quicunque dicit ad unionem ecclesie non esse laborandum nec juvandum, censetur hereticus, si hoc pertinaciter asseruerit.

2a *Conclusio.* Si sit aliquis qui juvare possit ad hujusmodi unionem consequendam, et impedit, scismaticus est censendus.

3a *Conclusio.* Quicunque adultus non laborans graviter peccat, hoc est mortaliter, si juvare possit.

4a *Conclusio.* Dicere, solum esse orandum, nec aliter esse laborandum in facto scismatis, est temptare Deum.

5a *Conclusio.* Quicunque horum amborum coelectorum non condescendens unioni[1], supposito quod in papatu jus habeat[2], penitus exterminandus est, et a papatu removendus[3].

Cod. Vat. lat. 4927, fol. 67, sub rubrica ut supra. Difficile dictu, quando Egidius de Campis has propositiones coram rege pronuntiaverit. In *Auctar. Chartul.*, I, 681, 35, an. 1393, Aug. 4, ad istas propositiones ut « *alias* coram rege » per Egidium tactas refertur (vid. lin. 43). Si ad an. 1393 pertinent, ponendae sunt ante Junium, cum rex inde usque ad mensem Januarii 1394 mente alienatus fuerit (vid. nº 1671). Ut tamen opinamur, jam ante Februarium an. 1393 prolatae erant.

1. I e. per viam cessionis. — 2. Agitur adhuc de *via juris.* — 3. Idem sonat ac quod dux Burgundiae postea Petro de Luna Parisiis degenti dixit « si pape Clement ne vouloit condescendre (ad viam cessionis), que on pourroit bien soustraire l'obeissance et l'administration de l'église de France » (Martène-Durand, *Ampl. coll.*, VII, 498). Vid. nº 1680, not. 9.

1667. *Mag. Johannes Goulain, Ord. Carmel., jussu Clementis VII conclusionem Universitatis, libere tunc pronuntiatam, Schisma non posse sopiri, nisi ambo cederent papatui, reprobando pluries publice praedicavit, Bonifacium IX viribus principum esse expellendum*[1]. *Universitas contra ipsum irata eum a consiliis publicis exclusit*[2].

1393, Februarii, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, 60.

1. I. e. *via facti.* — 2. Perperam asseritur apud Villiers, *Bibl. Carmel.*, I, 855, Johannem *missum* esse de Avenione Parisios; ibidem enim semper stetit. Perperam etiam eum graduum honoribus ab Universitate privatum esse; immo an. sequenti, Februarii, Goulain in congregatione Universitatis ut magistrum theologiae sicut alios videmus. Vid. num 1679. Opinamur ipsum esse eundem magistrum Paris., qui Clementem an. 1394 ante Septemb. certiorem fecit, « quod amodo vel amplius non poterat ipsum defendere » (Arch. Vat , arm. 54, nº 25, fol. 20. Vid. Raynald., 1394, nº 4, et infra nº 1693, not. 2), cum Clemens VII an. 1393 ei scripsisset, « ut partem suam foveret ».

1668. *Henricus de Hassia, s. theologiae professor Universitatis Vindobonensis, carmen* Invectiva contra monstrum Babylonis *seu* Carmen pro pace *publici juris facit.*

1393, Junii 8, Vindobonae.

Notam temporis adduxit Pez, *Thes. anecd. nov.*, I, Isag. p. LXXIX : « an. Dom. MCCCLXXXXIII, proxima dominica post festum Corporis Christi, hora completorii ». De msstis vid. Pastor, *Gesch. der Päpste*, I, 2a ed., p. 688 sq. Ad haec vid. Amplon. mss. Q. 2, fol. 64, Q. 148, fol. 59 Editum est poema a Von der Hardt, Helmstadii, 1715. Principium poematis ibid. desideratum, vid. apud Kneer, *Die Entstehung der Konziliaren Theorie*, p. 127. Auctor omnes, imprimis imperatorem et regem Francorum, admonet ut laborent ad unionem ecclesiae. *Via facti* hic etiam ut an. 1381 excluditur. Duas vias praesertim proponit, viam *Concilii generalis*, et *viam cessionis amborum.* Quantum ad hanc secundam scribit :

Qui prius hoc faceret, Christo gratissimus esset.
Promptus ad hoc placitum sit quilibet ergo duorum.
Sed quia cedendo jus unus non daret altri,
Ambo desistant electi....

Inter Henricum de Hassia et Universitatem Paris. litterarum commercium viguisse, apparet e nis 1569, 1695, *etc.*

1669. *Universitas Paris. in congregatione generali deliberavit adeundum esse cardinalem Petrum de Luna, legatum Clementis VII Parisius tunc degentem*[1]*; quidam magister deberet eleganter proponere et cardinali Universitatem recommandare. Jam antea diversa collegia pro seipsis idem fecerant.*

1393, Julii 18, Parisiis.

Auctar. Chartul., I, 680, 44; 681, 8 — Secundum *Chron duc. Lotharing. et Brabant.* par Dynter, ed. de Ram, III, 103, Clemens Petrum de Luna ad regem et Universitatem misit, « exhortando eos ut semper laborent pro pace et concordia ». Petrus de Luna 26 Februarii Avenionem reliquit. Vid. *Auctar* , p. 679, not. 5. Sub eadem temporis nota Franciscus camerarius Clementis ei pro expensis in negotiorum « magnorum et arduorum » prosecutione apud Carolum regem 1800 flor. auri de camera pro 90 diebus in antea (20 flor. pro die qualibet) assignavit. Elapsis dictis diebus habeat pro 30 aliis diebus 600 florenos et sic postea, in summa pro 150 diebus (Arch. Vat. Instr miscell. 1393), i. e. usque 25 Julii; si tunc negotia non complevisset, assignantur ulteriora stipendia (ibid.; vid. praeterea *Introit. et exit.*, n° 370, f. 82). Parisiis aedes episcopales inhabitavit.

1. Antea Abbatisvillae cum rege morabatur, et Maii 28 Leelingen cum Anglicis. Universitas mense Julii cardinalem salutandi tantum gratia adivit, sicut an. 1382 natio Provinciae Universitatis Avenionens. Ludovicum ducem Andegavens. Avenione, an. 1388 Universitas Andegavens. Mariam ejus uxorem superstitem Andegavis (*Journal de Jean le Fèvre*, par Moranvillé, p. 29; 516).

1670. *Universitas Paris. in congregatione generali elegit Guillelmum Barraut, priorem S. Dionysii, mag. in theol., qui coram cardinali Petro de Luna easdem conclusiones de facto unionis ecclesiae proponeret, quas mag. Egidius de Campis antea coram rege proposuerat*[1].

1393, Augusti 4, Parisiis.

Auctar. Chartul., I, 681, 33, 40. Juvenal des Ursins in *Hist. de Charles VI* (ed. Godefroy, p. 105) loquitur (ast ad an. 1394[2]) de his propositionibus, imprimis de una, ex qua « ceux de l'Université eurent de luy response bien rigoureuse. Et en outre de l'auctorité Apostolique leur defendit qu'ils n'usassent plus de telles manières de langages » Certe de 5ta propositione supra n° 1666 allata agebatur. Clemens VII de hoc informatus scripsit regi ut mitteret ad curiam Petrum de Ailliaco et Egidium de Campis aliosque, qui tamen venire renuerunt (ibid.) In *Chron. du rel. de Saint-Denys*, II, 130, hoc factum connectitur cum epistola Universitatis ad regem directa an. 1394, Jun. 6, sed perperam.

1. Vid. num 1666. — 2. Juvenal errat ponendo adventum Petri de Luna ad an. 1394. Vid. ibid., p. 104. Recte tamen p. 97.

1671. *Epistola Bernardi Alamandi, episcopi Condomiensis*[1]*, ad Guillelmum de Gaudiaco, qua ei tractatum suum de materia Schismatis transmittit, item epistolas vel exemplaria ad regem, duces, Philippum de Maisières, etc., destinando; cupit Universitatem Paris. tractatum legere.*

1393, Novembris 18, Condomi.

Precarissimo domino et amico, domino Guillelmo de Gaudiaco[2], decano Ebroicensi, consiliario regis. Domine et amice carissime, quantum possum me vobis recommendo, Dei gratia bene valens, et utinam de vobis idem sit, ut optatis. Noveritis quod circa principium Quadragesime[3] proxime preterite hic fuit michi relatus status egritudinis regis per unum qui, licet illiteratus sit, tamen vel per auditum ab aliis vel undecunque habuerit predixit michi quod in facto evenit, et placeat Altissimo quod pejora non eveniant. De mense autem proxime Octobris hic audivimus istud accidens quod in personam suam evenit, et die vta presentis mensis recepi literas, quas rex michi misit[4], ut oremus Deum pro tollenda egritudine supradicta. Nunc autem scribo regi[5] in forma, presenti litere in

una cedula interclusa, et supplico quantum possum ut cum domino Petro Minhoti, latore presentium, cum literis et scriptis libere regi presentatis quam cicius fieri poterit, quia etiam de hoc scribo domino Jo[hanni] Minhoti; item etiam dominis ducibus Aurelianens. et de Borbonio, si sunt ibi; item etiam domino chancellario Francie[6] faciatis presentari literas et librum, quem sibi mitto. Scribo etiam dominis episcopo Altisiodorensi[7] confessori et Petro[8] de Allyaco helemosinario, quibus etiam ut brevius poteritis faciatis literas presentari. Domino Philippo de Maseriis[9] apud Celestinos scribo etiam unam literam, qui dominus meus antiquus [est] et de cujus orationibus multum confido, et mitto sibi etiam unam copiam dictorum scriptorum, et si placet ipsum librum aperiatis et legatis, et si aliquid ibi sit vobis placibile, faciatis vobis fieri unam copiam expenssis meis, quam penes vos teneatis. Coram Deo loquor, veritatem credo scripsisse, tamen prout scitis reverencialiter habui scribere, ad speciem non descendendo. Et supplico, quantum brevius poteritis, dominus Philippus predictus habeat copiam quam mitto. In veritate non habeo optimos scriptores, quare parcatis de mala littera. Si dominus Petrus Minhoti non est ibi vel non potest interesse, supplico vobis ut per vos ipsum vel alium latorem dirigatis, quod regi et ceteris dominis litere presententur brevius quo fieri poterit. Et regi presentetur liber de pergamenis, et domino chancellario alius liber papiri, pro vobis et domino Philippo de Maseriis est tercius liber ut predixi. *Scribo etiam Universitati, ut, si dicta scripta ad manus eorum pervenerint, benigne corrigant et supportent.*

Placeret Altissimo, quod omnes homines mundi, qui ad tollendum istud tam deforme et mortiferum malum pio corde intendunt, si meliora scripta non habent, haberent copiam veracem scriptorum istorum non sophisticatorum nec sompniatorum, sed sanctorum doctorum et aliorum magistrorum sapientum, ut potest videre. Hec quoad illam materiam.

Si tamen fieri possit, multum vellem habere responsionem a rege[10]. In hoc multum poterunt prodesse dominus chancellarius, dominus confessor, dominus helemosinarius, et dominus P[etrus] Minhoti vel alter ipsorum. Et apparet michi quod, antequam fiat relatio regi de scriptis ipsis, iste lator potuerit expedivisse agenda, et facta relacione regi posset fieri responssum. *Et utinam etiam Universitas tunc vidisset.* Supplico, non plangatis laborem unius noctis, ut immediate receptis presentibus tota ipsa scripta legatis, saltim una vice. *Attestationes dominorum cardinalium*[11] vos legere non oportet; quia credo quod satis legeritis eas tempore preterito. Credo quod reperiatis ibi[12] vera, placibilia, secura et devota et que possunt secure sine periculo et injuria presentari. Et verissime, si jam scirem ipsa regi presentata, mitterem illorum copiam aliquibus dominis meis cardinalibus in Avinione, et gauderem si venirent ad oculos superioris[13], quia plus quam mirabilissimum est quod tantum malum per tot et tantos tandiu fuerit tolleratum[14]. Nec certe ego essem ausus levasse calamum, nisi rex per suas litteras michi causam prestitisset. Et modo forcius urget fidelitas propter curam regis non tacere que prodesse possunt. Expedienda (que supplico de solita benignitate dirigatis) extra istam litteram posui in alio scripto, et vobis

iterum me, ecclesiam[15] iteratis vicibus recommendo. Et valeatis feliciter et felicius ut optatis. Scriptum apud Condomum xviij[a] die Novembris[16]. Rogo et supplico, quando reveniet portitor, sit ut poterit informatus de statu persone regis. Item quando est tractatus pac[is][17]. Item quid intendit consilium regium circa unitatem ecclesie procedere. Servitor vester

B[ERNARDUS], episcopus Condomiensis.

Arch. Vat., arm. 54, nº 38, fol. 65[b]. — *Tractatus*, cujus in epistola mentio fit, et qui in eodem ms[to] ex parte adversa inscribitur · « Tractatus reprobus et erroneus Bernardi Alamandi », exstat ibid., fol. 1-64; nº 21, fol. 2-30; Cod. Rotomag. O. 20, f. 134[b]-168. Paris. mss. 1481, f. 50; 14643, f. 197; index 15 partium apud Martène, *Thes. nov. anecd.*, II, 1131 (a quo tractatu distinguendus est *tractatus II* ejusdem cum 9 partibus anni 1398 : « Jesus Dei filius benedictus, verum caput », in Arch. Vat., arm. 54, nº 26, fol. 24, *etc.*). Tractatus, plenus auctoritatibus S. Scripturae et SS. patrum, imprimis S. Augustini, et nimis vagus, potius de malo Schismatis agit, nec viam proponit. Circa finem tantum auctor dicit : « attestationes dominorum cardinalium a principio scismatis universis Christi fidelibus publicate sint in medium deducende (de quibus supra nº 1631, not. 1).... Diligenter inspectis istis attestationibus et que ante et post illas publicatas toti mundo circa materiam notorie facte sunt, penes quam partem sit culpa scismatis, et qualiter tam gravi et periculose materie sit utilius [et] scelerius occurrendum, *ponderet et deliberet providum et Deo amabile consilium regium* ... [e tractatu] videtur caritativum [esse] et utile deliberari modos salubres per quos ... dissidentes redeant ad gremium unitatis » (cod. Arch., fol. 47[b]). Non dubitamus quin tractatus et epistolae aliquid contulerint ad bonum responsum a rege Universitati an. 1394, Jan., datum (vid. nº 1674). Rex an. 1394, Martii, scripsit, « se ad unitatem promovendam quam brevius poterit processurum », ut testatur episc. Condomiens. Martii 26 (vid. not. 13). De ipso et de Philippo de Maisières vid. etiam infra *Addenda* ad n[um] 1615.

1. Cum decret. doct. et praecentor Mimatens. fuisset, an. 1369 (non 1371, ut in *Gall. christ.*, II, p. 963), Decemb. 3, factus est episc. (Reg. Av. Urb. V, vol. XXII, f. 63). — 2. Ab an. 1397 decano S. Germani Autissiod., de quo *Journal de Nicolas de Baye*, ed. Tuetey, II, 326. — 3. Dominica 1[ma] Quadragesimae fuit Februarii 23. Apparet, regem non solum « circa medium Junii », ut scribit *Rel. de Saint-Denys*, II, 86, sed jam a fine Februarii aegrotum fuisse, verisimiliter tamen nondum aegritudine mentis, licet praevideretur eam ut anno praeterito subsecuturam, quod et evenit. — 4. Per hoc certum fit, regem in ista aegritudine mentis, quae usque ad an. 1394, Januario, duravit, lucida momenta habuisse. — 5. Epistola est ejusdem temporis notae, et exstat in eodem codice, f. 65; arm. 54, nº 21, fol. 1; Cod. Rotomag. O. 20, f. 134; Paris. 14643, f. 38, 196; Martène, l. c., 1129. — 6. Arnaldo de Corbie. — 7. Michaeli de Creneyo (supra nº 1368, not. 6), an. 1388, Jan. 3 (verisimiliter ad. an. 1390) adhuc eleemosinario regis (Reg. Aven. Clem. VII, vol. LI, f. 362[b]). Inde scimus, Launoium, *Nav. gymn. hist.*, p. 470, Tschackert (*Peter von Ailli*, p. 77, 78, 82) et Salembier, *Petrus de Alliaco*, p. 34, perperam scribere, Petrum de Ailliaco ab an. 1389 confessorem regis fuisse. — 8. Ms. : « Jo[hanni] ». Ast minime Johannes, sed Petrus de Ailliaco, jam an. 1391, April. (Reg. Av. Clem. VII, vol. LXII, *de benef.*, quat. 7), forte ab an. 1390 eleemosinarius regis fuit. Vid. nº 1556, not. — 9. Fuit cancellarius Cipri et consiliarius regis, qui litterarum commercium cum litteratis habuit famamque acquisivit. De quo Chevalier, *Répertoire*, etc., p. 1782. Petrus de Ailliaco epistolam *ad novos Hebraeos* (vid. Tschackert, l. c., p. [7]) de translatione S. Hieronymi « viro nobili consulari celsitudine et militari fortitudine praepollenti, dom. Philippo de Maiseriis » inscripsit. — 10. Obtinuit, ut ex epistola Martii 26 (not. 13) apparet. — 11. Quae scilicet cardinales dissidentes, Aug. 2, an. 1378, publici juris fecerunt, et supra nº 1631, not. 1, indicantur. Mirum, Bernardum has attestationes tantum extulisse. — 12. In libro transmisso. — 13. I. e. Clementis VII. Ad ipsum Bernardus etiam scripsit epistolam, quae exstat in Cod. Rotomag. O. 20, f. 134[b]. Martène, l. c., p. 1130; aliamque an. 1394, Martii 26, e qua apparet Clementem tractatum non approbasse. Vid. ap. Bul., IV, 680, e ms[to] Paris. 14644, fol. 222. — 14. Per hoc papa et cardinales vituperantur. — 15. « etiam »? Ms. sub compendio « ecclesiam ». — 16. Hoc fuisse an. 1393, apparet e Cod. Rotomag. O. 20, f. 134[b], ubi tractatus inscribitur : « Tractatus super materia scismatis per dom. episc. Condom. compilatus et regi Francorum transmissus an. 1393 ». Apparet etiam ex ipso tenore epistolae. — 17. Cum Anglicis. Vid. *Chron du rel* , II, 74, 128.

1672. *Bonifacius IX permittit scholaribus ultramontanis Parisiis studere et gradus recipere, non tamen a cancellario Paris.*

An. 1389-1393.

Ad futuram rei memoriam. Illos, qui ut dignius valeant Domino famulari cupiunt in exercitio studii literarum acquirere scientie margaritam, qua decoratur domus Domini

et quamplurimum insignitur, decet et expedit per sedem apostolicam in eorum justis et honestis votis merito confoveri et favoribus prosequi oportunis. Cum itaque, sicut nuper ad nostrum pervenit auditum, in partibus ultramontanis sint nonnulli scolares ac studentes, qui libenter ad Parisiense studium se conferrent, nisi timerent se exinde penas aut sententias incursuros : nos attendentes quod in predicto studio pre ceteris mundi studiis etiam ab antiquis temporibus fons scientie noscitur viguisse et ad presens vigere, ac volentes scolares et studentes hujusmodi in eorum laudabili proposito confovere, exnunc omnibus et singulis scolaribus et studentibus, qui causa studendi in aliqua licita facultate ad predictum studium Parisiense ire et ibidem studere voluerint, ut ad illud libere accedere et ibidem in quacumque licita facultate legere, audire ac studere et inibi gradus illos, qui per[1] facultates ejusdem studii aut per easdem facultates pro tempore deputatos, absque cancellario Parisiensi[2], ibidem dari consueverunt, recipere libere et licite possint, dummodo alias in crimine scismatis cum quibusvis scismaticis non communicent, quibuscumque apostolicis vel aliis processibus aut sententiis non obstantibus, indulgemus. Nulli ergo, etc. Dat., etc.

Arch. S. Petri de Urbe, C. 116, fol. 173. In margine rubrica : « Privilegium pro studentibus Parisius, quod volentes possint ibi studere non obstante scismate ». Epistola, sine temporis nota, deest in Collect. Vatic. et Lateran. In Arch. S. Petri sequuntur epp. an. 5[ti]. Verisimiliter tamen pertinet ad idem tempus, quo etiam Bonifacius Parisios suos nuntios misit.

1. Refertur etiam ad « deputatos » — 2. Absque cancellario Paris., quia a papa Avenionensi instituto, proindeque auctoritate papae schismatici licentiam dante. Vid. supra n° 1641.

1673. « *Petrus de Luna in presencia regis et Universitatis sponte et libere juravit, ad sancta Dei evangelia, atque Deo et omnibus vovit, quod ipse semper pro unione in ecclesia Dei laboraret, et quod Clemens papatui cedere deberet. Eciam vovit et juravit quod, si contingeret eum in papam eligi, quod ipse pro unione facienda cederet papatui, si et in quantum ille Romanus cedere vellet, ymmo, quando per regem et Universitatem esset requisitus, vel si per aliquod generale Concilium ad hoc esset requisitus, eciam cederet. Et super hoc tam ipse quam domini de Universitate Parisiensi petierunt eis fieri publica instrumenta; similiter et ipse rex petiit sibi fieri instrumenta, que omnia confecta fuerunt, et aliqua sigillo ipsius domini cardinalis sigillata ; hec erant reposita in scrinio Universitatis.* »

An. 1393-1394, Parisiis.

Dynter, *Chron. duc. Lotharing. et Brabant.*, ed. de Ram, III, 103. — Hoc potius an. 1393 evenit. Cardinales ambaxiatores Sabaudiae referunt contra Benedictum XIII : « ad probandum quod dominus noster papa dum esset Parisius tempore predecessoris sui instabat pro via cessionis, etc., inducunt testimonium domini ducis Burgundie et locutionem magnam habitam in secreto inter dom. nostrum papam [i. e. Petrum de Luna, tunc legatum] et dictum dominum ducem, in qua ut asserunt ambo firmarunt inter se viam cessionis. Et quod hoc sit verum, patet eo quia dominus Clemens nunquam potuit scire ab eodem domino nostro papa dictum secretum » (Arch. Vat., arm. 54, n° 27, fol. 180). In *Advisamentis* an. 1398 (vid. *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, VI, 258 sq.) non solum dux Burgundiae, sed etiam dux Lancastriae affertur, e relatione plurium de Universitate Paris. Praeterea Benedicto imponebant, « quod ipse prosequebatur viam cessionis cum dominis de Francia et cum Universitate » (Arch. Vat., l. c, n° 25, fol. 20[b]). Jam antea in scripto *Motiva pro via cessionis* idem asseritur, « in seipso illam (viam) recipiat, quam in suo predecessore utilem et necessariam judicavit, alias contra ipsum mala orietur presumptio de ambitione et simulata fictione » (ibid., n° 21, fol. 43). Similia referunt Simon de Cramaudo, aliique (vid. l. c., fol. 188; n° 23, f. 69[b]). Cf. etiam Bourgeois du Chastenet, *Nouv. hist. du Concile de Constance*, Preuves, p. 107, et infra n° 1690, not. 5.

1674. *Universitas Paris. quosdam solemnes magistros cum rectore*[1] *misit ad regem, residentem apud S. Germanum in Laya cum suis (inter quos duces Aurelianens., Borbon., Buturicens. et Burgundiae), ibique Stephanus de Calvomonte*[2]*, mag. in theol. ex parte Universitatis regi supplicavit, ut ad eradicandum Schisma vices suas non differret interponere. Dux Bituricens. nomine regio respondit: « Ad domini mei regis et cognationis regalis ignominiam credimus nephandissimum Schisma tantum viguisse; et quia cunctis displicet, ut illud ad laudem regni sopiatur, viam aliquam studeatis. Quae si bona consilio domini mei videatur, hanc procul dubio executioni dabimus diligenter*[3] *». Deputati caeteris cum laetitia ingenti, quae obtinuerant, retulerunt.*

1394, ante Januarii 25, S. Germani in Laya.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, 96 sq. Haec legatio non confundenda cum illa Januarii 28, infra in documento nº 1679 notata. Universitas ab anno 1390 hucusque saepius regem adierat, semper tamen repulsam acceperat. Vid. *Chron.*, p. 46, 94.

1. Johanne Millon seu Millonis. Ipse scribit (in Arch. nat. Paris. J. 517, nº 185) « Milon ». — 2. *Chron.* scribit tantum « mag. in theol. deputatus ». Sed ex instrumento nº 1679 concludere possumus istum magistrum Stephanum de Calvomonte (de quo supra nº 1429) fuisse. — 3. Regem plura alia dixisse, apparet e p. 618.

1675. *Universitas Paris., Deo gratias agens, die Conversionis S. Pauli processionem et stationem habuit ad S. Martinum de Campis; dum Guido de Monceau, abbas S. Dionysii, missam de Spiritu S. celebraret, Guillelmus Barraut, mag. theol. et prior S. Dionysii, in claustro praedicavit, mentem regis et dominorum Franciae promptam ad unionem esse divulgans, omnesque assistentes jussit Dominum exorare, ut regem et principes in proposito conservaret; verebatur enim ne per Clementem VII aliter inducerentur.*

1394, Januarii 25, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, 98. — Jarry, *La « voie de fait »*, Extrait de la *Bibl. de l'École des chartes*, t. LIII, p. 49, perperam istud factum ad an. 1393, Jun. 30, ponit.

1676. *Rex deputatos, regios dictos, constituit, qui cum deputatis Universitatis debeant vias et modos aptos proponere, quibus Schisma aboleretur.*

1394, Januarii 28, S. Germani in Laya.

Vid. infra nº 1679. Deputati regii erant cancellarius Franciae et quidam notabiles de consilio regis, ut ex *Opere unius magni prelati* (Simonis de Cramaudo) apparet (vid. n^um^ 1680, not.), inter quos ducem Bituric. ejusque cancellarium Simonem de Cramaudo fuisse opinamur.

1677. *« Secuntur propositiones in generali super quibus magistri et bachalarii facultatis theologie debent scribere intentionem suam et eam fundare ».*

1391-1394, Februarii 25, Parisiis.

Prima est, utrum ad quemlibet catholicum spectet laborare et procurare unionem sancte matris ecclesie in uno supremo omnium capite et prelato.

2ª, utrum quilibet ad hoc teneatur et obligetur sub pena peccati.

3ª, utrum prelati ex officio teneantur ad hoc laborare sub pena peccati mortalis.

4ª, utrum doctores ecclesie ad hoc teneantur sub eadem pena.

5ª, utrum principes seculares ad hoc sub eadem pena obligentur.

6ª, utrum impeditores aut impedire volentes illos, qui laborant ad hujusmodi unionem, peccent mortaliter.

7a, utrum impeditores tales debeant censeri scismatici, heretici, infideles seu de fide suspecti.

8a, que istarum trium viarum, scilicet consilii generalis, resignationis electorum, vel compromissi, sit magis expediens aut videatur utilior pro hac vice.

Nona, utrum ad aliquam trium viarum tactarum contendentes de papatu possint juste et rationabiliter compelli.

Arch. Vat., arm. 54, nº 21, fol. 32b, sub rubrica ut supra. Postea in msto sequitur documentum nº 1679, eadem manu scriptum. Septem priores quaestiones conveniunt quodammodo cum tractatu nº 1663 excerpto; minime vero quaestiones 8va et 9na. Quantum ad istas quaestiones propositiones potius referendae sunt ad an. 1394, Januarii 28-Februarii 25, vix ad « Puncta pro tractatu componendo » (nº 1684), post quae exstant in msto.

1678. « *In Universitate publice divulgatum est ut, quod cujuslibet mens dictaret pro unione habenda, notaret in cedula, quam et infra unam archam fortiter obseratam et in claustro S. Maturini repositam mitteret. Certo dierum numero transacto deputati, scil. 14 in s. pagina professores, 18 in jure can., 22 in artibus, cedulas repertas, que decem millium*[1] *numerum excedebant*[2], *legebant et omnia* (ms. *omn̄*)[3] *sub compendio media*[4] *scriptis notabant*[5]. *Quamvis in cedulis ipsis quisque propositum suum variis rationibus corroborare conaretur, deputatorum tamen judicio vel ad viam cessionis utriusque, vel ad viam mutue compromissionis, vel ad determinationem Concilii generalis*[6] *omnes se determinabant.* »

1394, Januarii 28-Februarii 25, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, 100 (quibusdam omissis), sine nota temporis. Sed referendum ad tempus quod notavimus, ut e nº 1679 apparet. « Per plures dietas » hoc actum est, ut e scripto *Opus unius magni prelati* liquet. Vid. num 1680, not. Mensis Februarii 25 extractio et collatio, *etc.*, perfecta erat.

1. Ms. Paris. 5958, f. 106 : « x̄ ». — 2. Vid. ad haec supra p. 504, not. 2 et 5. Simon de Cramaudo an. 1406 « quand ils sont bien assemblés, ils se trouvent *plus de mille maistres et docteurs* » (Bourgeois du Chastenet, *Nouv. hist. du Concile de Constance*, Preuves, p. 123). « Car la [seule] faculté des arts est telle qu'il y a bien mille maistres », pronuntiavit tunc Jean Petit (l. c., p. 229). Sed inter decem millia omnia supposita intelliguntur. — 3. Bellaguet : « omnium » — 4. Pro unione habenda. — 5. I. e. deputati professores ex omnibus schedulis separatis unam schedulam communem fecerunt (ut olim in causa Johannis de Montesono; vid. supra p. 489 et p. 503, not. 4), in qua sub compendio opiniones singulorum, qui partim pro Concilio generali, partim pro compromisso, partim pro via cessionis erant, cum motivis eorum, scribebant. Exstat haec schedula communis, saltem in parte, in nº 1680 edita. — 6. Auctor in enumeratione trium viarum jam praeoccupatus est per epistolam 6 Junii, dum in nis 1679 et 1680 adhuc hic ordo observetur : Concilium generale, compromissum, cessio, ut supra nº 1663, ubi in not. 6 observavimus, has vias jam an. 1381 ab Henrico de Hassia propositas fuisse. Aliter nº 1677.

1679. *Congregationes Universitatis Paris. post extractionem schedularum.*

Ex hoc documento, hucusque ignoto, apparet, scrutinium suppositorum Universitatis in S. Maturino ad tempestatem priorem referendum esse quam id fieri solebat; proindeque inter scrutinium et epistolam Universitatis Junii 6 longius intervallum interjectum esse, quam historici hucusque admittebant, quod utique momento non caret in enumeratione gestorum.

1394, Februarii 25, 26, Parisiis.

In nomine Domini, amen. Noverint universi presens publicum instrumentum inspecturi, quod anno ejusdem Domini Mº CCCº nonagesimo tercio, indictione ij secundum morem Parisiens. consuetum, mense Februarii die xxvja circa horam septimam de mane, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providentia pape septimi anno sextodecimo, in nostri notariorum publicorum testiumque infra-

scriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia in Sancto Bernardo propter arduitatem facti, ut moris est, viro venerande discretionis magistro Johanne Millonis rectore venerabilis Universitatis magistrorum et scolarium Parisius studentium, et fere iiij^c doctoribus et magistris quatuor facultatum dicte Universitatis ibidem hora eadem per dictum dominum rectorem solempniter, ut moris est in arduis ipsius Universitatis, super duobus articulis hic inferius expressatis convocatis, congregatis et ibidem comparentibus ac Universitatem predictam representantibus, ut puta

Sacre theologie facultatis doctoribus numero xxiiij, quorum nomina subscribuntur, scilicet venerabilibus viris

Guidone[1], abbate monasterii S. Dionisii in Francia,
Johanne de Keroulay, canonico Parisiensi,
Johanne Goulain[2], carmelita,
Stephano de Calvomonte, archipresbytero Sancti Severini[3] Paris.,
Johanne de Trelon, archidiacono Silvanectensi,
Henrico de Tremonia[4], canonico regulari,
Herveo Sulven[5],
Guillermo Berraut, priore Sancti Dionisii in Francia,
Guillermo de Gardino,
Christiano de Altaripa, Augustin.,
Stephano de Mesnillo Fouchardi, ministro Sancti Maturini Paris.
Dominico Parvi,
Johanne Luqueti,
Petro de Sancto Martino, regente Carmelitarum,
Johanne Vitalis de Ord. fr. Min.,
Philip[p]o Parentis,
Egidio Tournemeulle[6],
Petro Vuart[7],
Jacobo de Metis[8], regente Augustin.,
Matheo[9], priore Sancti Bernardi[10] Parisiens.,
Petro Plaol,
Petro Dierreyo [*ms.* Dierrite],
Roberto[11], regente in Sancto Bernardo,

majorem et saniorem partem istius facultatis facientibus;

Canonum facultatis numero octodecim, quorum nomina sequuntur hic, scilicet:

Petrus de Temericuria,
Richardus, abbas monasterii Sancti Johannis in Valeya[12] Carnotens.,
Henricus Beuve,
Herveus Rousselli,
Johannes de Socco, canonicus ecclesie Paris.,
Yvo de Karengar[13],
Radulphus de Lesia,
Robertus de Dours, decanus Sancti Marcelli juxta Parisius, de consilio domini nostri regis,
Petrus[14], abbas monasterii Sancti Eligii[15] Noviomens.,
Simon[16], abbas de Gemeticis,
Ricardus Belloti,
Robertus Neptis,
Johannes de Crepone,
Mauricius de Kaergorant, decanus dicte facultatis,
Stephanus Baillivi[17], hostelarius de Fiscampno,
Johannes Berruardi[18],
Jacobus Parvi, curatus Sancti Eustachii Paris.,
Alanus Guilloti,

majorem et saniorem istius facultatis facientes;

Facultatis medicine numero xv, quorum nomina hic sequuntur, scilicet:

Radulphus de Harbis,
Petrus Verelli,
Nicholaus Duriscuti,
Thomas Graffardi,
Heinricus Gr[i]evesac,
Johannes [Duplois] Pluymon [de Plommiono],
Richardus de Baudribosco,
Johannes Lepor[is][19], decanus facultatis,
Thomas Le Mauge,
Albericus Divitis,
Petrus Miot,
Guillermus de Senonis,
Johannes Tanquart, et
Heinricus Pellati,

majorem et saniorem partem istius facultatis facientes;

Facultatis artium, quorum nomina inferius scribuntur, in natione Gallicana sunt magistri :

Jacobus Patovyn[20], locumtenens magistri Heinrici Chiquoti, procuratoris dicte nationis,
Petrus Forteti senior,
Aufredus Saisi[21],
Johannes Mairayne[22],
Egidius de Asperomonte,
Johannes de Villaribus,
Nicholaus de Clamangis,
Johannes Fioti,
Matheus Roeder,
Johannes Bayllivi[23],

cum pluribus aliis viris notabilibus dicte nationis, dictam nationem representantibus;

In natione Picardie :

Mag. Sigerus Bart [*ms.* Rori]., procurator dicte nat.,
Nicholaus de Belloramo,
Johannes Troylleti[24],
Geraldus de Versiniaco,
Johannes Martelli, et
Johannes Caronis,

cum pluribus aliis dicte nationis ipsam nationem representantibus;

Nationis Normanie :

Guillermus de Canteriis[25],
Matheus Canuti,
Adam Carnificis,
Petrus Fleurie,
Radulphus Paris,
Matheus de Longolio[26],
Johannes Manchon [*ms.* Manchoti],
Ursinus de Talevende, et
Petrus [Masier] Le Mauge,

et plures hanc nationem facientes;

Anglie :

Magister Johannes de Moravia, dicte nationis procurator[27],
Johannes de Austria[28]
Egidius de Jutfaes[29],

cum multis aliis dicte nationis magistris dictam nationem representantibus,

cum multis ceteris pluribus aliarum trium nationum magistris magne discretionis multipliciter graduatis predictum fere quadringe[n]torum doctorum et magistrorum numerum perficientibus personaliter constitutis, dictus dominus rector verbis expressis premittens, quod cum xxv[a] mensis Februarii predicti in Sancto Maturino fecisset Universitatem convocari hora prime Beate Marie per juramentum ad audiendum relationem deputatorum ipsius Universitatis missorum ad deputatos regis super facto ecclesie, et audita relatione qualiter esset ulterius procedendum; facta autem relatione per venerabilem et discretum virum magistrum Stephanum de Calvomonte, sacre theologie professorem, quod coram deputatis regis[30] per regem et suum consilium in Sancto Germano in Laya die xxviij[a] mensis Januarii ultime preteriti ordinatis et commissis ad reperiendum una cum deputatis Universitatis modos et vias, quibus deveniri posset et procedi ad unionem sancte matris ecclesie et scismatis presentis pestiferi sedationem, necnon ad conferendum super et de viis et modis adjustandis : deputati Universitatis juxta dictam domini nostri regis ordinationem in pauco numero trina vice comparuissent supplicantes quatinus dicti domini consiliarii regii aliqua in materia (cum magis ad eos ratione auctoritatis mittentis et missorum pro-

pter materiam inter illos plus ventillatam et magis notam [pertineat]) et ut per eos avisata pluribus placentia attemptarentur, vellent dare, aperire et notificare, ut materia deliberationis et collationis haberetur, alioquin, ne tanti boni, sicut esset unio Christianitatis, dilacio eidem Universitati imputaretur; illaque[31] per cedulas in quadam archa ad hoc ordinata reperientur, etiam que juxta deputatorum deliberationes advisarentur pro collatione cum dictis dominis deputatis regiis habenda refferentur, — respondentibus siquidem prefatis dominis, ipsos solum ad audiendum et refferendum fuisse commissos[32] : aperta sunt postea[33] per magistrum refferendarium in presentia deputatorum[34] ex modo predicto per cedulas et deputatos[35] predictos aliqua infrascripta. De quibus, audita in Universitate relatione et commissariorum regiorum responsione attentaque comissione dictorum regiorum deputatorum, posuit dictus dominus rector in deliberatione Universitatis, ut premittitur, per juramentum convocate, an scilicet Universitas vellet deputatos suos de sic apertis coram deputatis regiis advoare, vel qualiter vellet ulterius procedere. Super quibus inter alia posita in deliberatione per Universitatem extitit dictum et deliberatum, Universitatem non velle aliquos advoare de dictis illis, nisi prius illis auditis in Universitate. Hinc est quod super ulteriori modo procedendi dixit et deliberavit quod Universitas in crastinum deberet in Sancto Bernardo propter arduitatem facti, ut moris est, congregari per juramentum, et sub omni pena, et ibi de apertis coram deputatis regiis relationem fieri cum coloribus et motivis, quodque ipsa Universitas deberet deliberare super illis.

Quapropter sepedictus dominus rector, ut dicebat, sciebat ex dicta Universitatis deliberatione, faciebatque hanc presentem congregationem in Sancto Bernardo per juramentum sub pena ista dicere super ij articulis, primitus tamen requisitis omnibus et singulis sub debito juramento, quatinus tunc danda haberentur secreta, nec extra Universitatem revelarentur, quousque coram rege, si Universitati placerent, et ea vellet coram ipso proponi, fuissent dicta.

Quo[36] supposito, *primus articulus* erat : Ad audiendum modos et vias apertos coram dominis deputatis regiis super prefato [facto] ecclesie, et deliberandum super illis juxta precedente die deliberata.

Quos modos et vias retulit antedictus magister Stephanus de Calvomonte per modum qui sequitur. Quia aliqua aperta erant per modum preambulorum, et aliqua sicut conclusiones, ad quas esset finaliter recurrendum, *primum* preambulum erat quod dominus noster rex, qui christianissimus dicitur, mandet exortando per totum regnum, quod fiant processiones sole[m]pnes, afflictiones et orationes pro unione et pace ecclesie a Domino impetranda; *secundum,* quod ipse dominus christianissimus rex habeat de laborando ad hujusmodi pacem procurandam alios sollicitare, monere et rogare, etiam illos de adverse partis obedientia, ut faciant ut supra; *tertio*, quod idem dominus rex scribat domino nostro pape, ut similiter ad hoc laboret cum effectu, [cum] jam tamdiu hoc da[m]pnatum scisma duraverit, nec adhuc remediatum sit, nec spes est alias de proximo remedio apponendo;

quartum, quod omnes laborantes in hujusmodi materia, sive legendo, sive scribendo, sive predicando, sive deputando, aut alias quovis modo laborando, sint sub ejusdem domini regis speciali salva gardia, sic quod aliunde ob illam causam non possint inquietari, et quod super hoc detur litera; *quintum*, quod per prefatas litteras concedat ut Universitas predicta aliis studiis, etiam cujuscunque fuerint obediencie, scribere valeat, quatenus moneant principes et prelatos ut supra ad unionem et pacem ecclesie.

Quibus premissis retulit idem magister vias sequentes et per eundem deputatis regiis apertas et dictas tanquam pro finali conclusione habenda in ecclesia ad ejus pacem. *Prima via* est Consilii generalis formaliter vel equivalenter. *Secunda via* est compromissi utriusque partis. *Tertia* est *via* cessionis sive renunciacionis amborum juri suo, quod habet aut se habere pretendit, — positis insuper per dictum magistrum in sua relacione faciente pluribus motivis et colloribus, predicta ut premittitur aperta justificantibus[37], et ut aperiret, illa esse rationabilia et factibilia facientibus sic.

Qua finita et terminata rellatione, sepedictus dominus rector predictis motivis et coloribus cum quibusdam aliis ex cedulis et alias per deputatos recollectis dictis, requisivit quemlibet per juramentum, ut super hiis ad honorem Dei, bonum et unionem ecclesie sue sancte, secundum conscientiam suam et sapientiam a Deo sibi datam deliberaret, quod sibi de premissis relatis videretur, an scilicet ille vie essent bone, et an placerent que facta erant et relata, quodque quilibet deliberaret in virtute juramenti in conscientia sua in modo ulterius procedendi in hac materia. Quibus dominis doctoribus et magistris singularum facultatum per sepedictum dominum rectorem requisitis ut premissum est super positis in deliberatione, postquam se retraxerunt ad partem per facultates et nationes ut moris est, concorditer via Spiritus Sancti nullo reclamante aut contradicente extitit deliberatum, quod illas tres vias presentatas cum preambulis et earum quamlibet dicebant, tenebant et reputabant esse bonas, sanctas, justas, rationabiles et factibiles, et per quas rationabiliter posset sedari presens scisma. Voluerunt insuper et deliberaverunt concorditer ut prius, dictas vias et earum quamlibet tanquam ex parte Universitatis et per eam deliberatas ut bonas, sanctas, justas, rationabiles et factibiles locis et temporibus oportunis [esse] propalandas, dum primo domino regi ex parte dicte Universitatis et personaliter aperirentur cum suis declarationibus et motivis, protestando quod per harum viarum aperitionem non intendebant negare alias vias, nec ad istas solum se restringere, si que per alios avisarentur et reperirentur bone.

Super *articulo* vero *secundo,* scilicet supplicationum, unanimi omnium consensu ut prius et per omnes facultates et singulas nationes concorditer extitit deliberatum, cum predictus dominus rector et deputati peterent advoari in omnibus predictis, que in hac materia fecerant et singulis eandem concernentibus, scilicet sollicitatione deputatorum regiorum in propositis coram eisdem, in visitationibus cedularum, extractionibus[38] punctorum, motivorum, modorum, preambulorum et viarum predictarum, — de relationibus in

Universitate, de viis apertis et etiam de aperitione et modis aperiendi dictos modos, motiva, preambula et vias coram dictis deputatis regiis et in Universitate concorditer ut prius advoaverunt et advoaverant et per presens publicum instrumentum advoant et pro advoatis habent, scilicet dictos dominos rectorem et deputatos et eorum quemlibet, volueruntque et deliberaverunt in omnibus pretactis ipsos velle sustinere, protegere et deffendere contra et adversus omnes et coram singulis, suis propriis sumptibus et expensis.

Deliberacio vero premissorum omnium reddita fuit per dictum dominum rectorem more solito pro facultate *artium* sic, scilicet quod dicta facultas concorditer nullo reclamante deliberavit, quod attentis et motivis auditis tunc et alias, pensataque diuturnitate scismatis et ipsius visa materia, predicte tres vie cum preambulis premissis essent bone, juste, sancte, rationabiles, factibiles et coram domino nostro rege proponende tanquam sustenibiles, et per quas rationabiliter posset deveniri ad unionem et pacem ecclesie. Et dederunt pro comparendo ad hoc coram rege deputatos, protestando quod deliberacione predictorum non intendebat dicta facultas denegare alias vias, si que alie vie rationabiles reperirentur. Insuper super ij° articulo deliberavit, quod vellet advoare et de facto advoabat predictos dominos rectorem et deputatos et eorum quemlibet super et de omnibus predictis et aliis per eos in materia gestis et factis.

Pro facultate *medicine* venerabilis vir magister Petrus Miot, locumtenens decani, reddidit deliberationem in hunc modum, quod pensatis et advisatis que in materia videbat, dicte tres vie cum preambulis essent bone, juste, sancte, rationabiles et factibiles et proponende coram domino rege cum protestatione premissa de non negando alias vias rationabiles et factibiles, si que reperirentur, dando deputatos pro adeundo regem super hoc. Super 2° articulo deliberavit quod advoabat ut prius omnes et singulos supradictos rectorem et alios in omnibus pretactis et aliis quibuscunque in hac materia per eos factis.

Deinde venerabilis vir magister Mauritius de Kaergorant, decanus facultatis *decretorum,* retulit in hunc modum, quod facultas nemine discrepante deliberavit illas tres vias sepedictas cum preambulis esse bonas, sanctas, justas et rationabiles, juri consonas et sustinibiles, quodque per eas deveniri posset ad pacem et unionem sancte matris ecclesie. Insuper quod omnia predicta deberent coram domino nostro rege proponi et dici ex parte Universitatis cum dicta protestatione. Super ij° articulo retulit ut prius, esse deliberatum quod credebat dominum rectorem et deputatos bene et sancte ac bono zelo processisse. Ideo in omnibus ut tactum est per facultatem artium volebant advoare et advoabant.

Demum et ultimo religiosus vir magister Guillermus Barraut, prior monasterii Sancti Dionisii in Francia, pro tunc decanus *theologice* facultatis, pro et nomine dicte facultatis, dixit quod in predicta facultate unanimi omnium consensu sic fuerat deliberatum, quod ille tres vie per magistrum Stephanum de Calvomonte relate cum preambulis predictis videbantur facultati esse sancte et juste, racionabiles et factibiles, easque volebat et recipiebat et pro talibus acceptabat, et dicebat per deliberationem suam per eas posse ratio-

nabiliter deveniri ad unionem et pacem sancte matris ecclesie, quodque deberent proponi coram domino rege ex parte Universitatis cum protestatione de non negando alias vias rationabiles, si que per aliquos reperirentur. Et pro predictis proponendis coram rege deputavit predicta facultas theologica prefatum magistrum Guillermum Barraut. Deinde super ij° articulo deliberavit, se velle avoare ut prius supradictos dominum rectorem et deputatos, et de facto per presentem deliberationem avoavit in omnibus tractatis circa istam materiam, volens eos protegere et defendere modis et viis omnibus sibi possibilibus.

Quibus deliberacionibus, ut prefertur, auditis et habitis, idem dominus rector omnia et singula predicta, scilicet illas tres vias supradictas cum preambulis ibidem habitis esse sanctas, justas, racionabiles et factibiles, et per quas rationabiliter posset deveniri ad unionem et pacem ecclesie, easque domino nostro regi proponendas cum motivis et coloribus, cum protestacione sepedicta de non negando alias vias racionabiles, si que per aliquos reperirentur, ut prius, unanimi omnium consensu, nemine reclamante aut contradicente, sed via Spiritus Sancti, conclusit in forma cum predicta advoacione dictorum dominorum rectoris et deputatorum.

De qua quidem conclusione sic concorditer ex unanimi consensu omnium facultatum et nationum habita super omnibus premissis, scilicet preambulis, viis, extractionibus, processibus super eisdem, propositionibus coram deputatis regiis, viarum aperitionibus, advoacione et deliberacionibus ut preferuntur, ac conclusione concordi omnium in documentum veritatis eorum a nobis notariis infrascriptis quinque nominatim et eorum quolibet et aliis si qui essent, tam Universitatis predicte [nomine] quam proprio et deputatorum omnium et singulorum simul et sigillatim peciit sibi fieri et tradi unum vel plura instrumenta publica melioribus modo et forma quibus fieri posset. Acta fuerunt hec Parisius sub anno Domini M° CCC° nonagesimo tertio, indictione, mense, die, loco, hora et pontificatu quibus supra, presentibus venerabilibus et discretis viris magistro Guillermo Graterii, Johanne Bulloti bachalariis in decretis, Johanne del Bout[39], Johanne de Bincio, Adam de Baudribosco, Guillermo de Longolio, Roberto Cardonis et Rolando Ramier, omnibus magistris in artibus.

Et ego Johannes Guiot, clericus Eduensis dioc., mag. in art., licent. in jure can., publicus auctoritate apostolica notarius premissis omnibus....

Et ego Gaufridus Morelli, cler. Senonens. dioc., publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, curieque conservationis privilegiorum Parisiens. juratus, premissis omnibus, *etc.*

Et ego Johannes de Edio, cler. Rothomagens. dioc., publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, curieque Parisiens. juratus, premissis omnibus, *etc.*

Et ego Firmaldus Oliverii, presb. Tornacens. dioc., publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, premissis omnibus, *etc.*

Et ego Laurentius Tiravant, cler., mag. in art. Baiocens. dioc., auctoritate imperiali notarius publicus, *etc.*

Arch. Vat., arm. 54, nº 21, fol. 33, Cod. ms. negligenter scriptus. — Quae postea evenerint, vid. nº 1682.

1. Vid. supra nº 1391, Nov. 9. In sequentibus illi tantum, quorum in antecedentibus nulla fit mentio, annotantur. — 2. Ms. : « Goularis ». Ex hoc apparet, Johannem, prius exclusum (vid. num 1667), iterum ad congregationes admissum esse. — 3 Ms. : « Savorini ». — 4. Ms. clare « Cremona », cum littera initiali grandi Vid. supra nº 1558, not. 2. — 5. Ms. : « Sulenerii »; Arch. nat. M. 75, nº 131 : « Sullovein ». — 6. Ord. Min., et an. 1392 (1393) licentiatus in theol., e *Catal. licent.*, ubi ut supra. Ms. . « Tounemulle ». — 7. De quo saepius supra Ipse scribit, in Arch. nat. Paris. J. 517, nº 209 « Pierre Waart ». — 8. Licent. in theol. e *Catal. licent.* an. 1391. — 9. De quo nº 1604. — 10. Ms. clare « Gardi ». Scribendum ut supra. — 11. De Caroliloco, licent. an. 1393 e *Catal. licent.* — 12. Richardus Papin. Vid. supra p. 398, not. 11. Ehrle perperam scribit ad an. 1396 in *Arch. f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, VI, 220 · « in Valesia » (Valois). Valeya = Valle. De S Johanne in Valle vid *Gall. christ.*, VIII, 1310. — 13. Ms. : « brarengar ». — 14. I. e. de Agnevilla. Vid. p. 345, not 2, ad num 1507. — 15. Ms. : « Egidii ». — 16. De Bosco. — 17. An. 1395, Novemb. 4, factus est abbas S. Petri in Valle Carnotens. (Reg. Av. Ben. XIII, vol. I, fol. 184). — 18. Ms. quasi « lerruarii ». Utique Johannes Baudouardi, de quo nº 1577. — 19. Sine dubio Johannes « Liefray », qui supra p. 283 ut scholaris artium affertur. Ad ipsum ut medicum epp. 100, 107, 111 Nicolai de Clamengis directae sunt. — 20. Licentiatus in theol. an. 1400. — 21. Ms. : « sousi ». Ipse scribit, in Arch. nat. Paris. J. 517, nº 145 : « Aufroy Saisy » et « Saisiz », maistre en ars et licencié es loys. — 22. De quo saepius. Ehrle, l. c.. « Moramei ». Ipse scribit, in Arch. nat. Paris. J. 517, nº 186 « Moraine » et « Mouraine », ubi *in* velut *m*. — 23. Licentiatus in theol. an 1400 e *Catal. lic.*. ubi . « Baillius ». Vid. *Catal de la Mazarine*, nº 12. — 24. Arch nat. M. 75, nº 131, ad an. 1385 « Troullet », tunc procurator Sorbonae. Et postea ibid. « Petrus Flurie », prior Sorbonae. — 25. Qui nº 1546. An. 1400 episc. Ebroicens. (*Gall. christ.*, XI, 600), cum esset doct. decr. — 26. Iste et sequens an. 1397, Petrus Le Mauge vero an. 1400, licent. in theol. — 27. Vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 686, 45. 687; 864, not. 2 — 28. Johannes Mullinger de Austria, de quo supra p. 345, 7 (licent. in theol. an. 1395), et saepe in *Auctar.* Vid. ibid. p. 683, not. 1. — 29. Ms. : « Justefas ». Ipse scribit, Arch. nat. Paris. J. 517, nº 155, ut supra. Saepe de ipso supra et in *Auctar.* — 30. Vid. nº 1676. — 31. In sequentibus deficit structura sententiarum. Ad ea quae sequuntur, vid. num 1678. — 32. Hoc idem Universitas postea in *Epistola* asserit. — 33. Ms. cum hac voce novam sententiam incipit. — 34. Regis. — 35. Universitatis. — 36. Ms. · « quod ». — 37. Quantum conjectura consequi possumus. hoc loco Schedula communis nº 1680 edita designatur, ubi tres viae eodem ordine enumerantur et motiva et colores pro ipsis afferuntur. In epistola Junii 6 et in punctis pro tractatu componendo ordo inversus est. Quaedam « per deputatos ex schedulis *recollecta* » esse, mox narratur. — 38. De quibus supra nº 1678. — 39. Delbouc?

1680. *Pars Schedulae communis per deputatos Universitatis e 10 000 schedulis suppositorum Universitatis de viis et modis Schisma abolendi compositae.*

Hoc documentum in msto instrumentum nº 1679 editum sequitur; sed ad eamdem tempestatem pertinet ac illud; immo, ut opinari quis potest, Stephanus de Calvomonte in congregatione Februarii 26 hac schedula usus est, quae proinde tempore prior est quam documentum nº 1679 (vid. ibid., not. 37), quod tamen non omnino certum est. Saltem exarata erat, cum magistri aditum ad regem postulaverant.

1394, Februarii, Parisiis.

VIA CONSILII GENERALIS

Sive fiat per prelatos sive per compromissarios de consensu amborum, universali consenciente ecclesia in illos tanquam (?) in Consilium generale, habet motiva que sequntur.

Primo quod non oportet ponere jus suum in discrimine, si causa scismatis per consilium generale terminaretur, quod errare non potest, quia Spiritus Sanctus ibi solet intervenire.

Secundo pro hac via facit jus commune.

Item determinatio Karoli regis ultimo defuncti[1], sicut protestatur qui vidit.

Item pro isto est determinatio prisca Universitatis[2].

Item pro isto modo procedendi sunt scripta multorum doctorum[3].

Item sunt propositiones Scripture Sacre in diversis locis.

Item si transeat hec via per Universitatem et consilium regis, multi sunt colores pro ea reperti et reperientur in posterum.

Pro ista [via] motiva tanguntur multa bona, et videantur si sit opus in *quarta cedula*.

Pro hac via faciunt exempla patrum nostrorum, qui in minus et[iam] arduis casibus incurrerunt ad Consilium, ut patet in multis juribus.

Item immutatio universalis status ecclesie, que in casu presenti locum habet, in quo contra predictum statum duo papatum occupant et nullius jus est usquequaque sufficienter certum.

Item quia dicunt doctores canoniste, quod sicut in casu heresis papa, de cujus etiam mente non ambigeretur, subest ceteris fidelibus alias sibi subjectis, ita et in materia presenti. Patet, quia per eum non stat, quin perpetuo duret scisma, quod est contra ordinationem Dei, qui disposuit ecclesiam catholicam esse unam, nedum ex unitate capitis Christi Jesu, sed etiam ejus vicarii universalis, ipso Domino teste dum dixit : « Tu vocaberis cephas » [*Joh.*, I, 42], et similia[4]....

Item per Consilium pacificarentur corda o[mnium] fidelium.

Item per illud hereses tollerentur.

Item istud scisma tangit universalem ecclesiam : igitur, etc.

Item quia pauci facilius presentarentur, quam tota multitudo fidelium.

Item fideles libentius obedirent illi qui esset electus per deputatos ab eis in communi, quam illi qui esset ellectus per deputatos a paucis non habentibus auctoritatem communem[5]....

PRO SUBMISSIONE PER MODUM COMPROMISSI FACIUNT MOTIVA QUE SEQUNTUR.

Primo quod si nolluerint contendentes, etc., ad viam predictam, maxime ubi omnes catholici cujuscunque status consentirent et de consensu omnes starent eis, suspecti erunt in fide quoad articulum, *unam sanctam catholicam.*

Item in isto modo solvantur multa que reputarentur difficilia pro habendo Consilium generale, ponderato quod ambo consentirent expresse et alii catholici.

Item pacificarentur fidelium conscientie.

Item per hunc modum non exponeretur patrimonium ecclesie sicud periculo, si substractio fieret proventuum ecclesie presertim per manus principum secularium.

Item isto modo salvaretur honor tenencium alterutram partem.

Item isto modo evitatur illud inconveniens quod aliqui dicunt, scilicet quod Consilium generale possit errare maxime in materia que non est fidei, cujus presens reputatur.

Item per istum modum evitarentur magni sumptus, quos fieri oporteret si Consilium fieret generale.

Item via hec brevis et tutissima, ex quo ambo contendencium in compromissarios consentirent et totum ecclesie universalis residuum, quia et equivalenter facerent compromissarii Consilium generale.

Item si ad viam predictam condescendere nollent, nec ad viam Consilii generalis, nec cedere, aut alias submittere se justitie, procedendum esset contra eos tanquam contra

scismaticos, vel eorum alterum, quo detinente, alio consenciente, et videantur pro hac materia motiva in *xij^a cedula*.

Item pro hoc facit quia simile factum fuit in Concilio Calcedonensi, ubi conclusum fuit quod ex utraque parte eligerentur decem, et alii abirent....

MOTIVA PRO CESSIONE.

Primo facit senectus[6] Clementis, divinus timor, ne punitio scilicet divina descendat super eum, attento tam diuturno scismate, cui non adhibuit remedium efficax, et quod multa inconvenientia inde sequta in ecclesia Dei tam in spiritualibus tam in temporalibus, et verisimiliter sunt futura majora, si ulterius protelaretur, et inducatur ad hec et alia per regem, et aliqui similiter per suos.

Item facit magna caritas, ex qua procederet cessio....

Item nulli parti remaneret quid dicendum vel obiciendum, sed fomes totius ambiguitatis tolleretur.

Item omnis, in cujus potestate scisma presens est cedare et non facit, scismaticus est censendus; sed sic est de utroque contendencium vel ambobus simul : igitur, etc. Detur igitur quod nullus eorum vellit consentire aut in generale Consilium aut in compromissum vel aliam querere efficaciter viam justicie : igitur vel cedat uterque, vel si retineret, censendus est scismaticus.

Item facit electionis utriusque per instrumenta publica contradicentia invicem aparens probatio, que scilicet instrumenta verisimiliter producentur, si per *viam* procedatur *justicie*, et istorum vel aliorum reprobatio difficillima, cum in se potius induceret obscuritatem quam veritatem eliceret. Hec cessabunt per cessionem.

Item minus malum est utrumque carere papatu, quam quod scisma perpetuo in ecclesia duraret.

Item retentione papatus ab utroque privata tangitur utilitas, in renunciatione publica....[7].

Alia multa motiva videantur in *cedula xxvij^a*.

Item multi notabiles dubitant, an etiam alter eorum sit papa, eo quod iidem cardinales elegerunt utrumque.

Item radicatio tenencium Bonifacium, et aliorum tenencium Clementem, quorum utrique adherent propter electionem illam vel istam, quam credunt canonice celebratam. Hec per huic vel illi et propter similia cessionem cedentur.

Item inconstancia et vacillatio cardinalium in electionibus amborum.

Item quod ambo cedant[8], facit quod si cederet alter tantum, alio [non] consenciente et cedente, adhuc presumeretur, quod talis cessio fieret per astuciam malam cardinalium.

Item quia ambo fuerunt genitores hujusmodi scismatis, si pensetur qualiter ambiciose consenserunt electionibus de se celebratis successive, antequam esset discussum per uni-

versalem ecclesiam, utrum primo electus jus habuisset. Confirmatur de Bonifacio, qui viderat prius tamdiu jam scisma durare, et tamen consensit electioni ipsius.

Item ejusdem scismatis fuerunt et sunt nutritores, igitur scismatici : ergo cedant.

Item non fieret partibus violentia, et omnis *via facti* tolleretur prorsus, quam [*ms.* quem] verisimiliter aggredi alias tandem oportebit, presertim ubi per judicium inquisitum de veritate hujusmodi cause constare non posset.

Item facit mala presumptio sive suspitio contra utrumque contendentium, qui ut fertur faciunt jurare prelatos quos promovent, quod partem suam fovebunt, quasi de jure suo diffidentes : ergo cedant.

Item facit renunciatio Celestini et Marcellini....

Pro compulsione si juri stare nollent, nec cedere monitionibus premissis instantissimis, convenerunt in hoc quamplurimi, aliis non discrepantibus, *quod utrique subtrahatur omnimode obedientia,* et administratio quelibet, et conferantur beneficia per ordinarios.

Item *nullos percipiant proventus ecclesiasticos,* sequestrandos penes ad hoc deputandos episcopos vel alios prelatos probos, qui predictos fructus futuro reservabunt[9] pontifici, et sic proportionabiliter fiat erga cardinales utriusque. Et hiis factis multi sperant satis cito haberi posse unionem.

Reffellenda est *via facti*[10] pro nunc, attentis coloribus utriusque partis et inconvenientibus que inde nata essent evenire in christianitate.

Avisandus est rex quod scribat alteri[11] responsive ad litteras sibi transmissas[12].

Prima via que est de Consilio generali diversificatur penes modos diversos illud Consilium congregandi.

Primus modus [dicit] quod vocaretur secundum formam juris, et secundum illam formam non presumitur quod errarent, quantumcunque essent per partes promoti[13] aliqui ibi presentes.

2us modus dicit quod Consilium generale constitutum principaliter ex prelatis solum non expediret propter varias eorum affectiones, quarum multe suspecte debent haberi occasione promotionum, affectionum cardinalium aut aliorum, et sub isto 2° modo sunt avisamenta que sequntur.

P^{m} autem quod prelati promoti per partes non interessent personaliter, sed pro se alios mitterent, eligendos per ipsos cum capitulo sue ecclesie cathedralis, ubi episcopus nullam majorem vocem haberet quam in aliis rebus communibus.

2^{m} quod de qualibet diocesi famata in latitudine plebis mitterentur tres, unus ex parte religiosorum dicte diocesis; alius ex parte capituli cathedralis et aliarum colegiatarum ecclesiarum; 3us ex parte episcopi cum residuo sue plebis.

3^{m} quod juxta numerum prelatorum qui ibidem extimaretur interesse, per studia gene-

ralia, ubi legerentur theologia vel jura, eligerentur totidem doctores aut etiam licentiati vel bachalarii, si opus esset, qui haberent equales voces cum prelatis.

4^m quod una cum predictis et legatis principum notabilium vocarentur de civitatibus aliquis vel aliqui, et generaliter nulli prohiberetur ingressus, qui vellet interesse.

Secunda via principalis possit poni executioni altero iiij^or modorum.

Primo quod ambo partes eligerent aliquos ex utraque parte in equali numero, qui ex toto essent onerati de judicando, diffiniendo aut alias quomodolibet expediendo, sive de cessione unius, sive amborum, et ex consequenti de eligendo alium, si opus foret, et recluderentur in aliquo loco, sicut recluduntur et cardinales in conclavi pro eligendo papam, et inter eos solum due partes eorum concluderent, sicut fit de cardinalibus, et tenerentur infra certum tempus et sub eisdem penis, si ultra differrent, quibus tenerentur cardinales, secundum jura venire ad aliquam concordiam christianitatis unionem offerentem.

2° quod per iiij^or notabiles principes utriusque obedientie, scilicet duos ex una parte et duos ex alia, eligerentur ut supra, quibus se submitterent per partes ut supra.

3° quod per Consilium generale aliqui certi de hoc onerarentur qui de hoc haberent disponere ut supra, et de omnibus pertinenciis ad materiam scismatis.

4° quod soli cardinales antiqui onerarentur de se ipsis vel de nominando aliquos ut supra, et hoc de utraque obedientia.

Tercia via possit poni altero modorum sequentium.

Primus est quod ambo cederent in manibus suorum cardinalium et tunc simul convenirent ad eligendum tercium.

2us quod cedant in manu Consilii generalis.

3us quod cedant in manibus aliquorum eligendorum de consensu suo et suorum cardinalium ut supra, vel simpliciter, quia in papa non est necesse quod in manu alicujus cedat.

4us quod ambo cedencium de consensu suorum cardinalium nominent eligendum.

De compulsione, an videatur quod regi debeat dici, quod ubi per racionabiles et amicabiles vias partes non possent ad bonum pacis adduci, quod possent compelli ad aliquam dictarum viarum, quia est .... (*sic*) pars cedularum.

Arch. Vat., arm. 54, n° 21, fol. 36-39. Vid. supra n° 1678, not. 5. In margine exscriptae sunt charactere autographo notae reprobantes quae in Schedula dicuntur. — Schedulae communis solum ea quae supra edidimus conservata sunt. Certe plura alia continebat, et quidem dubia in contrarium et solutiones eorumdem. Hoc concludere possumus e scripto *Opus unius magni prelati* (Simonis de Cramaudo) an. 1395, ubi quoad hoc narratur · « materia per plures dietas fuit notabiliter et diffuse cum magna maturitate pertractata, tangendo vias omnes que reperiri poterant ad unionem cum motivis ad easdem (vid. supra), *dubiis in contrarium et solutionibus eorundem,* et quandoque in presentia domini cancellarii Francie et quorundam notabilium de consilio regis, et deputatorum Universitatis Paris. » (Arch. Vat., arm 54, n° 21, f. 46. *Chron. du rel. de Saint-Denys*, II, 226, 228). Quae tamen citationes in Schedula communi inveniuntur · *in quarta, in xij^a cedula, in cedula xxvij^a*, ad schedulas magistrorum et scholarium referri possunt.

1. Vid. supra nº 1634, not. — 2. Vid. nº 1637. — 3. Universitatis Paris., imprimis duorum Alemannorum, Conradi de Gelnhausen et Henrici de Hassia (vid. supra nis 1634, 1637), quos Johannes Gerson etiam affert. — 4. Sequuntur testimonia S. Scripturae et glossae. — 5. Postea de Damaso et Ursino. — 6. Minime aetas physica, sed « senectus pontificatus », cum Clemens jam per 16 annos papa fuisset, et nihil pro abolendo Schismate fecisset. — 7. Sequuntur testimonia ex jure et ex historia. — 8. Henricus de Hassia in *Ep. Consilii pacis*, c. 14, loquitur de cessione unius solum, sed an. 1393 de cessione amborum (nº 1668). — 9. Ms. . « reservabit ». Per quod apparet, quantum a vero distet Th. Muller, *Frankreichs Unionsversuch* (Programm 1881), p. 9, asserendo, solum Philippum ducem Burgundiae (vid. nº 1666, not. 3) tunc cogitasse de subtractione obedientiae, minime vero Universitatem Paris. Caeterum infra in ep. Junii 6, similia leguntur. Vid. p. 621 et 624, not. 13. — 10. I. e. coactionem et vim inferendo. Vid. nis 1659 et 1667. Hanc viam jam Henricus de Hassia in *Ep. Consilii pacis*, c. 14, exclusit. — 11. I. e. alteri papae, scil. Bonifacio. — 12. Vid. nº 1664, not. 3. — 13. I. e. promoti per ambos papas. Unus et alter promotos ad juramentum impulit, « quod partem suam fovebunt » (vid. supra), proindeque praesumebatur ipsos non esse aequos.

1681. *« Die veneris xiij Marcii recessit dominus camerarius missus apud Parisius per dom. nostrum »*, *cum Petro Blavi, decr. doct., Juniano Chouvati, caus. pal. ap. auditore, et Raymundo de Albigesio.*

1394, Martii 13, Avenione.

Arch. Vat. Oblig. nº 49, fol. 76b. Camerarius fuit Franciscus (de Conzieu) archiepiscopus Narbonensis[1]. In suo cod. epistolari ann. 1393, 1394 (Arch. Vat. Reg. Clem. VII, nº 308), revera fol. 92b, ab an. 1394, Martii 16, Antonius episcopus Magalonens., « Francisci archiepiscopi Narbonens. pape camerarii, a Rom. curia presencialiter absentis, locumtenens », loco Francisci epistolas scribit. In margine : « Die xiij presentis mensis Marcii dominus camerarius ivit Parisius », ubi per plus quam quatuor menses remansit; Aug. 3 enim solum Avenionem reversus erat (Obl., f. 80b, et Reg., l. c., fol. 164 « Ista die fuit reversus dominus [camerarius] de Parisius »). Tres alii supra relati adducuntur in *Introitu et exit.*, nº 371, f. 160 sq. (vid. infra *Addenda*) ut socii camerarii, missi cum « depositionibus cardinalium et certis allegationibus factis super facto schismatis ». Ibid., f. 163b.

Audivit ea Clemens VII quae Parisiis ab Universitate jam a Januarii 28 tentabantur et agebantur. Proinde misit eodem suum camerarium aliosque quamplures familiares « qui non sine donis uberioribus aulicos et servientes regios induxerunt ut persuaderent dominis ne aliquid contra ipsum Universitas attemptaret[2]. Cardinalis de Luna adjutorio et consilio in hiis et similibus utebantur ». *Chron. du rel. de Saint-Denys*, II, 130.

1. Bellaguet, in *Chron. du rel. de Saint-Denys*, l. c., quem nostri historici sequuntur, scribit . « episcopum Tarsensem, cambellianum » papae, Parisios missum esse. Hujus « episcopi » Tarsensis nullum vestigium invenimus. Ultimus ante hanc tempestatem affertur Johannes Ponhyerii, Ord. Min., qui ab Urbano V an. 1366, Octob. 26, nominatus est archiepiscopus Tarsensis (Arch. Vat., Instr. miscell. an. 1366). In Bibl. nat. ms. l. 5958 (*Chron. du rel.*), fol. 110, legitur econtra . « tarsōn ». Certe scriptor sic legit loco « narbōn », voce fortasse difficili lectu in archetypo, vix « tirason », nam quamvis in *Intr. et exit.* mensibus Martii-Julii saepe de ista legatione agatur (vid. infra *Addenda*), nunquam tamen episcopi Tirasonens., nec Tarsens. mentio fit. — 2. Juvenal des Ursins (*Hist. de Charles VI*, ed. Godefroy, p. 105) adjungit : « et specialement (Clement) fit faire un plaisir au duc de Berry, tellement que luy et le cardinal se joignirent ensemble et menacèrent fort aucuns de l'Université ».

1682. *Rector[1] et deputati Universitatis, auditis malis artibus familiarium papae, qui Petri de Luna consilio utebantur, ducem Bituricens. adierunt, eidem proponentes jam vias aptas ad habendam unionem repertas et in scriptis redactas esse, supplicantesque ut eis aditum ad regem impetraret. Sed dux eos verbis rigorosis redarguit, asserens se audientiam impediturum; nisi resipiscerent, consiliarios principales hujus temeritatis faceret submergi.*

1394, Martii-Junii 6, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, 132. Sed ibid. plura diversis temporibus acta, brevitatis gratia, in unum glomerantur. Ut e p. 609 apparet, Universitas voluit coram rege relationem de tribus viis facere et jam Febr. 26 deputatos elegit. Nondum agebatur de epistola ad regem directa, quae Junii 6 tantum data est. Proponens verisimiliter Schedula communi uti voluit, et solummodo diversis repulsis receptis (de quibus etiam in dicta epistola, ubi tecte dux Bituricensis designatur) Universitas conclusit epistolam componere. Quae *Chron.* de duce Burgundiae narrat, ad mensem Junii, epistola jam composita, pertinent.

Johannes Gerson eodem anno, in festo Paschatis (April. 19) coram principibus praedicans contra illos praelatos insur-

rexit. qui Universitatem impediunt vias aptas ad Schisma abolendum prosequi, quod est peccatum mortale. Universitas ergo jam tunc, i. e. ante April. 19, ut e sermone Gersonis concludere possumus, repulsam retulit, proindeque epistola nondum composita. Gerson regem exhortatur ut exemplum sequatur regis Philippi, avunculi sui, qui in quaestione de Visione beatifica « credidit potius theologis Parisiens., quam curie », i. e. Johanni XXII[2] (*Opp.*, ed. Dupin, III, 1205; 1213 sq.).

1. Johannes Millon, rector ab an. 1393, Decemb. 16, ad an. 1394, Martii 24. Non invenimus quisnam Martii 24 ad Junii 23 rector fuerit. Communiter asseritur Nicolaum de Clamengis, quamvis in rotulo an. ejusdem, Decemb. 13, ipse non scribat se fuisse unquam rectorem, quod tamen annotare alias non omiserunt antiqui rectores. — 2. Schismate durante saepius hujus facti mentio fiebat, immo an. 1406 Petrus de Ailliaco in publico dixit, regem mandasse Johanni, « qu'il se revocât, ou qu'il le fairoit ardre ». Et Simon de Cramaudo : « je n'ai la bulle de la revocation; et s'il ne l'eust revoqué, il (le roi) l'eust fait ardoir » (Bourgeois du Chastenet, *Nouv. hist. du Concile de Constance*, Preuves, p. 153, 216). Sic concitati tunc locuti sunt.

1683. *« Epistola quam Universitas Paris. misit domino nostro regi Francorum de tribus viis per ipsam repertis ad extirpationem presentis Schismatis necessariis. »*

1394, Junii 6, Parisiis.

Christianissimo ac religionis orthodoxe zelantissimo principi Karolo Dei gratia regi Francorum illustrissimo devota sue celsitudinis filia Universitas studii Parisiensis devote et filialis obedientie sinceritatem. Quamquam majorum nostrorum revocata ante oculos exempla multos nobis et maximos in arduis quibuslibet ad virtutem capessendam stimulos incutiant, attamen ubi religionis et fidei res geritur, ad strenue et viriliter agendum, quantum nostra interesse potest, ex eorum monimentis ac gestis, majori quodam ardore accendimur, quibus id semper maxime cure fuit pro sacrosancte religionis catholice custodia continuis vigiliis excubare, ne quid in eam erroris, detrimenti aut scandali irreperet. Sic nempe salutiferum suum studium fore estimabant, si illud ad profectum et tutelam ecclesie convertissent.

Ea nos occasione ducti, zelo quoque domus Dei potissimum excitati, scismatis nephandissimi abhominabilem pestem, que ecclesiam Christi radicitus exterminat, de medio summopere desiderantes auferri, per xvj evolutos annos, quibus idem sceleratissimum scisma jam viguit, nunc privatim disceptando, conferendo et scribendo, nunc palam et in aperto coram vestra celsitudine regia predicando, proponendo atque exhortando ad ecclesie ipsius unionem, quantum nobis divinitus facultatis erat datum, eniti et anhelare nullatenus cessavimus. Verum obsistente semper et prevalente hostis nequissimi versutia, qui in florente Christi agro hanc labem zizaniorum seminavit, seminatamque aluit et magis in dies alit ac radicat, universi conatus nostri, et si non prorsus irriti cassatique, intentione tamen propria usque adhuc frustrati sunt.... Turbati quippe fuimus hucusque, et pessimorum quorundam nefaria factione impediti. Accessit eodem, princeps christianissime, vestre majestatis regie, sine qua nichil possumus, excusata legitime infantia atque adolescentia. Sed postquam evacuatis hiis que parvuli fuerant, clementie celesti placitum est vos in virum perfectum adducere, et tam atrocis vulneris ecclesie perniciem mente generosissima concipere, illico non degenerem ab illustribus proavis ad salutem ecclesie et

diri hujus vulneris amputationem totis animi viribus intendistis. Sed qualiter intendistis! Audiant fideles universi, et christianissimum vere regem clarissimamque Francorum progeniem majorum imitatricem agnoscant.

Jam[1] certe rerum status immutatur, jam procedendi ratio in contrarium ordinem revolvitur. Qui exhortari antea a nobis solitus erat[2], nos hortatur; qui se pulsari tociens audierat, nunc ultro ad idipsum nos pulsat, et non modo nos pulsat, sed, quod suo jure potest, ut vias et rationes, quibus id fieri possit, sollicite ac sedulo excogitemus imperat[3], *se et sua universa in hujus execrabilis scissure resartionem impensurum pollicitus,* etiamsi regni sui aut corporis impendium negotium hujusmodi deposceret. O vocem Francorum rege et christianorum omnium christianissimo principe dignissimam! O nos vere tali rege fortunatos!....

Sed ut ad mandata vestra, regum illustrissime, revertamur, jussit paterna vestra benignitas, ut vias, modos, et formas, quibus ad hanc concordiam maturius veniretur, per deputatos nostros, sollempnes utique viros et discretos, cum majoribus vestris consiliariis conveniendo excogitaremus. Cui quidem jussioni pro virili portione gaudenti prorsus animo paruimus, virosque celeberrimos e nostro toto corpore probos et valde sincere ad materiam affectos delegimus, qui consilium vestrum semel, iterum, tertio et repetitis vicibus adeuntes nichil ab eo audire, quanquam vehementer admodum institissent, de materia ista potuerunt, quin potius in omni congressu iidem consiliarii perseveranter omnino respondebant, se nullatenus nobiscum collaturos[4] nec ad aliud sese delegatos, nisi ad nos, si quid forsan dicere aut aperire in materia vellemus, audiendos. Quibus in ea omnino obfirmatis sententia, quia regia vestra majestas hinc aberat, ne quidquam nobis obici ab obtrectatoribus posset per nos aliqua ex parte stetisse, quominus vestra voluntas ac jussio implerentur, vias quasdam, tres numero, ad pacem in ecclesia obtinendam excogitavimus, quas diuturna super hiis consultatione gravique et digesta deliberatione premissis, tanquam justas, congruentes, et maxime pro tunc nobis apparentes ydoneas ad pestiferum scisma celeriter eradendum, pacemque in ecclesia reformandam unanimi omnium consensu, ne uno quidem in tanto suppositorum conventu renitente, non sine Spiritus Sancti ut credimus interventu, acceptavimus, probavimus atque ratas habuimus, non per hoc vias alias, si que sint commodiores aut factu faciliores, excludendo, sed tantummodo istas in modum advisamenti presentando ad dandum occasionem laborare volentibus. Omnis enim via per quam bona atque unanimis ecclesie concordia posset verisimiliter obtineri, nobis est eo ipso accepta. Istas itaque tres vias, princeps christianissime, celsitudini vestre hac presenti epistola (pretermissis propter brevitatem rerum atque temporum varietatem previis dispositionibus earundem) presentamus, quandocunque et ubicumque oportunum videbitur nichilominus explicandis.

Prima[5] igitur *via* est *cessionis* et renunciationis plenarie utriusque partium, scilicet dom. nostri pape et alterius de summo pontificatu contendentis ad totale jus illud quod

vel habet in papatu, vel se habere pretendit; sive cessio illa, ut aliqui tangunt, in manibus vel presentia amborum collegiorum in unum pro bono pacis convenientium fieret, sive in manibus vel presentia sui collegii pars quelibet seorsum cederet, sive postremo in manibus aut presentia aliquorum per eos et sua collegia nominandorum, sive aliis modis rationabiliter excogitandis. Qua cessione facta de futuro pontifice per veteres cardinales fieret provisio, seu pro bono concordie per collegia amborum. *Et hanc viam,* princeps christianissime, ad celere, conveniens et efficax hujus plage letifere remedium *ceteris in nostra hac epistola contentis anteponimus,* tum propter facilitatem faciendi (sic nempe labores, sumptus, difficultates plurime, maxima denique christianitatis totius vitarentur dispendia); tum propter universorum fidelium utriusque obedientie totiusque in genere christianitatis in cordibus et conscientiis perfectam atque integram absque remorsu aliquo quietationem; tum maxime propter principum et regnorum utriusque adherentie honorem ex integro conservandum et devitandum scandalum, quod judicio nostro summopere attendendum pensandumque in hac materia est, « fratres quippe omnes sumus in Christo » . . .; tum propter apparentiam rationum utriusque partis, qualis nequaquam alias in scismate visa est; tum propter adherentiam fixam atque radicatam cujusque partis ad suum, ut nulla verisimilis spes sit, aut nos ad aliam partem accedere, aut alios ad nostram ullatenus verti posse[6]. Et profecto ad hanc viam debet eos, ut videtur, proprii amor honoris inducere voluntariosque reddere, ne, si discussio fiat, in alterius eorum aut amborum ignominiam res veniat....[7]. Et de prima quidem via hec hactenus.

Quod si ambo juri suo vero vel estimato tenacius inheserint, sicut hactenus fecerunt, et hanc viam cessionis plurimum expedientem subire recusaverint, sequitur *secunda via* concilii particularis, seu mutue et submissive *compromissionis* amborum in aliquos solemnes viros, quos ipsi ambo duxerint nominandos, vel in aliquos alios debite et canonice eligendos, tanquam in plenarios diffinitores controversie, qui sint onerati ac auctorizati de discutiendo, sententiando, et, si forsan opus esset aut expediens visum et per eos ad quos spectat canonice approbatum, de noviter eligendo. Per hanc autem viam vitaretur Concilii generalis difficultas, cessaret cavillatio dicentium, quod in dicto Consilio dominus noster papa ob ampliorem numerum aliorum jus suum exponeret discrimini. Per hanc maturior esset terminatio facti, quam nos omnes magnopere desiderare debemus. Per hanc quoque nota omnis perverse ambitionis dominandi tolleretur, quam rigorosa nimium et pertinax defensio cogniti etiam juris sepenumero inducit. Denique subterfugiens viam istam (equitatis sectatricem, caritatis et amicitie plenissimam) vehementem suspicionem de injusto titulo suo in omnium animos hominum ingerere videretur. Nam presumptio juris est rationis judicio consentiens, quod eque, si non amplius, nocens atque injustus alieni usurpator equitatem judicii proprie cause diffidens subterfugit, sicut justus ac innocens, proprie innocentie conscientia securus, hoc appetit....[7]. Poteramus rationes multo copiosiores ad hanc viam et aliam precedentem, exempla etiam quedam Romanorum pontificum, inducere. Sed

quoniam brevitati studemus, et hec alias tractare, annuente Altissimo, diffusius speramus, de eis in presens tempus supersedendum putamus. De secunda ergo via hec dicta sint.

Superest *tertia via,* quam (si non superiorum alteri acquieverint, fraterne ad hoc sedulo et amice commoniti) velut hujus sacrilege discordie conveniens nostra estimacione remedium subicimus. Et hec utique via est *Concilii generalis*, aut secundum formam juris ex prelatis tantummodo celebrandi; aut (quia plures eorum, satis, proch pudor, hodie illitterati sunt, pluresque ad alterutram partem inordinate affecti) mixtis una cum prelatis ad equalem eorum numerum magistris et doctoribus theologie ac juris, de studiis solemnibus utriusque partium antiquitus approbatis; aut adhuc, si alicui predicta provisio non sufficit, adjunctis ultra premissa capitulorum cathedralium et religionum principalium uno vel pluribus deputatis, ut ea que tunc illic decerni aut diffiniri contingeret, essent majori pondere et certiori etiam examine digesta. Et quamvis via ista a nonnullis adulatoribus, ac hujusmodi monstruose sectionis fotoribus ab ipsius initio usque ad ista tempora, magis turbandi studio quam veritatis radice, velut inepta omnino repudiata sit, tamen absque fermento affectionis maligne veritatem intuenti non adeo reffellendam esse satis liquido clarescet. Nam, ut ab altiori repetamus, unde varie hereses seculis anteactis in ecclesiam Christi irruperunt, nisi quia ante piissimi Constantini imperium christianis presulibus in unum conveniendi licentia interdicta erat? Qua ab ipso accepta universalium Conciliorum decretis hereses innumere ac perversissime cum suis assertoribus dampnate sunt; sicque catholica fides intemerata permansit.

Si igitur ad tollendum hoc pestiferum scisma, quod jam propter longam moram heresis speciem habet .... non liceat ecclesiam congregari, repudiatis presertim viis superioribus, quid restabit? Restabit profecto ut, sicut per ignaviam inexcusabilemque negligentiam amborum, de quibus sermo, presulumque et collegiorum suorum jam per xvj annorum spatium hoc discidium perseveravit, ita adhuc per totidem attenta majori semper invalescentia et pacis turbatoribus durare poterit.... Grassabitur passim et libere iniquitas, nec erit qui obsistat, pertimescente[8] quolibet partem suam et favorem minuere atque hostes cause sue concitare. Quod, quam verisimile sit, visa experientia de illo perfidissimo Jacobita, divine majestatis ac Virginis gloriose blasphematore, insinuat.

Porro que amplior unquam fuit aut futura est congregandi Concilii occasio, cum universalis status ecclesie in disciplina, moribus, legibus, institutis, tradicione majorum ac observantia, et ut brevi absolvamus, in spiritualibus et temporalibus, funditus per hoc scisma innumerosque abusus hinc nascentes subvertatur, et nisi maturissime piissimus institutor ac conservator ejusdem respiciat impendentia avertens scandala, in ruinam horribilem atque irreparabilem venturus sit[9]?....

At quam frivola multa ex adverso turbatores concordie objectant! Quomodo, inquiunt ipsi, papa noster canonice electus, jus suum clarum adducet in discrimen, et illud de quo constat, in dubium revocabit? Quid clarum vocatis? Certumne an verum? Si verum, cum

hec veritas nunc sub modio lateat, nec a tantis catholicis cerni possit, eam super candelabrum per Concilium ponite, ut omnibus, qui in domo Dei sunt, eluceat. Si certum, videte ne verbo abutamini, qui id certum appelletis, de cujus obscuritate atque ambiguitate tanta est et semper fuit apud tantam fidelium portionem consensio. Linceosne[10] habere oculos soli credendi estis, cum reliqui more talpe cecati sint, qui quid verum aut certum sit in tam tetra caligine, plurimis ebescentibus, tam perspicue cernitis? Sed esto certum verumque sit illud, quod certum verumque esse predicatis, respondebit tamen vobis ita esse dicentibus adversarius vester. judicium rem istam deposcere, nec fidem dictis vestris se unquam ullo pacto habiturum, qui contendens contra eum pars estis. In judicium itaque descendite. Quid enim vobis vultis, inquiet adversarius vester : ille, quem papam dicitis, aut de jure suo fidit, aut diffidit; si diffidit, modice ponderandum est juris illius discrimen, nam et alii merito diffidere habent; si confidit, confidat in Domino, et Dominus justitiam suam tuebitur, nec fluctuare permittet....[11].

Sed jam iterum aliud ab emulis audimus obstrepi. Quis, inquiunt, dabit auctoritatem Concilio? In promptu responsio est. Dabit consensus omnium fidelium, dabit Christus, in Euvangelio dicens : « ubicumque duo vel tres in nomine meo congregati », etc. [*Matth.*, XVIII, 20].

Hee igitur sunt tres vie, princeps christianissime, quas in hujus funeste dissensionis medelam tanquam nobis prima fronte visas maxime congruas excogitavimus, quas idcirco nunc breviter summatimque attingendo perstrinximus, quod *spatiosum de eis ac de tota in genere materia tractatum constituere decrevimus*[12], in quo enucleatius, latius et subtilius rem, si Dominus juverit, explicare conabimur. Ceterum unum illud nunc audacter asserimus, alias satis probandum[13] si opus sit, si alter dissidentium aut uterque vias tres expositas inire obstinatius refugerit, nec aliam ydoneam vel alias obtulerit, eum velut scismaticum pertinacem, et quod ad id consequens est, hereticum, nec gregis Christi pastorem, sed direptorem potius ac tirannum judicandum, sic quod ejus deinceps nec jussis obediendum, nec eidem regiminis ulla administratio, ymo nec patrimonium ecclesie, quo utatur, relinquendum. Ipse quoque ab ovili Jesu Christi, non ut ovis aut pastor, sed ut lupus infestissimus penitus abigendus est, penisque acerbissimis scismaticorum plectendus, nec in terra viventium, sed cum Dathan et Abiron nequissimis scismaticis [*Num.,* XVI, 31-33] portio ejus habenda.

Ad pacem ergo istam et salutem ecclesie, alme parentis vestre, princeps christianissime, totis animi medullis, sicut facere cepistis, incumbite, egrote medicamini, respicite desolatam, oppresse miseremini, indignissime dejectam allevate, imbecilli preter modum et de grabato surgere vix valenti auxiliarem dexteram porrigite! Assiduis suspiriis, querelis et gemitibus opem vestram implorantem non ultra jam audire differte. Postponite curas omnes temporales, quantumlibet fructuosas aut utiles; hec una cura jure ceteris anteponenda est, qua et cetere prosperum magis exitum habebunt, et decus regni vestri vobis

et regno eidem a clarissimis vestris progenitoribus partum servabitur. Mementote vos solum principem christianissimi nomen non otiose tenere, sed quod in omnibus semper ecclesie angustiis et majores vestri presidium ante alios tulerint. Nolite privilegium tam nobile, titulum tam magnificum amittere. Non sinite hunc honorem vobis a quoquam auferri, aut alterum in isto vos antevenire. Deffendite jus vestrum, deffendite nomen, deffendite decus.

Moveat vos omnium catholicorum et fratrum in Christo vestrorum expectatio, que tota in re ista de vestra persona pendet.... Moveat rei ipsius preclara et percelebris ac perpetua laus, per quam vestri memoria sempiterna versabitur in ore hominum. Ymo et illud maxime vos moveat, quod tam egregii gloria facti usque in diem istum, quo puerilem etatem exuistis, ad decus et famam vestram divinitus quodammodo servata esse videtur, ne debitus vobis honos alio transiret. Moveat acceptissimum servitium, quod ex hoc opere Deo prestabitis, quo revera nullum majus, gratius, excellentius prestare potestis. Moveant denique matris miserie tot, tante, tam inaudite, ut vel saxeum pectus emollire possent, que ex hoc diabolico scismate orte sunt....[14]. [Diabolus] est qui seminat inter fratres discordias.... Illud quoque Sallustii, clarissimi Romanorum historici : « concordia parve res crescunt, discordia maxime dilabuntur » [*Jug.*, 10]....

Quid nunc de symoniaca heresi loquamur, que in ecclesie domo sic presidet, ut jam ejus ditioni omnia sint propemodum subjecta, sine ejus interventu pauci gratie quidquam, nisi valde difficulter, obtineant, sed qui eam advocatam habuerit, non lite, non judicio, non difficultate aliqua terreatur?....[15].

Quid de divino cultu ex hac cruenta scismatis pernicie ubilibet imminuto atque in locis plerisque prorsus deserto queremur? Quid de morum disciplina et prioris ecclesie virtutibus, que sic in oblivionem inque omnia vitia mutate sunt, ut vix precedentes patres si redeant eandem nunc ecclesiam, quam ipsi dudum rexerant, quamque Christus instituit, esse putent, nullis virtutum suarum reliquiis, nullis usquam vestigiis, ymo nec umbra tenui ibidem relicta?....[15]. Obstupescent certe posteri nostri, mirabuntur et horrescent tantorum immanitatem flagitiorum legentes, si litteris ab aliquo mandata sint.....

Itaque apud vestram, rex optime, majestatem, itemque apud maximos proceres regni vestri, qui vobis claro sanguine conjuncti sunt, coram quibus veritatem nudare soliti sumus, non cessant[16] dies et noctes in nos ore venenato machinari, nunc contra dominum papam nos aliquid velle loqui confingentes, pro cujus certe honore plus quam ipsi nos loquimur; nunc arbitrio nostro omnia regere velle, si permitteremur, et presertim ecclesiam. Nam quod nos de stultitia et precipiti etiam temeritate culpant, parvi sane estimamus.... Suam ergo sibi habeant prudentiam, et cum illis numerentur, de quibus apud prophetam : « prudentes sunt ut faciant mala, bona autem facere nescierunt » [*Jerem.*, IV, 22]; nostram nobis stultitiam, quam sue anteponimus sapientie, relinquant.

Hiis et aliis multis detractionum morsibus, princeps illustrissime, nostram dente

maledico apud vos famam lacerant, sicque suis mendaciis, dolis et machinamentis a veritatis lumine, per nos auribus vestris instillando, reicimur, ne ullam audientiam in vestri conspectu obtinere nisi perraro possimus[17]. Ita fit, ut in errore et veri ignorantia vos veluti captivatum detineant ad dissimulationem et impedimentum rei. Tota etenim eorum eo tendit et spectat intentio, tota mens, totus conatus, ut [in] ejusmodi frivolis sermonibus tempus terant et negotium differant, quo diuturnius possint ecclesie spoliis sic turbate incrassari. Magnas quippe dignitates et crassa beneficia nunc turbata ecclesia assequuntur, quas integra ac unica nunquam adipisci posse merito confiderent....

Quod vero nobis imponunt, nos arbitratu nostro omnia regere velle, nisi obviam iretur, faciunt quod sueti sunt, impudenti mendacio nec colorato utuntur. Non ecclesiam regere, sed regi volumus; ipsi vero non regere, sed vexare, lacerare et omnino dissipare volunt, — quod quia dissimulare aut equanimiter ferre, conscientia ipsa ac veritate cogente, nec possumus nec volumus, inde in nos configitur hec culpa....

Proinde vos obsecramus, princeps christianissime, ut ad hanc sacratissimam unionem aut per alteram viarum superius expressarum aut aliam vel alias ydoneas per consilium vestrum, si iste minus forsitan suffecerint, cogitandas, sollicite vigilando intendere et quam mature velitis. Obsecramus preterea, oramus obtestamurque in caritatis Christi visceribus .... ne animum inducatis oblatratoribus istis in nostre fame, nominis aut honoris detrimentum, nobis prius non auditis, in aliquo assentire, vel sinistrum quid de nobis ex talium suspicari fallacissimo relatu, qui obinde malam sui suarumque oblocutionum opinionem ingerunt, quod nunquam palam contra nos et aperte, sed in angulis potius ac latebris obmurmurant, sola confisi nocte, nec audentes, exemplo noctue, in clara luce versari....

Nec suspicetur quispiam nos propter regium vestrum consilium[18] hec dicere. Non profecto per hoc ipsum aliquatenus ledere est animus, sed propter particulares quosdam malignos homines hoc dicimus, qui ceca ambitione et fallaci adulatione hujus pestis scismatice nutritores vos, princeps serenissime, consiliumque vestrum, utique prudentissimum, seducere et turbare vehementissime nituntur[19]....

Sed quia jam satis diu nos cum Petri navicula satis superque fluctibus et sevissimis procellis agitata vela nostra laborando laxavimus, libet jam portum petere, qui ut nobis liberior tutiorque patescat, quiescentem nunc Dominum excitemus, obsecrantes instantius, ut quassatam pene undis ratem suam, nec jam sine sua ope obniti valentem, tandem aliquando servet, ventis et mari imperans, ut positis turbinibus sevire jam ulterius desistant, quo per placata equora et dulces immissas auras nos cum ea pacis littus tamdiu desideratum quamproxime teneamus. Amen.

Data in nostra generali congregatione apud Sanctum Bernardum, ut moris est in arduis[20], celebrata unanimi facultatum singularum et nationum consensu viij° idus Junii[21], vigilia videlicet Penthecostes, quo die Spiritus Sanctus discipulorum mentibus in unum

congregatorum illapsus est et caritate concordes sue inundantis gratie perfusione replevit, quem et nostro tam concordi conventui ea hora astitisse, pia et verisimili conjectura credimus, anno Domini millesimo CCC° nonagesimo quarto.

Epistola regi praesentata « in modum parvi libelli contexta et sigillo Universitatis sigillata, in principio regis sedentis in solio regni circumstancium clericorum figuras continebat » (*Chron. du rel. de Saint-Denys*, II, 134). Hoc exemplar nunc desideratur. An. 1395 « copia epistole Universitatis regi directa » confecta et in archa nationis Anglicanae posita est (*Auctar. Chartul.*, I, p. 703, 27). Huic simile certe est exemplar in Arch. nat. Paris. M. 67ᵇ, n° 59, conservatum, parvus libellus continens 10 folia. Ex illo noster textus, purior quam in aliis msstis. In tegumento membranaceo legitur : « Epistola Universitatis Parisiens. directa dom. regi super materia unionis ecclesie ». Epistola exstat etiam ibid., J. 518, fol. 1-10, sub rubrica ut supra; Bibl. nat. Paris. mss. lat. 1463, fol. 93; 14643, fol. 20 (e quo Bulaeus); Bibl. Cameracens. ms. 839 (*Catal.* 940), fol. 47; Cod. Vat. lat. 4927, fol. 114; Ottob. lat. 3081, fol. 164; Bibl. caes. Vindobon. ms. lat. 4929, fol. 245; Bibl. Bernens. ms. 437, fol. 1; Amplon. Q. 125, fol. 174; Rotomagens. O. 20, fol. 172, omnes, ut et sequentes, saec. XIV-XV. Praeterea inter epp. Nicolai de Clamengis, « sub nomine Universitatis studii Paris. compositas », in Bibl. Trecens. ms. 1163, fol. 56ᵇ; Bibl. Capit. Bajoc. ms. 4, fol. 53; Bibl. Bernens. ms. 63; Bibl. caes. Vindobon. ms. lat. 4203, fol. 109ᵇ; Aurelianens. 264 (*Catal.* 311), p. 1 (saec. XVII). — Integra edita est in *Chron. du rel. de Saint-Denys*, II, 136; D'Achery, *Spicil.*², I, 776; Bulaeus, IV, 687. Raynald, an. 1394, n° 3, omittit partem principalem epistolae, scil. tres vias. — Exstabat olim in Arch. Vat., arm. 54, n° 21, fol. LXIX-LXXVI, sed deest saltem a saec. XVII. De traductione antiqua in *linguam gallicam*, jussu regis effecta, vid. num 1686, not. 1.

Hujus epistolae principales conditores fuerunt « Petrus de Ailliaco, Egidius de Campis quampluresque alii famosi et eminentis scientie viri », sed Nicolaus de Clamengis, « Tulliana facundia singulariter pollens », eam « coloribus rethoricis exornandam suscepit[22] » (*Chron. du rel.*, etc., p. 100, 130). Petrum de Ailliaco partem habuisse in componenda epistola apparet etiam ex insertione facti, epistolae extranei, Johannis de Montesono.

Hanc celeberrimam epistolam, utique fundamentum eorum quae Universitas postea aggressa est, tempore dato « per quatuor mundi latera divulgaverunt » (Arch. Vat., arm. 54, n° 36, f. 96ᵇ, etc.) Ab adversariis severe vituperabatur epistola. Sic v. g. a mag. Johanne Atonis (Hatonis) O. Praed. Anglico, poenitentiario papae Benedicti (ibid., n° 20, f. 186, 198; Martène-Durand, *Ampl. coll.*, VII, 502), imprimis ab alio ejusdem Ord. magistro, qui ad Benedictum paene integrum tractatum contra epistolam destinavit (ibid., n° 36, f. 96-104 : « Loquebantur adversus justum iniquitatem »), eamque vocat « adulatoriam, blasfematoriam, diffamatoriam, seditiosam, scandalosam in materia et presumptuosam, siquidem non theologiam, non dialecticam, non philosofiam, non retoricam redolentem, sed rudimenta precepta gramaticalia resonantem », quam composuerunt « nonnulli intitulati theologi et artiste, sectatores poetice vanitatis » (f. 99ᵇ sq.). Auctor impugnat praesertim tres vias propositas, immo patrocinium etiam Johannis de Montesono assumit, dicendo, Concilium generale esse necessarium ad profligandam haeresim magistrorum Paris., « quod gloriosa Virgo non fuit concepta in peccato originali, nec concepta semine viri, sed operatione Spiritus S. » (f. 101ᵇ). Magistri Paris. « juvenculi, inexperti et inpracticati » sunt, « honore magistrali expolientur, capiantur, et arrestentur atque vituperentur » (f. 103ᵇ-104). Ad quasdam allegationes sacrae scripturae in epistola auctor jure annotat . « non est allegatio magistralis; locuntur ut artiste, et non ut theologi », « inepte applicant ».

1. In margine M. 67ᵇ « Nota quod rex hortatur Universitatem » — 2. Vid. num 1661. — 3. Vid. num 1674. — 4. *Traductio gallica* antiqua : « .. . qui sur ce à vostre grand conseil sont plusieurs fois allez, et combien que très longuement priassent à vos conseilliers qu'ils vousissent dire .... toutesfois riens par eulx oir ne peurent », *etc.* Vid. num 1679, p. 607. — 5. In margine : « Nota primam viam, viam cessionis, in manu amborum collegiorum simul congregandorum, vel divisim, vel aliquorum per utraque collegia nominandorum » — 6. Supra n° 1663 dabatur adhuc spes. — 7. Sequuntur motiva. — 8. Sic recte M. 67ᵇ *Chron. du rel.* : « parciescente », Bul. · « parti avescente », et similia nomina adulterata postea. Nec Bulaeus, nec Bellaguet sententiam intellectu consecuti sunt. *Trad. gall.* antiqua optime . « ne il sera nul qui obvie, doubtant chacun de amendrir sa partie et sa faveur, et acquerir ennemis à sa cause ». — 9. Magis explicatur et motiva pro concilio afferuntur. — 10 Lynceos. Vid. Horat , *Sat.* I, 2, 90. *Trad. gall.* . « Est-il donques à croire que vous aiez tant seulement les yeux de lins, et tout le remenant du monde soit aveugle comme la taulpe »? — 11. Explicatur et respondetur ad objecta. — 12. *Trad. Gall.* : « car nous avons disposé descripre sur ces voies et sur toute la matière du Scisme en général un traittié plus spacieux ». Vid. ad hoc num 1684.— 13. Quod et factum est. Vid. not. ad num 1684. Jam hic subtractio obedientiae sub conditione proclamatur. Vid. supra nis 1666 et 1680, not. 9. — 14. Describuntur haec mala; ecclesiae statum ante Schisma florentem fuisse. Vid. num 1695. — 15. Haec amplificantur. — 16. Tecte designant aulicos papae Clementis, de quibus n° 1681. — 17. Ante compositionem et praesentationem epistolae igitur Universitas diversas auditiones apud regem requisivit et repulsam habuit. Vid. n° 1682. *Trad. gall.* : « que moult très peu souvent et à très grant difficulté nous pouons avoir audience devant vous ». — 18. Designatur hic tecte dux Bituricens., qui audientiam impedivit et principales auctores motionis submergi voluit. Vid. l. c. — 19. Universitas scivit, ducem Bituricens. instigatum fuisse per legatos Clementis VII. — 20. Vid. p. 605

et *trad. gall.*, n° 1686. — 21. In ms^to 5958, f. 115 (*Chron. du rel.*), perperam : « viij° Junii », ut etiam apud Schwab, *Johannes Gerson*, p 130; Hefele, *Conciliengesch.*, VI, 701. — 22. « Vir eloquentissimus », « vas eloquentiae » designatur per suum amicum Johannem de Monsterolio (Martène- Durand, *Ampl. coll.*, II, 1313, et ep. 58), illa aetate inter auctores latinos Franciae principatum obtinentem. Nescimus, quando Johannes in Universitate Parisiensi gradum magisterii in artibus assecutus sit. Ad haec A. Thomas, *De Joannis de Monsterolio vita et operibus*, Parisiis, 1883, p. 5. Principales auctores latinos, quos Nicolaus de Clamengis (de cujus nomine familiae *Poillevillain,* hucusque ignoto, supra p. 454, not. 10) legit, fuerunt Cicero, Sallustius, Horatius, Ovidius, Vergilius, Terentius. Vid. *Introduct.* ad hunc tom.

1684. « *Ista sunt puncta Tractatus componendi nomine Universitatis Parisiens.* »

1394, post Junii 6, Parisiis.

1° Politicum factum et catholicum opus est laborare ad unionem, ostendendo bona que inde venient et mala que alias experiremur.

2° Qualiter impedientes hujusmodi conclusionem directe vel indirecte, dum tamen scienter faciant, peccant graviter, et si desistere non curant, qualiter ut veri scismatici sunt tenendi, cujuscunque status aut conditionis existant.

3° Qualiter nota scismat[ici] citius habet locum in majoribus, prelatis scilicet et principibus, quam in minoribus, et quomodo illa nota est illis periculosior et dampnabilior.

4° Qualiter ad doctores theologos et juristas pertinet specialiter instruere ceteros, qualiter in hujusmodi materia sit procedendum.

5° Qualiter ad papam et prelatos, primo et specialissime ad papam, pertinet huic labori efficaciter intendere, postposita omni privata affectione ad bonum proprium et personale, vel generis, vel nationis aut patrie, etiam cum expositione omnium bonorum suorum.

6° Qualiter negligentia nimia eorum, ad quos pertinet, reddit eos suspectos de fauctoria scismatis.

7° Qualiter in casu negligentie ecclesiasticorum specialiter incumbit principibus laborare ad hujusmodi unionem procurandam.

8° Qualiter contra rebelles et procurantes scismaticos in hac materia juste possunt *via facti*[1] procedere et eis incumbit, primo in bonis, secundo si necesse sit in personis.

9° Quod nolentes aliter laborare, cum possint, quam orationibus aut precise sue partis colorationibus, temptant Deum, et dicentes non aliter laborandum errant.

10° Quod determinatio alicujus persone ad unam partem non obstat quominus non laboret ad unionem, ymo plus facit.

11° Qualiter *via facti* unius partis contra aliam, attentis coloribus scismatis, non est ab aliquo consulenda.

12° Qualiter *via inducendi* unam partem per munera et retributiones non est tuta nec approbanda.

13° Quod nulli prelato aut doctori litterato licet uni parti tam firmiter adherere, quod in eo excludatur omnis formido de contrario[2].

14° Ostendit quante difficultatis esset discussio rigorosa *juris* utriusque partis[3].

15° Quod via veniendi ad unionem per utriusque partis *cessionem*[4] esset bona via et tuta et magni meriti, tam apud procurantes debite istam viam, quam apud cedentes, et plus ad unum papam. Et tangatis[5] modos per quos possit fieri cessio. Respondeatis objectionibus possibilibus fieri contra istam viam.

16° Tractetis, an *via cujusdam concilii*[6], in qua ambe partes consentirent, esset etiam via bona. Respondeatis objectionibus contra istam viam.

17° Quod via *Concilii generalis* formaliter et equivalenter[7] esset etiam via bene approbanda, non tam ad discussionem juris partium, quam ad procurandam plene unionem. Et modos tangatis. Respondeatis objectionibus contrariis.

18° Quod expediret etiam fieri Concilium generale ad reformandum mores ecclesiasticorum.

19° Quod expediret quod fierent Concilia provincialia; et pro hoc instare debent principes, si prelati essent negligentes.

20° Exhortari debe[n]t rex et fideles ad vitandum dissimulationes ad istas vel alias vias, si que reperirentur bone ad procurandum unionem, attenta excessiva duratione.

21° Hortentur fideles ad processiones, orationes et afflictiones pro impetranda apud Deum alicujus bone vie prosequtione.

22° Audaciam bonis ecclesie filiis imponant, ne hominum terror aut temporales afflictiones eos ab hac prosequutione retardent.

Arch. Vat., arm. 54, n° 21, fol. 32, ubi, sub rubrica data supra, documenta n[is] 1677, 1679 et 1680 edita praecedit. Haec puncta post Junii 6 ponenda sunt, cum in epistola Junii 6 tractatus *componendi* mentio fiat (vid. n[um] 1683, not. 12). Ut ex ista epistola etiam apparet, Universitas de tota in genere materia, non solum de diversis viis, tractatum componere cogitavit. Ita prorsus per puncta ipsa ostenditur. Nihilominus tamen Universitas in praesentia a proposito suo destitit, cum morte Clementis mox subsecuta et Petro de Luna electo rerum status mutatus sit, Universitasque Paris. in posterum solum pro via cessionis laboraverit, aliis viis omissis. Et sic solius epistolae, minime tractatus promissi Universitatis mentio fit (v. g. in scripto *Opus unius magni prelati,* Simonis de Cramaudo, — vid. *Chron. du rel. de Saint-Denys,* II, 230), licet postea Universitas tractatum de *via cessionis* composuerit. Ne confundas tractatum componendum cum tractatu supra n° 1663 excerpto, qui ad alium omnino finem tendit, et in quo diversa minus mature, immo in sensu contrario, tractantur.

Nihilominus invenimus quemdam tractatum nomine Universitatis a quodam doctore decret. eodem anno compositum, in Bibl. nat. Paris. ms. 1481, fol. 136-145, qui incipit · « Quia scisma vigens ecclesiam sanctam Dei omnium catholicorum matrem et dominam turpiter difformat, lacerat et affligit ». Propositum tractatus exponit doctor fol. 136[b] sic · « jussus per juramentum conclusionem infrascriptam prout potui juribus colorari juxta vires mee imbecillitatis et sufficientie modice .... Conclusio igitur tangitur in *epistola* matris nostre *Universitatis* in hec verba », et quidem hac sententia : « Ceterum unum illud nunc audacter asserimus alias satis probandum si opus sit .... porcio ejus habenda » (supra p. 621). Tunc auctor prosequitur : « Quam conclusionem sub hiis verbis comprehendo : Unicuique contendentium de papatu, nisi monitus fuerit in viam certam unionis possibilem condescendat aut de jure suo legitime doceat, potest ei ex tunc obedientia generaliter denegari et pontificalis dignitatis administratio subtrahi .... quia nec in *a* nec in *b* papam se dicente unitas ecclesie simpliciter consistit, sed in Christo Jesu Altissimi filio secundum doctores, ne sequatur inconveniens, quod vacante sede per mortem illius aut istius dicatur ecclesia acephala ». Deinde sequuntur probationes ex jure. In fine . « Explicit conclusio Universitatis juribus taliter qualiter fulcita ». Quamvis tractatus an. 1394 (schisma durabat « per xv annorum spatium » compositus sit, tamen ad tempestatem « Benedicti » pertinet.

Non fuit insolitum, Universitatem suis epistolis seu tractatibus componendis puncta praemisisse. Sic v. g. in Bibl. nat. Paris., ms[to] 14643, f. 306 sq., inveniuntur puncta pro appellatione prima Universitatis « Si tramitem ».

1. Non agitur de *via facti* contra papas, quae infra, ut supra n° 1680, excluditur, sed, ut explicatur, de via facti

contra rebelles. — 2. N° 1663 econtra pronuntiatur, illos alterius partis esse in periculo damnationis. — 3. Agitur de *via juris*, agitando, uter papa verus sit pontifex. In epistola etiam eadem difficultas declaratur (vid. p. 620 sq.). Ad hanc tamen viam Florentini an. 1387, et an. 1391 pars Universitatis inclinabant (vid. n^um^ 1663), eamque Henricus de Hassia an. 1381 inter alias vias proposuit (vid. n° 1663, not. 6). — 4. Quantum ad tres vias ordo in epistola expressus servatur, non sicut prius in n^is^ 1663, 1677 et 1680. Antea semper Concilium generale praeferebant, nunc viam cessionis. — 5. Per imperativum hic et in sequentibus Universitas illos deputatos alloquitur, qui tractatum componere debebant. — 6 Per viam compromissi. — 7. Ms. potius « equaliter ».

1685. *Universitas, pluries repulsa, ducem Burgundiae adiit ut, eo favente, regi epistolam de tribus viis praesentare posset. Is diem certam eis assignavit. Oraturus erat Guillelmus Barraudi, doctor in theologia, magnus prior claustralis monasterii S. Dyonisii in Francia; at die dicta, quod promissum fuerat non potuit adipisci. Duce Bituriae, cardinali de Luna et camerae papalis familiaribus obviantibus impedimentum procedebat; qui tamen circumspectorum virorum persuasionibus attentis et importunitate petentium, concesserunt ut ad ultimam diem Junii in camera regia deputatis audientia assignaretur publica.*

1394, Junii 6-30, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, p. 132, 134.

1686. *In camera regis, assistentibus Alexandrino patriarcha (Simone de Cramaudo) et multis praelatis, ducibus quoque Bituriae, Burgundiae, Aurelianensi, Borbonii ac multis de sanguine regio procreatis, rector Universitatis et deputati magistri ac doctores flexis genibus epistolam de tribus viis Carolo VI offerunt. Tum Guillelmus Barraudi quae continebat epistola, multas rationes adducens, luculentissime peroravit, supplicavitque regi ut in bono proposito, ut promiserat pluries, perseveraret. Cum rex Guillelmum sereno vultu audisset, epistolam benigne recipiens,* hanc transferri jussit in Gallicum[1], *ut gravi et digesta deliberatione quae continebat viderentur, redeundi assignans certum spatium deputatis.*

1394, Junii 30, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, 134, 182.

1. Juvenal des Ursins (*Hist. de Charles VI*, ed. Godefroy, p. 105) adjungit « ce qui fut fait ». Ita prorsus. Nam exstat epistola in *lingua gallica*, scil. in Cod. Vat. lat. 4791, fol. 171-182^b^ (saec. XIV exeunt.) sub rubrica : « Cy s'ensuit un avis, baillié par l'Université de Paris au roy sur le débat des papes », et quidem post *Chronique Normande*, ut etiam in Bibl. S. Genovefae H. f. in-fol. 38 (*Catal.* 673), fol. 307^b^. Praeterea in cod Rotomag. O. 23 (*Catal.* 951), fol. 146, sub titulo : « Cy commence l'epistre de l'Université de Paris envoyée au roy de France pour la sedacion du scisme de l'eglise, translatée de latin en françois ». Incipit : « A très chrestien prince et très ardent zelateur de la religion catholique Charle .... la devote fille de sa hautesse l'Université de l'estude de Paris devote et filiale obeissance. Combien que les exemples de nos predecesseurs à nous ramenez au devant nous enfichent dedens nos cuers plusieurs et très grans mouvemens à vertu prendre et acquerir en toutes autres choses, toutefois », *etc.* Explicit : « afin que par la mer paisible et par le doulx et souef vent à elle (la nasselle) dessus envoié, elle puist très prochainement et nous avecques venir au rivage de paix ja par sy long temps désiré. Amen ». Desinit sic ante temporis notam in cod. Vat. et S. Genovefae, at cod. Rotomag. finem hunc praebet : « Donné en nostre congregacion generale celebrée à Saint-Bernart, où nous avons acoustumé à assembler pour fais grans et notables, par le consentement de chascune des facultez et nacions, le viij^e^ ide de Jun, c'est assavoir en la vigille du jour de Penthecouste. .., lequel Saint Esprit nous croions piteusement et par vrayssemblable conjecture avoir esté présent en nostre dicte assemblée si concordante, l'an de nostre Seignor mil trois cens et quatre[vings quatorze]. »

1687. *Litterae Universitatis Coloniensis gratulatoriae ad Universitatem Parisiens. de extirpando Schismate.*

1394, Julii 5, Coloniae.

Venerandarum circumspectionis et scientie viris domino rectori totique collegio, magistris et doctoribus Universitatis studii Parisiensis nobis in Christo carissimis[1]. Reverendi patres, magistri, dominique precipui. Suadet equitas ut justum est et opportunum,

jubet caritas, uti sanctum et meritorium, dictat racio velut expediens et congruum, quodlibet perspicue sapiencie studium, quamlibet scienciarum scolam sive virtutum sancte matri orthodoxe compati debere viscerose miseracionis affectibus in adversis[2], maxime de execrabilis et nunquam satis deflendi (proch dolor!) scismatis ecclesiam Dei nunc disturbantis diuturna nimium perduracione, providisque conatibus ad ejus extirpacionem vigilancius anhelare, sicut de vestris circumspectionibus inchoativa quedam collaudanda nuper in Domino gratanter accepimus indicia, que novissime pro cessacione scismatis et universalis ecclesie unione regalem Francorum celsitudinem modis, mediis et monitis salutaribus propulsasse famatur, prout hec ad nos fame communis deducit oppinio, nec non fidelium et veridicorum nobis assercio gratuita reseravit[3], quodque pacis ortamenta vestra salubria celsitudo regia placidius acceptasse et ad cooperandum se piis conatibus obtulisse ac spopondisse refertur. De quibus Deo graciarum referimus actiones qui vestros affectus et prudencias illuminet et confortet, ut ab incepto non desistatis, donec saluber et Deo gratus in eo quod agi videtur, consecutus fuerit effectus. Et utinam dudum submota sublimium potestatum pariter et sapientum titubante desidia, diligencia non defuisset in premissis exacta. Quapropter licet fateamur opus non fore soli lucem superaddere, vel docere Minervam, scientibusve legem per manum loqui et calamum, nichilominus, quia scriptum est : « da occasionem sapienti et addetur [ei] sapiencia » [*Prov.* IX, 9], et ut humiliter cum paupercula minutum mittamus in gazophilac[i]um ad sancte matris ecclesie unionem, constanter asserimus et incontaminate sentimus quod nulla sanctior, nulla celebrior vel salubrior via, quam ut neque a dextris neque a sinistris, sed via Domini regia gradiendo, rejectis (que scismatis ab inicio creduntur viguisse) sinistris informacionibus ac parcialibus affectibus, satagatur sinceris mentibus, conscienciis puris, fide et caritate non fictis, ut misericordia et veritas obvient sibi, justicia et pax osculentur [*Psalm.* LXXXIV, 11], et sic humana sapiencia divine sapiencie atque prudencie invincibilis adinstar vincat maliciam, « attingens a fine ad finem fortiter » [*Sap.* VIII, 1], *etc.*

Venerabiles igitur divine ac humane sciencie professores, sic quesumus rogate que ad pacem sunt Jherusalem [*Psalm.* CXXI, 6], sic in premissis armaturam Dei induite, sic zelo pacis ac justicie ut filii lucis ambulate, quod laudabilia vestri zeli memorati primordia in eo, qui est alpha et ω, per sancta et legitima media concludi fine felici mereantur. Et non obstante, quod inconcusse de justicia domini nostri summi pontificis domini Bonifacii pape moderni nullatenus ambigentes estimacionum vestrarum noscamur adversa sentire, supplicamus tamen, si quid justi ac sancti vestris circumspectionibus Dominus inspiraverit ad intentam conclusionem, una cum inchoatis mediis ac intencionibus vestris plenioribus rescribere non tedeat[4], sed more sapientum placeat communicare ..... Datum Colonie in congregacione nostra generali super hoc apud ecclesiam fratrum Minorum specialiter celebrata, anno Domini millesimo CCC^mo^ XCIIII^o^, mensis Julii die quinta, sub sigillo nostre Universitatis. *Rector*[5] *et Universitas studii Coloniensis.*

Arch. nat. Paris. J. 518, fol. 18b. Bibl. nat. Paris. ms. lat 14643, fol. 24b; Cod. Vat. Ottob. lat. 3081, fol. 183b; Rotomagens. O. 20, fol 181; — Bul. IV, 703. D'Achery, *Spicil.*[2], I, 782. — Istam epistolam bedellus Universitatis Colon. Parisios portavit, et quidem jam Julii 25 ibidem moratus est. Vid. *Auctar. Chartul.*, I, 692, 14 sqq. Natio Anglicana in honorem bedelli prandium administravit (vid. ibid., p. 693, 20).

1. Inscriptio solum in Arch. — 2. Arch. . « diversis ». — 3 Ex hoc apparet, minime occasione epistolae Junii 6 Colonienses scripsisse, sed solum e relatione aliquorum innotuisse, ut etiam e nº 1688 liquet, quid rex, quid Universitas in animo habere circa Schisma abolendum. — 4. Nondum ergo Universitas Paris. de hoc scripsit. — 5. Mag. Jacobus Berneri de Novimagio, de quo Keussen, *Matrikel*, I, 60, et p. 13 ad num 80.

1688. « *Responsio Universitatis Parisiensis ad litteras suprascriptas studii Coloniensis.* »

1394, post Julii 25, Parisiis.

Litteras parte vestra, magistri venerabiles, nobis directas vidimus, quibus nos ad virtuosam perseveranciam solidamque[1] constanciam in re per nos inchoata super facto unionis sancte matris ecclesie ortamini; quodque labores nostri aut conatus et ut ea appellatis ortamenta salubria satis prospere cesserint hucusque apud regiam Francorum majestatem gracias Deo agitis. Id enim vobis compertum fide dignorum relatu et volante jam latius fame aura dixistis .....[2]. Operam vestram adjutricem et omnium fidelium, maxime literatorum consorcium nobis in hoc assistere, favere et opem facere humiliter obnixeque deposcimus. Res enim communis est et communi consilio consensuque[3] fidelium peragenda .... Quantum vero ad id attinet, quod debite laborantem ad concordiam istam ecclesie debere via regia incedere astruitis, et parciales singulos affectus ac informaciones sinistras reicere, in nullo prorsus a vobis discrepamus, sed plane una sentimus; ad id tum racio ipsa, tum maxime veritatis pernoscende cupiditas, tum postremo verissima Salustii sentencia nos impellit, ait enim : « omnes homines qui de rebus dubiis consultant, ab odio, ab amicicia, ira atque misericordia vacuos esse decet; non facile animus verum providet, ubi illa officiunt[4]. » Verum inchoata media certis de causis pro nunc non scribimus, ad vestri noticiam sperantes aliunde perventura.

Unum in litteris vestris admodum miramur, quod vos, qui vie regie tanti sectatores estis, adeo in alteram partem declinastis, ut vos de justicia Bonifacii vestri, quem papam dicitis, vos inconcusse tenere et nullatenus ambigere scripseritis; nam profecto coloracius nimium apparenciusque de domino nostro Clemente summo pontifice illud dicere possemus. Quare, fratres karissimi, si ad pacem ecclesie zelum aliquem habetis, ut vos habere credimus et gaudemus, zelo illi scienciam adjungite et vestram viam regiam sequamini : vos providi viri estis, et quamobrem hoc dicamus, advertere poteritis. Demum obsecramus vos ortamurque ut studia[5] vobis confinia principesque et prelatos vestros ad conclusionem istam inducatis, et eam diligenciam, quam circa christianissimum regem nostrum nos adhibere auditis et vultis, erga illos apponite. Pax Christi, que exsuperat omnem sensum, custodiat sensus vestros et intelligencias vestras [*Philipp.*, IV, 7].

Explicit[6] *responsio Universitatis Parisiensis ad litteras suprascriptas studii Coloniensis.*

Arch. nat. Paris. J. 518, fol. 23b. Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14643, fol. 33, sub rubrica ut supra; Rotomag. O. 20, fol. 183b. Inter epistolas Nicolai de Clamengis in quinque msstis supra p. 624, not., allatis, et in Cod. Vat. Ottob. 260, fol. 45. — Bul., IV, 704. D'Achery, *Spicil.*[2], I, 783. — Epistola non caret malitia, nam exarata est a Nicolao de Clamengis.

1. Arch. : « sodidamque ». — 2. Refertur quidquid in litteris Colon. continetur., sed modus dicendi, quia juxta praecepta artis latine scribendi, omnino diversus est. — 3. Arch. « concussuque ». — 4. Sall., *Catal.*, 50. — 5. I. e. alias Universitates. — 6. Sequentia desunt in Arch.

1689. « *Littera ex parte domini P[hilippi] de Alençonio [cardinalis] Universitati Parisiensi directa.* »

1394, Julii 8, Romae.

Viri venerabiles et egregii amici carissimi. Jam uti certius intelleximus incepistis ex debite vestre devocionis affectu cum censura justicie et dato vobis lumine veritatis intendere ad tollendum quod imminet a sancta matre ecclesia discencionis scandalum perhorrendum. Unde, ut audivimus, edidistis secundum sacram ortodoxe fidei doctrinam oportunas quasdam conclusiones salubres, atque, ut credimus, justicie veritate constantes, et christianissime ac excellentissime Universitatis vestre auctoritate conspicuas, que honoris vobis et glorie et grandis simul communisque omnibus ecclesie fidelibus erunt (nec immerito) causa jocunditatis et gaudii. Si enim serenissimus princeps dominus meus dominus K. Francorum rex illustrissimus ea continuabit et in finem usque perducet, que pro pace et unione dicte sancte matris ecclesie ad sanctissimi patris et domini nostri domini Bonifacii pape IXi requisicionem exhortacionemque[1] conceperit, quanta serenissime sue majestati gloria vobisque et Universitati vestre laus et fama continget, dum per vestra saluberrima pacis exoptande consilia videbimus ipsius celsitudinem regiam tam devoto et laudabili proposito ita pium et salubre negocium inchoasse! Sane etenim ex hiis que hic pertulit jam fama[2] celebrior aliis ejusdem serenissimi principis domini mei regis Francorum gestis magnificis et laudabilibus actibus, sue fidei magnitudo a cunctis harum partium fidelibus jam devote admodum et diligenter attenditur, et dum iidem fideles ipsum exultantibus animis contemplantur, merito tante consciencie puritati congaudent. Ipsius enim per has partes jam fama ubique predicatur et colitur, et hiis maxime consideracionibus exaltatur, videlicet quod tanquam princeps christianissimus et sue innocencie providus conservator, in suis tam feliciter conceptis et assumptis intentibus previo racionis judicio et comite, sincere caritatis affectu procedens, ad tollendum dicte discencionis scandalum totis conatur nisibus et intendit .....[3] Unde vos merito et confidenter ortamur ac quantum possumus deprecamur, quatenus celsitudinem regiam taliter in suo ipso tam laudabili et sancto proposito hortari et sollicitare velitis, ut circa materiam tam grandem, tam oportunam, necessariam et honestam et magnificencie regie ita dignam, sue regie promocionis auspicia dirigens, continuet laudande hujus sollicitudinis sue principia et omni qua potest cele-

ritate ordinet et deducat, ne ignem[4] tam salutarem ullus negligencie torpor extinguat ....[5]. Datum Rome die octava mensis Julii secunde indiccionis, an. M CCC nonagesimo quarto[6].

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14643, fol. 26, sub rubrica ut supra; Rotomag. O. 20, fol. 184. — Bul., IV, 705.

1. Vid. supra nº 1664. — 2. Ms. Paris. « celebriore et ». — 3. Haec magis amplificantur. — 4. Ms. et Bul. : « ipsum ». — 5. Sequuntur exhortationes, ut magistri perseverent regi assistere et opus unionis continuent. — 6. Sic Rotomag. In ms. Paris. inter lineas « secundum usum Francie 1394 ».

1690. « *Littera Universitatis Paris. missa domino pape Clementi in principio prosecutionis unionis ecclesie.* »

1394, Julii 17, Parisiis.

Sanctissimo in Christo patri ac domino domino nostro Clementi sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici. Coegit tandem nos, beatissime pater, Christi fides, coegit christiane religionis devocio, coegit diuturnitas non ultra jam tolleranda nephandissime pestis scismatice, que magis in dies crescit, roboratur atque invalescit, nemine efficaciter remedium apponente; coegit miserabilis et horrenda ecclesie sancte Dei subversio ac dissipacio, ut ad querendam, tractandam, necnon pro viribus nostris procurandam ecclesie catholice unionem vigilanti ac sedulo intenderemus animo, utque imprimis ad hanc rem christianissimum principem Karolum Francorum regem illustrissimum, ac deinde per ejus medium ad id ipsum ni fallimur aptissimum beatitudinem vestram suppliciter hortaremur. Movit ad hoc debitum nostre professionis officium, quo et vestre et sue saluti ac tocius ecclesie tenemur obnoxii. In pastoribus siquidem et doctoribus maxime totum regimen ecclesie consistit. Faciant pastores ipsi quod suum est; nos certe nostrum docendi, si Dominus annuerit[1], nullatenus omittemus officium, quod quamquam omni tempore congruum sit et necessarium, precipue tamen hoc tempore, quo tam multis angustiis, erumpnis et scandalis per hoc excecrandum scisma ecclesia atteritur. Ad quid enim nos licenciam docendi suscepimus, si nunc in[ter] tot gravia ecclesie et fidei discrimina a veritate docenda tacendum est ? « Clama, inquit propheta, ne cesses, quasi tuba exalta vocem » [*Is.,* LVIII, 1]. Movit ad hec preterea prefati domini regis imperium, qui nos ad excogitandas ecclesiastice pacis vias regie serenitatis edicto, quod minime preterire nobis licet, excitavit.

Hiis itaque aliisque plurimis racionibus, quas breviandi gracia subticemus, inducti quandam super re ista epistolam (utinam tam efficacem quam sincero fidelique affectu compositam) regi ipsi memorato direximus, intencionis[2] nostre in hac parte plenius et uberius expressivam, que tres concordie vias a nobis excogitatas et tanquam convenientes approbatas cum suis apparenciis et motivis aliquibus complectitur. *Prima via* est cessionis aut renunciacionis plenarie ad totale jus illud quod habetis in papatu, vel pars adversa pretendit. *Secunda* est consilii particularis vel compromissi. *Tercia* est Consilii generalis formaliter aut equivalenter. Modi autem exequendi quamlibet harum viarum cum justificacionibus earundem satis in dicta epistola, quantum epistolaris patiebatur

angustia, expressi sunt, alias tamen fortasse adhuc magis explicandi[3]. Quam idcirco epistolam vestre beatitudini non mittimus, quod per regie preceptum majestatis transmissam jam esse scimus.

Ceterum, pater beatissime, nobis ea que audistis erga prefatum principem pro ecclesie salute et concordi[4] unione agentibus et circa tam sanctum opus, pium ac religiosum operam dantibus, supervenit inimicus homo[5], qui antiquis zizaniis nova superseminando hunc totum laborem nostrum tam salubrem, tamque fructiferum, extinguere et cassare (licet frustra) molitus est. Et primo quidem temptavit audienciam nostram in regia presencia impedire, quo facilius factum rumperetur[6]. Deinde ubi hoc ceptum minime procedere sensit et se penitus elusum[7] de spe decidisse vidit, ad aliam continuo fallaciam se convertit, et super hac materia perpetuum silencium nobis imponi nisus est. Sed certe dignam nimium meritamque repulsam retulit, qui a rege christianissimo christianissimaque ejus propagine tam imperium[8] nepharium tamque inexpiabile scelus poposcisset, ut super religionis et fidei christiane materia, super ecclesie sancte dissipacione[9] dampnabilique jactura, doctoribus ecclesie et lucernis ardentibus silencium imponeret. Nequam qui hoc cogitavit[10]; nequior qui tam iniquo cogitatui consensit; nequissimus qui hoc ipsum abhominandum facinus explere voluit. Heu, pater beatissime, iterum heu, tercio heu, quod vir ecclesiasticus hoc audeat! Si quis hoc verbo dumtaxat pertinaciter diceret, hereticum censeremus; et nos publice fieri idipsum atque impune feremus? Deterioris multo exempli et majoris sunt scandali facta quam verba. Beatitudinem vestram talium vindicem esse decuerat, quam et nos in ultionem hujuscemodi malorum appellamus, imploramus atque expectamus, nam de modis et mediis per quos suum dampnabile propositum obtinere conatus est, quid attinet scribere[11]? Noti pene omnibus sunt, nec eciam digni scribi, ne paginam hanc nostram sua feditate polluant. Et ne erret estimando, secretos esse illos! Satis certe scimus eos; sciunt omnes propemodum et mirantur regni hujus christianissimi accole; scient, proh pudor, extere naciones; scient, inquam, utinam non ad vestre sanctitatis dedecus, utinam non ad vestre cause detrimentum, utinam non ad tocius ecclesiastici ordinis confusionem, obprobrium et contemptum!

Eapropter, pater beatissime, per fidem integerrimam, per fedus inviolandum, per amorem amplissimum et sincerissimum, quem ad sponsam ecclesiam habere debetis, per pastoralis vigilancie debitam sollicitudinem, per materne miserie, discriminis aut scandali compassionem commiseracionemque, per si qua vestri honoris animo cura residet, per quantum vobis cara est salus anime vestre, vos hortamur et iterum iterumque repetentes caritative monemus, ut ad hanc sacratissimam concordiam, que in vestra manu sita est, non ultra jam prorogando intendatis. Satis jam, satis hucusque cessatum est, satis tepuimus, satis quievimus, satis expectavimus[12]. Exurgendum tandem aliquando ad pacem est, et resides torpentesque jam animi ad hujus rei aggressum excitandi, nisi scisma perpetuum (quod Altissimus avertat) in ecclesia Christi permittere proponimus. Quia jam eo ventum

est et in tantam perniciem erroremque res processit, ut plerique passim et publice non vereantur dicere[13], *nichil omnino curandum quot pape sint, et non modo duos aut tres, sed decem aut duodecim, ymo et[14] singulis regnis singulos prefici posse,* nulla sibi invicem potestatis aut jurisdiccionis auctoritate prelatos. Quod in quantum detrimentum sacrosancte Romane ecclesie et tocius ecclesiastice policie, ymo et religionis catholice, vergat, judicate[15]. Beatitudinem vestram felicibus successibus fecundare velit Christus, et eo plus felicibus, quo ad ecclesie sue unionem majori diligencia vigilaveritis. Scriptum[16] Parisius in nostra congregatione generali apud S. Maturinum super hoc specialiter celebrata xvij[a] die Julii.

Devoti vestre sanctitatis oratores, rector et Universitas studii Parisiensis.

Arch. Vat., arm. 54, nº 21, fol. 40; Arch. nat. Paris. J. 518, fol. 13, sub rubrica ut supra. Bibl. nat. Paris. mss. lat. 14643, fol. 23[b] (e quo Bulaeus); 1463, fol. 98; Bibl. Bernens. ms. 437; Cod. Vat. Ottob. lat. 3081, fol. 182[b]; Rotomag. O. 20, fol. 181[b]. — Inter epistolas Nicolai de Clamengis in quinque mss[tis] supra p. 624, not., allatis, et in Cod. Vat. Ottob. 260, fol. 40. — Bulaeus, IV, 699, cum textu corrupto. D'Achery, *Spicil.*[2], I, 784.

Sub eadem temporis nota Universitas ad cardinales epistolam misit, cui litteras ad papam directas supra editas inseruit, in fine eos exhortans, ut Universitatem in hoc sancto labore suscepto adjuvent. Non permittant rem ad id pervenire, ut per homines saeculares et laicos pacem reformari necesse sit, « quod procul dubio fiet, nisi per vosmetipsos citissime provisum sit ». Arch. Vat., arm. 54, nº 21, fol. 40; Arch. nat. Paris. J. 518, fol. 14[b]; Bibl. nat. Paris. mss. lat. 1463, fol. 98[b], 14643, fol. 24; Bibl. Bernens. ms. 437; Cod. Ottob. 3081, fol. 183[b]; Rotomag. O. 20, fol. 182 (sub rubrica : « Littera clausa missa dominis cardinalibus ex parte Universitatis »); Bul., IV, 700; D'Achery, l. c., p. 785, cum textu saepe depravato. Incipit : « Scribimus, reverendissimi patres ». In *Indice* contemporaneo ad vol. Arch. Vat. nº 21 notatur : « inseritur litera, quam mittunt pape, ubi eligunt iij vias pro unione, et scribunt contra quemdam, qui super istis procuravit eis imponi silentium ». — Epistola supra edita argute astuteque scripta est, licet magistri infra nº 1693 id negent. Clemens, istis litteris perlectis, exclamavit : « Male sunt et venenose » (vid. ibid.). Anonymus etiam adversarius magistrorum p. 624 allatus istam epistolam « nephandam » vocat (arm. 54, nº 36, f. 99[b], 103[b]).

1. Arch. Paris. : « annuere ». — 2. Arch. Paris. : « intentionem nostre ». — 3. In tractatu scil. edendo, de quo nº 1684. — 4. Arch. Vat. « concordie ». — 5. Si Universitas hic imprimis Petrum de Luna significasset, ut Bulaeus et post ipsum historici affirmant, difficile dictu esset, quare Universitas Paris., duobus mensibus elapsis, Petro de Luna in pontificem electo, minime turbata sit, immo speraverit, unionem perfectum iri. « Qui eum audierunt de hac materia loqui » speraverunt, « sub isto pacem oriri ecclesiae et assequi », testatur Johannes de Monstrolio (Martène-Durand, *Ampl. Coll.*, II, 1314). Tunc « il faisoit l'aigneau-Dieu », affirmat Simon de Cramaudo an. 1406; et Johannes Petit : « quand je oy dire, que Pierre de la Lune .... estoit eleu en pape, j'én eu singulière joie, pour ce que je luy avoie ouy preschier et approuver la voie de cession, en tant qu'il estoit legat en France » (Bourgeois du Chastenet, *Nouv. hist. du Concile de Constance*, Preuves, p. 216; 106). Jam an. 1398 Simon de Cramaudo asseruit : « gavisus fui dum (de Luna) fuit ad papatum assumptus, confidens quod per ipsum haberemus unionem in ecclesia eciam per cessionem » (Arch. Vat., arm. 54, nº 21, fol. 188). Si hoc verum est, quomodo Petrus de Luna iste « inimicus homo » esse potuit, in quem Universitas in epistola inclementer invehitur? Cur ne semel quidem postea harum malarum artium Petri meminit, sed potius (ipsum opprimendo) argumento usa est, eum ut legatum pro cessione fuisse (vid. nº 1673, not.) et spem dedisse ut ecclesiae paci restituendae sinceram navaret operam? Opinamur proinde, Universitatem in epistola non Petrum de Luna, sed camerarium papae cum suis sociis (vid. nº 1681) ut auctorem malarum artium habuisse, qui revera mense Martii, dum magistri de unione procuranda laborarunt, « supervenit », cum Petrus de Luna jam per annum fere Parisiis stetisset. Fortasse Universitas erravit. Sane non raro vacillans *Rel. de Saint-Denys* Petrum de Luna semper primo loco affert. — 6. Vid. n[um] 1685. — 7. Arch. Paris. : « elisum ». — 8. Sic Arch. Paris.; alias : « impium ». — 9. Arch. Par. : « dissipacionem ». — 10. Primus qui hoc excogitavit, fuit ipse Clemens VII. Vid. praeterea infra *Addenda* ad n[um] 1681. — 11. Arch. Par. : « scriberetur ». Modi erant munera quae Parisios portavit, quibus imprimis ducem Bituricens. corrupit. — 12. Ibid. : « excommunicavimus », et certe sensus esset acutior. — 13. Ibid. add. « quod ». — 14. Ibid. : « in ». — 15. Abhinc deest in Arch. Vat., ubi epistola inserta est litteris cardinalibus missis. — 16. Temporis nota ex Arch. Paris.

1691. *Mediantibus « cardinali de Luna » ceterisque Clementi VII faventibus, cancellarius Franciae*[1] *nomine regis dixit deputatis Universitatis redeuntibus regem propositum suum mutavisse, inhibens etiam auctoritate regia ne deinceps eam materiam amplius promoverent; tandem subjunxit quod et nec alicubi litteras ad propositum transmissas, nisi ipsi prius oblatas, reciperent; aliter offenderent regiam potestatem. Cancellarius, cum supplicantibus illis non mitigaretur, allegavit ducem Bituriae tunc absentem hujus decreti praecipuum consiliarium fuisse*[2]*; itaque magistri ei dixerunt se statuisse*[3] *a lectionibus, praedicationibus et a cunctis scholasticis actibus cessare, donec justis petitionibus assentiret.*

1394, Julii 25-Augusti 15, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, 182, 184. — Hoc evenit post Jul. 17, ut ex epistola praecedenti edocemur, in qua Universitas enarrat, inimicum hominem « frustra » tentasse et conatum esse ut « super hac materia perpetuum silentium Universitati imponeretur », subjungendo, *dignam repulsam retulisse.* Proindeque Julii 17 Universitas nondum repulsam retulit. Sed nec ante Julii 25 hoc evenit. Supra enim cancellarius Franciae prohibet, ne Universitas alicubi litteras ad propositum transmissas nisi ipsi prius oblatas recipiat. Et ut e nº 1694 apparet, Universitati non licuit etiam aliis Universitatibus, irrequisito rege, scribere. Sed Julii 25 aliquas epistolas receperat. Tunc enim bedellus Universitatis Colon. cum epistola ejusdem Parisiis morabatur (vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 692, 14), et Universitas Paris. responsum dedit; circa idem quoque tempus epistola Philippi de Alençon advenit. *Postea* ergo tantum Universitas repulsam a cancellario Franciae tulit, certe tamen ante medium Augusti. Deinde a lectionibus cessavit. Septemb. 23 rex Universitatem redarguit, cur *tanto tempore* a scholasticis actibus cessaverat. Scimus, quadraginta diebus a lectionibus cessare potuisse (vid. *Auctar. Chartul.*, I, p. 666, 17 sqq.). Fortasse per tantum temporis spatium tunc cessaverat, i. e. a medio Augusti.

1. Arnaldus de Corbie. Vid. nº 1676, not. — 2. Mensibus Junii et Julii vivum commercium inter camerarium et papam observamus. Vid. *Addenda* ad num 1681. — 3. I. e. statuerunt jam antea in quadam congregatione, si casu repulsam reciperent. Imminentia prospexerunt.

1692. *Johannes rex Aragoniae « cancellario*[1] *et rectori, magistris, doctoribus, baccalareis ac toti Universitati Paris. studii » scribit eosque rogat velint suam de sedando Schismate sententiam ipsi per litteras communicare.*

1394, Augusti, Barcinone.

Hoc solum annotare hic sufficiat, cum istam epistolam aliasque ejusdem regis ad Universitatem post mortem Clementis directas cum responsis Universitatis ad tom. IV *Chartul.* rejicere coacti simus.

1. In ms. 14643. fol. 26b, inter lineas additur « Deficit cancellarium preponendo, ymo nec consuevit apponi quando scribitur Universitati ».

1693. *« Littera iterativa Universitatis, que dirigenda fuerat Clementi, quando audita fuerunt nova de morte ejus, que est super eodem facto et super verbali responsione predicta; sed non fuit missa ob illam causam, quia immediate post congregacionem, in qua [littere] fuerant lecte, habita sunt nova de ejus morte. »*

1394, Septembris 22, Parisiis.

Paucis abhinc, pater beatissime, diebus exactis nobis in mentem venerat super procuranda pace desolate jam tamdiu per hoc ferale scisma ecclesie, beatitudini vestre litteras ortatorias scribere[1], nonnullis ad id agendum et legitimis de causis urgentibus, quas in litteris eisdem expressimus. Et visum nobis fuerat nichil nos aggredi posse quod et Deo placentius ac meriti celsioris esset, quod et laudis amplioris et fructus, quod mundo et fidelibus universis optatius, quod denique eidem sanctitati vestre gratius esse deberet atque acceptius, quam si ad hanc unionem sanctissimam tum juxta nostri moduli porcionem per nos ipsos, tum quod nostri proprium est officii ceteros ad eamdem rem inducendo

elaboraremus. Verum aliter multo quam rebamur, evenisse quantum ad illud postremum rumoribus quibusdam, utinam prorsus falsis, nobis vero vix credibilibus audivimus. Est itaque huc relatum, cum memoratas litteras parte nostra directas legendo pervidissetis, vos velut eis offensum, graviter indignabundum et moleste admodum ferentem, in verba hec erupisse : « *male sunt et venenose*[2] ». Quod si vanum ac fictum est, ut magis credimus, grata vestra responsio se ad pacem ecclesie voluntariam monstrans effectu fidem facere debebit, et ut speramus faciet. Sin vero (quod procul absit) id verum est, et supra modum miramur et dolemus quod tam indignum facinus patrio exciderit ore. Nam, proch Dei atque hominum fidem! pater beatissime, unde venenum emergit in re ista? Labor ipse tam sanctus est, materia tam sancta tamque inpolluta, ut nec veneno pollui nec venenum admittere ullum in se possit, eciamsi quis cuperet infundere. Nos vero non id cupimus, qui in re hac puro corde, sincera intencione, vera et inobliquabili racione, teste Deo, processimus et ad concordiam usque (Deo semper propicio) procedemus, ne quis jam nos tepescere et tedio victos esse suspicetur. Et ut partes epistole percurramus, an illud venenosum est quod labenti ecclesie in ipsius inicio condolemus, quod officii debito et conscientia ducti hunc laborem suscepisse nos dicimus?.... Ceterum illa forsitan venenosa arguitur oratio qua[3] in inimicum hominem tam salubris propositi ac operis, quantum quidem in se erat, turbatorem, paululum aliquid, et non certe pro rei magnitudine, inveximus. Quod si id vicio datur, quid quesumus deterius aut magis virulentum est, vel ad pacem ecclesie laborantes viis *talibus qualibus* impedire atque tam sanctum laborem funditus exinanire satagere; vel doctores ecclesie ad ipsius unionem perseverantem[4] operam impendere, scismatisque nutritores, qui vere scismatici sunt, refellere? Nundum veritas ipsa, licet graviter oppressa, usque adeo corruit in plateis, ut in dubium adduci illud oporteat. Ille venenosus potius erat dicendus, qui errori scismatice perfidie heresis suspicionem cumulavit, doctoribus ecclesie perpetuum machinatus imponere silentium, nec quicquam de hoc ad eos pertinere ausus ore sacrilego evomere, cui forsitan, dum tempus erit, quantum ad eos spectet, elucebit. Beatitudinem vestram iterum atque iterum in hujus rei vindictam imploramus, quam ad unionem quoque ecclesie (en rursus altera vice) instancius, obnixius, humilius per uberrimam Christi caritatem exortamur.

Et non est quod miremini, sed pocius ignoscatis, pater beatissime, si fortasse vehementius solito super hujuscemodi re scribimus.... Accedit insuper ecclesiasticorum pene omnium virorum simpliciumque, litteratorum ac popularium, clamor et querimonia adversum nos necnon adversum pastores ecclesie, quod tamdiu cladis hujus detestandam perniciem radicari et convalescere nephario silencio passi sumus. Sed per vos et per pastores antedictos finem hiis malis imponi expectabamus, ut unde morbus ceperat, inde quoque medicina oriretur. Quare ignoscite, pater, ignoscite, si quid forsan asperius, aut quod minus placiturum erat aliquibus in re hac locuti sumus. Non ex odio aliquo malignove conceptu, Deum testamur, sed ex zelo vehementi ecclesie hec veniunt....

Supplicamus ad postremum, pater beatissime, ut super litteris illis responsum nobis mittere dignemini, et vestram intencionem in parte hac quodammodo apperire, ut eidem conformare, quantum facultas tulerit, nos possimus, in hacque via Domini unanimes ambulare cum consensu. Si ullam trium viarum, quas nos excogitavimus, acceptandam duxeritis, gaudebimus; si in manibus aliam forte congruentiorem vos habere contigerit, eandem nobis pariter et vicissim patefacere velitis. Neque enim facile credimus, vos, ad quem summa hec rerum ante omnes mortales pertinet, per tot annorum spacia absque vie alicujus cogitacione, absque inventione stetisse. Beatitudinem vestram Christus ad sue sponse longa jam egritudine tabescentis ac extenuate unionem inspirare, promovere et adjuvare dignetur. Amen. Scriptum[5] die 22a Septembris.

Arch. nat. Paris. J. 518, fol. 15, e quo noster textus. Bibl. nat. Paris. mss. lat. 1463, fol. 99; 14643, fol. 25, sub rubrica ut supra, e quo Bulaeus, IV, 701, sine tamen rubrica; Cod. Vat. Ottob. lat. 3081, fol. 184b; Bibl. Bernens. ms. 519; Rotomag. O. 20, fol. 182b. Inter epistolas Nicolai de Clamengis in quinque msstis supra p. 624, not., allatis, et in Cod. Vat. Ottob. 260, fol. 41b.

Hac eadem die (Septemb. 22) nuntius venit Parisios de morte Clementis VII (vid. rubricam et *Chron. du rel. de Saint-Denys*, II, 188), Septemb. 16 Avenione defuncti. Proindeque Universitas epistolam minime misit, sed altera die magistri regem adierunt; insuper cardinalibus Avenione residentibus scripserunt, nunc spem esse schisma finitum iri; non festinent novum pontificem eligere. Vid. tom. IV *Chartul.*

1. Supra no 1690 editas. — 2. Ex hoc apparet, Clementem ista verba, in *Chron. du rel. de Saint-Denys*, II, 184, pariter relata, minime lecta epistola de tribus viis (no 1683) dixisse, sed lecta epistola no 1690 edita. Et sic etiam annotatur in ms. Paris. 14643, fol. 24, et in Ottob. 3081, fol. 183, in fine epistolae citatae, ut jam Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 1396 sq. refert. « Et de post, ut ibi scribitur, non multum gaudium habuit et satis cito mortuus est ». Vid. etiam *Chron.* Ad magistros Paris. igitur referendum, quod legitur in Arch. Vat., arm. 54, no 25, fol. 20, ante mortem Clementis « unum » mandasse domino Clementi, « quod amodo vel amplius non poterat ipsum defendere (vid. supra no 1667); item idem dixerunt sibi alii, et ex istis recepit iram et malanconiam dom. Clemens ». Nihilominus Petrus Regis, abbas S. Michaelis, postea asseruit : « ad eandem viam (cessionis) acceptandam erat deliberatus dum obiit, ut dicunt multi cardinales » (Arch. Vat., arm. 54, no 27, f. 125). An. 1406 Simon de Cramaudo similia pronuntiat (Bourgeois du Chastenet, *Nouv. hist. du Concile de Constance*, Preuves, p. 216) : « s'il eust vescu par un an ..., je suis certain qu'il me enchargea, et le me bailla par écrit de dire à mons. de Berry, qu'il estoit du tout prest de renunchier à la papauté ». — 3. oratio qua] « omnino quia ». Arch. nat. — 4. Arch. : « perseveraverint ». — 5. Sequentia om. Arch.

1694. *Cognita Clementis VII morte, die mercurii rector Universitatis cum quibusdam deputatis regem adiit et ab eo quatuor requisivit : 1o ut cardinales moneret electionem novam retardare donec super facto unionis plenius ipse deliberasset; 2o ut praelatos et barones regni, famosiores Universitatum, necnon aliquos summae auctoritatis burgenses congregaret qui excogitarent modum procedendi; 3o ut super istis scriberet Bonifacio intruso ac baronibus qui partem ejus fovebant; 4o ut per regnum Franciae fierent orationes devotae et processiones sollemnes, et liceret Universitati Paris. ceteris studiis litteras dirigere et remissas recipere[1], regio inrequisito assensu. Iis omnibus rex annuit, praecipiens ut praedicationes scholasticosque actus, tanto tempore intermissos, reiteraret Universitas. Quod ea se facturam libenti animo promisit.*

1394, Septembris 23, Parisiis.

Chron. du rel. de Saint-Denys, II, 192.

1. Vid. no 1691.

1695. *Henricus de Hassia, mag. Paris. et Universitatis Vindobonens. professor, Petro de Ailliaco, cancellario Paris., gratulatur de bona voluntate regis ad Schisma sedandum; a generali ad singularia nunc descendendum, et quamdam viam eligendam esse.*

An. 1394, Vindobonae.

Reverendo ac in Christo dilectissimo domino et sacre theologie magistro precellenti P[etro] de Elyaco (*sic*) Parisiensis studii cancellario ac Karoli illustrissimi regis Francie elemosinario, H[enricus] dictus de Hassia qualicumque labore ad pacem ecclesie premium mereri vite sempiterne. Jam tandem aliquando providente Domino, qui omnia suaviter suis disponit temporibus, id quod fama loquente crebro auditum est, rerum evidentia multis ad salutem verum ostendere attemptavit. Quid fama protulit celebris, non est ignotum. Protulit namque illustres Francorum reges de probitatibus multis commendari, et pre ceteris christianissimos nominari, et hoc nomen laudabile et super omne gloriosum, unde meruerint si libeat intueri. Quid dici potest verius nisi quod firmitate fidei de Christo, religiositate vite secundum Christum et strennuitate milicie pro Christo[1], ejus ecclesiam quociens oppressa fuit, liberarunt, quociens fuit turbata, tranquillam fecerunt, quociens divisa, ad unitatem reduxerunt? Hec, ni fallar, sunt illa virtutum opera eximia ex quibus ortum sumpsit tam gloriosi nominis fama. Ecce radix optima fame gloriose; ecce origo sancta nominis Altissimi omnibus imitanda regibus. Quocirca hoc nomen patrum illustrium cupiens verificari atque perhennari, rex ipse qui ejusdem regni hodie sceptra tenet.... digne decrevit illam [indolem] probitatis operibus generosis patribus consuetis eciam suo tempore potenter demonstrare.... Ipse primus ceteros preveniens hortatur ad pacem, consiliatur pro pace, dat operam, vexat vires, impendit opes, mittit legatos ubique, *offert se cum sua parte ad omnem rationem, viam et modum unioni sancte ecclesie in hoc casu magis congruentem*[2]. Revera laudabilis est valde et ydonea hec pacis inchoatio cunctis optate fidelibus, omnium pacis federa in merore prestolantium corda letificans. Non est inchoatio hec, quales fuerunt inanes pacis attemptaciones aliquociens preaudite, que rumore grandi, tanquam aliquid magni secuturum esset, pro tempore alico facto multorum corda exhilararunt, que cito post illis tanquam radicem non habentibus in nichilum deductis amplius merere fecerunt. Non credimus hoc absit de eo quod nunc in publicum prodiit solidissimo sancte pacis exordio. Quid enim optabilius racionabiliusque oblacione prefata, que sua generalitate sic solidatur, quod vix calumpniari aut sinistre interpretari possit? Et quis legalis homo taliter se offerentem dicere presumat captiose procedere aut agere dolose? Plane nullus. Oblacionem ergo illam quis non admittat, quis refutare audeat, quis eciam magnus aut parvus in parte contraria similiter se non offerat? Puto quod nemo invenietur, qui illi non consenciat. Ipsam ergo sinceram tanquam ex optimis cordium desideriis sine obliquo ad finem optimum exortam gaudenter recepimus et inconcusse tenemus, precipue vestrarum testimonio litterarum[3], que non parum in hoc negocio profuerunt, vestram per amplius exhortantes per omnia providam discrecionem, in promo-

cione incepti negocii Domino cooperante multa potentem, quatenus (quia philosopho teste[4] equivocaciones latent in *generibus*, et : sermones universales minus conferunt ad opus) cicius ex sincero quem scimus in vobis zelo efficere possetenus curetis, ut ad *singularia* negocio apta presenti procedatur; vie et modi inveniantur ydonei[5], in quibus dominus rex cum sua parte stare velit, significentur nostris auttentice, qui similiter eisdem et ipsi standum decreverint. [Si] non restat nisi praxis secundum vias concorditer acceptas deducenda, tunc ut estimo verisimiliter extracto equi judicii gladio et culmen summi honoris opibus refertum pro Christo relinquendum esse judicato, apparere incipiet discrecio inter pastorem et lupum, inter dominum et mercenarium. Quinymo via una vel pluribus in hoc casu ydoneis adinventis et a pocioribus utriusque partis approbatis, unus paratus erit se illis subdere, alter queret illas effugere, quando unus judicium effugiet et alter sancte eliget pocius titulo renunciare papatus, quam ut Dei populus remaneat divisus, et alter econtra vult illum divisum stare quam se privato Dei populum uni vero pastori totum assignari. Si vero illa oblacione generali ex parte domini regis Francie omnibus publicata et similiter ex parte adversa exhibita et cunctis intimata, dominus rex, qui motum inchoavit salutarem, particularius ad factum procedere non sencietur cum effectu, frustra se et alios vexavit et id quod sic in genere pro pace exhibuit, suspicione non carebit, fietque ita error novissimus fortior priore, convertetur gaudium in merorem, laus in vituperium, et labor tantus in nichilum reducetur. Si cor est in negocio sincerum, ut confidimus, hec non erunt, sed mox sine intermissione *de genere ad speciem procedetur, modus postmodum proponetur,* donec aptior inveniatur, fervor crescet, animus non tepescet, sed is qui incepit rem tam salutarem donec perficiat utique non quiescet. Si moveat vos aut quemquam, quod timide in hac re scribere videor, quasi scrupulo turber formidinis superflue fortasse, trepidans timore ubi non est timor : et ut materia sic sit et timor meus non sit propheticus, libenter timendo fallor, ut prosecucione negocii visa ulteriori gaudenter pro viribus cooperer. Sed vereor, ne quod timeo proveniat; moveor, ut puto, non gratis si racione excuser, moveor etenim hujus involuti scismatis radicata magnitudine, adherencium utrique fere equali multitudine, racionum pro utrisque multa fortitudine; moveor ambicione promotorum, cupidine potentum, molimine callido perversorum, pondere multo pectorum et forti resistencia hostium malignorum. Quibus pensatis quis sapiens non trepidet, quis facile estimet in hoc casu tot obnitentibus contrariis reduci ecclesie pacem, que ammoto omni scrupulo cunctorum corda transquillet et secura de vero pontifice summo sciat, eciamsi neuter contendencium papa fuerit? Quis eciam nesciat, quod sic perplexum est scisma istud omnibus deflendum, tamque firmatum tempore magno quo perstitit et tantum in eo processum est, quod non potest qualibet via levi cedari, sed neccesse est, si sine mali sequela majoris tolli debeat, ut *hoc fiat alico auctentico valde et solidissimo processu*[6], omni scrupulo, qui post oriri possit, evidenter excluso? Sed quod non diffido, dum auxilium decetero anxiatis lego multipliciter promissum. Ait enim....[7].

Nobis ergo quid restat quibus ad ea, que incumbunt, vires deficiunt nature, nisi quod pre omnibus ad Deum conversi humiliter petamus desuper auxilium gracie ....[8]. Sed quid, si scismate ablato infelici non redeant priorum aurea secula, nec forsitan ecclesia paci et unioni restituta erit in premissis emendacior, aut forte in virtutibus minor, quam ante scisma fuerat : nunquid si hoc undecumque verisimilius appareat, quempiam retrahere debet ut in negocio reunionis et pacis minus ferveat aut tardiori sollicitudine satagat? Absit, cum clare constet quod Christus inter cetera virtutum munera suis fidelibus singulariter pacem et caritatem preceperit et commendaverit, quod, qui nescit, scripturas non legit...[9]. Iterum pro verisimiliori habendum est, quod Deus, qui mala non permittit nisi gracia meliorum, ecclesiam suam de malo scismatice divisionis, qua modo concutitur, cum decreverit liberandam, utique in melius reformabit. Amplius, si, ut apostolus ait, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum hiis qui secundum propositum vocati sunt sancti [*Rom.*, VIII, 28], cur hoc precipue non competeret ecclesie Christi sic secundum propositum Dei sanctificate, quod semper fuit, est et erit in caritate, quomodo illi non crederent, finaliter ad bonum scismata, adversitates, tribulaciones et omnia, que patitur et patietur molesta, eciam multorum peccata que infra eam conmittuntur[10], electis fieri provide [cum] permittuntur? etc. Explicit. Deo gratias.

Bibl. Amplon. (Erfurtens), Q. 125. fol. 184^{b} — Haec epistola ibid. sequitur epistolam de 3^{bus} viis 6^{ti} Junii, et praecedit epistolam Universitatis an. 1395, April. 14, ad Benedictum de via cessionis directam. Ita prorsus. Intime enim connectitur cum epistola 6^{ti} Junii, quam Universitas Paris., seu potius cancellarius Petrus de Ailliaco Henrico de Hassia, post Junii 30, misisse videtur. Henricus in sua epistola scribit, Universitatem a genere ad singularia et particularia descendere debere, Per genus diversae viae significantur, per singularia electio cujusdam certae viae cum effectu. Revera Universitas postea in epistola an. 1395, April. 14, dicit · « Quia rem prospere terminari effectu maxime desideramus, quod bene posse fieri non videmus, quamdiu sic *in genere et plurimarum viarum confusione* stabitur, imo quousque ad unam certam et *particularem* ventum fuerit, idcirco », *etc.* (Bul., IV, 740). Epistola Henrici ergo scripta est tempore, quo Universitas nondum ad quamdam viam particularem, scil. ad viam cessionis, descenderat, ad quod obtinendum Henricus de Hassia, ut opinamur, non parum contribuit. Proindeque epistola an. 1394 adhuc scripta est, fortasse in ultimis Clementis VII, antequam ad aures Henrici interdictum regium pervenit. Ad eumdem ordinem pertinet ac epistolae supra editae Universitatis Colon., Philippi d'Alençon et Johannis regis Aragoniae, omnesque superat.

1. Ms. add. « quam ». — 2. Vid. n^{um} 1674, p. 618, et n^{um} 1686. — 3. Verisimiliter n° 1683; vid. imprimis p. 617 sq. — 4. Aristoteles, *Anal. post.*, II, p. 97^{b}, 30 (ed. Bekker) · αἱ ὁμωνυμίαι λανθάνουσι μᾶλλον ἐν τοῖς καθόλου, et *Eth. ad Nicom.*, II, 7, p. 1107^{b}, 29 : ἐν γὰρ τοῖς περὶ τὰς πράξεις λόγοις οἱ μὲν καθόλου κενώτεροί εἰσιν, οἱ δ' ἐπὶ μέρους ἀληθινώτεροι. Ad haec vid. supra notam. — 5. I. e. inter vias jam inventas quaedam apta eligatur. — 6. Utique hic cogitat minus de Concilio generali, quam de via cessionis, quam jam an. 1393 proclamavit. Vid. n^{um} 1668. — 7. Sequuntur textus S. Scripturae. — 8. Exhortatio ad compunctionem et poenitentiam et orationem, ut Dei gratia « revolvantur priscorum patrum *aurea saecula* excessibus modernorum jam nimis aliena facta ». In hoc etiam haec epistola cum epistola Junii 6 concordat (vid. p. 624, not. 14). Henricus de Hassia ut etiam magistri Paris. nimis laudatores erant temporis acti. — 9. Amplificatur. — 10. Ms. « conferentur »

APPENDIX

1696. *Forma litterarum recommendatoriarum cujusdam magistri artium.*

Universis presentes litteras inspecturis rector et Universitas magistrorum et scolarium Parisius studentium salutem et sinceram in Domino karitatem. Si omnes tam naturali equitate quam divine legis precepto teneantur ut veritati testimonium perhibeant, multo magis viri scolastici et cujuscumque scientie professores ad hanc veritatis perhibitionem specialiter sunt astricti, ut sic nec favore nec timore devient a rectitudine rationis Hinc est quod non solum fama referente, sed ipsius rei evidentia declarante, veraciter nobis constat dilectum virum B. de tali loco, magistrum in artibus, fama et vita moribusque fore multipliciter commendandum. Volentes igitur in quantum nobis in hac parte incumbit veritati testimonium perhibere, tenore presentium litterarum notum facimus quod predictus magister licentia rigorosa, prehabita examinatione diligenti, statum magistralem in artium facultate secundum Parisiensis Universitatis consuetudines atque mores rite, licite et legittime est adeptus, et postmodum in predicta Universitate Parisiensi studendo et legendo in dicta artium facultate est laudabiliter conversatus; propter quod merito dictum magistrum socium nostrum carissimum omni quo poss[umus] recommendamus affectu omnibus personis tam ecclesiasticis quam secularibus, cujuscumque status existant, eis omnibus attente supplicando quod predicto magistro benivolentiam et honorem seque favorabiles et benignos exibeant, consilium, auxilium et favorem in suis negociis impendendo, tantum in hiis facientes, ut eis teneamur ad gratiarum actiones efficacius alligati, scientes quod quidquid pro predicto magistro fecerint, pro nobis fieri reputamus. Datum sub sigillo magno nostre Universitatis in nostra congregatione generali apud Sanctum Maturinum per juramentum sollemniter celebrata anno Domini M° CCC° LXXX°.

Bibl. nat. Paris. ms. lat. 16219, fol. 230. — Haec epistola in multis concordat cum litteris testimonialibus *Chartul.*, II, n° 1045, editis, e quo concludere debemus, tam litteras testimoniales quam recommendatorias semper ad eamdem fere formam compositas fuisse.

STATUTA FACULTATIS DECRETORUM

(Continent n°s 1697-1712.)

In collectione statutorum, e qua sequentia desumpta sunt, promiscue vetera cum novis reperiuntur. Notandum tamen in tempestate posteriori quaedam statuta specie tantum ut nova edita esse, cum jam antea vigerent. Nos in sequentibus ea exscripsimus, quae ad saec. XIV adhuc pertinere videntur, quod non raro pro certo affirmari potest.

1697. « *Hec sunt statuta que debent legi per bidellum communem anno quolibet in principiis lectionum tam Decretalium quam Decretorum in facultate Decretorum Paris.* »

Partim an. 1340-1390.

(1) Primo statuendo decernimus nullum decetero censendum scolarem facultatis Decretorum, ut privilegiis ipsius facultatis immunitatibusque fruatur (*ms.* fungatur), nisi lectionem proprii doctoris audiverit et lectionem ordinariam de mane debite frequentaverit ad minus bis vel ter in ebdomada[1].

(2) Item si contingat aliquem scolarem capi qui non habeat doctorem certum a quo Decretum audiat, ut dictum est, non repetetur ut scolaris. Et si aliis privilegiis et auxiliis ut scolaris in facultate Decretorum indiguerit, eidem nullatenus subvenietur, cum talis non sit censendus scolaris.

(3) Item[2] nullus baccalarius de mane legens vel alius poterit repetere scolarem captum ab officiali, preposito seu quovis alio judice ecclesiastico vel seculari, sub pena perjurii, cum talis repetitio ad doctorem actu regentem dignoscatur pertinere.

(4) Item observabunt statuta, privilegia, consuetudines laudabiles, ordinationes et sententias decani et collegii

facultatis Decretorum illesa et illesas, exibebuntque reverentiam, obedientiam et honorem dictis decano et collegio ac singulis doctoribus dicte facultatis tam presentibus quam futuris, ad quemcumque statum devenerint.

(5) Item vocati per bidellum vel subbidellum facultatis, etiam ex solo vive vocis oraculo, coram dictis decano et collegio responsuri comparebunt personaliter et objiciendis ac petendis respondebunt, juri stando.

(6) Item[3] non audient jura canonica extra vicum clausi Brunelli, nisi juxta dispositionem facultatis.

(7) Item studentes in dicta facultate Decretorum, si quamcumque petant gratiam a facultate, antequam illam obtineant, jurabunt exibere obedientiam, reverentiam et honorem decano et collegio ac singulis doctoribus dicte facultatis, tam presentibus quam futuris.

(8) Item nullus invitabit[4] seu advocabit aliquem scolarem postquam doctoris scolas vel baccalarii intraverit sub pena resecationis et perjurii.

(9) Item[5] quod ipsi habeant portare vestes honestas et decentes et talares, non gorgiatas sive apertas et ex toto in parte anteriori fissas, neque etiam in superiori parte fissas vel in coletis apertas. Et quod non defferant sotulares rostratos seu fenestratos, calligas rubeas vel soleatas, neque caputia nodata aut cum borreletis vel gippones aut indumenta gibbum supra spatulas habentes vel habentia, seu pompetas aut alios habitus aut colores pannorum a jure prohibitos.

(10) Item quod religiosi S[ti] Benedicti habebunt deferre flocum cum cucula vel capam clausam cum cucula, non mantellum seu rotondelum, nisi forsan contingeret ipsos extra villam proficisci Ceteri vero religiosi teneantur deferre capam vel alterum religiosum habitum secundum consuetudines vel statuta sue religionis determinatum.

(11) Item si quis in tali habitu indecenti, ut dictum est, deprehensus fuerit, et a decano facultatis, ad quem volumus hujus rei curam pertinere, tertio commonitus non resipuerit, ipso jure ab omnibus facultatis privilegiis, honoribus et immunitatibus censeatur esse privatus.

(12) Item statuimus et ordinamus ac sub pena perjurii et resecationis....[6].

(13) Item insuper ordinamus et statuimus, precipimusque sub predictis penis perjurii, resecationis et privationis, quod pueri et juvenes in sedibus capiendis in scolis deferant majoribus, scilicet magistris, licentiatis, nobilibus baccalariis et antiquioribus[7] tam in lectione ordinaria quam in disputationibus, repetitionibus, lecturis solemnium Decretalium, propositis, harengis et festis doctorum, ita quod decetero primam et secundam banchas pro hujusmodi graduatis et aliis supra expressis dimitterent scolares in talibus actibus vacuas, prout est in facultate theologie fieri consuetum, quia ratio dictat, quod ceteris paribus minor cedat majori. Si quis ...[8].

(14) Item quod non impedient doctores vel alios legentes seu actus scolasticos exercentes bidellos vel alios officiarios dicte facultatis sibilationibus vel aliis perturbationibus quibuscumque.

(15) Item hora qua legitur Decretum, Decretales nec possunt nec debent legi.

(16) Item volumus quod cum auditione canonum auditio alterius scientie....[9] que legitima reputetur per collegium.

(17) Item legentes de mane *non legant cum candela*[10]; nec *ad pennam* seu calamum modo pronuntiantium[11], sed dumtaxat, si sit aliquid notandum et repetitione dignum, non proferant pro scribentibus nisi bis in plus, et hoc fiat raro et per juramentum, quia per hoc impeditur processus, quod est inconveniens et nullo modo tollerandum. Quod statutum quolibet anno publicetur in scolis.

(18) Item circa testimonium scolaritatis perhibendum seu repetitionem faciendam si quis scolaris ab aliquo officiali seu judice ecclesiastico seu layco captus fuerit seu detentus, statuimus et decernimus quod de frequentatione lectionis matutinalis per scolarem sic detentum aut ad baccalariatum ascendere seu litteram testimonialem rectoris habere volentem per cedulam legentis de mane vel alias legitime suo doctori, per cedulam vero doctoris super scolaritate hujusmodi facultati vel decano aut alias ubicumque opus fuerit fides et testimonium perhibeatur. Et per ipsum doctorem dumtaxat scolaris detenti repetitio fiat.

(19) Item omnes baccalarii legere volentes in jure canonico....[12] facultati expedire.

(20) Item omnes baccalarii respondere volentes suas conclusiones afferant facultati, et facultas eis providebit de doctore.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 1, e ms[to] Cheltenham. 2863 (saec. xv), ibid., f. I, sub rubrica communi: « Secuntur primo statuta concernentia principaliter scolares Parisius audientes in jure can. »; deinde rubrica ut supra. Numeri ante paragraphos desunt in isto statuto.

1. In statutis Guillelmi cardinalis de Estouteville an. 1452 hoc statutum « vetus » nominatur. — 2. Vid. *Chartul.*, II, 81.

p. 503. — 3. Ibid., p. 504. — 4. Ibid., p 503. — 5. Vid. *Chartul.*, III, p. 443, et II, p. 504. Forma sententiarum et verborum supra partim est tempestatis Guillelmi card. de Estouteville. — 6 *Chartul.*, II, nº 1191, stat. 1. — 7. Vid. ibid., stat. 2. — 8. Ibid. — 9. Ibid., p. 504, et III, nº 1363. — 10. Vid. III, p. 426. — 11. Vid. II, p. 708; III, nº 1229 et p. 430, lin. 1. — 12. Ut supra p. 537, ultim. paragr.

1698. « *Sequuntur juramenta que debent prestare admissi ad gradum baccalariatus.* »

(1) Primo jurabitis reverentiam, obedientiam et honorem exibere decano et collegio ac singulis doctoribus facultatis Decretorum, presentibus et futuris, ad quemcumque statum deveneritis.

(2) Item statuta, jura, libertates, conclusiones et sententias, ordinationes et consuetudines laudabiles dicte facultatis hactenus observatas, ad quemcumque statum vos contigerit devenire, illesas et illesa servare, nec tacite vel expresse, directe vel indirecte, per vos vel per alium, palam vel occulte, ipsa vel ipsas impugnare.

(3) Item vocatus per bidellum vel subbidellum facultatis, etiam solo vive vocis oraculo, coram dictis decano et collegio responsurus, comparebitis personaliter et objiciendis ac petendis respondebitis, juri stando.

(4) Item jurabitis satisfecisse legenti aut saltem satisfacere antequam faciatis propositum vel harengam.

(5) Item legetis in decenti habitu, videlicet si sitis in sacris ordinibus constitutus, legetis in capa clausa, si non in sacris ordinibus, in capa rugata juxta consuetudinem facultatis.

(6) Item quod hora qua intenditis legere, dicetis propositum vestrum, nisi per collegium vobiscum fuerit dispensatum.

(7) Item quod infra quindecim dies utiles dicetis propositum et harengam, nisi per collegium vobiscum fuerit dispensatum. Qui dies reputantur utiles, in quibus secundum ordinem Kalendarii posset legi et esset legendum, quamvis actualiter propter aliquod repentinum superveniens impedimentum non legatur.

(8) Item pridie qua dicetis harengam, visitabitis singulos doctores per domos ipsorum, eis supplicando quod in vestra harenga velint interesse.

(9) Item quod infra octo dies continuos solvetis quatuor bursas cum dimidia conformiter ad statuta, et ante harengam, si infra octo dies velitis facere harengam.

(10) Item solvetis in harenga vestra cuilibet doctori vere regenti quatuor solidos parisiens. prout hactenus est fieri consuetum.

(11) Item jurabitis die qua facietis harengam vestram dare prandium doctori vestro, uno alio doctore ad minus ad beneplacitum ejusdem doctoris secum associato, vel alias satisfacere vestro doctori.

(12) Item jurabitis interesse quinque missis beate Marie, in duabus missis beati Nicolay et in missa beate Catherine sub pena quatuor solidorum parisiens. pro quolibet deffectu ad usus cappellanorum missas pro facultate celebrantium convertendorum, nisi infirmus fueritis vel absens a villa justa et legitima de causa per unam leucam ad minus, vel minutus sanguine illa die, de quibus facietis fidem per juramentum vestrum in presentia doctorum collegialiter congregatorum.

(13) Item jurabitis interesse in disputationibus et repetitionibus doctorum et vesperiis doctorizandorum cum libris et capa etiam ab initio ingressus scolarum induta. Quam quidem capam tenebimini deferre et libros tenere usque in finem actus sub pena quatuor solidorum pro quolibet deffectu ad usus dicte facultatis applicandorum, et pro sustinendo ornamenta et luminaria capelle dicte facultatis et servitium.

(14) Item jurabitis interesse in lecturis solemnium Decretalium[1] per doctores faciendis, sub pena quatuor solidorum ad usus dicte facultatis convertendorum pro quolibet deffectu.

(15) Item jurabitis quod si legatis in nonis Sancti Jacobi, intrabitis in prima pulsatione dicte hore; si vero in nonis Beate Marie legeritis, intrabitis in prima pulsatione magne campane dicte hore et non ante, quas horas tenebitis et taliter debite legendo continuabitis, quod cedet ad honorem vestrum et facultatis ac utilitatem audientium. Alioquin vobis desidibus et negligentibus in dictarum horarum lectura et continuatione repertis, tempus hujusmodi lecture minime computabitur, vel alias prout visum fuerit facultati puniemini.

(16) Item intrabitis lectionem Decreti illius doctoris, in cujus scolis legetis, nisi per doctorem vobiscum fuerit dispensatum.

(17) Item non legetis solemnes Decretales, que legi solent per doctores.

(18) Item non legetis nisi in scolis actu regentis, nisi per collegium vobiscum fuerit dispensatum.

(19) Item jurabitis non solicitare per vos vel per alium aliquem scolarem, precipue cum scolas alicujus doctoris vel baccalarii intraverit.

(20) Item non legetis privatim vel publice Decretales in presentia alicujus doctoris, nisi contingat vos de mane legere. Tunc modicum prima die ordinarii de precepto decani in presentia doctorum legere poteritis, prout est fieri consuetum.

(21) Item non revelare secreta collegii, in quantum concernunt statum baccalarii.

(22) Item non facere propositum nisi in scolis in quibus intenditis legere. Alioquin solvetis duos solidos paris. proprietario scolarum, in quibus facietis propositum vestrum.

(23) Item jurabitis habere libros textuales cum glosis ordinariis juris canonici. Et si omnes pro tunc non habeatis, et sit causa rationabilis, si videatur collegio expedire, tunc admittatur talis, dum tamen prius juret non incipere suam lecturam quousque habuerit libros, ut superius expressum est.

(24) Item non legetis Decretales extra vicum clausi Brunelli, nisi licentia super hoc petita et optenta a decano et collegio facultatis Decretorum, nec tunc possitis legere extra dictum vicum clausi Brunelli, nisi solvatis pensionem pro scolis ac si in dicto claustro (*sic*) Brunelli legeritis, vel quemadmodum legens in dicto claustro solvere consuevit, et ad usus facultatis applicandam.

(25) Item quia omnis ars et doctrina per exercitium suscipit incrementum, jurabitis non accedere ad examen licentie, nisi primitus in disputatione publica et solemni Parisius sub doctore Parisius regente responderitis. Super quo tamen poterit vobiscum justa subsistente causa dispensari per facultatem.

(26) Item jurabitis nullibi recipere licentie gradum in jure canonico quam in Universitate Parisiensi[2], si in eadem continuando cursum studii vestri acquisieritis tempus vel partem temporis ad licentiam obtinendam, nisi tamen prius debite petieritis et obtinueritis a decano et collegio dicte facultatis licentiam gradus vestri baccalariatus, simul et omnes cedullas per vos ibidem levatas super lecturis et voluminibus ac tempore acquisito in dicta facultate, et per bidellum in scolis, ut moris est, proclamatas. Quodque etiam integraliter satisfeceritis tam de pena debita pro singulis deffectibus, si quos forsan contigerit vos tunc commisisse, declaratis in 7°, 8° et 9° articulis nunc vobis lectis et per vos juratis, quam etiam de sallario sive pensione scolarum in quibus legeritis, de collectis similiter, ac etiam de juribus debitis legenti seu legentibus lecturam ordinariam et bidellis dicte facultatis, qui pro tempore erunt, juxta ipsius facultatis ordinationes et statuta.

Quodque super hujusmodi juramento dispensationem a quovis superiore, etiam sede apostolica, non impetrabitis, neque per alium impetrari curabitis. Et si illam impetrari aut motu proprio vel alias concedi contingeret, eadem dispensatione vel ejus effectu non utemini[3].

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 10, e ms^to^ Cheltenham. 2863, ibid., f. VI. — Quasdam vid. in n° 1697.

1. Vid. *Chartul.*, II, p. 504, not. 2, et infra n° 1712. — 2. Hoc statutum, mutatis mutandis, tunc temporis in omnibus Universitatibus introductum erat. Ex quo licentiandi vel magistrandi saepe ad sedem apostolicam recurrerunt, ut ab hoc juramento absolverentur et in alia Universitate licentiam vel magisterium recipere possent, ut apparet e *Regestis Vat.* — 3. Hoc statutum posterioris est temporis.

1699. « *Secuntur statuta tangentia baccalarios legentes.* »

(1) Primo quando fiunt misse communes doctorum et baccalariorum facultatis Decretorum, baccalarii de mane legentes precedent alios in sedibus, processionibus, oblationibus et pacis osculis; alii vero baccalarii incedent in premissis secundum antiquitatem, primi et posteriores, prout quisque junior vel antiquior in lectura juris canonici fuerit, nisi junior fuerit nobilis vel in dignitate tali constitutus, cui per antiquiores sit juxta dispositionem facultatis ratione dignitatis vel nobilitatis deferendum.

(2) Item nullus baccalarius potest legere nisi in scolis doctoralibus, scilicet in quibus est doctor regens actu, nisi per collegium fuerit cum eo dispensatum. Si tamen per duos menses legerit in scolis doctoris actu regentis, ibidem usque in finem anni tenetur continuare lectiones suas, satisfacto de pensione vel de satisfaciendo prestita cautione ydonea, etiamsi doctorem absentare contingeret absque spe revertendi.

(3) Item cum baccalarius lecturam suam inceperit in scolis doctoris actu regentis, non poterit se transferre ad scolas alterius doctoris, nisi de precepto vel licentia collegii vel de licentia primi doctoris.

(4) Item nullus baccalarius potest mutare horam suam legendi, nec librum ex quo inceperit, absque licentia collegii.

(5) Item postquam inceperit legere aliquem librum, leget eum sine saltu, titulos ordinate continuando, alias non computabitur pro lectura sic per saltus legenti. Si vero uno anno legerit unum librum integre, potest eodem anno partem alterius libri, in fine videlicet, duos vel plures titulos legere, dum tamen illum librum anno sequenti incipiat a capite, vel e converso incipere poterit a capite, et anno sequenti in eodem incipere ubi prius dimiserat, sine saltu, et continuare et complere.

(6) Item nullus baccalarius incipiet legere Decretales in prima receptione ad lecturam vel in principio cujuslibet anni, vel cum habet horam mutare, nisi publice in scolis per bedellum generalem vel subbidellum fuerit proclamatus et preconizatus, alias si contrarium fecerit, tempus lecture talis sibi nullo modo computabitur, et alias prout videbitur facultati punietur, et nemini fiat contra hoc gratia per juramentum.

(7) Item si baccalarius vocatus ad collegium per bedellum ex parte decani vel collegii ad collegium non venerit seu excusatorem idoneum non miserit et causam absentie notoriam non habeat legitimam : si Decretales legat, per triduum a lectionibus suspendatur, et hora legendi scole claudentur, et si pertinax fuerit nolens in aliud triduum collegio satisfacere, spreto juramento per eumdem collegio impenso, super hiis pena prout videbitur collegio seu majori parti afficiatur duriori. Si vero baccalarius ad mandatum collegii venire recusans actu non legat, de perjurio notabitur et alias contra ipsum per collegium prout visum fuerit expedire procedetur.

(8-10) Item quia circa hujusmodi lecturas et scolas doctorales quamplurime fraudes hactenus sunt commisse......[1] fiat gratia per juramentum.

(11) Item omnes baccalarii legere volentes in jure canonico.....[2] prout videbitur facultati expedire.

(12) Item baccalarii legentes in nonis Beate Marie legant et tenebuntur legere, quotiens in nonis Beati Jacobi legentes debuerunt legere, nisi impediantur propter propositum vel alias legi tunc per Universitatem vel per facultatem.

(13) Item baccalarii excrescentes, cum[3] scole doctorum sint solute, solvent pensionem scolarum in quibus legerunt sibi contingentem, et pro rata temporis in utilitatem collegii convertendam.

(14) Item omnes baccalarii teneantur legere singulis diebus legibilibus ordinarie, aut saltem ad minus ter in septimana in scolis clausi Brunelli, et non alibi, hora per facultatem ordinata, et non alia, debite singulas suas lectiones per spatium hore integre protrahendo, ut talis lectura in honorem cedat facultatis et baccalariorum et preter[ea] in eorum audientiumque utilitatem reddundet; alias non acquirent tempus pro licentia obtinenda, talibusque desidibus et negligentibus nullo modo tempus omisse lecture computabitur. Quinymo de tempore in cedullis ipsorum baccalariorum contento, quod quidem in legendo modis predictis acquirere potuissent et debuissent, illa portio temporis eisdem auferetur, et sibi merito defalcabitur, quo se a lecturis et observatione predictorum abstinuerint, illaque adimplere neglexerint sive contempserint. Super autem diligentia vel negligentia quam adhibebunt baccalarii in legendo, ut predicitur, exactissima continuo a facultate fiat inquisitio, quandoquidem honor facultatis, profectus eorumdem baccalariorum et aliorum studentium circa continuationem ac exercitium dictarum lecturarum versetur et maxime consistat.

In fine vero cujuslibet anni per decanum et collegium visitentur maxima cura singule cedule baccalariorum, et examine diligenti habito super lecturis ab eisdem baccalariis modis prescriptis continuatis vel omissis, vera annotatio temporis per baccalarium acquisiti, simul etiam et perditi, in dorso cujuslibet cedule inscribatur veridice. Nec aliqua causa vel occasione differatur hoc examen cedularum anno statim elapso fieri, ne forsan diuturnitate temporis ob memoriam hominis labilem quicquam de veritate obmittatur, aut aliquid falsi pro veritate in ipsis cedulis admisceatur.

(15) Item quod decetero debite legant baccalarii modis contentis in proximo precedenti articulo spatio quadraginta mensium, antequam admittantur ad examen licentie obtinende. Ubi vero aliqui manifeste agnoscerentur plus ceteris profecisse et actus scolasticos diligenter frequentasse aut forsan essent prelati vel magni nobiles seu persone admodum graves, aut licentiati in jure civili, alias tamen docti, in his casibus poterit facultas eos admittere ad ipsum examen licentie consequende, si modo predicto debite legerint spatio triginta sex mensium.

(16) Item et quia (*sic*).

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 20, e ms[to] Cheltenham. 2863, ibid., fol. VIII.

1. Supra p. 536 sq. — 2. Ibid., p. 537, et nº 1191; supra nº 1697, 19. — 3. Ms. « scole cum ». Vid. infra nº 1711.

1700. « *Statuta et juramenta concernentia legentes de mane.* »

(1) Primo jurabit non repetere aliquem scolarem captum.... [1].

(2) Item jurabit audita pulsatione Beate Marie non remanere in cathedra nec ulterius legere, seu ante horam a lectura desistere : alioquin monitione premissa tanquam perjuro actus legendi interdicetur.

(3) Item non advocabit nec invitabit per se vel per alium aliquem scolarem, postquam alterius [scolas] intraverit vel etiam antequam ingressus fuerit[2].

(4) Item jurabit legere secundum facultatis ordinationem uno anno primum librum Decretalium, in secundo anno secundum, et in tertio anno tertium librum Decretalium, et in quarto quintum, et in quinto anno sextum, et in sexto quartum librum Decretalium et Clementinas, bene temperate et decenter, et complere cum textibus, glosis et materia recte occurenti sine verborum superfluitate, materias peregrinas minime aut saltem parum textum concernentes omittendo.

(5) Item jurabit quod scolas in quibus leget non recipiet seu retinebit aliquo jure vel quocumque colore quesito, nisi de licentia expressa facultatis, nec poterit dictas scolas retinere vel aliquod jus in eis vindicare, nisi usque ad finem ordinarii illius anni. Et anno immediate sequenti non poterit in eisdem legere nec ad dictam lecturam recipi, nisi de expresso consensu decani et collegii dicte facultatis. Et si contrarium fecerit, ut perjurus puniatur.

(6) Item quod in medio anni vel in aliqua parte collecta sua facta lecturam non dimittet per juramentum sine licentia collegii petita et obtenta, cum ad hujusmodi lecturam pro toto illo anno ab anni principio proprio juramento se astrinxerit, et propter hoc specialiter collectam receperit.

(7) Item jurabit solvere medietatem pensionis scolarum, et faciet pro alia medietate solvenda collectam, pro qua quilibet scolaris ab ipso audiens tenebitur solvere duos solidos parisiens. Illud vero quod supererit de hujusmodi collecta, soluta medietate dicte pensionis, spectabit ad facultatem, cujus pensionis tenebitur solvere medietatem i[n] Candelosa[3], et aliam medietatem in Paschate.

(8) Item poterit facere collectam quando sibi placuerit, et pro ipsa collecta quilibet scolaris sub ipso audiens ad minus tenebitur sibi solvere florenum valentem francum. Et ad hoc per captionem librorum[4] bis in uno anno si opus fuerit per monitiones generales et alias vias justas et honestas compelletur, nisi propter notabilem paupertatem hujusmodi scolaris fuerit excusatus, et de hoc appareat saltem per suum proprium juramentum. Tunc non compelletur prestito hujusmodi juramento ad aliquid solvendum, nec dicte monitiones ipsum ligabunt.

(9) Item ad predictam collectam solvendam baccalarii, licentiati et actu legentes aliis horis in dicta facultate minime tenebuntur.

(10) Item quod incipiet prima die legibili post festum beati Dyonisii, et continuabit usque ad subsequens festum beati Michaelis.

(11) Item quod non absentabit se nec leget per substitutum ultra mensem continuum, nisi fuerit infirmus vel alio legitimo impedimento detentus. Et ex tunc si impeditus fuerit, habebit hoc quamcitius poterit significare decano et collegio dicte facultatis, ut per ipsos cognoscatur et judicetur, an impedimentum hujusmodi fuerit legitimum, et per eos provideatur tunc ad lecturam predictam in ipsius deffectum.

(12) Item quod singulis annis comparebit in prima missa collegii ante festum beati Michaelis ad supplicandum pro lectura, et ad renovandum juramenta supradicta. Qui si supplicare et predicta jurare noluerit, a dicta lectura omnino repellatur.

(13) Item quod *non leget cum candela* nec *ad pennam* sive ad calamum modo pronunciantium[5] pro quocumque, sed dumtaxat.....[6] ac expedit. Quod statutum quolibet anno publicetur in scolis prout alibi continetur.

(14) Item quod complebit integraliter et decenter librum seu libros per facultatem ordinatos et assignatos[7].

(15) Item tenebitur facere quolibet anno ante festum beati Dionysii unum propositum, ita quod si sint duo legentes de mane vel plures, junior in lectura matutinali primo faciet, et alter immediate die sequenti, et sic de aliis suo ordine secundum antiquitatem gradatim absque concursu, prout est fieri consuetum.

(16) Item quilibet legens de mane tenebitur visitare singulos doctores in prima lectione magni ordinarii quando legent.

(17) Item quia [in] solutione[8] collecte legentium de mane plurime de die in diem (prout ad nostram sepius ex fide dignorum relatione pervenit notitiam) fraudes committuntur, et dignum est ut qui ad onus assumitur, non debeat a mercede repelli, statuimus et ordinamus quod decetero quolibet anno semel ad minus scolares, volentes a doctoribus suis cedulas super auditione juris canonici quoad acquisitionem temporis sibi sigillari juxta formam

alibi latius expressam[9], teneantur doctori a quo voluerint dictas cedullas sigillari defferre cedulam seu brevetum legentis de mane, a quo audiverint, in qua testificetur dictus legens sibi satisfactum esse de collecta. Alioquin non sigillabuntur dictis scolaribus hujusmodi cedule nisi doctor alio modo legitime fuerit informatus de hujusmodi solutione, servata tamen ordinatione erga pauperes, prout alibi plenius est cautum.

(18) Item forma prefati breveti sit hec : « Domine doctor, talis, etc., satisfecit michi de collecta pro hoc anno, » etc.; post ponat dictus legens nomen suum et ejus signetum.

(19) Item[10], quia sepissime furtive et per surreptionem aliqui inventi sunt gradum baccalariatus obtinuisse, statuimus ut nullus legens de mane litteram certificatoriam sue auditionis lecture alicui concedat, nisi veraciter informatus sciverit ipsum scolarem eamdem lectionem audivisse et debite continuasse, absque fraude et cum librorum delatione.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p 31, e ms[to] Cheltenham. 2863, ibid., f. XIII.

1. Ut nº 1697, 3. — 2. Vid. ibid., 8. — 3. I. e. in Purificatione B. Mariae. Ms. : « *i.* candelosam ». — 4. Sicut aliae ordinationes, ita etiam haec de « captione librorum » e statutis studiorum juris in Italia desumpta est. Jam Roffredus, *Libelli jur. civ.*, l. 5, de offic. jud. (e cod. Burghes. nº 135) scribit · « Hodie ita usus est, ut salaria promissa a scolaribus doctores exigant, *et libros scolarium pro collectis capiunt*, ut tutius sit eis pignori incumbere, quam in personam agere ». Sic in *Statutis juristarum Universitatis Paduanae*, an. 1331 (vid. Denifle, in *Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, VI, p. 471, 40 sq.) et in *Statutis Univers. Florent.* (ed. Gherardi, p. 66), exstat statutum quoad doctores, qui libros scholarium occasione collectae capiunt. — 5. Vid. supra nº 1697. — 6. Ut *Chartul.*, II, p. 708, ultim stat. — 7. Ibid. — 8. Ms. · « solutionem ». — 9. Vid. III, p. 195. — 10. Hoc statutum legitur in statutis Guillelmi card. de Estouteville an. 1452, quem opinamur illud, ut saepe, solummodo renovavisse.

1701. « *Statuta tangentia bedellum et subbedellum dicte facultatis.* »

(1) Primo jurabit obedientiam et reverentiam et honorem exibere decano et collegio ac singulis doctoribus dicte facultatis presentibus et futuris.

(2) Item baccalariis et scolaribus, cuilibet secundum statum suum.

(3) Item pacem et tranquilitatem servare in facultate Decretorum.

(4) Item statuta, jura, libertates et consuetudines facultatis, precipue suum officium tangentia, illesa et illesas servare.

(5) Item fideliter suum officium exercere, nec secreta collegii vel doctorum signo, verbo vel quoquo modo revelare.

(6) Item non solicitare vel advocare aliquem scolarem antequam ingrediatur scolas alicujus doctoris vel baccalarii vel post quandocumque.

(7) Item non proclamabit aliquem baccalarium ad aliquem actum scolasticum sine licentia decani, nec etiam aliquid aliud sine predicta licentia, etsi tangat collegium, sine licentia collegii vel majoris partis

(8) Itemque ratione sui officii nichil exiget a scolaribus vel baccalariis ut sibi debitum, nisi secundum quod sibi debetur per statuta, vel de antiqua consuetudine per collegium expresse approbata. Si vero contrarium fecerit, in duplum ejus quod receperit sine remissione quacumque puniatur.

(9) Item sciendum est quod virga argento ornata et deaurata, quam tenetur generalis bedellus deferre, de pecunia collegii fuit facta. Et erit perpetuo dicta virga dicti collegii, nisi loco ejusdem una melior subrogetur. Et eam tenetur reddere dictus bedellus quandocumque cedere vel recedere ipsum contingeret quoquo modo. Similiter et virga argentea tradita subbedello dicte facultatis.

(10) Item non proclamabit aliquem baccalarium ad lecturam, nisi prius habuerit et viderit cedulam testificatoriam de suo volumine a decano facultatis sigillatam, secundum formam ordinatam baccalariis, ut supra.

(11) Item in collectis faciendis debent bedellus et subbedellus generales facultatis precedere ceteros servitores dicte facultatis.

(12) Item ordinatum est et statutum per collegium Decretorum omnibus doctoribus ad hoc specialiter vocatis, ut moris est, quod bedellus facultatis pro quolibet deffectu tangente suum officium puniatur.

(13) Et subbedellus quoque puniatur similiter pro quolibet deffectu per decanum facultatis, quando et prout facultas ordinabit.

Et idem est servandum pro quolibet deffectu missarum facultatis et Universitatis, nec non congregationum Universitatis et etiam deputatorum ejusdem, ita quod usque ad finem congregationum saltem unus ipsorum teneatur esse et remanere sub pena predicta. Et si quis ipsorum habeat legitimam causam absentie, tenebitur quam citius commode poterit se excusare fideliter et per suum juramentum proprium in collegio prestandum, vel saltem coram decano facultatis. Alioquin incurrent predictam penam, eisdem nullo modo remittendam. Et ut efficacius predictum statutum servetur, decanus facultatis tenebitur fideliter punctuare in libro facultatis quemlibet deffectum ipsorum, super[1] quo ejus conscientiam oneramus. Et tenebitur prefatus decanus per juramentum quater in anno, scilicet in missa proxima facultatis post festum Epiphanie Domini, Pasche, sancti Johannis Baptiste, et sancti Remigii, predictos deffectus per ipsum signatos, ut prefertur, intimare collegio, cui erit credendum, ut sic melius et efficacius per facultatem ordinetur de solutione et satisfa[c]tione.

(14) Item jurabunt quod non impedient lectiones baccalariorum favore cujuscumque ratione propositi seu propositorum, nisi per collegium cum dicto faciente propositum gratiose fuerit aliter dispensatum.

(15) Item nullus bedellus seu subbedellus admittatur ad officium predictum, nisi premissa quolibet anno juraverit modo et forma predictis.

(16) Item non distribuet aliis bedellis aliquas pecunias, nisi certum fuerit ipsos et quemlibet ipsorum prestitisse juramenta fieri consueta ut sequitur.

(17) Item cum doctores et baccalarii in loco pro examine deputato fuerint congregati, dicti bedellus et subbedellus custodient ostium.

(18) Item quod bedellus et subbedellus et claviger scolarum, in quibus legitur de mane, tenentur ire et esse congregati cum magno bedello facultatis in primis Sancti Jacobi precise in vico Brunelli, quotienscumque erit aliquid proclamandum in scolis, et secum vadant ad scolas, sibi assistendo quandiu suum exercebit officium, et quod ipsi advertant et attendant si sint aliqui sibilatores et dissoluti turbantes prefatum bedellum exercendo suum officium, et illos denuntient, si cognoscant, in facultate per eorum juramenta; ut inde facultas bene provideat et procedat, prout visum fuerit de jure procedendum contra tales, ad honorem facultatis, et ut cedat aliis in exemplum.

(19) Item pro quolibet deffectu quo prefatus subbedellus non erit cum magno bedello ut prefertur, non sibi assistendo in vico Brunelli, quotienscumque erit aliquid proclamandum in scolis, nec tumultum impediendo : ipse tanquam subbedellus et servitores seu custodes dictarum scolarum in quibus legetur de mane, si deffectum faciant super premissis, priventur[2] dicto servitio seu officio et omnibus emolumentis eisdem provenientibus ratione dictarum scolarum, quas habent in custodia ut prefertur, et alias procedetur erga ipsum vel ipsos tanquam contra perjuros et prout visum fuerit expedire facultati.

(20) Item bedellus et subbedellus facultatis tenentur et debent venire qualibet die ad domum decani facultatis ad sciendum, an sint aliqua intimanda dominis doctoribus. Et hoc sub pena que continetur supra in rubrica *de bedello et subbedello facultatis*.

(21) Item bedellus facultatis tenebitur denuntiare facultati per juramentum, si prefati subbedellus et claviger scolarum faciant deffectum super premissis, ut facultas debite provideat contra ipsos delinquentes in premissis.

(22) Item bedellus et subbedellus nedum facultati, ymo etiam cuilibet doctori regenti interroganti quid voluerit circa[3] honorem vel utilitatem facultatis, veritatem tenebuntur respondere per juramentum et sub pena privationis a suis officiis.

(23) Item non habeant dicti bedelli generales a baccalariis tam pro propositis quam harengis suis pro preponendo[4] unum ante alium in proclamatione (quam dicti bedelli habent facere in scolis) vel etiam postponendo aliquid [exigere] vel petere quoquo modo, nec etiam producendo dictos baccalarios per villam ad visitandum dominos doctores juxta morem consuetum, nisi mere voluntarie fuerit eis oblatum, cum dicti bedelli ad hoc faciendum ratione sui officii teneantur.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 39, e ms^to Cheltenham. 2863, ibid., f. XV.

1. Ms. : « sub ». — 2. Ms. potius : « punientur ». — 3. « Ms. : « contra ». — 4. Ms. · « preponendum ».

1702. « *Statuta tangencia alios bedellos et servitores.* »

.....[1] (5) Item quod non erit bedellus duorum doctorum, presente suo primo doctore, nec absente nisi de licentia primi.

(6) Item non erit bedellus unius et subbedellus alterius, sed poterit esse bedellus et subbedellus ejusdem.

(7) Item quod non erit bedellus in alia facultate, dum erit bedellus in facultate Decretorum.

(8) Item quod nichil proclamabunt per scolas nisi de licentia decani[2].

(10) Item jurabunt denuntiare baccalariis festa, disputationes, vesperias, et lecturas solemnium Decretalium quam citius sciverint, et missas[3], quibus baccalarii interesse tenentur, prout est fieri consuetum[4].

(12) Item quod bedellus ille sit honeste vite, bone conversationis, non magnus mercator, habebitque quilibet doctor bedellum, quem assumpserit si alias habuerit, si de novo incipiat, illum quem suus doctor sibi ministrabit facultati presentare. Et si opus sit, dictus bedellus facultatem informare tenebitur de statu suo, eritque in voluntate seu deliberatione facultatis vel repellere talem ex causa, vel eum admittere.

Item quod nullus doctor recipiat aliquem in bedellum suum, etiam de consensu facultatis, qui habeat ultra decem arpenta vinearum, quandiu quaternarium durabit[5].

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 48, e ms[to] Cheltenham. 2863, ib., fol. XVIII.

1. Paragraphi 1-4 respondent paragraphis 1, 4, 3, 6 n[i] 1701. — 2 Paragr. 9 respondet paragr. 8 ibid. — 3. Postea una linea vacat. — 4. Paragr. 11 respondet paragr 15. — 5. Pag. 51 sequitur in ms[to] statutum de *Clavigero,* qui aperire debet scholas, nec permittere ut aliquis aperiat ante horam. Eat cum bedello et subbedello ad scholas in lectione matutinali, cum ibi fuerit aliquid proclamandum. A p. 53 et 55 sequuntur statuta *Alani cardinalis* an. 1457 (1458), quae incipiunt « Cum exigentibus peccatis nostris », ap. Jourdain, *Index,* p. 281[a]. In ms[to] tamen quaedam supra n° 1587 edita et quae intacta remanebant, inseruntur. Aliud statutum Alani in ms[to] p. 66 exscribitur.

1703. « *Statuta tangentia formam procedendi ad examen licentiandorum.* »

(1) Primo adveniente anno jubileo, quo debent licentiari baccalarii in Decretis, videlicet de biennio in biennium, illo anno post Nativitatem Domini, dum et quando videbitur decano et doctoribus regentibus, proclamatione publice in scolis per bedellum facta vel vocatis singulis baccalariis qui sunt vel credunt esse in forma licentie optinende, ut compareant in proxima missa doctorum, proclamationem vel vocationem sequente in presentia decani et collegii apud locum ubi missa doctorum consuevit celebrari (*sic*).

Statuta tangentia formam examinis.

(2) Item ad officium decani spectat, dum et quando sibi videbitur expedire, dum tamen propter hoc examen non retardetur, vocare doctores per tres missas ad dispensandum cum baccalariis licentiandis, si et in quantum indigent et videbitur collegio licitum et expediens dispensare.

(3) Item de biennio in biennium adveniente anno jubileo aperiatur semper examen tardius feria secunda immediate post *Oculi mei*[1], nisi ex justa et legitima causa per facultatem fuerit aliter ordinatum.

(4) Item in ultima missa ad dispensandum, baccalarii licentiandi personaliter debent comparere cum quibus dispensatur in forma qua supra.

(5) Item repetitur ab eis illud juramentum, quod omnia in cedulis posita sint vera.

(6) Item decanus cum consensu collegii habet eligere decretum, super[2] quo baccalarii sunt examinandi, et debet istud notificari baccalariis qui sunt in forma, per tantum tempus ante diem aperiendi examen quantum doctoribus videbitur expediens.

(7) Item cum predictum decretum debebit baccalariis assignari, in uno certo loco vocentur, et per decanum et unum de doctoribus nominetur eisdem, nec per cedulam singulariter mittatur, ne cedula differens aliquibus nimis tarde notificet[ur], alios aliis per favorem vel odium preferendo.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 60, e ms[to] Cheltenham, 2863, ib., fol. XXII.

1. Tertia dominica Quadragesimae. — 2. Ms. « sub ».

1704. « *Juramenta volentium intrare examen magnarum cedularum.* »

(1) Primo ipsis baccalariis comparentibus per juramentum petatur, si tempore lecture Decretalium visitaverint doctores in disputationibus, repetitionibus et lecturis solemnium Decretalium, prout facere tenebantur.

(2) Item injungatur cuilibet baccalario quod in scriptis ponat tempus auditionis Decretalium, Decreti, et tempus lecture Decretalium, quot, quantum et quem vel quos libros Decretalium legerit Parisius vel alibi, et sub quo doctore vel in aliis[1] scolis.

(3) Item de auditione et lectura juris civilis.

(4) Item ponat titulum beneficiorum vel officiorum, vel graduum, si quem habet in alia facultate vel alterius cujuslibet scientie.

(5) Item quilibet baccalarius tot faciat cedulas, quot sunt doctores regentes, et quod in propria persona doctoribus singulis et eorum domibus deferat, nisi cum ipso legitime impedito per collegium, ut per alium faciat, dispensetur.

(6) Item jurabunt baccalarii quod non ponent in predictis cedulis nisi ea que credunt et sciunt, prout recolere possunt esse vera, nec in eisdem scienter admiscebunt aliquid falsitatis.

(7) Item quod illas cedulas tradent infra tempus per collegium eisdem assignatum una cum cedulis, quas sigillatas a doctore proprio et decano pro quolibet anno seu volumine receperunt singulis annis, prout supra est traditum.

Juramentum examinatorum.

(8) Item eisdem injungitur quod satisfaciant ante examen legentibus de mane pro toto tempore auditionis et de pensione pro scolis, vel ydonee caveant ante licentiam optentam a cancellario Parisiensi, alias non recipiantur ad examen, nec cancellario Parisiensi presententur. Et idem in pena debita pro baccalariis, qui in missis, statutis, repetitionibus, principiis doctorum novorum et lecturis solemnium Decretalium defecerunt erit observandum, ut primitus satisfaciant quibus est satisfaciendum. Et idem in aliis penis quibuscumque per facultatem ordinatis.

Juramenta camere examinis licentiandorum.

(1) Primo ad officium decani spectat injungere per juramentum doctoribus et baccalariis quod omnia, que ibidem dicentur et fient, sub secreto per juramentum tenebunt.

(2) Item inhibere cuilibet baccalario per suum juramentum, ne impediat argumentum vel solutionem sui socii, nec valeat solutioni se opponere, nec solutionem pro ipso recipere quoquo modo.

(3) Item quod non solum baccalarii habent argumentis doctorum respondere, sed etiam si que questiones vel *quare* fiant eisdem per doctores debent respondere.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 66, e msto Cheltenham. 2863, ib., fol. XXIIII.

1. Ms. · « aviis ».

1705. « *Statuta concernentia decanum circa examen licentie.* »

(1) Primo decani incumbit officio ante casus propositionem in Decreto baccalarios in examine existentes caritative monere ut absque timore et tremore, sed secure habeant ad argumenta vel quesita respondere, secundum quod in mente conceperint et de jure videbitur eis respondendum, cum doctores baccalariis consueverint esse gratiosi et benigni.

(2) Item baccalarii de mane legentes, si qui fuerint in examine, sicut et ceteri examinabuntur, nisi per collegium vel majorem et saniorem partem doctorum ipsius collegii specialiter super hoc evocatorum fuerit aliter ordinatum.

(3) Item decani arbitrio relinquitur, quibus baccalariis casus positionem et summationem ac lecturam glosarum, uni vel pluribus, imponat.

(4) Item ratione officii sui debet [contra] omnes arguere, contra quos et quot de baccalariis voluerit[1].

Bibl. Ars. Paris. ms. 1121, parte III, p 70, e msto Cheltenham, 2863, ibid., f. XXV.

1. In fine · « Quere formam procedendi ad examen licentie fol. », scil supra p. 649. Postea (p. 72) in ms[to] sequuntur juramenta licentiandorum, edita post ordinationes a cardinalibus de Estouteville et Alano promulgatis

---

1706. « *Statuta tangentia distributionem baccalariorum admissorum ad licentiam.* »

(1) Primo nullus doctor, etiamsi de novo incipiat, habebit partem in distributione baccalariorum, nisi ante diem examinis verus regens fuerit, non honorarius, per sex menses ante examen, videlicet per tres continuos in fine anni non jubilei, scilicet ante festum apostolorum Petri et Pauli, et per tres alios continuos anni jubilei ante examen, et de hoc sufficienter constet, nisi de gratia per totum collegium omnibus doctoribus regentibus super hoc specialiter evocatis admittatur. Quo casu ejus bedellus vel subbedellus nichil percipiet, cum doctor gratiose ad distributionem admittatur.

(2) Item distributio baccalariorum fit secundum antiquitatem doctorum, ut antiquior primo eligat, et sic descendendo quilibet in ordine suo, secundum quod erit antiquior. Ubi vero erunt plures baccalarii quam doctores, baccalarii numerum doctorum excedentes, antiquioribus doctoribus debentur, cuilibet doctorum electione eidem servata secundum ordinem suum ut supra.

(3) Item si aliquis doctorum vere regens fuerit per tempus superius ordinatum, et imminente tempore licentie ipsum pro aliqua causa rationabili oporteat absentare, causam sui recessus collegio bona fide teneatur exprimere. Et si causa per collegium vel majorem partem collegii fuerit approbata, doctor sic recedens et ejus bedellus et subbedellus in distributione baccalariorum portionem, ac si presens esset et veraciter regeret, obtinebit.

(4) Item in recessu suo debet committere uni doctorum regentium et nulli alii vices suas pro parte distributionis baccalariorum sibi debita sub ordine et nomine eligenda, perinde ac si doctor pro quo eligit personaliter et presens eligeret.

(5) Item quod doctor, sive antiquior sive junior, possit eligere baccalarium quemcumque voluerit, sive legat in scolis suis, sive in scolis alterius doctoris antiquioris vel junioris, vel etiam legat in scolis ubi non sit doctor regens, vel qui est licentiandus non legerit illo anno, quia annis preteritis finierit libros suos et compleverit sua volumina. Et sine alio impedimento quocumque libera eidem doctori electio relinquatur.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 78, e ms[to] Cheltenham. 2863, ib., fol. XXVII.

1707. « *Statuta tangentia scolas.* »

(1) Primo nullus doctor regens Parisius in Decretis recedens ex aliqua causa potest privari scolis suis infra annum, sed per lapsum anni ipso jure privatur, nisi pro negotiis facultatis absens fuerit. Et debentur doctori antiquiori in ordine, si ipsas voluerit acceptare in collegio, vel alii antiquiori descendendo[1].

(2) Item pendente anno absentie doctoris, nullus alius doctor ibidem potest intrare, nisi de licentia doctoris, protestatione tamen premissa vel juramento doctoris, quod illo revertente libere sibi remittet vel antiquiori doctori, cui secundum consuetudinem debentur lapso anno.

(3) Item statuimus et ordinamus, precedens statutum immediate nullo modo debere decetero extendi ad *magnas scolas*, ita quod decetero nullus doctorum pretextu antiquitatis vel alias poterit ipsas magnas scolas optare vel occupare, sed reservabuntur pro factis solemnibus et publicis ipsius facultatis expediendis, ita quod quilibet doctor, qui habebit principium, harengam seu repetitionem vel alium scolasticum actum communem tenere, poterit pro illo actu ipsas occupare, et non aliter vel alias. Duobus tamen doctoribus in tali actu scolastico concurrentibus eadem die, antiquiori debebuntur si eas voluerit occupare; reputabuntur tamen doctorales ac si doctor actu ibidem regeret. Et contra hoc statutum nulli doctorum fiat gratia per juramentum, nisi urgente necessitate vel evidenti utilitate per collegium approbata fuerit cum aliquo doctorum per ipsum collegium dispensatum. Quo casu doctor, cui sic fieret gratia, habebit primitus prestare juramentum in collegio quod dictas scolas nullo jure tamquam proprias occupabit, nec ipsarum possessionem intrabit expresse vel tacite, palam vel occulte, sed eas resignabit pure et simpliciter et libere, quotiens per facultatem vel ipsum decanum fuerit requisitus, nec in eis habebit baccalarios ponere seu eas baccalariis assignare.

(4) Item *antique* scole, videlicet *magne* et alie que sunt honeste et que solum sunt deputate et ordinate ad usus scolarum, primitus repleantur doctoribus et baccalariis, quam alie que fuerunt et sunt domus private et ad alios usus quam scolarum possunt cotidie applicari.

(5) Item quod terminus scolarum quoad pensiones solvendas incipiet in festo sancti Remigii, et durabit usque ad festum beati Remigii sequenti anno revoluto.

(6) Item baccalarii legentes in nonis Sancti Jacobi vel Beate Marie in *scolis bassis* etiam melioribus, solvent proprietario earumdem dumtaxat sexaginta solidos parisiens., nisi melius forum potuerint habere. Legentes vero in eisdem horis in aliis scolis solvent quadraginta solidos parisiens.

(7) Item scole tam alte quam basse singulis annis per decanum cum deputatis visitabuntur, ut videatur que honeste et decentes aut indecentes ad legendum reperientur[2], et hoc ante festum beati Dionisii.

(8) Item pro magnis scolis debent tradi pro pensione in nonis Beate Marie quatuor libre parisiens., et in nonis Sancti Jacobi sexaginta solidi parisiens., nisi melius forum potuerint habere[3].

Bibl. Arsen. Paris. ms 1121, parte III, p. 81, e ms[to] Cheltenham. 2863, ib., fol. XXIX.

1. Ubique tunc hic usus viguit. Quod manifestum apparet quoad nationem Angliae seu Alemanniae, in *Auctar. Chartul.* in diversis locis. — 2. Ms. : « recipientur ». — 3. Postea in ms[to], p. 85, sequitur Concordia supra n° 1523 edita.

1708. « *Juramenta prestanda per illos qui ad doctoratum recipiuntur.* »

(1) Primo in die presentationis presentans se ante occasum solis prestare debet solita juramenta, alias presentatio est ipso facto nulla.

(2) Si tamen aliquis se presentaverit in die licentie in bassa capella episcopi Paris., ilico et incontinenti debet prestare juramenta solita, quibus prestitis omnibus aliis licentiatis, per quodcunque tempus fuerint prius licentiati, prefertur.

(3) Item si inter presentationem et juramenti prestitionem aliquis antiquior licentiatus se presentaverit et juramenta prestiterit, prefertur presentato non jurato.

(4) Item quilibet se debet presentare simpliciter et absolute cessante quacumque conditione, alias ex presentatione non acquiritur sibi jus nec in re nec ad rem.

(5) Item decetero aliquis non potest incipere in Decretis nisi solus, nisi per collegium fuerit dispensatum.

(6) Item nullus recipiatur ad doctoratum, nisi primo juret pacem et tranquilitatem servare in collegio Decretorum et inter singulos doctores presentes et futuros.

(7) Item non revelare secreta collegii Decretorum nec deliberationes nec deliberata doctorum.

(8) Item quod pridie sui principii visitabit singulos doctores in domibus ipsorum, eisdem supplicando ut in omnibus suis actibus scolasticis et in prandio sui doctoratus velint interesse.

(9) Item jurabit statuta, jura, libertates, privilegia.... illesa et illesas servare,.... deffendere[1].

(10) Item quod de positis in deliberatione per decanum collegii facultatis Decretorum fideliter secundum suam conscientiam, non ductus timore vel odio nec favore, sed quod secundum Deum et justitiam eidem videbitur, respondebit.

(11) Item quod solvet doctori suo, sub quo incipiet, bonas et honestas robas seu vestes de panno de Brucellis seu de consimili villa notabili ad magnam mensuram. Et etiam forraturas de bonis pennis, de grossis et minutis variis cum capa de scarleto cum pennis prout est fieri consuetum. Religiosis vero doctoribus fiet satisfactio in equivalenti.

(12) Item cuilibet bedello doctorum vere regentium quatuor solidos parisiens.. et cuilibet subbedello duos solidos.

(13) Item quod infra quindecim dies utiles incipiet in Decretis, qui dies utiles intelliguntur, ut dictum est supra, in rubrica *de admissis ad lecturam Decretalium*[2].

(14) Item presentans debet satisfacere doctori suo ... (*sic*) vel concordare cum ipsis infra diem naturalem computandum a fine diei presentationis.

(15) Item si ultra quindecim dies utiles distulerit facere vesperias et festum, non potest incipere nisi prehabita dispensatione, que ita gratiosa est, quod unus solus doctor omnibus aliis consentientibus potest interimere.

(16) Item die precedenti diem vesperiarum doctorizandi debent satisfacere....[3]

(17) Item quod dabit honeste convivium doctoribus, licentiatis, baccalariis legentibus de mane et omnibus aliis baccalariis actu in dicta facultate legentibus, bedello generali ac subbedello, necnon bedellis ac subbedellis ipsorum doctorum regentium et eorumdem coram ipsis servientibus clericis seu scutiferis, prout est fieri consuetum.

(18) Item invitabit prelatos et nobiles existentes Parisius et curiam Parlamenti et ceteros judices et consiliarios regios Parisius existentes, prout fieri consuetum est, ut intersint vesperiis et festo et prandio festi.

(19) Item per decanum et alios deputatos a facultate visitabitur locus, in quo debebit fieri convivium predictum, ut decenter et congrue ad honorem facultatis omnia disponantur. Quod si doctorizandus noluerit dictis decano et deputatis locum ut prius ostendere, et contingeret aliquem deffectum ibidem esse in festo, punietur, prout visum fuerit collegio, videlicet emolumentis primi anni jubilei si in illo debeat habere portionem : si non, emolumentis alterius anni jubilei sequentis, in quo portionem debebit accipere.

(20) Item eodem modo fiet de biretis, ut doctores habeant bonos biretos et honestos, alioquin non recipient, et tenebitur ad restitutionem debitam dictus incipiens et punietur prout supra in articulo precedenti.

(21) Item quod in prima missa post diem sui principii offeret in capella facultatis unum cereum novum de quatuor libris cere vel per alium offerri faciet, si sit absens.

(22) Item recipiet bedellum et subbedellum per doctorem suum sibi tradendos, cum per doctorem doctorizantem debeat dari novo doctori bedellus et subbedellus, qui bedelli non gaudebunt aliquo jure vel emolumento bedellatus, nisi prestiterint juramenta fieri consueta prout cavetur supra in rubica *de bedellis*[4].

(23) Item quod [bedellus] non sit mercenarius seu cappellanus alicujus collegii vel domini, ut per hoc magis servetur honor facultatis et gradus doctoralis.

(24) Item debent visitari primo bireta in loco facultatis omnibus doctoribus ad hoc evocatis, et quilibet doctor debet habere unum biretum dupplex de scarleto, et unum simplex a quolibet doctorizando. Et debet illa die doctorizandus dare prandium facultati.

(25) Item infra quatuor dies post visitationem debent ut in precedenti articulo doctores visitare domum festi et vinum, et debent habere prandium in domo visitata et acceptata per facultatem, et bireta a quolibet, ut supra dictum est.

(26) Item biretarius debet omnia bireta tam facultatis, prelatorum et nobilium, quam omnium aliorum die festi portare in capella Sancti Johannis[5] omnibus doctoribus congregatis; si reperiantur bona et honesta ac in sufficienti numero pro scola ad honorem facultatis, recedat biretarius sine suis biretis, et maneant dicti bireti sub custodia facultatis. Eo tamen die dantur duobus bedellis facultatis [et] bidellis dominorum doctorum vinum.

(27) Item debent distribui bireta modo qui sequitur, videlicet, si est princeps, primo loco principi; secundo loco archiepiscopis, episcopis et cancellario; tertio loco facultati secundum ordinem facultatis; quarto loco abbatibus et nobilibus; quinto loco omnibus sedentibus in magno scanno facultatis; sexto loco magistris in theologia. Et sic ulterius modo consueto facultatis.

(28) Item die festi quilibet doctorizandus debet cuilibet doctori regenti duo bireta duplicia, doctori non regenti unum; et duplum debent habere presidens et respondens; decanus facultatis debet tot habere bireta sicut presidens et respondens, et totidem receptor ipsius facultatis.

(29) Nota quod vesperie fiunt die sabbati et festum die martis, qua die sabbati doctores intrent in estate hora octava modicum tardius, et in hyeme hora nona, et doctorizandi incedunt primo loco statim post bedellos, et antiquiores doctores ultimo loco.

(30) Item et doctores et doctorizandi debent intrare capellam[6] Sancti Johannis et tardius hora octava, et ibi tractare concernentia factum vesperiarum.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 89, e ms[to] Cheltenham. 2863, ib, fol. XXXI.

1. Ut ubique, et saepe in his statutis. — 2. N° 1698, p. 643. — 3. Postea duae lineae vacant. — 4. N° 1702. — 5. *S. Jehan à l'Ospital*. Vid. Bordier, *Les église et monasteres de Paris*, p. 14. — 6. Ms. : « capellanam ».

1709. « *Statuta circa formam incipiendi in decretis pro gradu doctoratus adipiscendo.* »

(1) Primo quod in die vesperiarum doctor, qui presidebit in cathedra, habebit assignare unam questionem inter baccalarios disputandam alicui baccalario Parisius in facultate decretorum, cui voluerit et quem elegerit respondere seu ordinaverit responsurum.

(2) Item dictus baccalarius qui habebit respondere tenebitur ante diem responsionis sue dare decano facultatis questionem, conclusiones et correlaria, ut evitetur concursus materiarum inter doctorandum et ipsum baccalarium.

(3) Item eodem modo tenebitur doctorandus communicare decano questionem, etc., propter eandem causam.

(4) Item junior doctor regens debet respondere de questione disputanda die ante inter doctores et de uno *quare*, nisi facultas aliud ordinaverit.

(5) Item a quolibet incipiente decanus debet habere quatuor birretos bonos et honestos.

(6) Item doctor doctorizans quatuor. Item doctor respondens de questione quatuor, et quilibet aliorum doctorum duo.

(7) Item quod nullus doctor nisi vere regens possit tenere principium in Decretis, nisi per facultatem aliud fuerit ordinatum.

(8) Item nullus potest incipere in Decretis, nisi sub doctore sub quo fuerit licentiatus, ipso tamen vivente et infra regnum Francie existente, si tamen ejus copia haberi commode potuerit; alias[1] tenebitur incipere sub decano facultatis et solvere jura facultati, que soluturus esset suo doctori, si viveret, et prout statuta cavent[2] in proxima rubrica supra, et infra articulo proximo.

(9) Item licentiati qui sunt in forma incipiendi in Decretis, quorum doctores qui ipsos optaverant mori contigerit, possint compelli per collegium, si expediens videatur ipsi collegio, incipere in Decretis et recipere gradum, sicut proprii doctores ipsorum possent ipsos compellere si viverent, ita quod totum jus et emolumentum quod deberetur secundum formam statuti facultatis proprio doctori si viveret et ipsum doctorizaret, debebitur facultati.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 98, e ms^{to} Cheltenham. 2863, ib., fol. XXXV.

1. Ms. : « alius ». — 2. Ms. : « canunt ».

1710. « *Statuta et juramenta prestanda in collegio facultatis Decretorum concernentia doctores volentes regentiam incipere et eamdem regentiam continuare.* »

Partim an. 1391, Februarii 8.

(1) Nos decanus et collegium facultatis Decretorum, considerantes [quod] illud quod frequentius aspicitur et repetitur, melius et efficacius in memoria retinetur : idcirco est statutum matura deliberatione prehabita prout moris est, quod nullus doctor decetero admittatur ad regentiam continuandam, nisi de novo juret que sequuntur.

(2) Et 1° jurabit pacem....[1] futuros.

(3) Item jura, statuta, libertates, privilegia....[2] deffendere.

(4) Item jurabit semper incedere per villam honeste in decenti habitu et congruo et congruo doctorizatu, associatus saltem uno clerico vel famulo honesto ad honorem facultatis, nec non et viles personas et inhonestas comitivas ac etiam inhonesta loca et suspecta penitus evitare sub pena privationis regentie. Si quis vero contra rium faciens fuerit repertus, quod absit, contra eum procedetur per facultatem ad privationem regentie in perpetuum vel alias, prout facultati videbitur esse providendum.

(5) Item legere Decretum ad honorem collegii, scilicet legendo et continuando competenter, non transitorie sed tenendo horam debite et decenter, ut sic scolaribus proficiat et honor facultatis servetur. Qui vero contrarium fecerit, contra eum procedetur per facultatem, aliis statutis et juramentis hactenus et antea prefatis in suo robore duraturis.

(6) Item quia parum est statuta facere nisi executioni demandentur, statutum est concorditer, prout moris est, quod quicumque doctor deprehensus fuerit quovismodo secreta collegii revelasse, eo ipso quod de hoc collegio legitime constabit per sententiam, confessionem vel rei evidentiam, talis, si regens fuerit, perpetuo privetur regentia. Si vero non regens, nunquam in posterum ad regentiam admittatur, et alias contra ipsum prout visum fuerit

facultati procedatur, et idem volumus in licentiatis et baccalariis observari. Et ut istud irrefragabiliter observetur, nulli in contrarium fiat gratia per juramentum.

(7) Cum per exercitium omne artificium recipiat incrementum, idcirco nos decanus et collegium facultatis Decretorum Parisius ejusdem facultatis honori baccalariorumque et scolarium ac aliorum quorumcumque in eadem facultate studentium utilitati providere cupientes, prehabita super hoc deliberatione matura, omnibusque ac singulis doctoribus regentibus ad statuendum, prout moris est, per tres missas specialiter evocatis, et propter hoc anno Domini *millesimo trecentesimo nonagesimo*, octava die Februarii, solemniter et debite congregatis,

(8) statuimus et ordinamus quod quilibet in antea doctorandus in facultate Decretorum Parisius singulis annis jubileis sue lecture et regentie teneatur facere unam repetitionem solemnem in claustro (*sic*) Brunelli; quam si facere omiserit, ex tunc elapso anno sit sua lectura et regentia privatus, nec ad ipsam deinceps admittatur, donec prius fecerit repetitionem per ipsum omissam; jam doctoratos, quibus invitis legem imponere non possumus, exhortantes, ut hoc statuto uti debeant in se ipsis.

(9) Item quilibet noviter doctorizandus volens ad regentiam admitti jurabit, quod presens statutum nemini revelabit verbo vel facto, nutu vel signo, directe vel indirecte, palam vel occulte, aut alias quovismodo, quodque hujusmodi statutum observabit et ab aliis quantum poterit procurabit observari[3].

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 101, e ms[to] Cheltenham. 2863, ib., fol. XXXVI.

1. Ut n° 1708, 6. — 2. Ibid., 9. — 3. Deinde sequitur statutum in ms[to] p. 106 *de Juramentis doctorum admissorum ad resumptionem regentie*, i. e. eorum qui vel ob absentiam vel ob aliam causam amiserunt regentiam, posteaque admittuntur. Eadem fere juramenta ut supra usque ad paragr. 7 praestare debuerunt. — P. 111 sequitur statutum de *thesaurario* seu *receptore*, quod in aliquibus punctis, immo quantum ad nomen posterioris temporis est, et in ms[to] lacunis non caret. Thesaurarii officium fuit illud receptoris in aliis facultatibus et in nationibus, imprimis quoad bursas.

1711. « *Statuta tangencia decanum et ejus electionem, et eciam juramenta que ipse habet prestare in collegio doctorum immediate quod ipse est electus quolibet anno in manibus antiquioris doctoris regentis.* »

(1) Primo quoad factum decani electio fiat prima missa post primam lectionem, qua post festum Omnium Sanctorum legetur, et anno revoluto ille pro decano habeatur, in quem totum collegium vel major pars dicta die consenserit, non obstante quod per aliqua tempora fuerit observatum quod antiquior doctor regens Parisius in Decretis haberetur pro decano in collegio Decretorum[1], cum decanus facultatis per electionem[2] possit fieri modo et forma predictis. Et ad illam diem predictam debebit decanus qui tunc erit convocare omnes doctores regentes per juramentum et sub cedula, ut intersint in dicta missa ad eligendum decanum.

(2) Item jurabit suum officium fideliter et diligenter excercere.

(3) Item si eodem anno decanum decedere vel se absentare contingeret, tunc collegium ponet ibi alium loco sui, quousque decanus revertatur.

(4) Item si decanum ante finem anni decedere vel omnino recedere sine spe revertendi contigerit, vocentur per antiquiorem omnes alii doctores regentes specialiter ad unam missam pro electione decani loco sic recedentis vel decedendis, ita quod ultra revolutionem anni non duret, nisi in dicta die jovis de novo eligatur vel continuetur.

(5) Item cum decanus fuerit electus, omnes bedelli debent prestare juramenta quod sibi in omnibus obedient ut decano.

(6) Item decanus tenebitur doctorizare licentiatos, qui erunt in forma incipiendi in Decretis, si non habeant proprium doctorem viventem. Et de pecunia, que deberetur doctori suo si viveret, dictus decanus habebit pro pena et labore decem francos, residuum vero dicte pecunie remanebit penes facultatem, cui in tali casu debebitur Quod si contingeret talem non habentem doctorem doctorizari per alium doctorem quam per decanum, non esset prejudicium dicti decani, dum tamen per ipsum non fiet quominus faciat factum juxta formam statuti predicti.

(7) Item jurabit exequi penas ordinatas per collegium tam contra doctores [et] bedellos, quam contra alios quoscunque sine quacunque remissione per ipsum facienda, nisi omnibus super hoc specialiter evocatis.

(8) Item jurabit quod quolibet anno proxima missa vel citius post festum Omnium Sanctorum legere et intimare predictis bedello et subbedello facultatis statutum factum super punitione ipsorum ut magis timeant deficere. Quod statutum est sub rubrica *de bedello et subbedello* supra[3].

(9) Item jurabit non tradere librum facultatis alicui, nisi talis doctor regens existat, cui vel manualiter tradere debet, vel si per alium, debet tunc mittere clausum et sigillatum. Et etiam vice versa debebit doctor per se restituere decano prefatum librum, vel si per alium, sigillatum ut supra. Quod si secus actum fuerit, puniendus erit qui hoc fecerit ad arbitrium facultatis.

(10) Item[4] ad officium decani spectat pro utilitate baccalariorum in registro facultatis scribere nomina baccalariorum legentium quolibet anno, et in quibus scolis, qua hora legent et etiam pro quoto volumine, et ipsis cedulas super lecturis sigillare prout alibi supra est dictum et statutum[5].

(11) Item cum predictis immediate tenebitur decanus in anno jubileo post licentiam ponere tempus, in quo volentes tunc incipere legere incipiant suam lecturam, ut sic sciantur baccalarii excrescentes, videlicet qui legent in scolis licentiatorum illo anno, quorum salarium et pensio scolarum pro rata temporis debent venire ad utilitatem facultatis, de quo habet dictus decanus reddere fidele compotum.

(12) Item et quia rationi consonat ut qui ad onus assumitur, non debeat a mercede repelli, statutum est, prout moris est, quod decanus[6] pro qualibet littera sigillanda super lecturis bachalariorum a quolibet bachalario, qui habuerit cedulam sigillari, recipiat duos solidos parisiens. ad usus suos proprios convertendos, ut sicut onus sentit. ita sentiat emolumentum. Nam bachalarii a multis oneribus et magnis expensis ratione propositorum remissorum sunt relevati.

(13) Item decani arbitrio relinquitur, quibus bachalariis casus positionem et extractionem notabilium ac lecturam glosarum uni vel pluribus imponat.

(14) Item ratione sui officii debet omnis arguere tam contra examinandos ad gradum bachalariatus accipiendum, tam contra admissos in examine pro licentia obtinenda, et contra quos de baccalariis voluerit.

(15) Item decanus tenebitur exhortari et monere omnes et singulos doctores quatinus graciose, caritative et fructuose examinent omnes bachalarios, et non odio nec iracundia procedere ad examen cujuslibet.

(16) Item decani incumbit officio inhibere cuilibet bachalario per suum juramentum, ne impediat argumentum vel solutionem sui consocii, nec solutioni [se] opponat[7], nec solutionem pro ipso recipiat quoquo modo.

(17) Item statutum est quod decetero quibuscumque causis particularibus facultatum, magistrorum vel scolarium vel etiam Universitatis emergentibus, nisi prius Universitatis causa fuerit necessaria, urgens et expediens et statum ipsius tam in capite quam in membris concernens, decanus scilicet[8] decretorum non valeat seu debeat, etiam nomine facultatis, suis sumptibus et expensis adherere, nisi prius omnibus doctoribus regentibus ipsius facultatis super hoc tribus edictis solemniter et per juramentum specialiter evocatis, vel uno peremptorio edicto in casu urgentis necessitatis, et ipsis consentientibus in gratiosis vel majori parte, maxime in expedientibus et rigorosis; nec valeat deliberatio decani in Universitate facta ipsam facultatem hujusmodi adhesionibus obligare, nisi prius forma et tenore predicti statuti et per juramentum servatis ut supra.

(18) Item ad officium decani spectat habere magnam papirum, in qua scribet omnes deliberationes facultatis, nomina baccalariorum legentium et non legentium, licentiatorum, doctorum regentium et non regentium, et receptionem pecuniarum facultatis.

(19) Item ad providendum contra aliquos abusus, qui de novo dicebantur fieri, et ut cum pura equitate obvietur gravaminibus studentium, statuimus quod decanus non possit exigere nec exigat decetero a scolaribus seu baccalariis, nisi solummodo a quolibet baccalario noviter incipiente duos solidos dumtaxat pro registrando cedulam ipsius baccalarii noviter incipientis juxta statuta facultatis. Et quod dictus decanus nec pecunias nec pastum exigat a dictis baccalariis sub pena privationis a regentia per annum, nec dispensetur per juramentum.

(20) Item quod decanus non habeat recipere juramenta baccalariorum noviter admissorum ad baccalariatum in domo sua, sed in plena facultate deputatis; et si quandocunque recipiat talia juramenta, pro talibus juramentis nichil penitus exigat sub pena predicta.

(21) Item quod de bedellis singulorum dominorum doctorum pro juramentis per ipsos prestandis nichil penitus exigat sub pena predicta.

(22) Item quod decanus non habeat per se solum examinare cedulas scolarium presentatorum ad examen baccalariatus in domo sua, nisi de permissu facultatis, et pro dicta examinatione nichil exigat.

(23) Item registrum facultatis, in quo continentur statuta, facta, dispensationes et ordinationes facultatis, per decanum ejusdem secrete conservetur, nec ostendatur alicui nisi doctori regenti, et ad hoc astringatur decanus qui debet illud custodire sub pena privationis a regentia.

(24) Item decanus qui habet custodiam clavium facultatis quoad archam, qua custoditur sigillum Universitatis, nullo modo tradat claves cuicumque, cujuscumque status fuerit, nisi fuerit doctor regens in eadem facultate[9].

et in casu quo dictus decanus alias esset impeditus nec personaliter posset interesse, nec doctorem reperiret qui vellet onus suscipere defferendi dictam clavem pro sigillando vel alias, posset bedello vel subbedello generali dictam clavem tradere cum juramento de fideliter readportando et de non sigillando, nisi que tunc incumberent sigillanda.

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 117, e msto Cheltenham, 2863, ib., fol. XLI.

1. In margine : « etiam invitus ». — 2. In margine variantes « desit elegi », « possit elegi ». — 3. N° 1701. — 4. Vid. quoad hoc statutum supra p. 537. — 5. N° 1704. — 6. Ms. add. « muneris ». — 7. Vid. n° 1704. — 8. Ms. « secundus ». — 9. In aliis statutis, ms. p. 131, annotatur, antiquiorem doctorem regentem debere habere unam clavem, aliam decanum, et tertiam quemdam doctorem actu regentem.

1712. « *Statuta actum regencie tangencia.* »

(30) Item nullus doctor Parisius debebit aut poterit legere de mane Decretales nisi per facultatem aut majorem partem omnibus doctoribus regentibus tribus edictis super hoc specialiter evocatis secum fuerit dispensatum, quo casu nullo modo gaudebit privilegiis, juribus, emolumentis et libertatibus doctorum regentium, sed dumtaxat pro bachalario reputabitur[1], prout in principio totius libri est positum.

(33) Item statuimus quod circa festum beati Johannis ante finem ordinarii ordinetur de lectura trium Decretalium per doctores legi consuetarum in anno, et qui eas legere debebunt deficientes ad arbitrium facultatis puniendi.

(34) Item quia omni anno, scilicet in vigilia dominice in Ramis palmarum debet legi decretalis *Omnis utriusque sexus*, et in vigilia Penthecostes decretalis *Majores*, vel *cum Marthe*, et in vigilia Nativitatis Domini *Firmiter* vel *Dampnamus*, vel una alia decretalis prout visum fuerit facultati, — (35) et turpe est et scandalosum esset deficere, cum a longevo tempore istud sit consuetum[2],

(36) Ordinamus quod imminente tempore lecture cujuslibet decretalis presentetur per decanum in collegio omnibus doctoribus, quando sibi videbitur oportunum, scilicet in missa, et primo antiquiori doctori regenti, cui et alias est honor deferendus, qui per facultatem ydoneus approbetur; qui si legere noluerit vel alias legitime impeditus fuerit, offeratur consequenter antiquiori doctori, et sic gradatim descendendo usque ad unum qui acceptaverit.

(37) Et si nullus acceptet, quod absit, eligat facultas unum doctorem qui hoc assumere tenebitur sub pena per facultatem ei imponenda. Et si aliquis doctor, qui semel in anno aliquam decretalem legerit, ad aliam legendam se ingereret, hoc non obstante fiat inductio per omnes doctores, et si aliquis etiam inferior reperiatur ydoneus, qui velit eam legere, preferatur antiquiori, in hoc casu honoribus ceteris antiquioribus doctoribus debitis in suo robore duraturis[3].

Bibl. Arsen. Paris. ms. 1121, parte III, p. 127, e msto Cheltenham, 2863, ib., fol. XLV, sub qua rubrica plura sunt, quae jam in antecedentibus reperiuntur, alia vero tempore card. de Estouteville composita. Nos ea exscripsimus, quae in antecedentibus nondum locum habuerunt, et certe ad saec. XIV pertinent, alia, minoris momenti, in aliud volumen reservantes.

1. Antiquum statutum, ut apparet e lite contra Amelium de Brolio, supra p. 473 sq. Ad haec vid. p. 470. — 2. De his vid. *Chartul.*, II, n° 1040, et supra n° 1698. — 3. Sequitur in msto ultimum statutum, p. 148, partim ad an. 1492 pertinens, ubi agitur de « forma procedendi post examen licencie ».

1713. *Juramenta consueta in parvis scholis Paris., ad usum magistrarum in linguam gallicam translata.*

Circa an. 1357.

« *Cy après s'ensuivent les ordenances anciennement faictes et gardées sur le fait des escoles de gramaire et sur la manière et gouvernement que doivent avoir et garder entre eulx les maistres et maistresses à qui elles sont baillées et commises soubz monseigneur le Chantre de Paris, et par ses lettres, en la cité, ville, forbours et banlieue de Paris, lesquelles ordenances tous lesdits maistres et maistresses jurent à mons. le Chantre de les garder, si tost qui leur octroye et baille le gouvernement desdictes escoles. Et aussi le doivent eulx jurer audit mons. le Chantre ou à son deputé et commis chacun an le jour de la feste mons. Saint Jehan Porte-Latine, après le sermon ou collacion faicte, en la présence de tous, par mons. le Chantre ou par autre de par lui, lequel jour tous lesdicts maistres et maistresses sont tenus d'estre et comparoir en personne en la presence et en l'ostel dudit mons. le Chantre, su peine d'estre mis en default et de l'amende acoustumée. Et sont les dictes ordenances translatées de latin en françoiz afin par especial que les maistresses les entendent.* »

Premièrement, tous lesdits maistres et maistresses jurent qu'ils feront et porteront honneur et revérence à monsieur le Chantre de Paris, qui est leur chief, et que tousjours à leur povoir ils garderont les drois de la chantrerie de Paris.

(2) Item, ils jurent que loyaument et diligemment à leurs povoirs ils exerceront l'office qui leur est commis des dictes escoles, c'est assavoir, que en bonne foy ils instruiront les enfans qu'ils auront à aprendre et gouverner en bonnes mœurs, en bons exemples et en science.

(3) Item, que en tout ce qui peut et pourra touchier et regarder au fait et gouvernement des dictes escoles et leurs dependances, ils presteront toute obeissance audit monsieur le Chantre, et s'entendront plainement à son ordenance.

(4) Item, que tous maistres et maistresses auront et tendront à leur povoir paix et accord les uns envers les autres ; et ou cas que aucun descord survendroit entre aucun d'eulx sur le fait touchant les ecoles, ceulx qui seront à descord s'entendront au dit et ordenance de mondit sieur le Chantre, sur peine de privation des escoles.

(5) Item, que les maistres et maistresses ne feront l'un l'autre convenir par devant autre que par devant monsieur le Chantre sur le fait touchant les escoles, sur peine de privation des escoles.

(6) Item, que nul ne diffamera ne ne dira paroles de detraction contre autre maistre ou maistresse, mais se bon lui samble, il le pourra bien denoncier à monsieur le Chantre, sous peine de privation desdites ecoles.

(7) Item, nul maistre d'escole ne prendra ne ne tendra submoniteur qui aura esté et demeuré avecques autre maistre d'escole, s'il n'y a entre les premières escoles dont il sera party et celle où il yra deux ou trois autres escoles de grammaire.

(8) Item, que aucun submoniteur ne tendra escoles lez cellui qui a esté son maistre, qu'il n'y ait trois escoles entre deux.

(9) Item, que nul maistre ne maistresse ne prendra en ses escoles et gouvernement l'enfant qui se départira d'autre escole, se il scet ou lui est signifié, que le salaire soit deu à cellui ou celle dont l'enfant sera departy.

(10) Item, que nul ne soubstraira les enfans bailliez et alouez à autre maistre ou maistresse par luy ne par autre, en quelconque manière que ce soit, sur peine de l'amende et de parjurement.

(11) Item, jurent chacun maistre et maistresse qu'ils se tendront es mètes et termes de la grâce à eulx faicte par monsieur le Chantre, de tenir enfans sans les passer ne exceder en nombre ou sexe et estat d'enfans, ne en qualité de livres.

(12) Item, se aucun maistre ou maistresse passe et excède le nombre des enfans qui lui sont octroyez, monsieur le Chantre, entre les autres choses, retient en sa disposition et ordenance le prix du salaire des escoliers qui sont oultre le nombre octroyé.

(13) Item, il est deffendu expressément que nul maistre d'escole ne présume de lire et enseigner les livres de grammaire, se il n'est souffisant et expert gramarien.

(14) Item, il est deffendu expressément à toutes maistresses que elles n'aient en leurs escoles filz, sans congié et licence de monsieur le Chantre. Et samblablement que les maistres ne puissent tenir filles en leurs escoles, sans licence dudit monsieur le Chantre.

(15) Item, que nul ne baudra ses escoles à ferme à autre, ne ne prendra ou aura compaignon à ce pour prouffit commun ne autrement; mais bien pourra prendre submoniteur ou aide convenable, par licence de monsieur le Chantre et non autrement.

(16) Item, que nul prestre ne clerc beneficié en saincte Eglise ou fermier de curé ne puissent tenir escoles en la collation dudit monsieur le Chantre, sans dispensation de lui.

(17) Item, tous et toutes jurent qu'ilz n'ont aucune chose donné ou promis ne ou temps avenir donront ou promettront pour avoir et tenir escoles.

(18) Item, jurent pareillement qu'ilz n'ont eu ou receu ou convenances faictes de avoir ou recevoir pour procurer ou pourchacier escoles de estre données à autrui.

(19) Item, jurent qu'ilz n'empétreront ne ne tendront escole de gramaire de autre collateur que de monsieur le Chantre en quelconque parroisse ou lieu que ce soit dedens les mètes de la cité, ville et banlieue de Paris, se n'estoit de monsieur le Chancelier de l'eglise de Paris, ès lieux et termes seulement où il lui compète de donner aucunes certaines escoles.

(20) Item, chascun maistre et maistresse doivent chascun an, au jour de la Saint Jehan Porte-Latine rendre les lettres qu'ilz ont de tenir escoles à monsieur le Chantre ou son commis et députė à ce. Et pareillement les doivent rendre quand ilz délaissent les escoles.

(21) Item, monsieur le Chantre ne entent à donner escoles à aucun fors jusques à sa voulenté, et communement jusques au terme de la feste Saint Jehan Porte-Latine, et fors à ceulx qui auront juré ces status et prins lettres de monsieur le Chantre.

(22) Item, est expressément deffendu que nul maistre ne tienne avec luy concubine ou femme diffamée, sur peine de privation des escoles.

(23) Item, nul maistre ou maistresse ne doivent aler hors de la ville et banlieue de Paris sans licence de monsieur le Chantre et sans laissier souffisant submoniteur qui lui soit presenté et qui lui soit agréable.

(24) Item, tous et toutes maistres et maistresses doivent estre ensamble à Vespres la vigile de la feste monsieur Saint Nicolas de esté, notre glorieux patron, et le jour à la messe, et aussi ledit jour à vespres pour vigiles et lendemain à la messe pour le service de mors, pour prier Dieu et monsieur Saint Nicolas en espécial pour les âmes de nos frères et seurs, maistres et maistresses trespassez : et de nos bienfaicteurs en l'eglise et ou lieu où il sera chascun dit à ce jour et en ceste assamblée.

(25) Item, tous maistres et maistresses doivent estre aux obsèques et services des maistres et maistresses qui trespasseront, se ilz le scèvent.

(26) Item, il est enjoint à tous et toutes par leur serment que se ilz scèvent aucun ou aucune qui ensaigne enfans et tiengnent escole de gramaire sans le congié et licence de monsieur le Chantre, qu'ilz lui dient et revèlent au plus tost qu'ilz pourront bonnement.

(27) Item, tous et toutes devons aujourduy aler en l'eglise au partir de cy devotement dire trois fois la *Paternostre* et trois fois *Ave Maria*, afin que Nostre Seigneur Jésus-Crist, par l'intercession de la Vierge Marie et de monsieur Saint Nicolas, notre glorieux patron, nous doint grâce et aide que nous puissons bien et deuement gouverner et instruire les enfans qui nous sont et seront bailliez et commis. Et à eulx grâce et voulenté d'y obéyr et entendre, si que nostre labeur leur puisse prouffiter et valoir à l'onneur de Dieu et de la Vierge Marie et de monsieur Saint Nicolas et au plaisir de leurs amis, et tèlement que ce soit en la fin au sauvement de nos âmes et de ceulx de nos frères et seurs trespassez. Laquelle chose nous prions le Père et le Fils et le Saint-Esperit, *qui est benedictus in secula seculorum. Amen.*

Bibl. Arsen. Paris. ms. 192, fol. 41b. — Statuta seu Juramenta in lingua latina supra nº 1237 ex eodem msto edita sunt. Conversio in linguam gallicam nec verba nec ordinem juramentorum in lingua latina sequitur, et quaedam insuper adjungit. Textus apud Joly, *Statuts et reglemens des petites écoles de grammaire*, etc., p. 7-13, et Félibien, *Hist. de la ville de Paris*, III, 447 sq., ita partim adulteratus, partim detruncatus est, ut dubitare quis possit, an Joly nostrum codicem, quem tamen prae manibus habuisse asserit, exscripserit, ita ut lectiones variantes ex suo textu afferri non possint.

Cum haec juramenta pro « les maistresses » tantum in linguam gallicam translata sint, ad *Chartul. Univers. Paris.* proprie non pertinent, ideoque eis ultimum hic locum assignavimus.

ADDENDA

ET

CORRIGENDA

AD TOM. I.

Pag. 71, nº 12, not. *Tractatus contra Amaurianos* ms[ti] 1301 Bibl. Trecens. nunc editus est a Baeumker, *Ein Traktat gegen die Amalricianer* (Paderborn, 1893). Auctor tractatus verisimiliter est Garnerius.

P. 449, nº 409. In Bibl. nat. Paris., ms. lat. 9071, fol. 11 et 11 [bis], exstat instrumentum membran. religatum, quod continet *Responsiones magistrorum nationis Picardorum ad gravamina tradita ex parte Gallicorum*. Instrumentum coaevum in margine sinistro vetustate corrosum est, ita ut plurima verba in diversis lineis desint, et sententiae saepe imperfectae et incomprehensibiles reddantur. Verisimiliter ad an. 1266, et quidem ante Aug. 27, pertinet. Certe post an. 1264, April. 26, compositum est, nam hae responsiones ad Simonem card. legatum diriguntur, qui solum an. 1264, April. 26, ab Urbano IV ut legatus in Franciam missus est (Reg. Vat. Urb. IV, nº 28, epp. 401-403), April. 30 nondum in Francia fuit (ibid., epp. 440, 441), et Maii 3 tantum facultates legati recepit (ibid., epp. 421-440. Potthast, n[is] 18866 sqq.). Cum hae responsiones paene nihil novi ad ea, quae e nº 409 jam scimus, adducant, superfluum existimamus eas hic adducere, proindeque eas ad finem ultimi vol. *Chartularii* rejicimus.

AD TOM. II.

P. XV. De Johanne de Calore et duobus sequentibus cancellariis vid. III, n[is] 1460, 1461.

P. 33, post n[um] 559 inserendus n[us] 559[a], continens *Litteram rectoris et procuratorum Univers. Paris., missam abbati et conventui Becci contra quemdam monachum Becci*, quae invenitur in Bibl. nat. Paris., fonds Moreau, nº 626, fol. 93, et data est *an.* 1289, *in festo S. Petri ad vincula* (*Aug.* 1). « Rector et procuratores Universitatis Paris. ceterique magistri quatuor nationum regentium Parisius in liberalium artium facultate » queruntur apud Ymerium abbatem et conventum Becci Helluini de quodam monacho, camerario conventus, qui multas atrocitates alicui scholari « puero innocenti » attulerat, et quem nondum, licet iterate moniti, correxerunt, immo quaedam in Universitatis damnum attemptarunt. Cujus generis atrocitates sint non narratur. Fol. 105 exstat responsum abbatis et conventus, turbatorum, qui confitentur, se exiisse de Universitate, ut a sole radius, ut a fonte rivulus, ab arbore ramunculi, a lapidibus lapides. Ne praesumant, se aliquid contra eos attemptasse; ne sint nimis creduli. Pax jam restituta est. — Ex his jam apparet solummodo verba inter uncos inclusa alicujus momenti esse, minime epistolarum tenorem, qui in historia Universitatis saepe et diversimode occurrit.

P. 86, nº 615, not 1. Libellus Arnaldi de Villanova *De adventu Antichristi* exstat etiam in Bibl. Burghes. nº 205, fol. 26, ubi inscriptio : *Tractatus de consummatione seculi.*

P. 143, nº 681. Instrumenta de condemnatione Margaritae Porete in Arch. nat. J. 428. Consilium magistrorum theol. Paris. an. 1309, April. 11, de libro ejusdem editum est a Ch. V. Langlois in *Revue historique*, t. LIV, p. 296-297. Magistri theologiae praesentes, a Guillelmo Paris. Ord. Praed., inquisitore, vocati : Symon [de Guibervilla] decanus, Thomas de Bailliaco, Guillelmus Alexandri et Johannes de Gandavo, canonici Paris., Petrus de S. Dionysio, Gerardus de S. Victore, Jacobus [de Thermis] abbas Caroliloci, Gerardus [de Bononia] Carmelita, Johannes de Poilliaco, Laurentius [de Pollengio] prior Vallis Scolarium, Alexander [de S. Elpidio], Henricus (*Langlois :* Alexander Henr.) Teutonicus et Gregorius de Luca, [omnes tres] Ord. Herem. S. Aug., Johannes de Monte S Eligii, Radulphus de Hoitot, Berengarius [de Landorra] Ord. Pred., Johannes de Claromarisco, Nicolaus de Lira et Jacobus de Esquillo, Ord. Min., Jacobus [de Furno] Cisterc. et Rogerus de Roseto. — Omnia ista 21 nomina, quae claritatis gratia nos ipsi supplevimus, inveniuntur etiam in tom. II *Chartul.* praeter Joh. de Claro-

marisco et Jacobum de Esquilla. — Sententia Guillelmi inquisitoris contra Margaritam Porete an. 1310, Maii 31, post quam Margarita combusta est, exstat apud Lea, *A History of the Inquisition of the middle ages*, II, 575 sq. Sententiam praecessit consultatio regentium in decretis Parisiis (qui fuerunt Guillelmus dictus Frater, Hugo de Bisuncio, Johannes de Tollenz, Henricus de Bitunia et Petrus de Vallibus), an Margarita judicanda sit relapsa (Lea, l. c., p. 577). Consultatio est an. 1310, « Sabbato post festum b. Johannis ante Portam Latinam », i. e. Maii 9 (perperam Maii 30 tam apud Lea, quam Langlois l. c. p. 295).

P. 229, post n^um^ 778 inserendus n^us^ 778^a^ e libro *Les gestes des ducs de Brabant par Jean de Klerk*, ed. Willems, I, 761 sq., ubi continetur consilium quorumdam magistrorum Parisiis degentium ad duas quaestiones a duce Brabantiae propositas, an 1319, Aprilis 13 :

« Nos Hugo de Bysontio, cantor Parisiensis, juris utriusque professor, Odo de Senonis, thesaurarius Meldensis, legum professor, Johannes de Villa-rosa, doctor decretorum, et Petrus de Mortuomari, legum doctor, canonicus Ambianensis, notum facimus universis nos vidisse quamdam cedulam signatam, ut prima facie apparebat, sigillis illustris principis ducis Brabantie ac honorabilis oppidi Bruxellensis, in effectu duas questiones que sequuntur inferius continentem, ad quas, ut in qualibet earum sequitur, duximus respondendum. Primo ad id quod queritur an (*quaestiones propositae eaedem sunt, ac illae pro theologis*).

« Item ad aliud quod secundo queritur, an.....

« In quarum responsionum testimonium, nos prefati per ordinem sigilla nostra duximus apponenda.

« Nos frater Sibertus de Beka, Ord. beate Marie de Carmelo, provincialis Theutonie, Renerus Alemannus canonicus Trajectensis, frater Johannes de Dunis, Ord. Cisterc , et frater Petrus Aurioli, Ord. frat. Min., doctores in theologia, actu regentes Parisius, notum facimus universis, nos vidisse quamdam cedulam signatam, ut prima facie apparebat, sigillis illustris principis ducis Brabantie, ac honorabilis oppidi Bruxellensis, in effectu duas questiones sequentes continentem, ad quas sic duximus respondendum.

« Primo ad id quod queritur, an cum aliquis libere confitetur coram scabinis alicujus certi loci se teneri cuidam lombardo mercatori, plerumque seu communiter solito fenus excercere et super hoc diffamato, in centum libris vel centum modiis frumenti, dicti scabini super hujusmodi recognitione et confessione dant litteras testimoniales sigillis suis sigillatas, an incidant in excommunicationis sententiam per constitutionem *Ex gravi* vel *Ex grandi* domini Clementis pape quinti, in concilio Viennensi editum? credimus.....

« Ad secundam questionem qua queritur, an predicti scabini pronunciantes vel judicantes secundum eorum usus et consuetudines, quod hujusmodi recognoscens tenetur que promiserat et recognoverat adimplere sententiam excommunicationis incurrant? credimus sic respondendum.....

« Datum Parisius anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, mense Aprilis die veneris post resurrectionem ejusdem. »

P. 511, not. 3. Evenus Bohic revera alius est atque Henricus Bohic. Vid. tom. III, p. 439, not. 2.

P. 718, additio ad p. 225. Petrus Aurioli « apud sedem apost. viam extitit universe carnis ingressus », proindeque non Aquis defunctus est.

AD TOM. III.

P. 8, not. 4, *dele* « et 1230 ».

P. 19, lin. ultima, *leg.* « Estopafour ».

P. 37, n° 1227, Johannes Peblis, factus est episc. Dunkeldens , et an. 1379, Octob. 19, promisit cam. apost. (Arch. Vat., Obl. n° 43, f. 60).

P. 41, n° 1230, not. 2. Ms. Bibl. Ars. loco. « alibi » ponit « ipsa », i. e. « ipsa jura civilia », proindeque Péries non originali Arch. nat., ut asserit, sed codice moderno Ars., usus est.

P. 52, n° 1237, not. In una membranarum hoc anno a Bibl. nat. Paris. comparatarum, Vitalis de Prinhaco, cantor eccl. Paris., an. 1356, Jun. 16, dom. Guillelmo Mareschalli, presb.. docendi pueros « in scolis de Trutanaria » (vid. Jaillot, *Recherches*, etc. : *Quartier des Halles*, II, p. 36) potestatem confert.

P. 55, n° 1238^a^, lin. 1, *leg.* « Johanni de Aciaco », pro « Grimerio Bonifacii ».

P. 80, lin. 28, *leg.* « Wallerant ».

P. 90, lin. 20, *leg.* « Avoisia », pro « Anorsia » libri ms^ti^. Vid. p. 268.

P. 92, lin. 22, *leg.* Eyke, contra cod.; lin.23, *leg.* Smontriem; lin. 27, *leg.* « Gorinchem »; lin. 34 : Nellen, Nellinc.

P. 97, not. Liber ms^tus^ conventus Vindobon. O. P. nunc signatus est n° 13.

P. 192, nus 1361 rejiciendus est ad an. 1382, Novemb. 23, num 1473a, ubi videas.

P. 209, nº 1383, lin. 1, *leg.* « Coustellarii », pro « Constellarii », Étienne le Coustelier.

P. 211, lin. 9, et p. 232, lin. ultima, pro « Chyniaco » (Chigny), legi etiam potest « Chyviaco » (Chivy-Étouvelles).

P. 216, nº 1394, lin. 8, *leg.* « Ecclesiastes ».

P. 239, lin. 26, e Bulaeo : « Monstreings », sed certe « Monasteriis » (Johannes de Monasteriis) scribendum. Bul. *g* pro *ij* legit, et compendium non animadvertit.

P. 247, Petrus Julioti, 6us magister. Jacobus, quondam abbas monasterii Cluniacens. (vid. p. 316, not. 5), ad quem institutio prioris in Collegio scholarium Cluniacens. Paris. ab antiquo pertinet, ibidem, priore deficiente, Guillelmum de Costa, monachum ejusdem monasterii ut vicesgerentem usque ad fest. Omnium Sanct. an. 1383 instituit. Clemens VII, eodem an., Julii 23, dicto collegio Petrum Julioti ut priorem, et quidem a festo Omn. Sanct., praefecit, non obstante statuto, « quod dictus prioratus ultra annum ab aliquo non valeat obtineri » (Reg. Av. Clem. VII, vol. XXIX, fol. 384b). Ut ibid. narratur, prior annuatim pensionem 20 libr. paris., magister theol. in Collegio 40 libr. percepit.

P. 248, lin. 13 *ab ult.*, *leg.* « Herveo », *pro* « Henrico ».

P. 284, lin. 5, post. « Ord. » *add.* : « S. August. ».

P. 284, lin. 9, *leg.* « Manniac ».

P. 291, lin. 6, *leg.* potius « April. 2 », quam « Septemb. 2 », ut Kneer, p. 130, proponit.

P. 304, nº 1467, not. Nicolaus Piquier etiam in *Chron. du rel. de St Denys*, II, p. 222, et ap. Martène-Durand, *Ampl. coll*, VII, 461 : Michel Piquier nominatur.

P. 310, nº 1469, not. Guillelmus Poularderii non pervenit *Parisiis* ad magisterium in theol.; an. 1389 tamen, Octob. 9, ut mag. theol. et prior de Chenzejo, O. S. B., Cenomanens. dioec., affertur (Reg. Av. Clem. VII, vol. LV, *De regul.*, quat. 4)

P. 311, lin. 1. E Bulaeo scripsimus : « Beksigni ». Sed sine dubio male legit, pro « Versigni » (Gerardus).

P. 312, nº 1474, not., lin. 7, *leg.* « Bouverie », pro « Bonnerie ».

P. 340, ult. lin. Introduct., *leg.* « vid. infra an. 1389, Nov. 9 ».

P. 344, lin. 9, *leg.* « Albericus », pro « Albencius », ut in codice.

P. 345, not. 7, *leg.* « 1395 », pro « 1398 ». De Johanne Mullechner de Austria vid. *Auctar.*, I, Index, p. 965.

P. 346. Nota 2 delenda est, cum Petrus Blondi alius sit ac Petrus Bidaudi.

P. 348, lin. 9; 378, lin. 11; 411, not., *leg.* Guillelmus de « Gaudiaco », de quo nº 1671, et qui, postea decanus S. Germani Autissiodorens. Paris., an. 1408 in carcerem missus est, de quo in tom. IV. Nicolaus de Baye (*Journal*, ed. Tuetey) semper scribit « de Gaudiac »; *Gall. christ.*, VII, 262 : « de Gaujac ». sed XI, 622 : « le Gaignant ». Revera oriundus erat e loco Gaujac (Gard), non e loco Jouy-sur-Eure, nam an. 1371 vocatur « subdiaconus *Uticensis* », bacc. in leg. (Reg. Av. Gregorii XI, vol. VI, fol. 663).

P. 357, 43us, Bernardus Calveti, Ord. Carmel., fuit conventus Montispessulani. Clemens VII cancellario Paris. an. 1381, August. 16, injungit, ut ipsi, qui Bibliam et Sententias Parisiis legit, « fecitque ordinarie responsiones vesperiarum necnon Sorbonens et aule ac multos alios actus scolasticos ad ipsum pertinentes citra licentiam ac magisterium in dicto studio », in primis expeditionibus docendi licentiam ubique et honorem magisterii tribuat (Reg. Av. Clem VII, vol. XXII, fol. 218). Ad haec. vid. p. 365, not. 21.

P. 368, 5us magister, lin. 5. Verisimiliter (contra codicem) legendum « quatinus » pro « quos ». scilicet : « quatinus aliquando ipse aliquos », etc.

P. 377, nº 34, ubi in msto fol 107b semper scribitur « Guillelmus de Costa, Ord. Min. », certe substituendum « Nicolaus de Costa », nam Guillelmus fuit Cluniacens.

P. 396, 15us mag. theol., Egidius de Aurelianis. Ipse non fuit magister Paris., licet Parisiis etiam theologiae studuerit, sicut antea in Alemannia et in Italia. Nam an. 1379, Decemb. 3, Clemens VII Guillelmo card. tit. S. Stephani in Celio monte injungit, ut Egidio, peracto per quatuor magistros examine ejusdem, magisterium conferat (Reg. Av. Clem. VII, vol. XVIII, fol. 355b) Verisimiliter nec Stephanus Lemosin, 26 us mag. theol., magister Paris. fuit.

P. 396, 22us mag. theol , Henricus de « Cremona », *leg.* « Tremonia ». Vid. p. 491, not. 2.

P. 396b. Eodem an., Octob. 16, Petrus de Themericuria, vicesgerens dom. Silvanectens. conservatoris privileg. Universit. Paris., pro Stephano Duissiau, decret., curato eccl. S. Petri de Francavilla Rotomag. dioec. et magno vicario eccl. Paris. Bibl. nat. Paris., Clairambault, nº 216, f. 9747, pièce 146.

P. 397[a], Johannes Brisse. Ipse in Arch. nat. Paris. J. 517, n° 172, scribit : « Jehan Brixey ».
P. 397[a], *leg.* « Avezane », pro « Anezane ».
P. 397[b], *leg.* Johannes Voignon.
P. 398, not. 8. « Petrus Mir » an. 1390 fuit procurator Ord. Cisterc. in curia, et Octob. 30 a Clemente VII mittitur « pro subsidio habendo pro papa » ad abbatem Cisterc. et alios Capitulum generale constituentes (Arch. Vat., *Intr. et exit.*, n° 366, fol. 217).
P. 398, not. 38. De Johanne de Usaria seu potius Huxaria (Höxter) vid. *Auctar. Chart.*, I, 714, not. 4.
P. 431, not. 1, *leg.* « n° 1546 », loco « n° 1541 ».
P. 448, not. 5. Fulco de Blandejo an. 1389, Jul. 26, factus est prior S. Martini de Campis Paris. (Reg. Av. Clem. VII, vol. LII, *De Benefic.*, quat. 10).
P. 468, not. 3, lin. 2, *leg.* « n° 1394 ». Johannes Bardolini (Jehan Bardolin, vid. Reg. Vat., n° 332, f. 44), verisimiliter an. 1403 in ministrum general. Ord. Min. electus est, ante scil. mortem famosi Martini [de Salva] card. S. Laurentii in Lucina, seu card. Pampelun. (Reg. Av. Bened. XIII, vol. XLII, f. 655[b]), qui an. 1403, Octob. 22, obiit (Oblig., n° 49, f. 125), et an. 1390, Jul. 23, creatus est card. Occasione oblata annotamus, Martinum fuisse decret. doctorem, studiis operam dedisse Tolosae, Bononiae et Avenione, vicarium archiepiscopi Aquens., et epp. Agennens. et Albiens. fuisse, episc. Pampelunens., cancellariam Caroli V et Caroli VI et refferendariam Gregorii XI et Clementis VII rexisse. Haec ediscimus ex *harenga* habita, cum ei « capellus cardinalitius » imponeretur (in Arch. Vat., *Instr. misc.* an. 1390.)
P. 480, lin. 21, loco « Sanere », ut in ms[to] et ap. Bulaeum, fortasse scribendum « Stavere », ut p. 520.
P. 488, lin. 1, *leg.* « Dionys. Foulechat », *contra ms[um]*.
N° 1557. Auctor tractatus verisimiliter est Nicolaus de Clamengis. Vid. *Introductionem* ad hunc tom.
N° 1562. Ordo Praed. a sententia episc. Paris. et Universitatis ad Clementem VII appellavit decemque procuratores, omnes theol. magistros, constituit, inter quos inveniuntur Sanctius Mulerii (ab an. 1406, vel antea, episcopus Olorens.; Ehrle in *Arch. f. Litteratur-u. Kirchengesch.*, VI, 213, not. 2, perperam « Huesca »), Johannes de Podio, Joh. Thomae (vid. p. 519), Guillelmus de Gannato, Petrus Corregerii, Antonius de Parisius, Petrus Boroni, unus Anglicus poenitentiarius papae (Johannes Hatonis, seu Hayton, ut in *Chron. du rel. de S[t] Denys*, II, 298). Vid. Quétif-Echard, *Script. O. P.*, I, 693.
P. 514, not 6. Georgii de Sclavonia seu Georgii de Rain exstat in Bibl Turon., ms. n° 79, fol. 1 « Lectura super Danielem ». « Explicit, an. 1391, 18[a] die Julii ». Ibid., n° 552, fol. 1, epistola ejusdem « Filiole mee in Christo amantissime domine Yzabelle de Villaalba, religiose de conventu dominarum de Bellomonte prope Turonis, Georgius de Sclavonia, mag. in art. et doctor in theol., canonicus et penitentiarius eccles. Turon., salutem et virginitatis servare titulum et apprehendere fructum. Nosse velis..... Datum Turonis, ultima die Decembris, an. Dom. MCCCCXI° ». Cf. etiam Bibl. nat. Paris. ms. lat. 14898, fol. 154.
N° 1573. Judex in causa Richardi Mariae fuit Matthaeus Anquetil, decret. doctor (vid. D'Argentré, *Coll. jud.*, I[2], p. 135), qui an. 1396 adhuc facultatis decret. Paris membrum fuit (vid. Ehrle in *Arch. f. Litteratur- u. Kirchengesch.*, VI, 220, ubi perperam « Auquetil »).
P. 531, not. 1, lin. 2, *leg.* « n° 1679 », pro « n° 1678 ».
P. 533, not. 1. Aycardus de Quimballo, cancellarius eccl. Tolos , eodem anno, scil. 1390, diem supremum obiit, nam Septemb. 13, ipso defuncto, Petrus Ravati, decret. doctor (qui quandoque cum Petro de Fuxo confunditur), cancellarius eccl. Tolos. factus est (Reg. Av Clem. VII, vol. LX, *De regular.*, quat 6).
P. 611, not. 28, *leg.* Johannes Mullechner.

Ea quae nunc sequuntur Addenda

DE SCHISMATE

per modum digressionis *et* amplificationis *hic inserimus, quae licet cum rebus Universitatis Paris. non aperte arcteque cohaereant, tamen admodum utilia sunt ad intelligenda plenius quae supra e consilio breviter praestringere debuimus.*

N° 1615. *Ut in nota ibid observavimus*, Jacobus de Ceua *et* Raymundus de Capua *ut nuntii Urbani VI in Franciam non solum epistolam ad Universitatem Paris. secum portaverunt, sed etiam alias ejusdem summi pontificis Urbani VI epistolas ad alios directas, nunc in* Archivo status Senensi *conservatas* (Resti eccles., San Domenico). *In ipsis de*

duobus vel tribus nuntiis tantum agitur, qui tam vivae vocis oraculo quam scripturis a papa ipsis traditis omnes ad quos epistolae directae sunt, dc vera electione Urbani VI instruere deberent. Epistolae 1-8 *eandem temporis notam offerunt, scil.* Dat. Romae apud S. Mariam Transtiberim xj kal. Decemb., pontificatus nostri anno primo *Omnes etiam* litterae clausae *sunt cum inscriptione a tergo (v. g. pro Universitate Paris.* dil. filiis .. rectori, magistris, doctoribus, scolaribus ac Universitati studii Parisiens.), *quarum epistolarum duas solas in extenso infra edimus* (*nos* 4 *et* 8), *cum pro nostro fine majoris sint momenti. E n*o 4 *elucet,* Bernardum Alamandi *episcopum Condomiensem jam tunc eundem fere spiritum gessisse, ac an.* 1393 (*vid.* num 1671). *Ludovicus vero dux Andegavens.* (no 8) *palinodiam cecinit. Non pauca verba istarum epistolarum in litura sunt.*

Sed quo tempore nuntii in Franciam profecti sunt? Certe post Novemb. 28 (*vid. infra* 9). *Immo, ut opinamur, non ante an.* 1379, *Maii* 9, *nam sub hac temporis nota Urbanus VI Raymundum de Capua ut* s. sedis nuntium ad partes regni Franciae destinatum *Petro regi Aragoniae commendat* (originale *olim Senis apud Praedicatores, nunc desideratur; ed. apud* Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, II, p. 297), *si scilicet eundo in Franciam regiones transire deberet, quae sub dominatione regis Aragoniae essent.*

1. Carolo regi Francorum « nobilem virum Jacobum Ceua militem et leg. doctorem, Rom. curie marescallum, et Raymundum de Capua, Ord. frat. Pred. professorem, penitentiarium nostrum », et « ven. frat. Guillelmum Valentin. et Dyen. episcopum, qui tempore date presentium in partibus ultramontanis moram trahebat et trahit, in facto plenissime informatum », ut nuntios, quos benigne audiat, commendat. Dat. Rome, *etc.* « Cum pro certis arduis negotiis ». Deest sigillum.

Haec sola epistola, incorrecte, edita est ap. Ripoll, *Bull. Ord. Praed.*, II, 296.

2. Carolo regi Francorum, ut Jacobo de Ceua et Raymundo de Capua fidem adhibeat. Dolosis assertionibus contra suam electionem aures suas non praebeat. « Ad te igitur velut singulare presidium recurrimus et tibi, a cujus innata constantia dependet plurimum spes nostra, matrem ipsam tuam et nostram justiciam commendamus .... ». Dat. Romae, *etc.* « Quia dilectos filios ». Franciscus. Deest sigillum.

3. Ven. fr. Guillermo episc. Valentin. « Cum super negotio nostre promotionis ad summum pontificatus apicem, cujus processum et modum ac omnia inde secuta gesteque rei seriem tu qui presens fuisti in omnibus inter ceteros melius nostri,... Carolum regem Francorum cupimus informari », primo ad ipsum duos nuntios Jacobum de Ceua et Raymundum de Capua destinat; deinde omnes tres insimul « ad loca in quibus rex moram trahit » accedant, ipseque principaliter, duo alii ut assistentes, regiam celsitudinem de facto electionis plenius informent. Dat. Rome, *etc.* « Cum super » *ut supra.* B de Fontanellis. Superest sigillum.

Guillelmus de Vouta, ab an. 1368 *episc. Massiliens., an.* 1378 *ab Urbano VI translatus est ad sedem Valentinens. in Francia, ut ediscimus e tractatu Jacobi de Ceua* (*v. g. in* Arch. Vat., arm. 54, no 18, *fol.* 28, *et apud* Bulaeum, IV, *p.* 504). *An.* 1379, *Jun.* 1, *a Clemente VII confirmatus* (Reg. Av., vol. XII, *f.* 111 : XV, *f.* 445). *Vid. de ipso* Baluze, *Vit. pap. Aven.*, I, 1206.

4. « Urbanus episcopus servus servorum Dei ven. fr. Bernardo episcopo Condomiensi sal., *etc.* Quia dilectos filios Jacobum de Ceua .... necnon Raymundum de Capua ... nuntios nostros pro certis arduis negociis nostris statum sancte matris ecclesie ac nostrum fidemque catholicam concernentibus ad carissimum in Christo filium Carolum regem Francorum illustrem duximus destinandos, idcirco fraternitatem tuam, de qua, cum sis vir catholicus ac veritati et justicie semper favens, fiduciam in Domino gerimus, requirimus et hortamur attente, rogantes, ut dictis nostris nunciis circa votivam expeditionem eorum, que apud celsitudinem regiam sunt acturi, assistas consiliis, auxiliis et favoribus oportunis, eo de tui favoris assistentia erga celsitudinem amplius et securius confidentes quod, sicut quorundam relatione percepimus, cum pridem de materia tangente propositum hujusmodi fierent ibidem sermones, tu pro veritatis ac justicie nostre defensione tanquam vir rectus et timens Deum nonnulla verba quamplurimum grata et congruentia, constanter et intrepide protulisti Dat. Rome, *etc.* Jo. de Castris. » Superest sigillum.

Verba ista « quamplurimum grata » *episc. Condomiens. verisimiliter in Concilio regio an.* 1378, *Septemb.* 8 *vel* 11 *protulit. De ipso Bernardo ut etiam de sequenti, Philippo de Maisières seu Mézières, vid* no 1671.

5. Nobili viro Philippo de Mazeriis militi, Ambianens. dioc., consiliario regie majestatis, ut Jacobo de Ceua et Raymundo de Capua apud regiam celsitudinem auxiliis, consiliis et favoribus oportunis assistat, quibus Urbanus injunxit, ut agenda per eos in hac parte ipsi communicent, « quorum relatibus velis indubiam dare fidem ». Dat. Rome, *etc.* « Cum nos ». Dyonysius. Superest sigillum.

6. Ven fr. Guillermo episc. Ambianensi, de quo jam ab experto plurimum confidit, Urbanus commendat Jacobum

de Ceua et Raymundum de Capua, qui agenda per eos ipsi communicent, quibus indubiam det fidem, eisque apud regiam celsitudinem assistat. Dat. Rome *ut supra.* « Cum pro quibusdam ». ALARDUS. Superest sigillum.

Iste Guillelmus in serie episcoporum Ambianensium ubique deest (vid. Gall. christ., X, p. 1195). Johanne Rolland, *ab an.* 1376, *Jan.* 3, *episc. Ambianens., partes Clementis VII tenente, verisimiliter* Guillelmus *loco ejusdem ab Urbano VI electus est; nunquam tamen sedit.*

7. Petro tit. S. Anastasie presb. cardinali, Avenione commoranti. « Utinam facultas adesset ut tecum presencialiter loqueremur. Utinam ex ore nostro justiciam audires cause nostre. Et o utinam quod summis desideravimus affectibus, electionis ac creationis nostre processum tuis luminibus aspexisses ». Ad ipsum Jacobum de Ceua et Raymundum de Capua destinat Dat. Rome, *etc.* « Utinam » *ut supra.* E. DE DAVENTRIA. Deest sigillum.

Petrus de Monteruco, electus Pampilonens., fuit cardinalis ab an. 1356, *Decemb.* 23

8. « Urbanus episcopus .... dilecto filio nobili viro Ludovico duci Andegavensi, salutem, *etc.* Quia jampridem tue nobilitatis magnitudo per nuntium et litteras tuos quedam quamplurimum grata nobis scripsit et nunciavit, ex quibus tue devotionis affectum erga nos et sedem apostolicam cognoscimus evidenter : idcirco, ut vicissim et nostrum amorem intimum erga te tua cognoscat excellentia et desiderium complacendi, dilectum filium nobilem virum Jacobum Ceua militem et legum doctorem ac nostre Rom. curie marescallum, harum latorem, de mente nostra plenius informatum, ad te duximus destinandum, ut idem Jacobus de quibusdam arduis totius christiane religionis negocium concernentibus tue magnificentie devotionem seriosius informet. Te igitur rogamus ex corde quatinus hiis, que ipse Jacobus utpote plenarie instructus eidem excellentie tam vive vocis oraculo quam quibusdam scripturis, quas pro parte nostra secum defert, duxerit explicanda digneris fidem credulam adhibere, ac etiam te confidenter requirimus et hortamur ut tamquam orthodoxus princeps ac fidei zelator catholice, nec minus erga Deum et nos ac sedem eandem devotione pollens continua, tuorum progenitorum vestigiis inherendo (qui fide ac devotione hujusmodi inter ceteros mundi principes claruerunt) causam et justiciam nostram sancteque tue matris ecclesie, cujus unitatem, heu! concilium peccatorum scindere ac labefactare satagit, suscipias, sicut spem firmam gerimus, contra malignos illorum impetus totis viribus que tibi, Deo gratias, habunde sunt defensandam. Ex hoc enim divine retributionis premium ac nostre gratitudinis rependium experieris indubie tibi merito proventura. Datum Rome, *etc.* »

Ut ex hac epistola elucet, Ludovicus dux Andegavens., acerrimus postea Clementis VII sectator (vid. supra nº 1640), *in principio ut alii electioni Urbani VI consensit et erga ipsum affectum filialem monstravit, quod partim ex aliis etiam fontibus liquet. Vid.* N. Valois, *Louis Ier duc d'Anjou,* p 7 (*Extrait de la* Revue des quest. histor., 1892).

Sequens epistola est Novemb. 28. *E quo apparet, duos nuntios non antea in Franciam profectos esse.*

9. Ven. fr. Anglico, episc. Albanensi, s. Rom. eccl. card. *Epistola paene in omnibus concordat cum* nº 7. Dat. Rome apud S. Mariam in Transtiberim iiij kal. Decembris, pont. nostri an. primo. WALRAMUS. Deest sigillum.

Anglicus Grimoardi, episc. Avenionens., an. 1366, *Sept.* 18, *card. S. Petri ad vincula,* 1367, *Sept.* 17, *episc. Albanens. Ut Petrus card. Pampilon. tempore electionis Urbani VI Avenione commoratus est.*

Quae sequitur epistola est Novemb. 8, *et hic pro eo ejusdem mentio fit, quia refertur ad unum nuntiorum, scil. Raymundum de Capua.*

10. Urbanus VI Raymundo de Capua auctoritatem confert praedicandi et agendi contra electionem Clementis VII. Dat. Rome apud S. Mariam Transtiberim, vj id. Novemb., pontificatus nostri an. primo. « Dignum censemus ». De Curia. OLDRADUS. Superest sigillum. *Hae solae litterae patentes sunt.*

Nº 1642, p. 585, lin. 1 et not 4. Fortasse iste magister, qui Francofordiam tunc venit, erat Johannes de Freneyo, mag. Paris. in art., qui postea eodem anno 1381, Decemb 22, ad facultatem artium Univers. Pragensis receptus est (*Mon. hist Univers. Prag.*, I, 1, p. 202).

Nº 1658, not. 1. *Communiter asseritur,* Philippum de Alençonio *ab an* 1390 *episc Sabinensem fuisse, et solum ab an.* 1392 *episcop* Ostiens. *Sed in* Reg. Vat. Urbani VI, nº 312, *fol.* 44, *Urbanus scribit an* 1389, *Aug* 19, *se* « dudum » *Philippum a vinculo eccl. Sabinens absolvisse, et Ostiens. et Velletrens. ecclesiis praefecisse — Fuit tunc legatus in Alemania et Flandria, atque ad curiam Rom. an.* 1390 *rediit, ut legimus in* Arch. Vat. Oblig. nº 48, *fol.* 97 : anno, indict., pontif., loco quibus supra, die vero veneris, quarta die mensis Martii, revmus in Christo pater dom. dom Philippus de Alançonio, de inclito genere regum Francie, miserat. div. episcopus Ostiensis-Velletrensis cardin., rediit ad Rom. curiam, veniens de Alamanie, Flandrie et aliis diversis partibus mundi.

N° 1659. *Relatio singularis quae sequitur, invenitur in* Continuatione chron. Martin., *composita per* Stephanum de Conty, *qui an.* 1413 *obiit, et an.* 1376 *in facultate decret. Paris. doctoratum recepit (vid.* Delisle, *Cab. des mss.*, II, 127). *Exstat in* Bibl. nat. Paris., *ms. lat.* 11730. *Ex hac relatione de iis, quae electionem* Bonifacii IX *praecesserunt, ediscimus, quam male quidam in Francia edocti essent de his, quae Romae tunc temporis agebantur.*

Stephanus de Conty narrat, cardinales Romae degentes post mortem Urbani VI primo card. Philippum de Alençon, *tunc in Germania legatum, in papam elegisse ad eumque nuntios misisse. Ast inter mortem Urbani VI (Octob.* 15) *et electionem Bonifacii (Nov.* 2) 17 *tantum dies fluxerunt, qui minime sufficiebant ad praedictum nuntiorum iter peragendum. Immo, cardinales solum* « *die lune, xxv die mensis Octob., intraverunt conclave, factum in majori capella apost. palatii pro novo summo pontifice eligendo* » (Arch. Vat., *Obl.* n° 48, *f.* 89b). 8-9 *dies igitur solummodo supererant! — Accepta a card. Philippo repulsa, cardinales, ut Stephanus de Conty prosequitur,* « quemdam cordigerum, conanticardinalem suum », *i. e. coelectorem, in papam elegerunt, qui etiam refutavit. Sed inter* 13 *cardinales, qui conclave intraverunt (ultimus Octob.* 27) *et quorum nomina in cit.* Obligat. Arch. Vat. *leguntur, ne unus quidem Ordini Minorum ascriptus erat. — Nescimus etiam, qua ex causa Stephanus de Conty* Bonifacium « archidiaconum » *tantum nominet.*

Momento tamen non caret quod in fine narratur, Carolum regem Francorum, tunc Avenione Clementis VII hospitem (vid. Chron. du rel. de Saint-Denys, I, 616 sqq.), « sapientes et valentes nuntios » *ad cardinales Romam misisse, ut electionem impedirent, seu potius ut cardinales ad obedientiam Clementi VII praestandam inducerent. Sed utique electione peracta Romam intraverunt.*

(*Fol.* 89.) Anno Domini millesimo CCCmo octogesimo nono, decima [quinta] die mensis Octobris Bartholomeus archiepiscopus Barrensis, se dicens Urbanum sextum papam, mortuus est Rome, et post ipsius mortem anticardinales sui (quos [*ms.* quod], postquam fuerat per violenciam vehementem antipapa, ipse solus curaverat seu ordinaverat taliter qualiter dictos cardinales), et tunc dicti anticardinales Rome elegerunt propter mortem ipsius in antipapam suum *primitus* nobilem virum, ex utroque parente procreatum de sanguine regum Francie, videlicet dominum Philippum fratrem germanum comitis de Alençonio, tunc in partibus Almanie tanquam anticardinalem et legatum de latere destinatum per dictum antipapam Bartholomeum quasi per duos annos ante mortem predicti Bartholomei intrusi. Et quando de predicta electione certa nova habuit in dicta Almania, tunc finaliter respondit nunciis missis ad eum ex parte dictorum anticardinalium, quod non acceptaret dictum antepapatum, nisi de licencia et expressa voluntate consanguinei sui regis Francie.

Et predictis nunciis reversis ad anticardinales predictos et audita responsione predicta dictorum nunciorum a predictis anticardinalibus, statim ellegerunt *secundo* quemdam cordigerum conanticardinalem suum in antipapam suum, qui eciam refutavit omnino dictam electionem factam de ipso in antipapam.

Tercio elegerunt quemdam archidiaconum, qui fuerat magister hospicii domini Karoli de Pace tempore quo dictus Karolus guerram faciebat contra regnum Cicilie, quod regnum volebat pro se et suis heredibus per violenciam habere, nec potuit in tota vita sua obtinere; sed durante dicta guerra miserrime et inhoneste vulneratus fuit per quemdam servitorem regine Hungarie, ex quibus vulneribus statim postea obiit.

Item sciendum est, quod dictus archidiaconus acceptavit dictum antipapatum, et antequam dicti anticardinales post dictam acceptacionem reciperent eum in suum antipapam, fecerunt sibi promittere et jurare, quod usque ad finem vite sue pro posse contra omnes obtineret dictum antipapatum, et hoc eis promisit et juravit. Et hoc facto dicti anticardinales intronisaverunt eum in antipapam suum, et vocatus est ab eis Bonifacius nonus.

Item sciendum est quod Karolus juvenis rex Francie erat tunc in Avinione cum papa Clemente septimo, quando venerunt ibidem nova certa predicta de morte dicti Bartholomei antipape intrusi. Et tunc dictus rex misit statim Rome sapientes et valentes nuncios ad omnes anticardinales predictos, ad hoc ut eos reduceret ad viam veritatis, dimittendo omnino scismate predicto, qui omnes recusaverunt hoc facere, malentes de facto, et non de jure, perseverare in suo scismate quam reverti ad viam veritatis et anime sue salutis.

Quae in nota ni 1659 *afferuntur de consilio Philippi ducis Burgundiae Italiam cum exercitu invadendi, ut Clemens VII expulso Bonifacio IX in solium Romanum vi collocaretur, connectuntur, ut opinamur, cum legatione quam an.* 1390 *Clemens VII ad Philippum ducem Burgundiae misit, de qua ex* Introit. et exit., n° 366, Arch. Vat., *edocemur.*

(*Fol.* 125b.) Die iij mensis Maii fuerunt soluti Egidio (Aiscelin de Bellemer) episc. Vaurensi, refferendario dom.

84.

nostri pape, qui mittitur per ipsum dom. papam in Flandriam ad dom. ducem Burgundie pro facto scismatis, in deductionem vj^c flor. auri current. sibi pro dicto viagio tradi ordinatorum, dom. Johanne Vederii socio suo pro ipso recipiente, iij^c flor. current., valent ij^clvij flor. cam., iiij sol

Cum ipso pro eadem causa mittebantur Petrus Candonis, leg. doctor (*recipit pro expensis et equis emendis* ij^c xxxv *flor. cam.*, xx *sol.*) *et* fr. Johannes Hatonis, Ord. Pred., penitentiarius Anglic. (*rec.* cliij *flor. cam.*, viij *sol.*). *Ibid. Vid. etiam fol.* 127.

Julii 11 *morabantur adhuc in Flandria, nam sub eadem temporis nota* Walterus de Mentenaco, cursor dom. pape, mittitur in Flandriam ad dominos episcopos Vaurens. et Lodovens. (Clementem de Grammont, *cam. apost. audit. et leg. doct.*) cum certis bullis et litteris dom. pape (*fol.* 163^b).

N° 1663, not 4. Tres viae (*inter alias*) *ad tollendum Schisma aptae an.* 1381 *ab* Henrico de Hassia *allatae, minime ab ipso excogitatae seu inventae fuerunt, sed Henricus quae hinc illinc media separate proferebantur, in unum collegit et reassumpsit. Hoc optime quis conjicere potest ex* Epistola Leviathan ad pseudopraelatos, *a* Petro de Ailliaco *eodem an.* 1381 *composita* (Bibl. Camerac., ms. 490, *Catal* 531, *fol* 187), *in qua refertur* : Nunc per eorum (prelatorum) pigram sollicitudinem et simultatem dicitur : ... ego (sum) futuri Concilii generalis; ego arbitrialis concordie (*i. e.* compromissi); ego resignationis utriusque (*vid.* Tschackert, *Peter von Ailli*, Appendix, *p.* 17; cf. Wattenbach, *Ueber erfundene Briefe in Hss. des Mittelalters, besonders Teufelsbriefe, in* Sitzungsb d. k. preuss. Akad. d. Wissensch., 1892, *p.* 96 *sq*). *Notandum, tres vias hic eodem ordine ac in tractatu an.* 1391, *de quo in* n° 1663, *enumeratas esse. Sic etiam hae tres viae an.* 1394 *minime ab Universitate Paris. excogitatae fuerunt.*

N° 1664. *Notae quae sequuntur, ut alia, Clementem VII nobis ut simulatorem demonstrant. Speciem praebuit se pro unione ecclesiae laborare, eam tamen, cum de cessione ageretur, impediendo. Hucusque e* Chron. du rel. de St Denys, II, 46, *historici scribebant, priorem Astensem Cartus., Petrum (de Montevici), an.* 1392 *consilio alicujus cardinalis Bonifacii IX Romam ad istum papam ivisse ab eoque epistolam pro rege Francorum petiisse. Sed e nota prima, quam ex* Arch. Vat., *Introit. et exit.*, n° 368, *extraximus, liquet, Clementem VII jam prius, et quidem an.* 1391, *cum isto priore relationem habuisse.*

(*Fol.* 140^b.) Die v^a mensis Junii (*an.* 1391) fuerunt soluti dom. Girardo de Passu, elemosinario dom. pape, qui mittitur ad civitatem Astensem ad priorem Cartusie super certis negotiis ecclesie sibi injunctis, qui ducit tres equos, pro suis expensis faciendis l flor. current., valent xlij flor. camere, xxiiij sol.

Sine dubio fama hujus Cartusiani ad aures pervenit Clementis VII, qui audivit partem Bonifacii IX eo uti intendere in facto unionis. Fortasse Clemens VII huic occurrere volens ad eum suum eleemosinarium, qui Jul. 22 *Avenionem jam reversus erat* (*fol.* 158^b) *misit. Sed quid ei injunxerit ignoramus. Nulla istius prioris deinde mentio fit in* Introit. et exit. *usque ad an.* 1392, *Jul.* 20, *in nota sequenti, quam ex* Introit. et exit., n° 369, *extraximus. Ex illa conjicimus, primo, priorem Astensem etiam per Clementem VII Romam missum fuisse; secundo, iter Romam* ab Avenione *peregisse, proindeque an.* 1392, *Jul.* 20, *secundo Avenione stetisse, attenta locutione :* Avenionem noviter revenit de Urbe, *etc.*

(*Fol.* 124.) Die xx^a mensis Julii fuerunt soluti .. priori Astensi Ord. Cartus , qui (Avinionem) noviter revenit de Urbe, ad quam per dom. nostrum papam missus fuerat pro negociis ecclesie et magno tempore fuit in via, pro expensis per ipsum factis c flor. cam.

Ut e Chron. du rel. de St Denys, II, 54, *scimus, Bonifacius IX priori Astensi, cui tunc Bartholomaeus de Ravenna, prior Insulae Gorgonii adjungebatur, epistolam pro rege Carolo Franciae tradidit, quam Clemens et dux Bituricens., tunc Avenione degens, inspicere, licet frustra, voluerunt. Hinc duo Cartusienses Avenione retenti sunt, usque dum jussu regis et interventu Universitatis Paris. mense Decembris iter Parisios prosequi potuerunt.*

(*Fol.* 125.) Die xxiiij^a Julii fuerunt soluti .. priori Astensi et .. priori Insule Gorgonii, Ord. Cartus , qui sunt hic Avenione de mandato dom. nostri pape, pro eorum expensis faciendis xl flor. current., valent xxxiiij flor. cam., viij sol.

(*Fol.* 137.) Die xxviij^a Augusti fuerunt soluti .. prioribus Astensi et Insule Gorgonii, Ord. Cartusiens , qui sunt hic Avenione pro facto scismatis..... xxj flor. cam., xij sol.

(*Fol.* 142.) Item die x^a mensis Septembris prioribus Astens. et Insule Gorgonii, O. Cartus., qui de mandato dom. pape revertuntur apud *Cartusiam*, pro eorum expensis factis et faciendis c flor current., valent lxxxv flor. cam., xx sol.

Sequentes notae exstant ibid., n° 370, *similiter ad an.* 1392 :

(*Fol.* 51.) Die viij[a] Novemb. dom. Girardo de Passu, elemosinario dom. pape, qui mittitur ad *Magnam Cartusiam* certis negotiis factum scismatis tangentibus, pro suis expensis faciendis.... xviij flor. cam., iiij sol.

Ad haec vid. infra ad 3 *Januar , quae nota partim hic referri debet.*

(*Fol.* 58[b].) Die ij[a] mensis Decemb. fuerunt soluti dompno *Petro de Montevici*, priori Astens., et dompno *Barlholomeo de Ravenna*, priori Insule Gorgonii, Pisan. dioc., Ord. Cartusiens., qui mittuntur Parisius ad regem pro facto scismatis, pro eorum expensis faciendis et pro uno equo emendo, ipsis manualiter recipientibus ij[c]l flor. current., valent ij[c]xiiij flor. cam., viij sol.

Ut in Chron. du rel. de S[t] Denys, II, 54, *narratur, Clemens VII eis Parisios euntibus sub juramento affirmavit* « quod ad unionem ecclesie acquirendam velocius quam exuit cappam exponeret caput suum ». *Sed verba frivola erant.* « Nam quemdam in utroque jure excellentissimum doctorem religiosorum vestigia sequi jussit, ut legationem eorum, si possibile esset, impediret. » *Ob excellentiam ejus et per derisionis modum* « saccus legum » *vocabatur. In* Introit. et exit., n° 370, f. 60, *ejus nomen conservatum est, nempe* Raymundus Bernardi Flamench, leg. doctor, *qui jam an.* 1383, *Augusti* 21, *orationem celebrem habuit Pragae* « ad Caesarem », *i. e. ad regem Wenceslaum* (*ap.* Martène, *Thes. nov. anecd.*, II, 20, e *ms[to]* Rotomagensi O. 20, *fol.* 228, *quaeque invenitur etiam in Bibl. Paris., ms. lat.* 1472, *f.* 132 ; Arch. Vat., arm. 54, n° 14, *fol.* 87), *et saepius legati munere functus est, ultimo Februarii* 18 *hujus anni* 1392, « pro negotiis ecclesiae in Franciam (*i. e.* Parisios) missus » (*Introit. et exit.*, n° 369, *fol.* 74). *Sequens nota exstat in* Introit. et exit., n° 370.

(*Fol.* 60.) Die vj[a] Decembris domino *Raymundo Bernardi Flamench*, leg. doctori et militi, qui mittitur per dom. nostr. papam Parisius ad regem et ad dominos duces Bituricens. et Burgundie tam pro facto scismatis, quam pro negotiis regis Ludovici et regine Sicilie..... vj[c]ij flor. cam., xix sol.

Saltem Januarii 17, *an.* 1393, *adhuc Parisiis stetit* (*ibid.*, *f.* 74). *Sed ut* Chron. du rel. S[t] Denys, *l. c.*, *annotat, leges hujus doctoris duobus Cartusiensibus minime nocuerunt, nam a rege et suis illustribus gratiose recepti bonum responsum acceperunt* (*vid.* n° 1664 *et infra in fine*).

Sequentes notae inveniuntur in eod. cod. 370 *; prima partim refertur ad tempus* (*ante* 2 *Decemb.*) *quo duo Cartusienses adhuc in Magna Cartusia morabantur; sequentes ad an.* 1393, *postquam Avenionem, Parisiis relictis, reversi erant.*

(*Fol* 69[b].) Die iij[a] mensis Januarii (*an.* 1393) fuerunt soluti domino Girardo de Passu, elemosinario domini pape, qui nuper fuit missus ad *Magnam Cartusiam* quesitum (*sic*) priores Astensem et Insule Gorgonii Ord. Cartusiens., qui *iverunt* Parisius ad regem pro facto scismatis, pro expensis per ipsum factis, ipso manualiter recipiente xx scuta auri, valent, quolibet pro xxxiiij solidis computato, xxiiij florenos cam., viij solidos.

(*Fol.* 87[b]) Die xviij[a] Martii dom. Girardo de Passu, elemosinario dom. pape, qui mittitur apud *Magnam Cartusiam* ad priores Astens. et Insule Gorgonii, Ord. Cartus., qui *veniunt de Francia* et vadunt ad partes Italie pro facto scismatis, pro suis expensis faciendis xxx flor. curr., valent xxv flor. cam., xx sol.

(*Fol.* 92) Die xxviij[a] mensis Martii fuerunt soluti Johanni Carenchonis, quos fecit tradi per cambium Pisis prioribus Parisiens., de Divione, Astens. et Insule Gorgonii Ord. Cartus., qui mittuntur ad Urbem pro facto scismatis, pro eorum expensis faciendis cxxv flor. current., valent cvij flor. cam., iiij sol.

Carolus rex scilicet duobus Cartusiensibus injunxit ut Bonifacio IX referrent, omnes vires regias promptas esse ad unionem ecclesiae promovendam, quod etiam Lombardiae principalioribus dominis intimarent. Ad hoc eis in itinere adjunxit priores Cartusienses Divionensem *et* Parisiensem (Chron. du rel. de S[t] Denys, II, 56, *ubi tamen Bellaguet loco* « Divion. » *perperam* « Dunciaci »).

Cartusienses eodem anno cum alia epistola Bonifacii IX (*Maii* 21) *Parisios reversos esse, e* Chron. du rel., II, 106, *ediscimus. Vid.* n° 1664, not. 4.

N° 1681 *Nescimus an* Chron. du rel. de S[t] Denys *sub nomine* cambelliano *designare voluerit* camerarium *ut* Bellaguet *vertit* (camérier), *vel, ut vox potius indicat,* cubicularium (*vid.* Ducange-Henschel, II, *p.* 42). *Ast solummodo* Guillelmum Bie, Johannem de Verbo, Jacobum Pollerii, Guillelmum Mentonay, Petrum Trousselli (*ab an.* 1409, *Sept.* 11, *episc. Pictavens.*) *ut cubicularios ejusdem tempestatis invenimus allatos* (Arch. Vat , *Introit. et exit.*, n° 370, *fol.* 80, 96, 111), *ad an.* 1389 *et* 1390 Henricum episc. Valentinens. (*Introit. et exit.*, n° 365, *f.* 154[b], 175[b]; n° 366, *f* 100[b], 120[b], 130). *i. e.* Henricum Bayler de Friburgo, *ab an.* 1388, *Jun.* 15, *episc. Valentinens. in Francia; ad an.* 1393 Antonium episc. Magalonens. (*ibid.*, n° 370, fol. 160[b]).

Ut e sequentibus liquet, in actis camerae apost. an. 1394 *solum* camerarii *papae, i. e.* Francisci de Conziaco, *seu* Conzieu (*qui, cum an.* 1380,*Febr.* 28, *factus esset episc. Grationopol., legum doctor et caus. apost. auditor fuit*), *mentio fit, minime alicujus cubicularii, vel episcopi* Tarson., *vel.* Tirason. *Cum camerario Martii* 13 *Parisios profecti sunt* Petrus Blavi, *doctor decret. Montispessulani*[1] (*ab an.* 1395, *Dec.* 24, *card. S. Angeli, ex Arch. Vat.*, Oblig., nº 49, *fol.* 97), Junianus Chouvati, *doctor leg. Avenionens. et caus. apost. aud.*, *et* Raymundus de Albigesio, *ex Universitate Caturcensi. Notae sequentes desumptae sunt ex* Arch. Vat., *Introit. et exit.*, nº 371.

(*Fol.* 160.) Die ij^a^ mensis Martii fuerunt soluti dom. *Juniano Chouvati*, caus. sac. pal. auditori, pro emendo iiij^or^ equos sibi necessarios pro viagio per ipsum faciendo in Franciam cum domino *camerario* domini nostri pape, cl franchi, val. quilibet xxx solidos, valent in cxxxiij scut. auri, xj sol., iij den., valent clj florenos camere, iij sol., iij den.

Die eadem fuerunt soluti domino *Petro Blavi*, decretorum doctori, qui debet ire in Franciam cum dicto domino *camerario* ex eadem causa, cl franchi auri, val. quilibet xxx solidos, valent in cxxxiij scut. auri, xj solid., iij den., valent clj florenos cam., iij sol , iij den.

(*Fol.* 1160^b^). Die ij^a^ mensis Martii fuerunt soluti *Johanni Coste*, equitatori regio, qui mittitur in Franciam cum certis litteris domini pape pro suis expensis faciendis, xvj floreni cam.

Die eadem fuerunt soluti domino *Petro Blavi* supradicto pro certis expensis per ipsum hic factis et faciendis expectando recessum dicti domini camerarii, xvj floreni cam.

Die viij^a^ mensis Martii fuerunt soluti *Paulo Richi*, draperio Avinionensi, pro una petia panni de Brucella data dominis *Juniano Chouvati, Raimundo de Albigesio* et *Petro Blavi*, qui debent ire in Franciam cum domino *camerario* predicto, c floreni current., valent lxxx florenos cam.

Item dicto *Paulo Richi* pro xij cannis panni partim viridi et partim rubei datis scutiferis dictorum dominorum xxxvj floreni currentes, valent xxviij florenos cam., xxiiij solidos.

Die eadem fuerunt soluti *Rogerino de Prato*, equitatori regio, qui mittitur per dominum papam Parisius cum certis litteris pro suis expensis faciendis, xvj floreni cam.

(*Fol.* 161.) Die eadem fuerunt soluti domino *Petro Blavi* pro certis expensis per ipsum factis expectando dominum *camerarium* et certis rebus sibi necessariis emendis, xl franchi, [valent] in xxxv scut. auri, xviij sol., ix den., valent xl florenos cam.

Item simili modo domino *Juniano Chouvati* predicto ex eadem causa et quia deficiebant sibi pecunie pro equitaturis emendis, tradite xl franchi auri, val. quilibet xxx solidos, valent in xxxv scut. auri, xviij sol., ix den., valent xl florenos cam., viij sol., ix den.

Die eadem fuerunt soluti magistro *Adam Barate*, secretario domini *Camerarii* domini nostri pape recipienti nomine dicti domini camerarii in deductionem expensarum per ipsum in suo viagio apud Franciam faciendarum, vj^c^xij floreni cam. et ij^c^ scut. auri, valent in universo (quolibet scuto pro xxxiiij solidis, et floreno cam. pro xxx solidis computatis) viij^c^xxxviij floreni cam.

Die xij^a^ dicti mensis fuerunt soluti domino *Hugoni Costini*, canonico Albiensi, recipienti nomine domini camerarii domini nostri pape, quos idem dominus camerarius de mandato domini nostri pape dederat confessori domini ducis Bituricensis tam in pecunia numerata quam pro pretio unius cupe argenti ponderis iij marcharum et unius uncie, cxxiiij floreni cam.

(*Fol.* 163^b^.) Die xiiij^a^ mensis Aprilis fuerunt soluti *Helino de* [*H*]*amo* clerico, qui copiavit depositiones dominorum cardinalium et certas allegationes factas super facto scismatis, que fuerunt portate Parisius per dominum *camerarium* domini nostri pape, ij floreni cam.

Non caret momento videre, quam vivum commercium Clemens VII eo tempore quo camerarius ejus Parisiis morabatur et dum Universitas pro unione ecclesiae laborando cum rege et regio consilio agebat, cum camerario, et camerarius cum Clemente haberet. De hoc ex eodem codice edocemur.

(*Fol.* 164.) Die xvj^a^ dicti mensis Aprilis fuerunt soluti *Raymbaudo Buseti*, equitatori regio, misso per dominum

1. Eodem anno (1394), April 18, consules villae Montispessulani eidem, dum Parisiis morabatur, scripserunt (v. L. Guiraud, *Le collège de Saint-Benoit*, p. xxx, not. 1). Si epistola Petri Blavi ad consules Montispessulani directa Maii 29, ibid. p. xxxii, not. 1, edita, ad annum 1394 pertinet, quod inquirendum est, Petrus Blavi mense Maii Avenionem reversus erat et postea iterum Parisios iter arripuit, « involutus plus quam vellet ».

papam Parisius ad dominum *camerarium* suum super certis negotiis pro suis expensis faciendis, vj floreni cam., xxiiij solidi.

Die eadem fuerunt soluti *Hugeto Salamonis*, equitatori misso per dominum nostrum papam in Franciam ad dominum *camerarium* pro negotiis ecclesie pro suis expensis faciendis, vj floreni cam., xxiiij solidi.

(*Fol.* 166.) Die v^a mensis Junii fuerunt soluti *Rogerino de Prato*, equitatori regio hic misso per dominum *camerarium*, et ad ipsum remittitur Parisius per dominum nostrum papam cum certis litteris, pro suis expensis faciendis, ix floreni cam., ij solidi.

(*Fol.* 166^b) Die xj^a mensis Junii *Rogerino de Prato*, equitatori nuper misso *festinanter* Parisius per dom. nostrum papam ad dominum *camerarium* pro certis negotiis ecclesie, pro suis expensis faciendis, xj flor. cam., x sol.

(*Fol.* 168.) Die ultima dicti mensis Junii fuerunt soluti *Johanni Huronis*, cursori domini nostri pape, hic misso de Parisius cum certis litteris ad dominum nostrum papam et per ipsum d. n. papam sibi remittitur Parisius cum suis litteris pro suis expensis faciendis, xj floreni cam.

Item *Johanni Monachi* (*Lemoyne*), equitatori regio, per quem dominus noster papa mittit certas litteras in Franciam et sibi dari voluit in relevamen expensarum suarum ij flor. cam., viij sol. — *Ut e fol.* 171 *ediscimus*, festinanter *ad* camerarium *Parisios missus est, et recepit postea* xxij *flor. cam.*, xx *sol.*

(*Fol.* 168^b.) Die x^a mensis Julii fuerunt soluti *Rogerino de Prato*, equitatori regio misso *festinanter* per dominum nostrum papam Parisius ad dominum *camerarium* suum cum certis litteris pro suis expensis faciendis, x scut. auri., valent xj florenos cam., x solidos.

Iisdem equitatoribus et cursoribus postea (*ab ultimo Augusti*) *expensae antea factae resarcitae sunt* (*ibid. f.* 171).

Tribus mensibus antea quam Clemens VII suum camerarium Parisios destinavit, illuc misit mag. theol. Egidium de Aurelianis, Ord. August. (*de quo n*° 1653, *not.*), *ut in eodem codice legimus :*

(*Fol.* 155.) Die xiiij^a Decemb. (*an.* 1393) fuerunt soluti mag. Egidio de Aurelianis Ord. Augustinens., in sacra pagina professori, qui mittitur per dom. papam Parisius ad regem super certis negotiis, pro suis expensis faciendis c flor. current., valent lxxx flor. cam. *Simul hostiarius major papae ad duces Bituricens. et Burgundiae mittebatur* (*ibid.*).

Quo fine? Jam tunc, ut opinamur, Universitas Clementi VII suspecta erat. Theologo tamen nihil proficiente, secundo seu nova occasione juristae illuc mittuntur.

P. 624, not. *Fortasse iste anonymus adversarius Universitatis Paris., Ord. Praed., est* Antonius de Pararacio, *Ord. Praed., mag. in s. pagina, qui postea scripsit contra Parisienses* « opusculum in causa christifidelium contra novarum inventores sedicionum et scismatum, parricidas novos de *perversitate* (*i. e. Universitate*) *Parisius* » (Arch. Vat., arm. 54, n° 22, *fol.* 152), *in quo renuntiationem Benedicti XIII impugnat.*

P. 626, not., in fine *leg.* « per xvj annorum spatium ».

TABULA

N^us	ANNUS.	MENSIS.	TITULUS.	PAG.
1193	**1350**	Septembris 12	Ordinatio Capituli generalis Ord. Cisterc. de studiis fratrum in domo S. Bernardi Paris	1
1194	—	Novembris 16	Clemens VI (Johanni de Aciaco) cancellario Paris mandat ut Symonem de Brossa, Cluniac. Ord., ad honorem magisterii studeat promovere	3
1195	**1351**	Martii 5	Deliberatio Universitatis Parisiensis, qua Petrus Bercorius, Ord. S. B., pro vero scholari agnoscitur, et lata in eum ab officiali Paris. sententia irrita esse declaratur.	3
1196	—	— 18, 27, 31	Instrumenta litis episcopum inter et Universitatem Parisiensem, de Petro Bercorio, scholari, e sententia officialis in carcerem demisso	5
1197	**1350-1351**	Aprilis 2	Decretum facultatis medicinae Paris. de stipendiis debitis mag. Adae de Francovilla, qui in curia Romana in gratiam facultatis, praesertim contra illicite practicantes, laborabat.	7
1198	**1351**	Maii 28	Clemens VI concedit ut Bernardus de Pacterio, Ord. Min., Sententias in studio Paris. legat	9
1198a	—	Julii 9	Clemens VI cancellario Paris. injungit, ut Roberto de Bretevilla, Ord. Erem. S. Aug., magisterium in theol. conferat.	9
1199	—	Octobris 1	Johannes de Sancto Martino, Ord Carmel., petit, ut magistretur in theologia.	9
1200	—	Decembris 9	Johannes, rex Francorum, occasione cujusdam duelli, declarat Pratum Clericorum ad Universitatem Paris. pertinere.	10
1201	—	. . . .	Errores a Simone revocati in Universitate Parisiensi	11
1202	**1351-1352**	Januarii 20	Statutum nationis Picardicae de distributionibus solvendis in diebus solemnibus . . .	12
1203	**1352**	Martii 31	Clemens VI cancellario Paris., ut Austencio de Sancta Columba, Ord. Min., magistralem honorem et docendi licentiam concedat.	13
1204	—	Aprilis 29	Statutum Capituli generalis Ord. Cluniac. de scholaribus insufficientibus in domo Paris	13
1205	—	Aprili.	Johannes, Francorum rex, praecipit ut in villa et vicecomitatu Paris. nullus artem chirurgicam exerceat, nisi per magistros chirurgicos juratos Parisiis morantes examinatus fuerit et licentiam operandi in praedicta arte obtinuerit.	14
1206	—	Maii 4	Clemens VI cancellario Paris. injungit, ut Guillelmo Romani, Ord. Praed., concedat Sententias in studio Paris. legere	14
1207	—	— 13	Clemens VI cancellario Paris., ut Egidio de Medonta, Ord. Erem. S. Aug., concedat Sententias legere	15
1208	—	Junii 25	Clemens VI cancellario Paris., ut Jacobum Carbonelli de Tholosa, Ord. Eremit. S. Aug., ad legendum in Parisiensi studio Sententiarum libros admittat.	15
1209	—	Julii 11	Remigius de Florentia petit ut Hugolinus de Urbeveteri magisterium in theologia recipiat.	15
1210	—	Augusti 27	Clemens VI cancellario Paris., ut Armandum Mayrani, presb. Sancti Flori dioec., ad magisterium promoveat.	15
1211	—	Decembri	Ordinatio Johannis, regis Francorum, de administrandis medicamentis in villa et suburbiis Paris.	16

1212	1353	Januarii 16	Innocentius VI Petro Dominici, Ord. Erem. S. Aug., legere librum Sententiarum in vacationum tempore permittit.	17
1213	—	Maii 22	Rotulus magistrorum Universitatis Parisiensis.	18
1214	—	— 29	Rotulus quorumdam magistrorum Paris.	19
1215	—	Augusti	Johannes, rex Francorum, ordinat, ut pharmacopolae Paris. bis in anno visitentur.	20
1216	—	Octobris 31	Innocentius VI cancellario Paris. injungit, ut Nicolaum Nicolai, Ord. Erem. S. Aug., ad legendas Sententias admittat.	20
1217	1354	Maii 2	Innocentius VI Guillelmum de Exclusa, quondam a consortio facultatis artium privatum, ad famam pristinam restituit.	20
1218	—	— 16	Errores a Guidone (Aegidio de Medonta?) Ord Eremit. revocati in Universitate Paris.	21
1219	—	Junii 1	Guillelmus Farinerii, minister generalis Ord. Min., in Capitulo generali Assisii celebrato statuta promulgat de studiis in Ordine Min., praesertim Parisiis, regulandis.	23
1220	—	Augusti 25	Appellatio magistri Reginaldi de Acyaco ad sedem apostolicam contra rectorem et nonnullos e magistris Universitatis Parisiensis	23
1221	—	Septembris 1	Altera appellatio Reginaldi de Aciaco ad sanctam sedem	27
1222	—	— 3	Appellatio altera Reginaldi de Acyaco contra rectorem Universitatis	29
1223	—	— 6	Johannes, rex Francorum, in Parlamento Paris. absolvit praepositum Paris., Reginaldum de Aciaco, advocatum suum, et Armandum, mag. in theol., de querelis contra ipsos; paxque restituitur inter ambas partes	32
1224	—	Decembris 13	Innocentius VI cancellario Paris. injungit, ut Egidio de Marla, Ord. Praed., magisterium in theol. tribuat.	36
1225	1355	Junii 22	Innocentius VI prohibet ne fratres Eremit. S. Aug. in aliis locis praeter Parisios, Oxoniam, Cantabrigiam magisterium in theologia sumant.	36
1226	—	Jun 1-Sept 2	Universitas Parisiens. ad Innocentium VI pro Gerardo de Maynillis, rectore Universitatis.	37
1227	—	Septembris 2	Rotulus nuntiorum Universitatis Parisiensis	37
1228	—	Octobris 15	Statutum nationis Picardicae de distributionibus et clavibus arcae communis reportandis ad electionem novorum procuratorum.	38
1229	—	Decembris 10	Statutum facultatis artium de modo legendi libros artium in scholis.	39
1230	1356	Februarii 21	Innocentius VI Hospitalariis S. Johannis Hierosol. indulget ut Parisiis alibique juri canonico studere magisteriumque sumere possint.	40
1231	—	— 25	Concordatum, secundum quod duo chirurgi jurati in Castelleto, et praepositus chirurgorum Paris. licentiandos in facultate praedicta convocare debent ad examen eisque donare licentiam.	42
1231[a]	1357	Aprilis 23	Innocentius VI cancellario Paris., ut Bernardum Ermengaudi, Ord. Praed., ad magisterium in theol. promoveat.	43
1232	—	— 28	Capitulum Parisiense Talerandum scolarem Paris. e carceribus capituli ad supplicationem rectoris et Universitatis Paris. dimittit	43
1233	—	Maii 28	Ordinatio Capituli generalis Ord Praed sub mag gen. Simone de Lingonis de studiis, de ordine baccalareorum in lectura Sentent. Parisiis. et de praesentatione eorum ad magisterium.	44
1234	1356	Januarii 25	Lite suborta inter nationes Gallicorum, Picardorum et Normannorum in facultate medicinae Paris. de electione decani et examinatorum, compromissum inter ambas partes factum est.	45
1235	1357	Novembris 25	Facultas medicinae, suborta lite inter nationes Gallicorum, Picardorum et Normannorum ejusdem facultatis, de modo eligendi decanum et examinatores facultatis, eligit duos magistros ad stabiliendum modum.	47

1236	**1357**	Decembris 23	Decretum facultatis medicinae de modo eligendi decanum et examinatores.	49
1237	—	. . . .	Juramenta et statuta consueta in parvis scholis grammaticalium villae, civitatis, Universitatis et suburbiorum ac banleucae Parisiensis.	51
1238	**1358**	Maio	Carolus, dux Normanniae, concedit, ut vicus Straminum nocte claudatur, ne magistri et scholares de mane venientes ibidem spurcitias inveniant.	53
1238[a]	—	Junii 2	Innocentius VI (Johanni de Aciaco) cancellario Paris. injungit, ut Petrum abbatem monasterii Fontisfrigidi, Cisterc. Ord., Narbonens. dioec., theol. baccal. Paris., servatis servandis ad magisterium promoveat.	55
1239	—	— 18	Innocentius VI rectori et Universitati Paris., ut Stephanum Marcelli ad obedientiam reducant, et legatis apostolicis ad tractandum de pace inter ducem Normanniae et villam Parisiensem assistant.	55
1240	—	Julii 12	Concordatum inter nationes Picardicam et Anglicanam de finibus provinciarum et locorum	56
1241	—	Augusti 13	Gregorius Ariminensis, prior generalis Ord. Erem. S. Aug., ad fratres Ord. conventus Paris., de inordinata promotione lectorum.	59
1242	—	— 17	Innocentius VI concedit ut illi qui jure prohibente leges audire nequiverint, non obstante statuto Univers. Paris., in facultate decretorum Paris. doctorari possint. .	60
1243	—	— 25	Innocentius VI cancellario Paris, ut Francisco de Cardalhaco, Ord. Min., magisterium in theol. tribuat.	61
1244	—	Septembris 22	Innocentius VI cancellario Parisiensi, ut Raymundum (de Rampagiis), abbatem Claraevallis Cisterc. Ord, Mediolan. dioec., ad magisterium in theologia promoveat	61
1245	—	Octobris 31	Innocentius VI cancellario Paris., ut Johanni Balistarii, priori gener. O. S. Carm., magisterium in theol concedat	61
1246	**1359**	Februario	Articuli facultatis theologiae Paris. contra praeeminentiam rectoris Universitatis, et assertionem quod sit caput et superior Universitatis.	61
1247	—	Martio	Carolus, regnum regens, renovat privilegium Philippi IV regis Francorum de sexaginta libris annui redditus ad usum trium capellaniarum Universitatis, in Casteleto Paris. assignandis	69
1248	—	Julii 21	Innocentius VI cancellario Paris., ut Radulpho de Civitate Castelli, Ord Erem. S. Aug., post lecturam Sententiarum magisterium in theol. tribuat.	69
1248[a]	—	Augusti 28	Matthaeus Asculanus, prior generalis Ord. Eremit. S. Aug, Radulphum de Castello seu de Civitate Castelli mittit Parisios ad Sententias legendas.	70
1249	—	Novembris 4	Innocentius VI (Johanni de Aciaco) cancellario Paris., ut Paulo de Bononia, Ord. Servorum B. Mariae, magisterium in theol. tribuat.	70
1250	**1360**	Junio	Carolus, dux Normanniae, regnum regens, in favorem confraternitatis chirurgorum sub invocatione SS. Cosmae et Damiani	70
1251	**1361**	Februarii 12	Johannes, rex Francorum, consiliariis suis scribens, renovat privilegium exemptionis Parisiis studentium a subsidiis et impositionibus quibuscunque.	72
1252	**1360-1361**	Martii 7-Februarii 27	Johannes Blanchart, art. et medic. magister, testatur, se recepisse a decano facultatis medicinae viginti duos regales ratione sui itineris ad curiam Rom.	72
1253	**1361**	Februario	Johannes, rex Francorum, collegium S. Bernardi Paris. in sua et successorum suorum protectione suscipit.	72
1254	—	Aprilis 6	Universitas Paris. explicat privilegium quinquennale scholaribus in theologia studentibus Parisiis concessum quantum ad perceptionem beneficiorum suorum redditus.	73
1255	—	Martii 19-Junii 13	Rector Universitatis Dionysius Flatonis; juramentum praepositi Paris.	74
1256	—	Septembris 25	Radulphus de Castello, Ord. Erem. S. Aug., ab Universitate obtinet, ut festum S. Augustini in ecclesia Erem. S. Aug. ab Universitate celebretur.	75

1257	**1361**	Decembris 16	Gobertus de Monteberaudi electus in rectorem Universitatis.	75
1258	**1362**	Februarii 3	Statutum Universitatis Paris. de habitu magistrorum in congregationibus.	75
1259	**1360-1362**	Septemb. 30- Augusti 15	Innocentius VI magistrum Grimerium Bonifacii in cancellarium Paris. confirmat .	76
1260	**1362**	Novembris 20	Jacobus de Arenceyo, Ord. Erem. S. Aug , ab Universitate obtinet, ut festum S. Pauli Eremitae in ecclesia Augustin. celebretur.	77
1261	—	— 23	Articuli communes Universitatis Parisiensis pro quibus supplicat Urbano V Universitas Parisiensis.	77
1262	—	— 23	Rotulus magistrorum theologiae Parisiis regentium ad Urbanum V missus..	78
1263	—	— 23	— facultatis decretorum Parisiensis ad Urbanum V.	80
1264	--	— 26	— magistrorum facultatis medicinae Parisiens ad Urbanum V.	81
1265	—	— 27	— facultatis artium Parisiens. ad Urbanum V missus	82
1266	—	— 27	Universitas magistrorum et scholarium Parisiis studentium petit ab Urbano V, ut magister Stephanus Reginaldi, mag. actu regens Parisiis in artium facultate, rector, canonicatum Meldens. accipiat.	93
1267	—	— 29	Johannes de Sparnaco, Ord. Min., ad legendas Sententias Parisiis tempore aestivali admittatur	93
1268	—	Decembris 7	Johannes Trisse, Ord. Carmel., ad magisterium in theol. promoveatur.	94
1269	—	— 17	Universitas Paris., Johannes abbas Praemonstrat. totumque capitulum Praemonstrat. supplicant Urbano V pro fr. Everardo de Brugghenoye, bacc. in theol.	95
1270	—	. . . .	Articuli a Ludovico de Padua, Ord. Minor., Parisiis revocati.	95
1271	**1363**	Februarii 3, 26	Archiepiscopus et capitulum Lugdun. ad Urbanum V pro Jacobo de Moreyo, Ord. Praed., ut ad Sententias legendas Parisiis aestivo tempore admittatur.	98
1272	**1362-1363**	Decembris 31- Februario	Processus ex parte inquisitoris et decani Catalaunens. contra fratres Johannem L'Eschacier et Jacobum de Bosco, Ord. Praed., qui male contra Conceptionem Beatae Virginis praedicabant.	99
1273	**1363**	Martii 9	Jacobus Damiani, Ord. Eremit. S. Aug., bacc. formatus, ad magisterium in theol. promoveatur	101
1274	—	— 19	Urbanus V Grimerio Bonifacii, cancellario Paris., injungit, ut Dionysio Foullechat, Ord. Min., post lecturam Sententiarum magisterium in theol. conferat	102
1275	—	— 22	Petrus Rivi, Ord. Carmel., ad magisterium in theol. promoveatur.	102
1276	—	Aprilis 6	Bosembiante Badoaro, Eremit. S. August., Parisiis ad magisterium in theologia promoveatur.	102
1277	--	— 20	Johannes, Francorum rex, supplicat pro Johanne Forbitoris, Ord. Praedic., ut finita lectura Sententiarum eidem licentia tribuatur	103
1278	—	-- 28	Ordinatio Capituli generalis Ord. Servorum B. Mariae sub priore generali Nicolao de Venetiis Florentiae celebrati de studiis in collegio Parisiensi. . . .	103
1279	—	Maii 19	Pro Hospitali Sancti Spiritus Parisiensis.	104
1280	—	— 21	Ordinatio Capituli generalis Ord. Praed. sub mag. gen. Simone de Lingonis celebrati de studentibus Paris.; assignationes baccalareorum ad convent. Paris.. . . .	105
1281	—	Julii 5	Antonius Mannucii de Florentia, Ord. Serv. B. Mariae, ad magisterium in theol. promoveatur.	106
1282	—	— 19	Hervaeus de Cauda, Ord. Praed., ad legendas Sententias Parisiis assignetur. . .	106
1283	—	Augusto	Johannes, rex Francorum, Universitate Paris. postulante, confirmat octo articulos carnifices regulantes	106
1284	—	Septembris 6	Radulphus Bloch, Ord. Erem. S. Aug , licentietur in theol.	107
1285	—	— 24	Idem de fratre Bernardo Ollerii, Ord. Carmel	107

1286	**1363**	Octobris 17	Urbanus V cancellario Paris., ut Hugonem de Monteforti, Ord. Praed., ad legendas Sententias admittat	107
1287	—	Novembris 17	Urbanus V praecipit, ut Guillelmus de Prato, Ord. Min., magister Oxoniensis, in Universitate Paris. admittatur.	108
1288	—	...	Johannes de Calore quasdam propositiones a se enuntiatas explicat.	108
1289	**1364**	Januarii 3	Urbanus cancellario Paris., ut Johannem abbatem monasterii Claraevallis, Cisterc. Ord., Lingonens. dioec., ad gradum magisterii recipiat.	109
1290	—	— 9	Instrumentum qualiter sacerdotes licentiati in medicina possunt incipere legere et disputare et omnia tangentia actum inceptionis pro illa die inceptionis facere.	109
1291	—	Februarii 17	Urbano V supplicat Amedeus, comes Sabaudiae, pro fratre Johanne Romani, Ord. Eremit. S. Aug., ad Oxoniam destinato, ut contra prohibitionem generalis in vacationibus Parisiis Sententias legere possit.	110
1292	—	Martii 22	Urbanus V cancellario Paris., ut Johanni de Grosis, Ord. Cisterc., magisterium in theol tribuat.	111
1293	—	Maii 3	In obsequiis Johannis, regis Francorum, locus assignatur cancellario et Universitati Paris.	111
1294	—	— 25	Urbano V supplicat Amedeus pro Francisco de Melduno, Ord. Praed., ut ei lectura Sententiarum tempore vacationum et postea magisterium in theologia concedatur.	112
1295	—	Junii 8	Urbanus V cancellario Paris., ut Michaelem Perdigacii, Ord. Praed., ad lecturam Sententiarum admittat.	112
1296	—	Octobris 19	Carolus V de illicite practicantibus vel Parisiis vel in vicecomitatu; de confraternitate SS. Cosmae et Damiani.	113
1297	—	— 27	Urbanus V cancellario Parisiens., ut Guillelmo de Pomeriis, priori majori monasterii Cluniac., magisterii honorem et docendi licentiam in facultate theol. largiatur.	114
1297[a]	—	Novembris 7	Urbanus V cancellario Paris., ut Matthaeum Soloe de Rotomago, Ord Min., ad legendas Sententias admittat.	114
1298	—	— 21, 22	Appellatio fratris Foullechat, Ord Min., ad sedem apostolicam super quibusdam articulis qui ipsi imputati erant a magistris facultatis theologicae Cedula revocationis.	114
1299	—	— 15, 16, 23	Processus factus contra Dionysium Foullechat per viginti unum magistros in theologia.	120
1300	**1365**	Januarii 31	Instrumentum revocationis factae Avenione per fratrem Dionysium Foullechat.	122
1301	—	Martii 3	Urbanus V cancellario Paris., ut Bonifacio de Ast, Ord. Erem. S. Aug., magisterium in theol. tribuat.	124
1302	—	Maii 8	Urbanus V religiosis Ord. Eremit. S. August., qui sicut et alii religiosi facultatem theol. Tolosan. in favorem stud. Paris. postponebant, jubet Tolosae de triennio in triennium magistros in theologia fieri	125
1303	—	Junii 6	Urbano V supplicat Philippus, dux Burgundiae, ut Johannes de Buxeriis, abbas Cisterciensis, ad lecturam Sententiarum in Universitate Parisiensi admittatur	125
1304	—	Maii 19	Rotulus doctorum Parisiens. in decretorum facultate ad Urbanum V.	126
1305	—	Junii 14	— theologorum Parisiens. ad Urbanum V missus	127
1306	—	— 15	— facultatis medicorum Parisiens	128
1307	—	— 16	— artistarum Parisiens	129
1308	—	Julii 22	Reformationes rotuli Universitatis Parisiensis	133
1309	—	Augusti 8	Rotulus nunciorum studii Parisiensis	134

1310	**1365**	Julii 3	Praesentibus rectore multisque magistris quoddam bladum, seminatum in Prato Clericorum a quodam laico, exstirpatur	135
1311	—	Augusti 2	Plures scholares Paris. armati servientes regis male mulcant, a quibus unus scholarium interficitur. Carolus rex suos servientes absolvit.	136
1312	—	Novembris 12	Urbanus V ad Carolum V, regem Francorum, eidem benignitatem erga Universitatem Paris., quae partes quorumdam scholarium malefactorum et captorum tenebat, commendando	138
1313	—	— 12	Urbanus V ad Universitatem Paris. de eodem argumento.	138
1314	—	Decembris 11	Urbanus V ad cancellarium Paris., ut Alanum Tardi, Ord. Min., ad legendas Sententias assignet	139
1315	**1366**	Januarii 12	Urbanus V praecipit, ut quidam frater Ord. Erem. S. Aug. Parisios mittatur ad legendas Sententias.	139
1316	**1365-1366**	Decembris 15-Martii 24	Electio rectoris. Signetum rectoris, sine signeto cancellarii, sufficiat ad deliberandum vinum missum scholaribus; de emenda praestita ex parte regis pro violentia facta in territorio collegii de Lupara; Arnoldus de Chaustiavilla condemnatur.	139
1317	**1366**	Aprilis 9	Urbano V supplicat Petrus de Paciaco, licentiatus in jure canonico, ut, non obstante juramento suo, ad doctoratus insignia recipienda in fac. decretorum retardetur. . .	141
1318	—	Maii 2	Urbanus V duobus cardinalibus injungit ut Universitatem Paris. in suis statutis et observationibus reforment.	142
1319	—	Junii 5	Statuta pro omnibus facultatibus Universitatis Parisiens., edita a duobus cardinalibus consilio cancellarii et aliquorum magistrorum.	143
1320	—	— 6	Lis inter Universitatem Paris. et monasterium S. Germari Flaviacens..	148
1321	—	— 12	Urbano V supplicat Ludovicus, dux Andegavensis, ut frater Thomas Loney, Ord. Carmel., ad lecturam Sententiarum Parisiis admittatur, cum timeat Oxonienses. . .	149
1322	—	Martii 24-Junii 23	Rectore Macario Magni electo, Johannes Tonsoris, decanus facultatis decretorum, in quadam congregatione excessit in verbis contra rectorem.	149
1323	—	Augusti 7	Gerardus abbas Trium-Fontium, Cisterc. Ord., Urbano V supplicat, ut Parisiis ad legendas Sententias admittatur.	150
1324	**1364-1366**	— 20	Articuli Universitatis Parisiensis ad Carolum V, regem Franciae, contra praepositum Paris.	151
1325	**1366**	— 20	Carolus V, Francorum rex, praecipit, ut praepositus Paris. suum juramentum Universitati Paris. debitum in eccles. S. Eligii praestet.	153
1326	—	Septembris 7	Carnifices carnificeriae S. Genovefae, qui contra ordinationes regias plurima incommoda afferebant collegiis privatisque vicum S. Genovefae et plateam Mauberti habitantibus, a Parlamento condemnantur.	153
1327	—	Junii 23-Septembris 16	Electio rectoris. De fundando collegio octo scholarium in Collegio Macloviensi; de renovatione juramenti praepositi Paris.; de carnificibus in vico S. Genovefae. . . .	156
1328	—	Octobris 11	Urbanus V ad cancellarium Paris., ut Angelo de Urbeveteri, Ord. Erem. S. Aug., magisterium in theol. largiatur.	157
1329	—	— 11	Johannes Gilberti, Ord. Praed., bacc. Oxoniensis, Urbano V supplicat, ut Parisiis ad lecturam Sententiarum admittatur.	157
1330	—	Septembris 16-Decembris 16	Electio rectoris Johannis de Trelon	158
1331	—	Decembris 23	Urbanus V ad cancellarium Paris., ut Richardum de Bellomonte ad legendas Sententias admittat, quamvis adhuc unum cursum Bibliae legere deberet	158
1332	**1367**	Martii 18	Carolus V, Francorum rex, privilegia Universitatis ante concessa confirmat, et causas quae ad eorum beneficia spectant a conservatore privilegiorum cognoscendas esse, statuit.	158
1333	—	— 24	Electio rectoris Johannis de Dunghen.	160

1334	**1367**	Maii 18	Statutum facultatis artium, quando magistri artium mane suas lectiones legere incipiant	160
1335	—	Octobris 4	Stephanus de Fontanis solitum juramentum librariorum et satisdationem praestat. Nomina librariorum simplicium	161
1336	—	— 10	Novus praepositus Paris., Hugo Aubriot, solitum juramentum praestat.	163
1337	—	Junii 23-Octobris 10	Electio rectoris. De privilegio regis pro conservatore privilegiorum; de juramento novi praepositi Paris	164
1338	—	Octobris 11	Electio rectoris Marsilii de Inghen	166
1339	—	Decembris 9	Mag. Johannes Quadrati, lic. in theol., coram officiali Paris. recognoscit, se habuisse a magistris nat. Gallic. matris suae 20 francos auri, quos infra annum restituere promittit	166
1340	—	— 29	Occasione ludi episcopalis nocte S. Nicolai conflictus cruentus inter scholares Paris. et servientes et milites gueti subortus est. Causa coram Parlamento delata servientes puniuntur	166
1341	**1368**	Maii 19	Urbanus V priori et fratribus Ord. B. Marie de Monte Carmeli Paris. concedit ut a Ludovico, comite Stamparum, triginta libras paris. auri ad sustentationem duorum fratr. Ord., qui secundum voluntatem comitis in domo eorum Paris. futuris temporibus studio theologiae vacare debeant, recipere possint	175
1342	—	Junii 16	Urbanus V decernit, ut brachium dextrum S. Thomae de Aquino, ad decus studii Parisiens. Parisios transmittatur	175
1343	—	— 19	Urbanus V ad cancellarium Paris., ut Petrum Borroni, Ord. Praed., ad lecturam Sententiarum admittat	176
1344	—	Julii 28	Urbanus V (Grimerio Bonifacii) cancellario Parisiensi, ut Guillelmus Goyon, Ord. Praed., qui in Rotomag., Andegav. et Nannetens. locis dicti Ord lector fuit, ad legendas Sententias tempore hiemali ut baccalareus in altera duarum scholarum domus dicti Ord. anno proxime futuro recipiatur	176
1345	—	Septembris 11	Richardus, abbas S. Germani de Pratis, declarat jus patronatus in eccl. paroch. S. Germani concessum esse ab abbatia Universitati Paris.	176
1346	—	Novembris 5	Carolus V, rex Francorum, 14 librarios, 11 scriptores, 15 illuminatores, 6 ligatores librorum et 18 pergamenarios ab excubiis et a custodia portarum civitatis eximit.	178
1347	—	— 16	Urbanus V ad officialem Paris., ut inquirat quidquid pactum fuerit Universitatem Paris. inter et abbatem S. Germani	179
1348	—	Octobris 10-Decembris 16	Rector electus Franciscus de S. Michaele. De 4000 francis episc. Camerac. Episcopus Lexoviensis veniam petit ab Universitate. De rotulo Universitatis	180
1349	—	Novembris 9	Urbanus V ad Johannem cardinalem, ut de controversia inter Dionysium Foullechat, Ord. Min , et cancellarium Paris. inquirat et deinde decernat	182
1350	—	Decembris 23	Urbanus V ad Johannem card., ut Dionysius Foullechat errores revocet et de consilio cancellarii et magistrorum graviter puniatur	183
1351	**1369**	Januarii 1	Urbanus V prohibet, ne quis pendente causa ad arrestationem Dionysii Foullechat procedat	184
1352	—	Aprilis 12	Revocatio publica per Dionysium Foullechat, Ord. Min., Parisiis facta propositionum jam revocatarum Avenione, et quarumdam aliarum	185
1353	—	Februarii 6	Urbanus V ad cancellarium Paris., ut Johanni Corbechon, Ord. Erem. S. Aug , locum assignet pro lectura Sententiarum	186
1354	**1368-1369**	Decembris 16-Martii 24	Rector electus Guillelmus Carnificis. Mortale litigium inter nat Franciae et Picardiae. Articuli contra praepositum. De rotulo	186
1355	**1369**	Maii 4	Urbanus V ad cancellarium Paris., ut Johannem Thomae, Ord. Praed., ad legendas Sententias admittat	187

1356	**1369**	Maii 29	Urbanus V Marsilio de Inghen, mag. in art , qui ut asserit rector Universitatis Paris. in artibus extitit, et in eisdem artibus per sex annos continue rexit, et qui s. theol. a tribus annis citra scholaris fuit, canonicatum eccl. Monasteriens. confert.	188
1357	—	Septembris 26	Carolus V, rex Francorum, scholares, bedellos, librarios, illuminatores, etc., ab impositionibus eximit.	188
1358	—	Octobris 18	Universitas Paris. statuit sermonem in festo S. Ludovici intra Collegium Navarrae habendum esse.	189
1359	**1370**	Junii 2	Assignationes baccalareorum Ord. Praed. pro lectura in studio Paris.	190
1360	—	Julii 21	Carolus V, rex Francorum, ad praepositum Paris., ne magistri chirurgi praeposito revelare teneantur quas plagas curaverint, nec ad excubias et custodiam januarum mittantur.	191
1361	—	(*Vid.* nº 1473ª).	Deliberatio Universitatis de poena librariis infligenda, qui in venditione librorum non satis fideliter se gerunt.	192
1362	**1370-1371**	Octobris 20-Januarii 5	Gregorius XI Johannem de Calore in cancellarium eccl. Paris. confirmat.	193
1363	**1371**	Januarii 23	Statuta quae debent quolibet anno legi cum aliis quae solent legi in decretorum facultate	194
1364	—	Februarii 28	Decretum nationis Picardorum de contribuenda pecunia.	196
1365	—	Aprilis 26	Gregorius XI ad Johannem de Calore, cancellarium Paris., ut Johannem de Latone de Gerunda, Ord. Min., ad legendas Sententias admittat.	196
1366	—	Maii 9	Carolus V, rex Francorum, jubet inquestam fieri de abusibus in Universitatem commissis.	197
1367	—	— 23	Carolus V, rex Francorum, praecipit ut studentes Universitatis Paris., qui habent signetum rectoris, nihil solvant pro vino, frumento aliisque rebus ipsis venientibus ex eorum beneficiis.	198
1368	—	Maio	Deliberatio nat. Gallic. sub procuratore mag. Nicolao de Cussangeyo, de remunerando curato S. Nicolai de Cardineto, ubi sacra nationis celebrabantur; mentio fit rotuli.	199
1369	—	Junii 24	Electio rectoris Marsilii de Inghen.	200
1370	—	— 30	Gregorius XI ad cancellarium Paris., ut Raymundo de Bona, Ord. Praed., permittat Sententias legere	200
1371	—	Julii 18	Gregorius XI ad cancellarium Paris.. ut Johannem de Gutensperg, Ord. Min., ad lecturam Sententiarum admittat.	200
1372	—	Octobris 3	Item quantum ad Thomam de Rossy, Ord. Min.	200
1373	—	Novembris 5	Item quantum ad Johannem de S. Nazario, Ord. Min	201
1374	**1372**	Januarii 25	Gregorius XI ad cancellarium Paris., ut Gilberto Wichman magisterium in theol. conferat.	201
